2.6.26

2C.6

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

IO. GOTTLIEB

HEINECCII,

POTENTISS. PRVSSORVM REGIS
A Conſil. Sanctior., Iur. ac Philoſoph. in ill.
Frideric. Academ. Profeſſoris publ. ord.

OPERVM

AD

VNIVERSAM IVRIS PRVDENTIAM
PHILOSOPHIAM ET LITTERAS HVMANIORES
Pertinentium,

TOMVS SEXTVS,

In quo

I. ELEMENTA IVRIS GERMANICI,
TVM VETERIS, TVM HODIERNI;
II. ELEMENTA IVRIS CAMBIALIS;
COMMODA AVDITORIBVS METHODO
ADORNATA.

GENEVAE,
Impenſis FRATRVM CRAMER, ET CL. PHILIBERT.

cIɔIɔccxxxxviii.

Digitized by Google

Digitized by Google

IO. GOTTLIEB

HEINECCII,

*POTENT. PRVSSORVM REGIS
A Conſil. Sanctior., Iur. ac Philoſoph. in ill.
Frideric. Academ. Profeſſoris publ. ord.*

ELEMENTA IVRIS GERMANICI

TVM VETERIS, TVM HODIERNI,

EX

GENVINIS PRINCIPIIS ERVTA,

ET

COMMODA AVDITORIBVS METHODO

ADORNATA.

Accedunt Indices locupletiſſimi.

EDITIO TERTIA EMENDATIOR.

GENEVAE,
Impenſis FRATRVM CRAMER, ET CL. PHILIBERT.

cIↃIↃCCXXXXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO
S. P. D.
IO. GOTTL. HEINECCIVS.

PARS haec ſapientiae haud poſtrema eſt, rectas de rebus quibuslibet ferre ſententias, cauſſas amoris atque odii omnes procul habere, denique iuſtum cuique rei ſtatuere pretium, et nec laudandam oratione lacerare ac deprimere, nec digniſſimam vituperatione laudibus in coelum euehere, id eſt, vt ipſe olim SERVATOR optimus praecepit, (a) *μὴ κρίνετε κατ' ὄψιν, ἀλλὰ τὴν δικαίαν κρίσιν κρίνετε.* Idem vero ſi in iurisprudentia potiſſimum neceſſarium eſſe dixero: ſpero me omnes, qui rei ſunt paullo intelligentiores, mihi conſentientes habiturum, eoſdemque mecum faſſuros, illud praeceptum maxime hac noſtra aetate eſſe neceſſarium, quando et ii, qui nondum aere lauantur, de omni iure legibuſque, ſapientiſſime ſcriptis, praecipiti ac paene temerario iudicio ferunt ſententiam, nihilque in iis vitio ac naeuo aliquo carere, aut venerando illo legis vel iuris nomine dignum eſſe, profitentur. Antiquiſſimis temporibus, quum honeſta ſuopte ingenio peterent mortales, nihil contra ciuitatis ſuae morem cuperent, nihil in leges licere bono ciui, ſed huic in obſequio relictam eſſe gloriam, exiſtimarent: non maior vlla in quemquam cadere videbatur temeritas, nec ſacrilegium magis abominandum, quam ſi quis ſibi cenſuram adrogaret in leges, eaſque ſuo arbitrio vel ageret in exſilium, vel iam pridem exſules reuocaret, et, veluti inuidia maiorum oppreſſas, ciuitate do-

(a) *Ioann. VII. 24.*

naret. Pauſaniam, Pliſtonactis filium, interrogatum a neſcio quo, cur de antiquo iure nihil Lacedaemone liceret conuellere? reſpondiſſe perhibet PLVTARCHVS: (b) ὅτι τοὺς νόμους τῶν ἀνδρῶν, οὐ τοὺς ἄνδρας τῶν νόμων κυρίους εἶναι δεῖ. *Quia legum in viros, non virorum in leges, debeat eſſe auctoritas.* Et ARISTOTELIS, philoſophi rerum ciuilium, quidquid aliis videatur, peritiſſimi, praeclara ac prope diuina haec ſententia eſt: (c) ὅτι τὸ τῶν νόμων σοφώτερον ζητεῖν εἶναι, τοῦτ' ἐστιν, ὃ ἐν τοῖς ἐπαινουμένοις νόμοις ἀπαγορεύεται. *Se legibus ſapientiorem eſſe ſtudere, eſſe id ipſum, quod in laudatiſſimis legibus vel maxime prohibeatur.* Qua de re et alter philoſophorum coryphaeus, PLATO, (d) praeclare diſſeruit, adoleſcentibuſque potiſſimum, velut ad peruerſa huiuſmodi iudicia ipſa natura procliuibus, legem hanc, exemplo Minois Cretenſis, ſeueriſſimam dixit, ne diſquirerent vmquam, rectene an perperam latae ſint leges, ſed recte latas eſſe omnes, vno ore cenſerent. Hoc nimirum animo erant vetuſtiſſimi homines, quum adhuc ſancta eſſet iuris patrii auctoritas, omneſque legem, ὡς εὕρημα καὶ δῶρον Θεοῦ, δόγμα δὲ ἀνθρώπων φρονίμων, *tamquam inuentum et munus Dei, decretumque prudentum virorum,* quin immo ὡς πάντων βασιλέα θείων τε καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων, καὶ προστάτην τῶν καλῶν καὶ τῶν αἰσχρῶν, καὶ ἄρχοντα, καὶ ἡγεμόνα, καὶ κατὰ τοῦτο κανόνα δικαίων καὶ ἀδίκων, καὶ τῶν φύσει πολιτικῶν ζώων, *tamquam omnium diuinarum humanarumque rerum reginam, bonorum malorumque praeſidem, principem, ducem, ac proinde regulam iuſtorum iniuſtorumque, immo animalium omnium natura ſociabilium,* (e) cum DEMOSTHENE et CHRYSIPPO, ſummae ſtoicae ſapientiae philoſopho, venerarentur. At noſtra hac aetate adeo euiluit legum fere omnium religio, vt adoleſcentes, qui in academiis vix per ſemeſtre ſpatium primis iurisprudentiae praeceptis

(b) *Lacon. Apophthegm. pag. 230.*
(c) *Rhetoric. Lib. I. cap. 15.*
(d) *de Legibus Lib. I.*
(e) *Marcianus l. 2. D. de legibus.*

Digitized by Google

ti imbuti ſunt, ſeſe vltra dupondios non exiſtiment ſapere, niſi de legibus ipſis cenſuram acerbiſſimam agant, earumque nullam fere ſine triſtiore aliqua nota dimittant. Quin adeo haec iudicandi peruerſitas in mores abiit, vt quemadmodum olim Tacitvs (f) *corrumpere et corrumpi ſaeculum* vocabat, ita hodie de legibus figendis refigendisque ambitioſa decreta facere ſaeculum dicere iure meritoque poſſis. Ceterum quum in Germaniae foris duorum generum leges ac conſuetudines vigeant, quarum aliae Romanae originis ſunt, et iam inde a pluribus ſaeculis veluti iure ciuitatis donatae; aliae, ex iure patrio, tamquam nantes in gurgite vaſto tabulae, ſuperſtites, ex communi illo naufragio euaſerunt: tam diuerſa ſunt hominum de vtroque illo iure iudicia, vt alii tenues iſtas iuris patrii reliquias ferre non poſſint, iisque quam primum exſilium ſciſcendum cenſeant; alii ius Romanum eiiciendum ex foro, et in poſterum omni aditu prohibendum eſſe, arbitrentur. Illi ergo omnes ingenii vires atque eloquentiae opes conſumunt in laudando iure Romano, quod ſolum iuſtum, ſanctum, et iuris vocabulo dignum iudicant, et prae quo omne ius Germanicum magnopere ſordere contendunt. Hi tantumdem ac multo plus diligentiae ad exagitandas Romanorum leges, patriamque iurisprudentiam collaudandam, conferunt, quaſi iuris Romani laudem cum Germanici vituperatione coniunctam eſſe oporteat, nec huic aliter pretium ſuum conſtare poſſit, niſi Romanum omni reprehenſione ipſaque proſcriptione dignum iudicetur. Quemadmodum olim Roma, iam terrarum orbe ſuperato, *ſecuram ſe*, teſte Velleio Patercvlo, (g) *haud fore ſperabat, ſi nomen vſquam ſtantis maneret Carthaginis*, et Hannibal contra, Carthaginienſis, patriam nunquam ſaluam futuram exiſtimabat, (h) *niſi deleſſet Romanum nomen:* ita iureconſulti hi, prout alterutri factioni acceſſerunt, vel Romanae, vel Germanicae iurisprudentiae

a 2 tiae

(f) *de morib. Germ. cap.* 19.
(g) *Lib. I. cap.* 12.
(h) *Lib. XXI.* 30.

tiae bellum perpetuum indicunt, et, alterutri alterius exitio parentandum eſſe, arbitrantur. Ab horum vero omnium ſententiis me iam a multis annis magnopere coepiſſe abhorrere, fateor, tametſi iuuenis ſummorum virorum, qui tum in celebritate verſabantur, auctoritate impulſus, paene in eorum partes, qui ius Romanum non adeo magni faciunt, receſſiſſem. Expenſis enim, quae huc facere videbantur, omnibus, rationibusque paullo accuratius ſubductis, facile animaduerti, veriſſimum eſſe, quod ex inſtituto et non ſine adparatu demonſtrarunt viri doctiſſimi, regnare in foris noſtris Romanam iuriſprudentiam, ſed ita regnare, vt nondum violarit hoſpitii iura, vel plane in exſilium egerit ius patrium, ſed vtrumque ius locum ſuum, et Germanicum quidem tamquam patrium; Romanum tamquam in ſubſidium receptum, in iudiciis tueatur. Nec minus obſeruaſſe mihi viſus ſum, vtroſque falli, et qui ius Romanum, tamquam iniquum, inſulſum, et Germaniae pernicioſum traducunt, et qui praeter illud cum omne ius ciuile, tum et Germanicum, inconditum ac paene ridiculum eſſe clamitant. Recte profecto ineunt rationes, qui Romanos tanta ſapientia fuiſſe cenſent in iure conſtituendo, quanta fuerint in tantis opibus imperii comparandis: ſed qui ideo fungos fuiſſe putant maiores noſtros, eoſque quidquam, quod praeclarum et reipublicae ſalutare ſit, reperire aut conſtituere potuiſſe, negant: nae illi indigni mihi videntur Germano nomine: quemadmodum et ineptire illos exiſtimo patriae amore, qui laudibus ad coelum tollentes ius Germanicum, in Romanorum inſtituta ſtilum atrociſſimum expediunt, et illud vbique tyrannicas patriciorum artes, et iureconſultorum ſubtilitatem potius, quam prudentiam, quin et ſceleſtam Triboniani manum redolere, contendunt. Et horum quidem argumenta iam alibi ſatis nobis videmur profligaſſe, vel, ſi quid deeſſe illi defenſioni quiſquam putauerit, ei facile, vti ſpero, ſatisfiet a Corn. van Bynkershoeck, Io. Petro a Ludewig,

wig,

Digitized by Google

WIG, vtroque HVBERO, EV. OTTONE, IO. WYBONE, aliiſque viris doctiſſimis, qui iam ante nos cauſſam hanc paene perorarunt. Dum vero iam nos aliquid praefari oportet elementis iuris Germanici: agere nihil videbimur, quod ſit ab inſtituto noſtro alienum, ſi, quae aduerſus ius Germanicum dici ſolent, quam fieri poteſt accuratiſſime expendemus, ſimulque explicabimus, quodnam hac in ſcriptione fuerit conſilium noſtrum, et quibus praeſidiis vſi, id propoſitum peregerimus, iuſtumque ſyſtema compoſuerimus iuris Germanici.

Et ii quidem, qui nihili faciunt ius Germanicum, illudque ſtudium non modo leue atque inutile, verum etiam indignum eſſe iureconſultorum perſonis exiſtimant, tria potiſſimum ſibi demonſtranda ſumunt: primum, ipſum ius Germanicum prae Romano eſſe tam frigidum atque inficetum, vt, qui olim, quod inſulſum dicere vellent, id (i) ψυχρότερον πλάτωνος νόμων, *ipſis Platonis legibus frigidius* eſſe dicebant, ii, ſi reuiuiſcerent, Platonis leges prae Germanicis illis pro oraculis eſſent habituri: deinde, nullum eſſe iuris Germanici vſum, ac proinde eos omnes, qui in illo illuſtrando elaborant, non minus male bonas horas perdere, quam illos, qui AMMIANI MARCELLINI aetate, (k) *vt altius viderentur iura callere, Auruncanorum Sicanorumque leges, iam diu ignotas, et cum Euandri matre abhinc ſaeculis obrutas multis, loquebantur:* denique, ſi vel maxime, quaſdam ſupereſſe iuris patrii reliquias, fatendum ſit: nullum tamen certum ac ſtabile eſſe iuris illius fundamentum, quum inter omnes conſtet, priſcas illas WISIGOTHORVM, FRANCORVM, BOIORVM, ALAMANNORVM, SAXONVM, FRISIORVM, LANGOBARDORVM leges et iam pridem exoleuiſſe, et pleraſque numquam in Germania magna auctoritatem aliquam eſſe conſequutas. Quam abſurdae, et frigidae, ac paene ridiculae ſint leges, quibus maiores

(i) *Athen. Lib. XI. Dipnoſ. cap. vlt.*
(k) *Lib. XX. cap. 4.*

ores noſtri vixerint, vel ex eo ſatis intelligi poſſe putant, quod ab hominibus barbaris, et ab omni humanitate vitaeque elegantia alienis, profectae ſint. Quid enim, inquiunt, praeclarum et reipublicae ſalutare exſpectes ab hominibus, quibus ius in manu ac viribus erat poſitum? qui, vt ait ENNIVS, (l)

Non ex iure manu conſertum, ſed mage ferro
Rem repetebant?

qui denique, quum primum Romanos faſces, et accuratiorem ius dicendi rationem viderent, *ſolita armis diſcerni, iure terminari*, (m) mirabantur? Et ne vetera tantum illa conſectemur, quam abſurda ſunt pleraque, quae nobis HEROLDVS, LINDENBROGIVS, BALVZIVS, tamquam inſignes iuris patrii theſauros, obtruſerunt? Nullam ſane aequitatis rationem haberi dixeris in iis legibus, quae caballi furtum capitali poena, nobiliſſimi viri caedem pecunia iubent expiari. Quod quum in LEGE SAXONICA obſeruaſſet LEIBNITIVS: (n) *Eant nunc*, inquit, *et veteres Germanorum leges reuocent in vſum viri docti, exploſis Romanis, hoc eſt, a fruge ad glandes reuertantur.* Praeterea eae leges omnes pleraque, quae iure terminari oportebat, vel ad ſingulare certamen, vel ad aliud ſuperſtitioſae purgationis genus, veluti aquam frigidam ferrumue candens, remittunt, vel, ſi quando cauſſam iureiurando decidi poſſe ſtatuunt, ne ſic quidem rem ſatis certam putant, niſi tres, quinque, ſeptem, pluresue homines ſocietate periurii coniungantur. Quid dicamus de poenis, quae in crimina ſtatuunt, vel abſurdis, vel iuſto truculentioribus, vel tam lenibus, vt vix quaedam inter eas et delictum aequalitatis ratio poſſit reperiri? Quid abſurdius eſt ſupplicio, quo ſacrilegos mactandos exiſtimarunt FRISII, (o) puta, *vt ducerentur ad mare, et in ſabulo, quod acceſſus maris operire ſoleat, eorum aures finderentur, et caſtrati immolarentur*

(l) *Cic. pro Muraena cap.* 13.
(m) *Vellei. Lib. II. cap.* 118.
(n) *Script. rer. Brunſu. Tom. I. pag.* 79.
(o) *Lex Friſ. addit. tit.* 12. §. 1.

Digitized by Google

tur diis, quorum templa violarint? Quid turpius poena illa, quam adultero irrogat LEX BAIVVARIORVM, puta, *vt componeret hoc marito eius, cum ſuo weregeldo, id eſt, 160. ſolidis?* Ita ſane luere non aliter potuit adulter flagitium ſuum, quam vt maritus, hanc paſſus iniuriam, in nouum probrum, lenocinium puta, incideret. Quam dirum porro fuerit ſupplicium, quo maiores noſtri in fures animaduerterunt, vel ex eo intelligitur, quod memoriae prodidit ALTFRIDVS epiſc. Monaſt. (p) furem ob furtum equorum Witichindi, Ducis Saxonum, *in campo ad ſtipitem ligatum, iactatis in eum ſudibus acutis et lapidibus necatum eſſe.* Et iidem tamen veteres Germani ipſum parricidium hereditatis iactura, fratris caedem mulcta expiari iubent, (q) vt vere in eorum legiſlationem cadere videatur, quod dixit poëta:

Dat veniam coruis; vexat cenſura columbas.

Iam quam parum ſolliciti fuerint Germani de iis, quae ad negotia quotidie obuenientia pertinent, vel inde patet, quod nec contractus et conuentiones, nec actiones forenſes, eadem cura, ac Romani, diſtinxerint, et pauciſſimas leges de illis tulerint, ac ne in his quidem ſemper aequitatis naturalis habuerint rationem. Sic ſane eos vix accurate diſtinguere animaduertes mutuum et commodatum, depoſitum et mandatum. Duo enim priora fere eodem *commodati* vocabulo, poſteriora itidem communi *commendationis* nomine comprehendunt. Et quod ad actionem attinet, commodanti vel deponenti non dant actionem in rem aduerſus tertium poſſeſſorem, ſed aduerſus commodatarium tantum vel depoſitarium, quibuſcum illis negotium fuit. Quod quam a natura dominii, ipſaque aequitate, alienum ſit, nemo non intelligit. Et quid aequum, quaeſo, aut reipublicae ſalutare, ſperes ab hominibus, qui non virorum prudentum ſuffragiis, vel adhibita in conſilium ratione, ferebant leges, ſed rem

(p) *acta B. Ludgeri Lib. III. §. 22. apud Leibn. Tom. I. ſcript. rer. Brunſv. p. 97.*
(q) *Lex. Friſ. tit. 19.*

rem tanti momenti, et in qua totius reip. ſalus poſita erat, arenae gladiatoriae fortunae committebant? Id quod Ottonem M. principem alioquin prudentiſſimum, feciſſe, tradunt Witichindus Saxo (r) et Sigeb. Gemblacensis. (s) Accedunt inſignis ſermonis barbaries et ſtribiligo, quae omnia elegantiora ingenia a ſe auertit, vocabula peregrina et obſoleta, quibus enodandis ne doctiſſimorum quidem virorum induſtria adhuc ſuffecit, tantae denique tenebrae, vt neſcias aliquando, Platonis numeros, an leges, vniuerſo populo latas, legas. Et quid de ordine dicamus, qui in vniuerſo illo veterum legum Germanicarum corpore plane nullus eſt? Iam enim de damnis diſſeritur, iam aliquid additur de coniugio et dote, hinc ad furta progrediuntur legiſlatores, iiſque et aliquid de hereditatibus et ſucceſſionibus admiſcent, vt, quod olim de rerum natura adfirmabat Anaxagoras, (t) quidlibet in quolibet ineſſe, quodque hemiſtichio hoc expreſſerat neſcio quis, *πᾶν ἐν παντὶ μέμικται*, id de illa legum congerie veriſſime dici poſſe videatur, in qua quippe omnia vbiuis, et aeque facile in alieniſſimo, ac in ſuo loco, reperias. Ita comparatum eſſe aiunt ius Germanicum, qui illud tamquam frigidum et iniquum explodunt. Quin et id addunt, eos omnes naeuos, quos ſibi in vetuſtis illis legibus deprehendiſſe videntur, multo magis ſpecula iſta; Saxonicum et Alamannicum, quibus a ſaeculo XII. Germani magnopere delectati ſint, aliaſque eius aeui leges, infeciſſe, quin haec iura tanto eſſe illis frigidiora, quanto magis eorum auctores neſcio quam *πολυμάθειαν* adfectent. Hinc praeter illa vitia, quae communia habent cum priſcis illis legibus, in vtroque ſpeculo innumeras occurrere aiunt naenias, et fabulas plus quam aniles, quibus aegrotus vix quidquam ſomniare poſſet ſtolidius. Et ſi, inquiunt, leges alias eorum temporum euolueris: bone Deus, quae monſtra hiſtoriarum, quae ſententiarum portenta, maxime

(r) *Lib. II. pag. 644.*
(s) *ad ann. 942.*
(t) *Ariſtot. Phyſ. Lib. I. cap. 4.*

Digitized by Google

me de moribus et republica, in iis vbique reperies! Dixerat olim Seneca (u) contra Platonem, *legem breuem eſſe oportere, quo facilius ab imperitis teneatur; eamque velut emiſſam diuinitus vocem, iubere, non diſputare debere, nihil ſibi videri frigidius, nihil ineptius, quam legem cum prologo.* Et tamen nihil eſt, ex Mureti (x) ſententia, his Platonis prologis, ſi verborum pondera rerumque, quas continent, vbertatem conſideres, admirabilius, nihil ſalubrius, quum diuinus ille philoſophus homines primum argumentis grauiſſimis, tamquam igniculis quibuſdam, ad honeſtatis ſtudium inflammare conetur, et tum demum eos, qui rationi non obtemperant, poenis coerceat, atque ita efficiat, quoad eius fieri poteſt,

Ne vaga proſiliat fraenis natura remotis.

At quam frigida ſunt, cum his Platonicis comparata, ea omnia, quae boni illi ſpeculatores vel diſputant, vel legibus ſuis tamquam prologos quoſdam praemittunt? Quis riſum teneat, in iure prouinciali Saxonico legens, Conſtantinum M. Saxonibus leges tuliſſe: (y) Deum binos gladios reliquiſſe in terris, eorumque altero Papam, altero Imperatorem ferire immorigeros, ſed hunc illo in gratiam pontificis aduerſus iſtos tantum vti, qui Pontifici Max. dicto minus ſint audientes: (z) ex Origenis oraculo ſex mundos futuros, et vnumquemque perſtiturum annos mille, et cum ſex illis mundis comparandos eſſe clypeos militares, et gradus cognationis: (a) Saxones iura quaedam ſibi retinuiſſe inuito Carolo M. et maxime in odium Sueuorum, qui vxores eorum conſtupraſſent: (b) et quae ſunt huius generis alia? Longa enim eſt illa fabula, ad quam perpoliendam

(u) *Epiſt. LXXXXIIII.*
(x) *In not. ad Sen. Epiſt. LXXXXIIII.*
(y) Praefat. quae incipit: *Gott, der da iſt ein Anfang.*
(z) *Lib. I. art. 1.*
(a) *Lib. I. art. 3.*
(b) *Lib. I. art. 18.*

liendam vix iuſtum volumen ſufficeret. Similia et in ſpeculo Alamannico et in aliis pleriſque veterum Germanorum legibus plena manu feruntur. Sic in IVRE MVNICIPALI SVSATICO, (c) tamquam aliquid hiatu illo digniſſimum, praecipitur: *der richter ſolle ſitzen auf dem richter-ſtuhl, als ein griesgrimmender Lowe, vnd ſolle den rechten Fuſs ſchlagen über der lincken:* Et in adpendice *der vrtheile ins freyen Stohls Gerichte gehörig* in eum, qui quidquam, quod in iudicio iſto geſtum eſt, enunciarit, haec poena ſtatuitur, *es ſollen ihn der Frey-greue vnd d e ſcheffen angreiffen, vnd verfolgen, vnd binden ihm ſeine hände zuſammen, vnd ihn auf ſeinen buck werpen, vnd winden ihm ſeine tungen zum nacken hinauſs, vnd ſtecken dar einen pinn vor, vnd doin ihm dann einen ſtrick an den hals, vnd hangen ihn an einen baum, als mann ſunſt einen armen ſünder pflegt zu hencken.* Qua non poena, ſed carnificina, an dignum ſit iſtud delictum, alii viderint, quibus ſummam grauitatem aequitatemque vbique redolere videtur ius Germanicum. Sed aliquando ne quidem honeſtati ſatis conueniens eſt poena, quam in certa delicta ſtatuunt: talemque dixeris illam, quam adulteris minatur codex MSC. membranaceus legis vetuſtiſſimae Lubecenſis, in bibliotheca CHRIST. GODOFR. HOFFMANNI, quem dum haec ſcribimus, ex hac rerum humanarum caligine ad meliora emigraſſe, non ſine incredibili dolore intelligo, ſuperſtes. In illo enim adulter ea parte corporis, qua peccauit, trahi retrahique iubetur per plateam, *ſtrate op, ſtrate dal.* Quid, quaeſo, in huiuſmodi legibus reperias, quod non dicam admiratione, ſed excuſatione dignum videatur? et quis ob illas repudium dandum putet iuri Romano, quo nullum aliud vel ſanctius, vel prudentius vmquam ſcriptum eſt? Et talis quidem eſt eorum oratio, quibus ius patrium adeo ſordet, vt aliud quodcumque, quam illud, ferendum exiſtiment.

His vero priuſquam reſpondeamus, monendus fuerit lector

(c) *Gemeine Gerichts-Ordnung Tit. 1.*

ctor, neminem fortaſſis vmquam tanto iuris patrii amore flagraſſe, vt omnia ſine diſcrimine laudanda, et in vſum reuocanda exiſtimarit, ac proinde hanc fere andabatarum pugnam eſſe, quae, ſi maius veritatis, quam partium, ſtudium eſſet, facile et ſine pulueris iactu componi poſſe videretur. Fatebuntur ergo aduerſarii, multa eſſe in iure Germanico, quae cenſuram aliquam mereantur; ſed idem et de omni alio iure humano, quamuis a viris ſapientiſſimis maxima cura conſtituto, quin et de illo Romano, quod ipſi vnice exoſculantur, peraeque dici poſſe, neque inde ſtatim conſequi, vt ius totum reiici oporteat, cuius pars vna vel altera minus ad amuſſim facta ſit. Et neſcio ſane, an non, ſi quis Solonis, Lycurgi, Charondae, Zaleuci aliorumque ſapientiſſimorum hominum leges eadem ſeueritate expendere vellet, is multo plura reperturus ſit, quae animaduerſione digna videantur, quam in illis maiorum decretis. Iam enim Polybivs (d) et Aristoteles (e) cum in aliorum, tum in Lycurgi maxime legibus, plura omnino deſiderarunt. Et tamen inter omnes conſtat, leges illas prudentiſſime ſcriptas eſſe, et ſtetiſſe ciuitates eorum, quoad his legibus patriis vixerint, eaſdemque, ſimul ac ab inſtitutis iſtis patriis, deſciuerint, miſere periiſſe. Sic ſane Velleivs Patercvlvs (f) obſeruat, *Spartam, quamdiu diſciplinae Lycurgi continentiſſimae diligens fuerit, excelſiſſime floruiſſe.* Et Cicero (g) *fortem eam gentem fuiſſe*, ait, *dum Lycurgi leges viguerint.* Denique Plvtarchvs (h), ex inſtituto deſcribens Laconum diſciplinam, hanc facit cogitationum ſuarum ſummam, Lacedaemonios, quamquam et muris carentem vrbem incoluerint, et continentibus bellis ad paruum redacti fuerint numerum, multoque imbecilliores oppreſſuque faciliores redditi, tamen paucas admo-

 dum

(d) *Lib. VI.*
(e) *Lib. II. Polit. cap. 7.*
(f) *Lib. I. cap. 6.*
(g) *Tuſcul. Quaeſt. I. cap. 22.*
(h) *Lacon. Inſtit. p. 240. Tom. II. Op.*

dum latarum a Lycurgo legum ſeruantes reliquias, neque Macedonum potentiae ſuccubuiſſe, neque tributum pependiſſe, *ἕως δὲ παντάπασιν ὑπεριδόντες τὴν Λυκούργου νομοθεσίαν, ὑπὸ τῶν ἰδίων πολιτῶν ἐτυραννεύθησαν, μηδὲν ἔτι σώζοντες τῆς πατρίου ἀγωγῆς, καὶ παραπλήσιοι τοῖς ἄλλοις γενόμενοι τὴν πρόσθεν εὔκλειαν καὶ παρρησίαν ἀπέθεντο, καὶ εἰς δουλείαν καὶ νῦν ὑπὸ Ῥωμαίοις, καθάπερ οἱ ἄλλοι ἕλληνες, ἐγένοντο*, *donec, prorſum poſthabitis Lycurgi legibus, tyrannidi ſuorum ciuium ſubiecti, nihilque priſtinorum inſtitutorum ſeruantes, priſtina gloria et libertate amiſſis, reliquorum ſimiles ſint facti, inque ſeruitutem redacti, et Romanis, ſicut et ceteri Graeci, obtemperarint.* Idem et de reliquis rebuſpublicis obſeruant alii. Nam legum Zaleuci neglectu, periiſſe Sybaritas, refert SCYMNVS Chius (i), et ipſi Athenienſes (k), tum demum male ſe habuiſſe fatentur rempublicam, quum porticus litteris implerentur, id eſt, quum ciues, relictis poſt tergum Solonis inſtitutis, nouas quotidie leges ferrent. Itaque eae quoque leges bonae ac reipublicae ſalutares eſſe poſſunt, in quibus quaedam ſunt, quae vel duriora iuſto, vel ab aliarum gentium inſtitutis alieniora videntur. Sed vt ad rem ipſam veniamus; non eſt profecto, cur ſolum barbarorum vocabulum, quo maiores noſtri a Graecis Romaniſque notabantur, eorum legibus fraudi ſit. Quo magis ab illa vitae elegantia, qua ſibi mirifice placebant Graeci, aberant gentes barbarae, eo virtutis erant ſtudioſiores, ſapientiaeque ſuae praecepta, pauca illa quidem, ſed ſolida, magis viuendo exprimere, quam verbis iactare, ſtudebant, vt vere de iis dici poſſit, quod de Scythis olim praedicauit IVSTINVS (l): *Continentia morum illis quoque iuſtitiam edidit, nihil alieni concupiſcentibus. Quippe ibidem diuitiarum cupido eſt, vbi et vſus. Atque vtinam et reliquis mortalibus ſimilis moderatio et abſtinentia alieni foret! profecto non tantum bellorum per omnia ſaecula*

(i) *v. 345. ſequ.*
(k) *Iſocrat. Areopagit. pag. 292.*
(l) *Lib. II. cap. 2.*

Digitized by Google

ſaecula terris omnibus continuaretur, neque plus hominum ferrum et arma, quam naturalis fatorum conditio, raperet. Prorſus vt admirabile videatur, hoc illis naturam dare, quod Graeci longa ſapientium doctrina praeceptiſque philoſophorum conſequi nequeunt, cultoſque mores incultae barbariae collatione ſuperari. Tanto plus in illis proficit vitiorum ignoratio, quam in his cognitio virtutis. Et ſane, ſi alia ſapientiae, qua Germani licet barbari excellebant, argumenta deeſſent: vel illud eſſet omni exceptione maius, quod per tot ſaecula infeſtis Romanorum armis paene oppreſſi, non modo libertatem ſuam feliciter tuerentur, ſed et lacertos mouerent, et imperii Romani opes, quibus par nulla potentia videbatur, primi concuterent, quin opulentiſſimas iis eriperent prouincias, in iiſque regna potentiſſima conſtituerent. An enim id ſine bonis legibus diſciplinaque accurata fieri potuiſſe, credibile eſt? Et quis ignorat, gentes illas originis Germanicae paullatim adeo cultioribus moribus adſueuiſſe, vt hac laude prae ipſis Romanis eniteſcerent, et hos prae ſe merito deſpicerent? Quemadmodum enim Anacharſidem, Scytham, barbariem ſibi exprobantibus reſpondiſſe ferunt: (m) Ἐμοὶ δὲ πάντες ἕλληνες σκυθίζουσι. *Mihi vero omnes Graeci Scythae ſunt:* ita LVITPRANDVS (n) auctor eſt, *Ottonis Auguſti aetate Francos, Burgundiones, Suenos, Langobardos, Saxones, Lotharienſes et Boioarios ita Romanos dedignatos fuiſſe, vt inimicum ſuum non aliter, quam Romanum, contumeliae cauſſa, irati adpellarint, et quidquid ignobilitatis, quidquid auaritiae, quidquid libidinis, quidquid mendacii, quidquid denique vitiorum eſt, hoc vno nomine ſe complecti arbitrati ſint.* Tantum ergo abeſt, vt barbariei nomen tum meruerint Germani, quum ad leges ſcribendas animum primum adpellerent, vt ipſi Romani ab iis barbaris petere coeperint honeſtae cultioriſque vitae exemplum. Deſinant ergo demum viri docti eo nomine deſpicere leges Germanorum, quod

 ab

(m) *Clem. Alex. Strom. Lib. I. p. 308.*
(n) *Luitprand. Legat. Conſtantinopi apud Caniſ.*

ab hominibus barbaris profectae ſint, ne eodem argumento et ipſa Hebraeorum inſtituta, quae profecto nec ipſa Graeca ſunt, deſpicere videantur. Sicuti enim bona mens et ingenium rectum vbique, et aliquando craſſo ſub aëre, naſcitur: ita et barbaricum ſolum, et in primis Germania, ſemper tulit viros prudentes, rerumque ciuilium peritiſſimos,

Qui, quid ſit pulchrum, quid turpe, quid vtile, quid non,
Plenius ac melius Chryſippo et Crantore

et perſpexerunt ipſi, et ciuibus ſuis dixerunt. (o) At ipſae, inquiunt, leges gentis ſtuporem produnt. Quis enim ferat, furtum equi morte; homicidium mulcta expiari? Quidni vero id ferendum eſſet in Germanis, quod aequo animo in aliis gentibus, etiam non barbaris, ferimus? Apud ipſos Graecos olim homicidia fortuita exſilio tantum voluntario expiata eſſe, ipſe obſeruat CLAVDIVS SATVRNINVS iureconſultus. (p) At vir doctiſſimus EVER. FEITHIVS (q) luculenter oſtendit, etiam voluntaria homicidia exſilio punita eſſe, idque exſilium redimi potuiſſe certa pecuniae ſumma, propinquis exſoluta, quam ὑποφόνιον vocabant. EVSTATHIVS ad HOMERI *Il. Lib. XVIII.* Ἦν δὲ παλαιὸν ἔθος, καὶ ποινὴν ἐᾶν, ὅτι δίδοσθαι ὑπὲρ φόνου καὶ μὴ ἀνάγκην φεύγειν εἶναι ἀεὶ τὴν πατρίδα τὸν πεφονευκότα. *Mos erat vetuſtiſſimus, poenam quandam dari pro homicidio, ne neceſſitas imponeretur homicidae, patriam in perpetuum fugiendi.* Et SVIDAS: (r) τὰ ἐπὶ τῷ φόνῳ διδόμενα χρήματα τοῖς οἰκείοις τοῦ ἀναιρεθέντος, ὑπὸ τοῦ τὴν αἰτίαν ἔχοντος, ὅτι ἀνήρηκεν, ἵνα μὴ ἐπεξίωσιν, ἐπὶ τῷ μὴ ἐπεξέρχεσθαι μήτε γενέσθαι τὴν τοῦ φόνου δίκην ὑποφόνια καλεῖται. *Pecunia, quae caedis cauſſa dabatur propinquis defuncti ab eo, qui caedis reus erat, ne eum perſequerentur, neu caedis illius iudicium fieret, ὑποφόνια adpellabatur.* Et iidem tamen delicta paullo leuiora multo

(o) *Horat. Lib. I. Ep. II. v. 3.*
(p) *l. 16. §. 8. D. de poen.*
(q) *Antiq. Homer. Lib. II. cap. 8.*
(r) *voce* ὑποφόνια. *p. 564. Tom. III. edit. Kuſterk.*

Digitized by Google

multo ſeuerius coercebant, et adulteros quidem λαϊνῷ χιτῶνι, vti vocat Homervs *Iliad. III. v.* 57. ſeu *lapidea tunica* induendos, id eſt, lapidibus obruendos, putabant. Ipſa quoque lex Cornelia non vltore gladio ſaeuiebat in ſicarios, ſed iiſdem aqua et igni interdicebat. (s) Et quamuis poſtea mediae conditionis homines capitis damnarentur, infimae in crucem irent, vel beſtiis obiicerentur: (t) manſit tamen in honeſtioribus poena deportationis, neque ideo quiſquam barbaros vocauit Romanos, quamuis iidem in abigeos gladio animaduertere non dubitarent. (u) Eat nunc aliquis, et ideo explodendas putet leges Germanorum, quod caedem hominis certa pecunia; furtum equi morte expiari voluerint, quum Graeci, et ipſi, quorum iura omnibus aliis anteferenda exiſtimant, Romani ſimillimo omnino iure vſi ſint. Nimirum, vti recte obſeruauit Sam. Pufendorffius, (x) *non eſt neceſſarium, vt eadem ſemper inter poenas ſit proportio, quae eſt inter obiecta per delictum violata, ſed ſingulis delictis ſua velut ſeorſum poena poteſt imponi, prout eſt ex vſu reipublicae, non conſiderato, an par, an vero minor poena ſit impoſita alii delicto, quod in ſe minus aut maius iſto videtur.* Et vti quibuſdam interiectis pergit: *Saepenumero delicto, quod in ſe leuius videtur, in foro humano grauior eſt poena conſtituta, et vice verſa, prout vſus reipublicae et arbitrium legiſlatoris tulerit. Super qua inaequalitate reus poſt nec quidquam queritur, quippe quam vtique praeſciuit.* Quod deinde ad ſingularia certamina attinet, quibus ea, quae alioquin iure terminari ſolebant, finiebantur, non tam legiſlatorum haec culpa eſt, quam eorum, qui tum chriſtianae doctrinae lacte imbuebant gentes, antea ſolis armis et latrociniis adſuetas. Horum ſane erat, nouas gentes auertere ab illa inſania, et diligentius illis inculcare praeceptum, *non tentandum eſſe Deum*, (y) nec ea, quae ſupra naturam ſunt, ab eo exſpe-

(s) *Paull. Rec. Sent. Lib. V. tit.* 23.
(t) *l.* 3, §. 5. *D. ad Leg. Corn. de ſicar.*
(u) *l.* 1. *pr. et* §. 3. *D. de abig.*
(x) *Lib. VIII. de iure nat. et gent. cap.* 3. §. 23.
(y) *Deut. VI.* 16. *Matth.* 4, 7.

exſpectanda, niſi quae ipſe ſe 'act ırum, diſerte prom'ſerit. Sed tantum abeſt, vt ei ſatisfecerint officio, vt oleum animis ſuffuderint, et ex hac temeritate fructum aliquem voluerint capere, argumentumque inde duxerint ad veritatem Chriſtianae religionis demonſtrandam, quin et ſacra prius fecerint, et temerarios gladiatores ieiuniis, et confeſſione peccatorum, nec non percepta ſacroſancta euchariſtia, ad hanc lanienam praeparari iuſſerint, (z) vt eo auſpicatius inauſpicatiſſimum iſtud certamen inirent. Et ſane leges iſtae veterum Germanorum, quibus ſingularia illa certamina et purgationes vulgares ſtabiliuntur, non ſine epiſcoporum et clericorum ſuffragiis latae ſunt, quum eas ferre non ſolerent Francorum aliarumque gentium Germanicarum reges, niſi adhibitis in conſilium non modo proceribus, veluti ducibus, comitibus et vniuerſo populo, verum etiam epiſcopis, (a) qui ſi fungi officio ſuo, et moris iſtius patrii turpitudinem populis, pietatis Chriſtianae ſtudioſiſſimis, demonſtrare voluiſſent, facile profecto, qua erant auctoritate, impetraſſent, vt ei darent repudium. At vti pium honeſtumque videbatur rudibus populis, Deo committere rerum dubiarum iudicium: ita non mirum profecto eſt, eos deinde mordicus tenuiſſe conſuetudinem, ab ordine eccleſiaſtico toties probatam, maxime quum ipſos aliquando clericos cum aliis ferro contendere de cauſſis in iudicium deductis, animaduerterent. (b) Enimuero hanc barbari moris rubiginem iam pridem, et multo ante, quam ius Romanum cis Alpes innoteſcere coeperat, deterſit inſequens aetas, vt non ſit verendum, ne Germani noſtri ius ſuum ſine illa arte gladiatoria aut purgationibus vulgaribus non ſint agnituri. Conſacramentalium vſus non tam abſurdus fuit, vti pleriſque videtur, neque ad periurii ſocietatem vocabantur tot homines, ſed ad veritatem tanto certius eruendam adhi-

(z) *Car. du Freſne gloſſ. lat. Tom. II. pag. 137.*
(a) *Hert. notit. regni Franc. cap. 5. §. 4.*
(b) *Spelmann. gloſſar. in voce iudicium Dei.*

Digitized by Google

adhibebantur. Plus fidei facere plures exiſtimabant, quam vnum, neque credibile videbatur, viros honeſtos, et fidei, prout Germanos decebat, ſtudioſiſſimos, vna cum alio liquido iuraturos, niſi vel facti, de quo agebatur, conſcii eſſent, vel illis admodum credibile videretur, eum, cui delatum eſſet iusiurandum, ſancte et ex animi ſententia iurare: quamquam, ſi Romanis licuit, ad probandam ſolutionem debiti inſtrumento comprehenſi quinque teſtes requirere; (c) non video cur non et Germanis tres, quinque, ſeptem, pluresue, prout cauſſae grauitas exigere videbatur, requirere licuerit. Illud quoque, quod de adulterii et parricidii poena adferunt, (nam Friſiorum de ſacrilegorum ſupplicio legem ad tempora, quibus nondum Chriſto nomen dederant, pertinere, res ipſa docet,) neſcio vtrum laudandum potius, quam reprehendendum ſit. Poenae acriores, demum delictis gliſcentibus, ſtatui ſolent, ac proinde non opus viſum eſt Germanis acriore adulterorum et parricidarum ſupplicio, quum iis probris ac flagitiis nihil apud ſe eſſet rarius. Ferunt, legiſlatorem neſcio quem parricidio poenam plane nullam irrogaſſe, quod tantum ſcelus in quemquam mortalium cadere, vix arbitraretur. Et iam Germani tam bene de gentis ſuae probitate ſperabant, vt nec parricidam vllum, et adulteros quam pauciſſimos inter ciues ſuos futuros, praeſagirent, ac proinde poenis atrocioribus ea crimina coerceri, minus neceſſarium putarent. Nec tam ſubtiles erant Germani, vt in lenocinium incidere exiſtimarent poenam pecuniariam, marito, iniuriam paſſo, adplicandam. Leno eſt, qui dolo malo feminas proſtituit, et quaeſtuaria habet corpora. Cui vero pecunia in poenam ſoluitur, is non magis venalem habere vxorem dici poteſt, quam is venales habet alapas et pugnos, qui ex iuris Romani principiis certa pecunia aeſtimat has iniurias. Contractus et actiones multo accuratius diſtingui a Romanis, quam a maioribus noſtris, facile largimur. Sed his non opus eſſe videba-

(c) *l.* 18. *C. de fide inſtr.*

tur iis diſtinctionibus, quum omni pactioni eamdem obligandi vim tribuerent, et ex omni conuentione, quae deliberato animo eſſet inita, darent actionem, magiſque haec omnia ex aequitate et recta ratione, quam ex certis formulis, nominibus, cauſſis, aeſtimarent. Non poſſumus porro, quin miremur cenſorum ſeueritatem, qui et meliorem ordinem, et maiorem verborum elegantiam ab eius aeui hominibus requirunt, quo inter ipſos Romanos omnis elegantia, omniſque ingeniorum cultus iam pridem perierat. Et quis, quaeſo, ordo, quae verborum elegantia olim in 12. tabulis, aliiſque legibus antiquiſſimis, fuit? Admirabatur in his CICERO (d) *non modo rerum, ſed et verborum, elegantiam:* et SEX. CAECILIVS apud GELLIVM (e) *elegantem atque abſolutam breuitatem verborum*: ſed hos quidem amore vetuſtatis inſaniuiſſe, credideris. Quae enim verborum elegantia ineſſe potuit *νομοθεσίᾳ, βραχέως καὶ ἀπερίττως συγκειμένῃ, legibus breuiter et abrupte ſcriptis*, vti 12. tabulas vocat DIODORVS SICVLVS? (f) Et quis inſignem orationis cultum in verbis obſoletis, quae dudum vſus exploſerat, quaeſiuerit? Suauiter ſane hanc populi Romani ſtultitiam ridet HORATIVS, (g) quippe qui illas antiquitatis ſcorias miretur:

Sic fautor veterum, vt tabulas peccare vetantes,
Quas bis quinque viri ſanxerunt, foedera regum,
Vel Gabiis, vel cum rigidis aequata Sabinis,
Pontificum libros, annoſa volumina vatum,
Dictitet, Albano Muſas in monte loquutas.

Non eadem profecto eſt leges ferentium, eaſdemque docentium ratio. Horum eſt, dare operam, vt omnia ordine quam poſſunt, pulcherrimo, verbiſque puris ac propriis proponant: ad illos neu-

(d) *Fragmentum apud Nonium cap. 5. n. 34.*
(e) *Lib. XX. noct. attic. cap. 1.*
(f) *Lib. XII. biblioth. pag. 87.*
(g) *Lib. II. Epiſt. I. v. 23.*

neutra cura pertinet, quum non doceant, ſed praecipiant, ciuiumque parum referat, quo ordine, quibuſque verbis recte facere iubeantur, modo ſciant, quid faciendum omittendumue ſit. At ne id quidem, inquiunt, ſatis conſtare potuit ex vetuſtis illis Germanorum legibus, quum ſaepe ad illas intelligendas Delio natatore opus eſſe videatur. Sed quibuſnam? Illiſne, qui tum vixerunt, ciuibus, an noſtrae aetatis hominibus? Prius nemo dixerit: idque ſufficit ad leges illas excuſandas. Si quid enim nobis hodie non ſatis peruium eſt, (quod tamen non adeo multum fuerit,) id vetuſtati, non legiſlatoribus, tribuendum eſt. Quare quod de obſcuritate XII. tabularum diſſerit Sex. Caecilius apud Gellium, (h) idem et ad veteres Germanorum leges ab obſcuritatis vitio liberandas pertinet: *Obſcuritates*, inquit ille, *non adſignemus culpae ſcribentium, ſed inſcientiae non obſequentium, quamquam hi quoque ipſi, qui, quae ſcripta ſunt, minus percipiunt, culpa vacant. Nam longa aetas verba atque mores veteres obliterauit, quibus verbis moribuſque ſententia legum comprehenſa eſt.* Denique plus ſpeciei quam ſoliditatis habent, quae de vtriuſque ſpeculatoris aliorumque veterum prologis et philoſophematibus adferuntur. Sunt illa ſpecula non νομοθεσίαι, ſed libri, priuata auctoritate conſcripti, quibus leges et conſuetudines patrias, iam paullatim paene exoleſcentes, in memoriam ciuibus reuocare conati ſunt. In huiuſmodi vero libris quaedam admiſceri, vel ad hiſtoriam, vel ad ius publicum pertinentia, non ſane abſurdum eſt: nec tam reprehenſione, quam commiſeratione, digni ſunt, qui iis vixerunt ſaeculis, quibus non potuerunt non in his rebus labi ac decipi. Et ſi in Iustiniani ipſius nouellis conſtitutionibus ferendi ſunt prologi ſatis verboſi, in quibus aliquando non multo rectius, quam vel Repkovius, vel ſpeculator Alamannus, philoſophatur: (i) quidni haec feramus in libris iſtis, maxime

 quum

(h) *Lib. XX. cap. 1.*
(i) *Thomaſ. delineat. hiſt. iur. §. 67. ſequ.*

quum veluti *πάρεργα* ſint, et nemo eos libros addiſcendae vel hiſtoriae, vel iuriſprudentiae publicae cauſſa legat, ſed ob mores patrios, quorum inſignis theſaurus, quidquid aliis videatur, in iſtis voluminibus reconditus eſt. Quaedam etiam ridicula hodie videri ſolent indoctioribus, quae olim communi fere hominum iudicio probabantur. Sic quamuis indignam huius ſcilicet ſaeculi caſtitate putent adulterii poenam, ex antiquo iuris Lubecenſis codice deſcriptam, veteres tamen tantum non omnes ea corporis parte inflixiſſe poenas, qua quis peccaſſet, erudite demonſtrauit elegantiſſimi ingenii vir, Aegidivs Menagivs: (k) adeoque illos, qui haec rident, eo morbi genere laborare dixeris, quod in expertibus litterarum grauiter notauit Cornel. Nepos, (l) vt *nihil rectum, niſi quod ipſorum moribus conueniat, putent.* Sed et quae ex iure Suſatenſi adferunt, ea partim ſeueritatem potius maiorum noſtrorum, quam imprudentiam, arguunt, partim ita comparata ſunt, vt potius laudanda, quam ridenda videantur. Commendare enim Suſatenſes iudicibus voluerunt *παῤῥησίαν*, religionemque, illo officio dignam, ac proinde eos ſublimes in tribunali ſedere iuſſerunt, vultu totiuſque corporis habitu ad grauitatem compoſito, ſed ſimul iis aurem vellicarunt, vt meminiſſent *des geſtrengen vrtheils, vnd gerichts, das Gott über ihn richten wolle, an dem letzten iüngſten dage.* Haec profecto qui abſurda ac ridicula exiſtimat, is mihi, quid rideat, videtur omnino ignorare.

Sed veniendum ad alterum criminationis caput, quod illi maxime vrgent, qui iuris Germanici nullum in foris Germaniae vſum eſſe, arbitrantur, non alia ratione in eam adducti ſententiam, quam quod, adoptato a Germanis iure Romano, nullum amplius locum fuiſſe Germanico, contendunt. Quod ſane mirum ob multas cauſſas videtur. Nam primo certiſſimum eſt, gentium Germanicarum leges atque inſtituta, ab eo tempore, quo

(k) *Amoenit. iur. cap. 31. pag. 191.*

(l) *Nep. praefat. comm. 3.*

quo illi arma victricia per prouincias Romanas circumferre coeperant, adeo ſeſe probaſſe gentibus tantum non omnibus, vt paene vniuerſus terrarum orbis cum occidentalis, tum orientalis, illa adoptaret. Obſeruauit id certe HVGO GROTIVS, (m) dum de communibus gentium moribus, quos ipſe partem iuris gentium conſtituere exiſtimat, ita diſſerit: *Immo et hoc euenire poterit, vt aliis locis atque temporibus longe alius mos communis, ac proinde ius gentium, proprie dictum, introduceretur. Quod et reuera factum videmus: ex quo* GERMANICAE NATIONES *Europam ferme omnem inuaſerunt. Sicut enim olim iura Graeca, ita tunc* GERMANICA INSTITVTA, *paſſim recepta ſunt, et nunc etiam vigent.* An vero credibile eſt, inſtituta illa Germanica, quae fere vbique iuris gentium naturam induerunt, in ipſa Germania ita exoleuiſſe, vt nulla eorum ſuperſint veſtigia? Deinde nemo ignorat, maiores noſtros tam priſci moris tenaces fuiſſe, vt nihil fere, niſi quod vere Germanicum eſſet, (*gut alt teutſch*,) probarent. An ergo probabile eſt, eos, veluti exhauſto Circes poculo, adeo naturam ſuam exuiſſe, vt omnia maiorum inſtituta vno momento repudiarent? Denique repentinam huiuſmodi rerum conuerſionem non aliter factam eſſe oporteret, quam communi omnium ſuffragio, id eſt, lege publica, vel ſponſione reipublicae communi. Talem vero legem vniuerſa ignorat Germania. Quamuis enim exſtent leges, quae iura Caeſarea (*die gemeine rechte*) iudiciis imperii ſupremis commendant: (n) numquam tamen ideo Germani nuncium miſerunt legibus ac moribus patriis, ſed eos ſemper et ſaluos eſſe oportere, ſtatuunt, et pro norma eſſe iubent ſupremis iudiciis *redliche ländiſche ordnungen, ſtatuten vnd gevvonheiten der furſtenthümen, herrſchafften vnd gerichten.* (o) Quod, quum tam ſit manifeſtum, vt vlteriore probatione non indigeat, illis

 etiam:

(m) *de iure belli et pac. Lib. II. cap.* 8. §. 1. *n.* 2.
(n) *Conring. de orig. iur. Germ. cap.* 33. *p.* 212.
(o) *Thomaſ. not. ad Conr. Sinceri epiſtolam* §. 74. *ſequ.*

etiam conſenſum extorſit, qui alioquin parum fauent iuri Germanico. Sic ὁ πάνυ Strykivs, (p) cuius optime de me meriti praeceptoris memoriam nulla vnquam apud me delebit obliuio, quamuis ius Romanum maximi pro eo, ac decet, faciat, ingenue tamen fatetur, *ius Iuſtinianeum in publicis quidem imperii Germanici legibus, conſenſu omnium ſtatuum latis, pro iure communi haberi, non tamen id ita eſſe intelligendum, quaſi ſolis legibus Romanis viuendum ſit in Germania, et quidquid olim maiorum moribus inductum, penitus ſit exploſum, (nuſquam enim textum in imperii conſtitutionibus reperiri, in quo non ius commune Caeſareum et recepti mores iungantur,) ſed*, ita pergit vir doctiſſimus, (q) *eatenus ius ciuile in cauſſis decidendis in imperio eſſe obſeruandum, quatenus honeſta aut rationabilis conſuetudo, aut recentior lex imperii doceri nequeat: his enim deficientibus demum, ſtandum eſſe iuri Iuſtinianeo.* Ex quo demum colligit vir prudentiſſimus, *conſuetudines, antiquitus obſeruatas, iuri ſcripto merito praeferri, ac proinde in ſubſidium, ſi in caſu propoſito nulla legitima conſuetudo adſit, ad ius Romanum recurri debere.* Idem fatentur omnes, qui rem paullo accuratius expendunt, ac proinde eos omnes vel maxime obiurgandos putant, qui ius, in quo quotidie verſantur, ignorant. Addam vnius Casp. Ziegleri (r) verba, quibus in eos, qui omnia ad iuris Romani decempedam exigenda putant, inuehitur: *Et ni fallor*, inquit, *haec ſaeculi labes eſt, quod in academiis ad leges Romanas ita adſuefieri cogantur iuuenes, vt in omni controuerſia, etiam vbi inter ſummos principes lis vertitur, non aliunde deciſionem petendam credere oporteat, quam ex iure Romanorum, et legibus iſti vni reipublicae accommodatis. Fac mihi iam talem publico regimini admoueri, et de lege condenda deliberationem inſtitui: ſubnixo ille animo leges, quas didicit, ad nauſeam euomet,*

(p) *Diſſ. praelim. vſui Pand. praemiſſa* §. 27.
(q) §. 28.
(r) *Praefat. ad animaduerſ. in Grotium.*

Digitized by Google

euomet, et Romanorum inſtituta, vt τιμένων ἱερὰ, obſeruabit, nec admittet, legem nouam aliter ſcribi. Sic igitur effectus omnes e. g. patriae poteſtatis, moribus Romanis introductae, matri denegabit, quia ſcilicet matrem liberos in poteſtate habere noluit reſpublica Romana. At vero non amplius inter Romanos ſcribere oportuit legem, ſed inter eos populos, qui ductum naturae ſequuti, vtrique parenti eamdem deferunt poteſtatem, idem imperium, niſi quod in contentione imperiorum primas relinquant patri. Sunt eiuſmodi alia plura, noſtrae reipublicae Germanicae minus conuenientia, quae ſi quis in argumentum exhibere velit nouae legis, Germaniam is in prouinciae formam redigere velle cenſebitur, victor, ſi Diis placet, ſcholaſticus et vmbratilis. Sunt ergo, quae in Germaniae foris adhuc obtinent, iuris Germanici reliquiae, et quamuis alibi plures, alibi pauciores, ſuperſint, tamen nuſquam fere tribunalia ita occupauit Themis Romana, vt ius patrium loco pepulerit: ac proinde non male mereri videbuntur de iuriſprudentia, qui haec λείψανα cum cura colligere, et ad principia ſua reuocare ſtudent, modo et iuri Romano ſuum conſtet pretium, et illud cum hoc ita coniungatur, vt neutri detrahatur quidquam, ſed vtrumque amice cohabitet, et nec patrium Romani, nec hoc illius officiat luminibus.

At ſi vel maxime, inquiunt, aliquas iuris patrii reliquias in foris Germaniae supereſſe fateamur: quodnam erit certum ac ſtabile eius iuris fundamentum? Quid ad nos priſcae illae ac obſoletae gentium Germanicarum leges, quarum farraginem HEROLDO, LINDENBROGIO, BALVZIO, aliiſque debemus, quarumque maxima pars nullam in Germania auctoritatem vmquam conſequuta eſt? Et quid nobis cum ſpeculis illis Saxonum et Sueuorum, quorum illud in aliqua tantum Germaniae parte aliquamdiu pro lege fuit; hoc an vnquam pro norma receptum fuerit in cauſſis decidendis, a viris doctis (s) merito dubitatur? An

(s) *Harpprecht de non vſu iur. feud. Alamann.*

An non abſurdum eſt, ius neſcio quod Germanicum iactare velle, cuius certum aliquod fundamentum oſtendere non poſſis? Enimuero, quodnam alii huius iuris fundamentum commendent, mea parum refert. Ego quo genere argumentorum ipſe vſus ſim, paucis eloquar. Nimirum in Germania quaedam iura hodie quoque vigere, quae principiis iuriſprudentiae Romanae minus conueniant, nemo ignorat, idque fatentur et ii, qui alioquin nihili faciunt iuris Germanici ſtudium. Sic vt exemplis pauciſſimis rem demonſtremus, nemo dubitauerit, quin multo alia apud nos ſint dominorum in ſeruos homineſque proprios, parentum in liberos, tutorum in pupillos iura, quam apud Romanos, multaque dominii vtilis ſeruitutumque genera apud nos recepta ſint, quae Romani non habuerint: pacta praeterea nuda in Germania non minus obſtringant contrahentes, quam contractus, omni adhibita ſollemnitate initi. Et quamuis haec ſimiliaque partim in certis tantum prouinciis obſeruentur: pleraque tamen vbique adhuc vigent in Germania, et iam ab iis, qui vſum iuris Romani ex inſtituto oſtenderunt, veluti in Belgio a Bvsio, Zypaeo, Groenewegio, Gvdelino, Sim. van Leevwen, in Germania a Strykio, Hoppio, Philippi, aliiſque, diligenter notata ſunt. Iam haec omnia contulimus cum priſcis Germanorum moribus, quos vel veteris mediique aeui leges, vel hiſtoriarum monimenta, vel diplomata, quae diligenter contulimus, nobis deſcribunt. His vero quas conuenire deprehendimus hodiernas conſuetudines, vere Germanici iuris reliquias eſſe, non potuimus non colligere, et tantum non pro certo adfirmare. Quidquid enim nos Germani in iudicando ſequimur, id aut ex iure Romano eſt, aut ex Germanico Ex vtro fere fonte promanet, diiudicari aliter non poteſt, quam ſi expenderis, illine, an huic iuri, id magis conueniat. Quamobrem et fruſtra quaerimus, an veteres illae legum farragines vmquam pro iure fuerint in Germania noſtra. Nam inter illas, quod ad praecipua capita attinet, inſignis concordia eſt, vt dubitari non poſſit, quin

quin id, in quo vel omnibus, vel pleriſque conuenit, conſuetudo ſit vere Germanica, ac proinde vbique viguerit, vbi etiam ipſae leges iſtae vel nihil, vel parum conſequutae ſunt auctoritatis.

Quae quum ita ſint, in adornando hoc opere eam mihi ipſe legem dixi, vt primum veterum Germanorum iura conſuetudineſque ex antiquis et recentioribus eorum legibus cum cura deſcriberem, eaque ex annalibus ac diplomatibus pro virili illuſtrarem. Deinde ex eo recenſu collegi quaedam principia vel axiomata, quae communia fuiſſe gentibus Germanicae originis omnibus, ex illis legibus monimentiſque antiquiſſimis adparebat. Denique et concluſiones varias, ex iſtis principiis elicitas, hodie quoque in Germania vel vbique, vel in certis tantum prouinciis, vel ciuitatibus, ſuperſtites eſſe, oſtendi. Qua quidem methodo vel ſcribendi ratione, quum nemo, quod ſciam, IVS GERMANICVM tradiderit: eo minus mihi indignabitur lector beneuolus, ſi me in quibuſdam alucinatum eſſe, exiſtimauerit, multoque minus aegre feret, ſi alicubi vel calamus, vel typothetae manus aberrauerit. Scripſimus haec tot oppreſſi laboribus, vt ſaepe ſomno ſuffurandum eſſet tempus, tantum ne ferias ſibi imperari quererentur operae, praeterea tanta animi aegritudine debilitati ac paene confecti, vt numquam difficiliore veluti partu aliquid excluſerit ingenium noſtrum, quam hunc ipſum libellum, quem ob cauſſas quam plurimas veluti BENONI noſtrum (t) poſſumus adpellare. Sed tanto maioribus laudibus nobis celebrandus eſt ſummus rerum arbiter, DEVS, qui et me aduerſus innumeras amicorum, (ſi Diis placet,) inimicorumque inſidias tutum praeſtitit, et hunc quoque laborem egregii publici cauſſa ſuſcipienti vires clementer ſuffecit. Ei itaque et in poſterum nos ſtudiaque noſtra commendamus, eoque alacrius nos accingimus alteri huius operis parti perpoliendae, quo certius

(t) *Gen. XXXV.* 18.

nos ipſa docuit experientia, Dei praeſidio conſcientiaque recte actorum tutum, nihil habere, quod metuat:

Siue per Syrtes iter aeſtuoſas,
Siue facturus per inhoſpitalem
Caucaſum, vel quae loca fabuloſus
Lambit Hydaſpes.

Tu Lector vale, ſimulque viro integerrimo, publicaeque vtilitatis ſtudioſiſſimo, Henrico Zopffio, qui bibliopolio orphanotrophei cum laude praeeſt, nulliſque ſumtibus pepercit, vt liber hic quam nitidiſſime prodiret, mecum gratias, quas potes, maximas age. Halae x. Kal. Sept. CIↃIↃCCXXXV.

PRAEFATIVNCVLA NOVA.

ERVDITO LECTORI S. P.

QVod olim ſubuerebatur vir, doctrina meritiſque in bonas litteras eximius, Fridricvs Lindenbrogivs, quum anno ſuperioris ſaeculi tertio decimo incomparabilem illum legum antiquarum codicem in lucem ederet, puta, ne vetera illa, *quia protrita non ſint, vel argutiis contortiplicata, futilis aliquis thematicus vel impudens forenſis cerberus. obſcura nimis, atque inutilia clamaret:* (a) idem et mihi nuper videbatur metuendum, quum priorem Elementorvm Ivris Germanici tomum ſcriniis meis elabi paterer. Neque enim adeo bene ominari poteram

(a) Lindenbr. *prooem. extr.*

teram libello, non in trito aliquo aut vulgari argumento, ſed in rebus, a vulgi notitia remotiſſimis, occupato, ac proinde vix publici ſaporis futuro, qui veriſſimum eſſe ſcirem illud TERENTIANI MAVRI:

Pro captu lectoris habent ſua fata libelli.

Quotuſquiſque enim eſt, qui talia non dicam intelligat, ſed vel attingere conetur, ac non potius eos omnes veluti bidental aliquod mouere exiſtimet, qui ius illud Germanicum, iam pridem, ex eorum ſententia, in exſilium actum, in ipſis Germaniae foris ac tribunalibus quaerere non dubitent? Enimuero triſte iſtud ac illaetabile augurium non tam animum meum adfecit, quam illum erexit partim mens conſcia recti, partim illud veteris, quem hodie deſideramus, auctoris: (b) *Μεγάλως ἀπολισθαίνειν ὅμως εὐγενὲς ἁμάρτημα. A magnis tamen excidere generoſum eſt peccatum.* Nec adeo aegre mihi laturus videbar, ſi libellus hic parum eſſet vendibilis, quum ſaepenumero et optimorum librorum hoc fatum ſit, et mihi iſtud non *ἐκ παραλόγου* accideret, quippe qui iure meum facerem illud Aeneae apud VIRGILIVM: (c).

Omnia praecepi, atque animo mecum ante peregi.

At numquam vel mens praeſaga futuri me magis feſellit, vel ſpem magis ſuperauit euentus, quam dum ego, in his timidiuſculus, libellum meum ad piper et tus damnatum iri, ſuſpicatus ſum. Nam et permultorum doctiſſimorum hominum litteris ac teſtimoniis intellexi, conſilium meum pleriſque non improbari: et libellum hunc emtores reperiſſe, res ipſa me ſatis edocuit, quum iam, vix quinto menſe a prima editione elapſo, iterum

(b) *Apud* LONGIN. *de ſublim. ſect. 3. p. 14. edit. Zach. Pearce.*
(c) *Aeneid. Lib. VI. v. 105.*

praelo ſubiiciendus fuerit, diuenditis exemplaribus omnibus; nec vllo in bibliopolii pluteis, quod venum proſtaret ſuperſtite. Equidem ſi meo res acta eſſet arbitrio, vel vota haberent, quo caderent: non ingrata mihi accidiſſet mora aliqua, vt interim, legendo colligendoque ea, quae ad opus hoc illuſtrandum locupletandumque pertinere viderentur, operae pretium facere licuiſſet. Aſt quum tantis temporis anguſtiis circumſcripto, variiſque diſtricto occupationibus, integrum mihi haud fuerit, omnes librariae ſupellectilis forulos ſecundis curis excutere: id ſaltim operam dedi, vt prior ille tomus multo melior atque emendatior nunc prodiret. Primum enim ipſe vniuerſum libellum de nouo recenſui ac recognoui, mendaque quamplurima, quae vel calami errore, vel operarum inaduertentia irrepſerant, ſuſtuli. Deinde paſſim quaedam, quae orationem paullo obſcuriorem reddere videbantur, vocibus quibuſdam vel additis, vel detractis, vel mutatis, magis perſpicua dare conatus ſum. Praeterea hinc inde doctrinas meas nouis ac luculentioribus veterum annalium, chartarum, legum, ſtatutorumque teſtimoniis firmaui, experiundo edoctus, eſſe hos veros ac genuinos iuriſprudentiae Germanicae fontes, ex iiſque, quid iuſtum et bonum viſum fuerit maioribus noſtris, quidque poſteri ab illis veluti per manus traditum acceperint, multo, quam aliunde, certius cognoſci poſſe. Adiecimus quaedam, quae ſe nobis, libellum relegentibus, veluti ſua ſponte obtulerunt, eoque factum eſt, vt et paragraphi quidam paullo, quam antea, longiores ſint, et plures acceſſerint obſeruationes nouae, quas textui, tamquam adnotationes quaſdam nouas, ſubiecimus. Religioni enim nobis duximus, numerum ipſum paragraphorum turbare, ac proinde pleraque, quae adiicienda viſa ſunt, tamquam ſcholia ſubiecimus textui, niſi quod liber II. ob errorem, in numeris antea admiſſum, iam conſtat §. 489. quum antea tantum §. 487. numerarentur. Ex quo facile intelliges, cur, quamuis et mihi, et mei amantiſſimo, Zopffio, litteris paullo minutioribus in hac editio-

Digitized by Google

editione vti placuerit, libellus tamen ad eamdem fere molem, quam in priore editione animaduertiſti, excreuerit. Iam ergo nihil ſupereſt, quam vt fidem ego liberem, quam primum fieri poterit, et poſteriorem quoque tomum, *qui iuris Germanici principia de delictis, et omni iudiciorum ordine*, complectetur, tecum, LECTOR ERVDITE, communicem. In eo vero adornando iam me totum eſſe, ſcito. Quum enim reipublicae litterariae, quae adhuc meas eſſe aliquid putauit nugas, gratum memoremque tanti fauoris animum non minus, ac me totum debeam: nihil profecto faciam reliqui, ne eius de me exſpectationem, quoad vixero, turpiter deſtituiſſe videar. Non equidem ignoro, eſſe hoc in fatis meis, vt quibuſdam, quibus minime oportebat, obtrectatoribus, omnia, quae a me proficiſcuntur, vel ideo, quia a me proficiſcuntur, ſudes in oculis ſint: ſed hos quidem ſuo abundare ſenſu aequiſſimo animo patior, illiſque ſolemne iſtud ΥΓΙΑΙΝΕΙΝ ſincero animo adclamo; TE vero, ERVDITISSIME LECTOR, etiam atque etiam VALERE iubeo. Halae ipſis idibus Febr. MDCCXXXVI.

PRAEFATIO

IN

PARTEM SECVNDAM.

SIc demum expedio nomen, CANDIDE LECTOR, fidemque, quam de altera iuris Germanici parte propediem edenda dederam, libero. Prodit enim, quem minatus ſum, operis illius tomus poſterior, qui et omnem maiorum noſtrorum ſeueritatem atrocitatemque poenarum, et totam rem iudiciariam, cauſſasque ciuiles aeque, ac criminales, cognoſcendi rationem complectitur. Fecerimne operae pretium, TVAEque ſatisfecerim exſpectationi, TVVM erit, aeſtimare, qui hoc ipſo viri candidi

laudem tueberis, ſi nec amore, nec odio, in tranſuerſum actus, defaecato animo veneris in rem praeſentem, et non modo quantum de his rebus ſcriptum a me ſit, ſed et, quid in tantis antiquitatis Germanicae tenebris, tantaque iurium Germanicorum multitudine ſcribi ab homine occupatiſſimo potuerit, TECVM paullo accuratius cogitaueris. Accedit, quod, dum iuri patrio enucleando animum primum adpuli, inire coeperim viam, paucorum adhuc tritam veſtigiis, mihique non minus laboris ac moleſtiae deuorandum eſſe viderim, quam ei, cui illuni nocte per ſqualidam denſiſſimamque ſiluam vel per ſyrtes et ſcopulos iter faciundum ſit, vbi, vt ait POETA:

ἀμφὶ δὲ πάντες
Ἀτραπιτοὶ θαμέεσσι διειργόμενοι σκοπέλοισι,
Ἀνθρώπων ἀπέρυκον τ' εὐπάτον· ἕνεκα πολλοὶ
Εἰσοπίσω χάζοντο, τεθηπότες αἰπὰ κέλευθα,
Παῦροι δ' ἱερὸν οἶμον ἀνήιον ἱδρώοντες.

Circum circa omnes
Viae, crebris interclusae ſcopulis,
Facilem hominum acceſſum arcent. Nam plurimi
Retro cedunt, arduo itinere abſterriti,
Et perpauci ſurſum per ſacram adſcendunt viam ſudantes.

Multa ergo hic paſſim obſeruaui, quae in antiquis legibus plane deſiderantur, et quae tamen accuratius explicata fuiſſe, noſtra plurimum intereſſet: multa, quae ob mutatos hominum mores, temporumque ac rerumpublicarum conuerſiones obſcuriſſima nobis hodie eſſe oportet: multa denique, quae, vt ita dicam, veluti per nebulam tantum vidimus, et in quibus coniecturis potius, quam certis rerum argumentis, vtendum fuit. Tenui tamen inſtitutum, et eodem ordine eademque methodo, quae in primo horum elementorum tomo placuerat, et

Digitized by Google

et reliqua iuriſprudentiae Germanicae capita enarraui, vt iuſtum haberes illius corpus, in quo praecipua iuris patrii principia qualicumque ordine ac nexu explicarentur. Subſidiis porro iisdem, quibus in priore tomo, etiam in hoc poſteriore, vſus ſum, niſi quod mihi, in re iudiciaria medii aeui deſcribenda verſanti, maximo vſui fuerit AVCTOR *des richtſteiges über das land-recht*, cuius quidem libelli praeſtantiam eo minus adhuc perſpexerunt homines, quo pauciores et dialecti veteris Saxonicae, qua vſus eſt auctor ille prudentiſſimus, gnari, et harum rerum, quae ad ius Germanicum pertinent, curioſi ſunt. Fuerunt veterum iureconſultorum quidam, qui vniuerſam rem iudiciariam, modumque tum ius dicendi, tum exercendi iudicia publica, libris ſingularibus deſcripſerunt: eoque, vt iam alios eius generis libros praetermittamus, pertinent CALLISTRATI *libri VI. de cognitionibus*, IVLII PAVLLI libellus *de centumuiralibus iudiciis*, et, quos primo loco nominari oportebat, DOMITII VLPIANI *omnium tribunalium*, vel *protribunalium* libri decem, quibus illum omnem rei iudiciariae rationem expoſuiſſe arbitror, quamuis eos ad extraordinarias tantum cognitiones, quibus praetores praeſideſque prouinciarum vacare ſolebant, pertinuiſſe exiſtimet ὁ πάνυ: CVIACIVS *Obſeru. Lib. VII. cap.* 23. Iam quidem praeclara iſta bonaeque frugis pleniſſima opera nobis fata inuiderunt: ſed quemadmodum ex veterum palatiorum parietinis ſaxorumque et columnarum robore, ſitu ac pulchritudine de priſtino ipſorum ſplendore ac magnificentia iudicamus: ita ex fragmentis, quae nobis reliquit TRIBONIANI diligentia, non poſſumus non coniecturam capere, pulcherrima fuiſſe haec opera, et auctoribus ſuis digniſſima. Enimuero his omnibus Germani, ſi ſaperent, iure quodam ſuo opponerent opuſculum illud, *den richtſteig*, quod, quum et communem et feudalem litigandi modum, et ipſam crimina vindicandi rationem luculentiſſime deſcribat, iure vocare poſſes *librum omnium tribunalium*, vel *protribunalium*. Sane hic vnus eſt medii

dii aeui Germanorum, qui non ſolum actiones atque accuſationes omnes in certas claſſes deſcripſit, verum etiam, quibus formulis ſingulae in foro proferendae, quae exceptiones a reo opponendae, quid quolibet caſu a iudice interloquendum pronunciandumque ſit, quid denique in vniuerſum et actorem et reum, et aduocatum, et iudicem cum ſcabinis obſeruare oporteat, tam accurate ac perſpicue oſtendit, vt, qui hunc libellum legit atque intelligit, is ſibi ipſis maiorum noſtrorum tribunalibus intereſſe, iudicemque ſcabinos in conſilium mittentem, et de capite et fortunis ciuium ius dicentem, coram contemplari atque audire videatur. Quod quum ego mihi experiundo didiciſſe videar: non potui non mirari hominum noſtrorum ſocordiam, qui tam praeclarum opus ita negligunt, vt vix ſexcenteſimus quiſque eorum, qui iuriſprudentiae operam nauant, illud exſtare ſciat, tantum abeſt, ut multi illud inſpiciant, vel fructum aliquem inde capere ſe poſſe, credant. Enimuero eſt haec ſaeculi noſtri labes, vt pleraque, quae a maioribus noſtris ſcripta ſunt, faſtidiant poſteri, iiſque exterorum libros praeferant, quamuis nec rerum vbertate, nec natiua verborum elegantia, cum illis comparandos. Quod vt alio exemplo demonſtrem, ſemel me etiam vſum eſſe memini teſtimonio elegantis ingenii poetae, cui *vulpeculam Reinecke* debemus, et puduit me propemodum inde ſaepius illuſtrare iuriſprudentiam Germanicam, non quod non plura in eo poëmate vel maxime ad rem facerent, ſed ne in re ſeria nugas agere velle viderer. Et tamen veriſſimum eſt, Germanos non modo hoc poëma multis Graeciae ac Latii monimentis opponere poſſe, ſi iuſtum rebus ſuis pretium ſtatuerent, verum etiam incredibilem rerum praeſtantiſſimarum theſaurum in eo eſſe reperturos, ſi a ſe impetrare poſſent, vt illud in manus ſumerent. Sic ſane, vt alia, ab inſtituto noſtro aliena, praetermittamus, ſaepiſſime hic poeta rem iudiciariam Germanorum attingit, eamque tam luculenter, quamuis aliud agens, deſcribit, vt eum id vnum egiſſe crederes. Sic *libro I.* *cap.*

Digitized

cap. 4. gallum gallinaceum inducit in ſcenam, cum clamore caedis accuſantem vulpeculam, ipſumque cadauer ad tribunal ferentem. Hic primum gallum, cognatorum et adfinium comitatu ſtipatum, quiritationem inſtituiſſe monet:

De hane quam vor den koninck ſtan,
Vn ſach ene ſere drofflick an.
He hadde by ſyk tvvey hanen grot,
De drovych weren vmme deſen doet.
De eyne was ghebeten kreyant,
De beſte hane, de man vant
Tvviſchen Hollant vn Franckeryck,
De ander was em ſeer ghelyk,
Vnd heth Cantart, ſeer kone vn oprycht,
Se drogen malk en bernende lycht.
Der hennen broeder waren deſe tvvee,
Se repen beyde wrach vnde wee.
Vmme Kraſſevoet, erer ſüſter, doet.
Dreuen ſy ruvve vn drouenyſſe grot.
Noch weren tvvey ander, de drogen de boren,
Men mochte ere drouenyſſe vern horen.

At infra ſuo loco obſeruauimus, accuſatorem, cognatorum et amicorum globo circumdatum, in iudicium veniſſe, idque ei permiſiſſe ius patrium, dumne plures, quam triginta, ſecum traheret. Praeterea ibidem oſtendimus, eos cadauer ſimul attuliſſe, vt et de corpore delicti conſtaret, et tam triſtis adſpectus iudices eo facilius ad miſericordiam flecteret. Denique nemini ignotum, et a nobis pluribus demonſtratum eſt, accuſationes criminales prolatas fuiſſe ab accuſatoribus, vultu totoque corporis habitu ad luctum et triſtitiam compoſito, editoque clamore, repetitiſque vocibus: *zeter*, *wapen*, *iodute*, quibus et vocabulum *wracke*, id eſt, *rache*, addit ANTON. MATTHAEVS *de crimin. p.* 514.

514. Quam eleganter vero haec omnia expreſſit poeta? quam vbique et genium linguae, et τὸ πρέπον ſeruauit? Addit deinde ipſam accuſationem, quam infra protulimus, ad veterem illam formam, quam ex AVCTORE *des richtſteiges* infra ſuo loco deſcripſimus, fere vbique compoſitam, niſi quod loco adloquutionis *Here her richter*, hic legamus: *Gnedyghe here, her Konynk*, et inſidiae, quas gallinae ſtruxerit vulpecula, paullo verboſius enarrantur. Porro infra oſtendimus, cadauer inſepultum manſiſſe, donec lata eſſet ſententia, niſi iudex illi iuſta fieri permitteret. Id quoque *capite* 5. eiuſdem poematis eleganter exprimi videmus, dum leo, rex animalium, hunc in modum adloqui fingitur gallum gallinaceum:

Hane hennynk, nu horet heer,
Iuwe dote dochter, dat gute hoen,
De wyl wy der doden rechtigkeit doen.
Vnd laten er de vigilie ſyngen,
Vnd ſe to der erden bryngen,
Dat ſchal ſcheen myt groten eren,
Denne wylle wy vns met deſſen heeren
Vmme deſen mord wol beſpreken,
Wo wy dat beſte mogen wrecken.

Quum praeterea ius Germanicum magnum diſcrimen ſtatuat inter crimina manifeſta et nec manifeſta, (*handhafftige vnd übernächtige thaten:*) id quoque diſcrimen attingit poëta *capite* 19. *libri I.* dum regem ita loquentem introducit:

Hier ſynt vele klagers vn ſchynbare daet,
Dit alle wyll yw weſen quaet.

Quumque criminis manifeſti reum accuſator vna cum ſex teſtibus poſſet conuincere: eodem modo conuictam eſſe vulpeculam, docet poeta *cap.* 20. *Intleſte,*

Intleſte, dat ick korte deſe vvort,
Quemen etlyke tueghe dar vort,
Dat vvaren vprychtighe vvaraftige mans,
Se tuegheden ouer Reynken heel vn gantz,
Schuldig tho vveſen in der miſſedaet.

Quemadmodum porro iudices tuliſſe ſententiam oſtendimus de conſilio ſcabinorum: ita idem factum eſſe a leone, ait poeta verbis proxime inſequentibus:

Do ghynk de konynk in den raed
Si ſloten eyndrachtygen vn eynes modes
Reyneke de Voſs is ſchuldig des dodes.
Men ſchall ihn binden vn vangen,
Darto by ſynem halſe ophangen.

Denique ſuo loco probauimus, non ſemper carnificum opera vſos eſſe iudices, ſed aliquando ſcabinos, aliquando occiſi cognatos, aliquando adparitorem, ſupplicium more maiorum a reis condemnatis ſumſiſſe. Id quoque *cap.* 21. expreſſit poeta:

Iſegrym, Hynlze vn Brunn, de bare,
Deſſe nemen Reynekens meyſt vvare.
Dyt vveren, de en bunden vn vengen,
Deſſe dachten en ock vpthohengen.

Haec ex primo tantum libro excerpere placuit. Non minus vero ſcitu digna ſunt, quae ſecundo, tertio et quarto de re iudiciaria vbique immiſcet. At neſcio, an reliquis omnibus praeferenda ſint, quae *Lib. IIII. cap.* 5. de ſingulari lupi accuſatoris et vulpeculae certamine canit, vbi omnes ritus, qui in his forenſibus certaminibus obſeruabantur, eleganter deſcribit. Habemus ibi formulam reum ad certamen prouocandi, oblata chirotheca:

Ick eſche yvv to kampe to deſſer tyd,
Ick ſpreke, dat gy eyn vorreder vn morder ſyd,
Ick vvyll myt yvv kempen lyff vmme lyff,
Sus mach eyns endygen vnſe kyff.
De vthbuth den kamp, dat is dat recht,
Eynen handſchen deme andern to donde plecht,
Den hebbe gy hyr, nemet to yvv:
Draden ſchall ſick dat vinden nu.

Ex eodem loco et capitibus ſequentibus diſcimus, par iſtud bene compoſitum dediſſe pignora, et ſatisdediſſe per fideiuſſores, de certamine certo die ineundo; dieque huic certamini praefinito, lupum primum intraſſe arenam, eumque ſequutam eſſe vulpeculam, tum porro praefectos arenae (*de kreytvvarders*) attuliſſe ſanctorum reliquias, et vtrumque iam manus conſerturum conceptiſſimis verbis iuraſſe. En formulam iurisiurandi, quam legere operae pretium fuerit:

De kreitvvarters brachten de hilligen vord:
Dat vvas de Lupart vn de Loſs,
Dar moſte ſvveren beyde Wulff vn Voſs,
Vmme vvat ſe dar quemenen in den ſtreit,
De wulff de ſvvor den erſten eyd.
He ſvvor, dat Reynckevvere ein vorreder,
Eyn deff, eyn morder, eyn myſſdeder,
Eyn ebreker, vn eyn valſch ketyff,
Dyt gylt vns beyden lyff vmme lyff.
Reineke ſvvor vvedder in deme ſuluen kreyt,
Dat de Vulff ſvvore eynen falſchen eyt.
He ſvvor ock, dat Yſegrim de here
Vp en loghe, vn vnrychtygh vvere,
He ſcholde nümmer vvar macken den eyt.

Sunt.

Digitized by

Sunt et reliqua, quae *capite 9. iſtius libri* legimus, notatu digniſſima. Ex eo enim patet, quomodo, alterutro ſuccumbente, iudex certamini finem imponi iuſſerit, quo ritu arenae praefecti iuſſu iudicis vtrique imperarint inducias, quanta cum congratulatione victor a cognatis atque amicis ex arena deductus ſit ad iudicem, et hic, collaudata eius virtute, ſententiam tulerit abſolutoriam. Quae omnia ea, quae infra de hoc certamine forenſi ex legibus patriis diſſeruimus, mirifice illuſtrant, vt mirum ſit, haec vetera monimenta tam alto ſupercilio a pleriſque deſpici, quum inde plus vtilitatis capere liceat, quam vulgo exiſtimatur. Sed ſufficiant pauca haec ſpecimina, quibus illis excutere ruborem volui, qui ſe indignos praeſtant Germanorum nomine, et praeclara illa maiorum ſuorum opera cum puluere ac ſitu certare patiuntur, quae multis Graecorum et Latinorum operibus, ſi mens non laeua eſſet, anteferenda exiſtimarent. Eadem vero opera pudorem meum purgare volui, quod in reſtituenda iurisprudentia Germanica ne horum quidem ſcriptorum teſtimonio vti dubitauerim. Si enim iureconſultis Romanorum licuit, HOMERO denunciare teſtimonium, etiam in rebus nullius momenti, veluti dum quaeſtio incidit Domitiana, an ſues in pecudum numero ſint? §. 1. *Inſt. de leg. Aquill.* quis Germano iureconſulto vitio verterit, eum in ritibus veterum illuſtrandis poetae Germani, et, quod caput rei eſt, *συγχρόνυ* teſtimonio vti non dubitaſſe? Ceterum de inſtituti ratione quidquam addere ſuperuacuum omnino foret, quum cauſſam peroraſſe mihi videar praefatione priori tomo praemiſſa. Nec de ſtilo, quo omnia expoſui, quidquam hic addere attinet. Quamuis enim operam dederim, vt omnia non quidem ornata et copioſa oratione, quam hoc ſcriptionis genus omnino reſpuit, at pura tamen et Latina, quoad fieri poſſet, explicarem: non dubito tamen, quin dies noctesque in perlegendis expendendiſque medii aeui monimentis verſanti aliquid barbariei adhaeſerit, ipſeque ſtilus ſtribiliginem quamdam attraxerit. Quemadmodum enim, qui in ſole ambulant, quamuis id non fa-

Digitized by Google

ciant eo conſilio, vt colorentur, colorantur tamen: ita ii, quibus ſcriptores barbari in manu ſunt, quamuis eos non eo conſilio legant, vt ab iis exemplum Latinitatis capiant, quin ab eorum barbarie ſibi quam maxime caueant, paullatim tamen neſcio quid barbariei et ſordium ſibi adfricari, animaduertunt, vt ipſi mirentur, ſe tam cito factos eſſe barbaros. Denique et id moneo, me huic poſteriori tomo ſubiunxiſſe indices locupletiſſimos, non modo rerum et verborum, quae in toto hoc iuris Germanici corpore ſparſim occurrunt, verum etiam omnis aeui auctorum, ex quibus ius Germanicum vel collegi, vel, aliunde deſumtum, illuſtraui. Nolim profecto exiſtimes, CANDIDE LECTOR, me id eo conſilio feciſſe, vt bibliothecae meae, ſane non admodum diffuſae, oſtentarem theſauros, vel librorum rariorum poſſeſſionem iactarem. Neque enim ea eſt fortuna mea, vt adeo multa eius generis in caſſes meos inciderint, neque vmquam putaui in eo omnem eruditionis laudem poſitam eſſe, ſi quis quaedam ex rarioribus codicibus proferre poſſit, quum non ſemper, quae rariora ſunt, et in vnius viri docti ſcriniis latitant, ideo etiam praeſtantiora reliquis vbique obuiis, eſſe videantur. Sed ideo hunc indicem ſubiunxi vniuerſo operi, vt tirones inde diſcant, qui auctores ad ius Germanicum illuſtrandum faciant, qualeſque libri euoluendi legendique ſint iis, qui in eo operae pretium ſint facturi. Haec ſunt, CANDIDE LECTOR, quae TE volui. Id enim ne petendum quidem a TE exiſtimo, vt operarum ſphalmata, quorum quaedam oculos meos fugiſſe, ipſe obſeruaui, non mihi, ſed operis, attribuas. Neque enim viri CANDIDI nomen tuereris, niſi haec aequo animo ferres, quae ne ii quidem, qui otio abundant, nedum noſtri ordinis homines cauere poſſunt. Fruere potius hoc qualicumque ingenii mei foetu, et Deum optimum maximum, qui vires mihi ſuffecit, mecum concelebra, eumque precare, vt eius auſpiciis:

Moribus antiquis ſtet res Germana, viriſque!

Halae Magdeb. VII. Id. Sextiles CIↃIↃCCXXXVI.

IO. GOT.

Digitized by Google

IO. GOT. HEINECCII, IC.

ELEMENTA IVRIS GERMANICI.

PROOEMIVM.

DE NATVRA ET CONSTITVTIONE IVRIS GERMANICI.

§. I.

QVVM ius ciuile dicatur, quod quiſque ſibi populus conſtituit, et cuiuſque ciuitatis eſt proprium: *l. 9. ff. de inſtit. et iur.* exſtare etiam oportet leges ac conſuetudines, quas Germani iam inde a gentis ſuae origine ſibi proprias habuere, * eaſque recte IVRIS GERMANICI nomine venire, arbitramur. Quid ius Germanicum?

* Non ergo hic quaerimus de iuribus in Germania receptis: (nam ea non omnia ſunt Germanica,) ſed de iuribus Germanicis, quamuis ea hodie vel ob communem gentium originem, vel ob Germanorum migrationes et extra Germaniam vigeant. Ita ſane permulta eius generis iura in Gallia, Hiſpania, Italia, Anglia ſuperſunt, quae eo intulerunt Franci, Gothi, Langobardi, Saxones et Normanni; quorum leges Germanicis, et maxime Saxonicis, ſimillimas deprehendit vir illuſtris, Io. PETR. A LVDEWIG *Reliqu. MSSC. Tom. VII. in praefat.* Adeo verum eſt, quod obſeruauit STRABO *Geogr. Lib. VII. pag. 443. edit. nou.* πολλὰ τε παραλλάττοντες καὶ μορφαῖς, καὶ ἤθεσι, καὶ βίοις ὄντας, οἵους εἰρήκαμεν τοὺς κελτούς. *Cum aliis rebus, cum forma, moribus, et victu, ſimillimos ſibi eſſe Celtas Germanoſque*

omnes, et quod idem *Lib. IIII. p.* 299. tradidit, Germanos Galloſque καὶ τῇ φύσει, καὶ τοῖς πολιτεύμασιν ἐμφερεῖς εἶναι καὶ συγγενεῖς ἀλλήλοις, *et natura, et moribus vitaeque inſtitutis inuicem eſſe ſimillimos.*

§. II.

Id vel publicum, vel priuatum.

Quemadmodum vero ius omne, quatenus pro legum complexione accipitur, vel PVBLICVM, vel PRIVATVM eſt: ita eaſdem iuris poſitiones, vti vocat VLPIANVS *l.* 1. §. 2. *D. de iuſt. et iur.* et apud Germanos reperias. Sed iam non ſolliciti de publico, priuati duntaxat notitiam paullo accuratiorem quaerimus.

§. III.

Priuatum vel prouinciale, vel feudale, vel municipale.

Ius PRIVATVM medio aeuo in PROVINCIALE, FEVDALE et MVNICIPALE, (*Land-Recht, Lehn-Recht und Weichbild,*) diuidebatur, quorum iſtud in tota prouincia; illud in curiis feudalibus; hoc intra ciuitates, et quouſque ager ſuburbanus porrigebatur, * obtinebat.

* Fines agri municipalis ſignis quibuſdam, veluti crucibus, caelitum tutelarium imaginibus, ſtatuis, vel columnis notabantur. Vid. diploma apud SCHNEIDER *Chron. Lipſ. Lib. III. p.* 88. Quidquid ergo intra hos fines factum erat, intra weichbildum factum dicebatur, diiudicandumque ideo erat ex legibus municipalibus. IVS LVBEC. *in praefatione: Das Lübiſche Recht erſtreckt ſich in unſer Stadt, und in den Stadten, da Lübiſch Recht gebraucht wird, ſo fern als unſer und ihr Weichbild, Feld-Marck und Land-Wehr reichet.*

§. IIII.

Itemque vel ſcriptum, vel non ſcriptum.

Porro vt aliae gentes iure partim SCRIPTO, partim NON SCRIPTO regebantur: ita ius Germanicum quoque in ἔγγραφον, ſeu SCRIPTVM, et ἄγραφον ſeu NON SCRIPTVM diuiditur, quorum hoc illo tanto antiquius eſt, quanto tardius Germanos aliquem litterarum vſum habuiſſe, alibi oſtendimus. * *Hiſtor. iur. Lib. II. cap.* 1. §. 1. Annon vero permulta, quae Germani, tamquam priſca maiorum inſtituta, religioſe ſeruarunt, publica auctoritate initio promulgata ſint, non adeo expeditum eſſe arbitramur.

* Vulgo id probant teſtimonio TACITI *de Mor. Germ. Cap.* 19. vbi, *apud Germanos plus valere*, ait, *bonos mores: quam alibi bonas leges.* Quod teſtimonium HERM. CONRINGIO ſubiegerunt omnes, qui de iure Germanico aliquid commentati ſunt. At *boni mores* TACITO non ſunt bonae conſuetudines, ſed bona natura ac indoles. Et *bonae leges* illi ſpeciatim ſunt leges Iulia de maritandis ordinibus et Papia Poppaea. Vid. *Commentar.* noſtr. *ad Leg. Iul. et Pap. Lib. I. Cap. II. pag.* 25.

§. V.

§. V.

Iuris vetuſtiſſimi non ſcripti notitiam debemus TACITO, cuius *de moribus Germanorum* libellus ea tantum, in quibus Germanorum inſtituta a Romanorum moribus diſcrepabant, conſectatur, nec non IVLIO CAESARI, qui de Germanis ex inſtituto egit *Libro VI. de Bell. Gall. cap.* 14. *ſequ.* POMPONIO MELAE *Lib. III. de Situ Orb. cap. III.* denique STRABONI *Lib. VII. p.* 443. quamuis hic, quippe gente Cappadox, maiores noſtros non niſi ex fama cognitos habuiſſe videatur. Fontes Iuris non ſcripti Germanorum.

§. VI.

Quum vero Germani gens eſſent, *nullis aliarum nationum connubiis infecta, adeoque propria et ſincera, et tantum ſui ſimilis :* TACIT. *de Mor. Germ. cap.* 4. nemo ſane mirabitur, (1. eos priſci moris patrii fuiſſe tenaciſſimos *, et quamuis (2. poſtea et peregrina quaedam iura adoptarint, non tamen ideo repudium dediſſe inſtitutis patriis, ſed (3. illa duntaxat, tanquam ius ſubſidiarium quoddam, recepiſſe. STRYK. *Diſſ. praelim. in Vſ. Modern. Digeſt.* De eo quaedam axiomata.

* Id vel inde etiam a poſteriore colligitur, quod mores plerique vetuſtiſſimi, quos TACITVS deſcripſit, multis poſt ſaeculis in Germania exteriſque prouinciis, in quibus Germanicae gentes nouas ſibi ſedes conſtituerant, ſuperfuerunt, ceu ex inſtituto oſtendimus in *Hiſt. iur. Ciu. Lib. II. cap.* 1. §. 3. *ſeqq.* Quin eoſdem, tot circumactis ſaeculis, hodie quoque ſui veſtigia expreſſiſſima paſſim reliquiſſe, infra ſuis locis pluribus argumentis oſtendemus.

§. VII.

Simul ac tamen aliquem litterarum guſtum habere coeperunt Germani, * nihil prius, nihilque antiquius duxerunt, quam vt conſuetudines ſuas patrias litterarum monimentis conſignarent, et, ſi qua noua inſtituta exigere videretur neceſſitas, ea ſollemniter promulgarent. Hinc a ſaeculo ſaltim quinto vti coeperunt iure ſcripto, quod nos in ANTIQVVM, MEDII AEVI, et NOVVM merito diſpeſcimus. Ius ſcriptum quotuplex?

* Prius barbariem exuiſſe animaduertimus eas gentes, quae per orbem Romanum arma victricia circumtulerunt, quam quae in patrio ſolo ſubſtiterant. Illae enim et citius Chriſto nomen dederunt, literaſque ab eccleſiae doctoribus edoctae, et quotidiana Romanorum prouincialiumque conſuetudine ad ciuilioris vitae morem paullatim traductae ſunt. CONR. *de Orig. Iur. Germ. cap.* 2. *p.* 3. Hinc antiquiores ſunt leges FRANCORVM, WISIGOTHORVM,

THORVM, OSTROGOTHORVM, BVRGVNDIONVM, quam ALAMANNORVM, BOIORVM, SAXONVM, FRISIORVM, qui demum ſub Francorum imperio legibus ſcriptis viuere coeperunt.

§. VIII.

Fontes iuris ſcripti antiqui.

Ad ius ſcriptum ANTIQVVM pertinent collectiones legum antiquarum IO. SICHARDI, BAS. IOANNIS HEROLDI, et FRIDERICI LINDENBROGII, quaeque ad illuſtrandas iſtas leges veteres ſcripſerunt GODOFR. WENDELINVS, HIER. BIGNONIVS, FR. PITHOEVS, G. G. LEIBNITIVS, GEORG. ECCARDVS, TED. SIBR. SICCAMA, et GAERTNERVS. Nec minus ad illud illuſtrandum faciunt CAPITVLARIA REGVM FRANCORVM vtriuſque ſtirpis, de quibus poſt fratres PITHOEOS, VITVM AMERBACHIVM, IAC. SIRMONDVM, et HIER. BIGNONIVM immortaliter meritus eſt STEPH. BALVZIVS.

§. VIIII.

Medii aeui.

MEDII AEVI iuriſprudentia Germanica quaerenda potiſſimum eſt in IVRE PROVINCIALI ſeu SPECVLO, IVRE FEVDALI et MVNICIPALI SAXONICO, itemque in IVRE PROVINCIALI et FEVDALI ſeu SPECVLO SVEVICO, quibuſcum iungenda quaedam alia eiuſdem fere aetatis ſtatuta, veluti AVSTRIACA, BAVARICA, nec non ciuitatum quarumdam Saxonicarum, et, quae primo loco commemoranda erant, LVBECENSIA, * maxime qualia iſta exhibent codices veteres et editio IOACH. KOLLII.

* Auſtriaca debemus viro illuſtri, IO. PETRO LVDEWIGIO, qui ea edidit *Reliqu. MSS. Tom. IIII. p.* 1190. Bauarica condita ſunt anno MCCCXXXXVI. de iiſque diximus in *Hiſt. Iur. Lib. II.* §. 83. Ciuitatum Saxonicarum antiquiora quaedam ſtatuta edidit LEIBNITIVS *Script. Rer. Brunſu. Tom. III.* Sed plura eiuſdem fere aetatis latitant in bibliothecis, quae maiore cura eruenda protrahendaque in lucem eſſent, ſi mens non laeua eſſet Germanis, rerum ſuarum plerumque nimis incurioſis.

§. X.

Eo etiam pertinent conſuetudines vicinarum prouinciarum.

Quum vero etiam olim Celtarum paene omnium iidem mores, eadem viuendi inſtituta fuerint, (§. I. *) et poſtea in pleriſque occidentis prouinciis regna potentiſſima conſtituerint gentes Germanicae, veluti Gothi, Franci, Burgundiones, Angli, Langobardi, aliique, et gentes denique boreales eiuſdem cum Germanis originis ſint: fieri non potuit, quin hae omnes, tamquam priſcorum morum tenaciſſimi, (§. VI. 1.) permultas ſeruent iuris Germanici reliquias, eaeque ex CAROLO MOLINAEO.

PYRRHO

Pyrrho Angleberмaeo, Nic. Boerio, Io. Sainsonio, Ren. Choppino, Barth. Chassanaeo, Argentraeo, aliiſque, qui conſuetudines Galliae, * Belgii, Angliae, Daniae, Sueciaeque illuſtrarunt, ſcriptoribus, veluti Imberto, Zypaeo, Bvrgvndo, Christinaeo, Cowello, Stiernhoekio, Loccenio, multum lucis capere poſſint.

* Nouum eſt, alias Galliae prouincias *iure ſcripto*, alias *non ſcripto* vti ſolere. In prouinciis, quae iure ſcripto vtuntur, (*dans les provinces de droit eſcrit*,) ius ciuile Romanum iam ab antiquo in vſu eſt, talesque ſunt Occitania, Vaſconia, Aquitania, Prouincia, Delphinatus, et tractus Lugdunenſis. In reliquis prouinciis (*dans les pays coutumiers*,) antiquis moribus viuunt, quos e Germania ſecum in eas prouincias intulerant Franci. Qua de re Clavdivs dv Pre' *in Originibus Franc. Lib. V. cap. 5. p. 102. Les autres pays des Gaules qui n'avoient jamais ſenty le joug des Romains, mais furent vaillement conquiſtés par les François, lorſqu'en paſſant le Rhin, avec tous leurs gens, ils leur baillerent le nom de France, ont eſté touſjours ennemis jurés des Romains, et n'ont reconnu autres loix, que celles, qu'ils avoient de tout tems peculiéres et uſitées.* Conf. Ann. Robert. *Rer. Iudic. Lib. II. cap.* 1. Anton. de Dominicy *de Praerogat. allod. cap. 7.* Ex quibus facile eſt ad intelligendum, quam multas iuris Germanici reliquias hodienum ſeruet Gallia, et religioſius, quam ipſa Germania, cuſtodiat.

§. XI.

Praeterea hanc medii aeui iuriſprudentiam mirifice illuſtrant diplomata, quae ſubinde iuris cuiuſdam faciunt mentionem, quod alibi fruſtra quaeſiueris. Quamuis vero vix exſtet annalium hiſtoriarumque volumen, quod non aliquot ſaltim veteres chartas vel tabulas exhibeat: praecipue tamen laudandae ſunt collectiones diffuſiſſimae Dacherii, Avb. Miraei, Franc. Foppens, Edm. Martene, Chr. Lvnigii, Wig. Hvndii et Gewoldi, Vghelli, Bvtkenii, Io. Mabillonii, Steph. Balvzii, Car. Lvd. Toelneri, Io. Petri a Lvdewig, Io. Henr. a Falkenstein, Schannati, Ketneri et Thomae Rymeri, quamuis non ſit quorumuis, hanc adire Corinthum. Et diplomata medii aeui.

§. XII.

Nouum ius Germanorum partim ex recessibvs imperii, partim ex innumeris fere, quae a ſaeculo XV. vbique gentium prodierunt, statvtis, tum prouincialibus, tum municipalibus, addiſcendum eſt. Horum inſignem adparatum olim poſſedit, eaque non infeliciter inter ſe contulit iureconſultus Ius ſcriptum nouum.

Digitized by Google

Holſatus, Henr. Gisebertvs, cuius libri editi ſunt ſub titulis: *Periculum Harmonicum*, *Iuſtinianus Harmonicus*, et *Deuteronomion Harmonicum*, omnibus ſane in eo genere eſſent praeferendi, ſi auctor et maiore perſpicuitate, et methodo paullo concinniore, eſſet vſus. * Moller. *Iſagog. ad Hiſt. Cherſ. Cimbr. Part. III. p.* 637.

* Vti autem potuiſſet, ſi dicto fuiſſet audiens viro celeberrimo Godofredo Gvil. Leibnitio, qui ipſi inſignem ac vtiliſſimam methodum praeſcripſerat in epiſtolis, praemiſſis Deuteronomio harmonico. Sed quum ſuo indulgere maluerit ingenio: non mirum eſt, viri ceteroquin docti opera emtorem initio non inueniſſe, damnoque adfeciſſe auctorem, qui ipſe in editionem impenſas fecerat, de quo ille vehementer conqueritur in epiſtolis iſtis ad Leibnitium. Talia nimirum eſſe ſolent librorum fata, qui et obſcuro horridoque dictionis genere, et ipſa methodo confuſiore, lectores omnes a ſe quam longiſſime abigunt.

§. XIII.

De cultura iuris Germanici axioma I.

Hi ergo ſunt genuini iuris Germanici fontes, quibus vt recte vtaris, certa obſeruanda erunt axiomata, ex ipſo Germanorum ingenio, eorumque reipublicae conditione atque indole eruta. Nimirum quum Germani priſci moris patrii tenaciſſimi ſint, nec ei, iure peregrino in ſubſidium adoptato, repudium dederint: (§. VI.) conſequens eſt, vt multi hodie etiam mores vbique occurrant, qui Romanis vel plane fuerunt ignoti, vel apud eos multo aliter ſeſe habuerunt *. Itaque I.) haec negotia ac iura omnia non ex legibus Romanis, ſed Germanicis, ſunt explicanda.

* De huiuſmodi *iuris Germanici capitibus, quae, quod non adeo iuri Romano adſinia ſint, in academiis vix doceantur, in foro tamen quotidie vertantur*, explicandis, poſt Schottelivm, in primis ſollicitus fuit Georgivs Beyervs in *Diſquiſitione de vtilitate lectionum academicarum in iuris Germanici capita*, ſpecimini iuris Germanici, quod ex illis praelectionibus natum eſt, praemiſſa, vbi et bene longum huiuſmodi iurium ac conſuetudinum catalogum texit.

§. XIIII.

Secundum.

Quumque Germani non omnes intra ſolum patrium ſubſtiterint, ſed gentes plurimae, illo relicto, in pulcherrimas Romanorum prouincias ſeſe infuderint, et illis tamen, ſub alio quoque ſole, priſci moris patrii ſanctiſſima manſerit cuſtodia: (§. X.) fieri non poteſt, II. quin ea procul dubio ſint ex iure Germanico, quae non modo in Germania, ſed et extra illam, apud gentes

gentes Germanicae originis, et antequam ius Romanum lacertos mouit, et poſt illa tempora, perpetuo vſu viguerunt. * Grot. *de iure belli et pac. Lib. II. cap.* 8. §. 1. *n.* 2.

* Haec tamen harmonia non ita amare exigenda eſt, vt non in vna alteraue [illegible] diſſenſus obſeruetur. Sufficit enim, gentes omnes vel pleraſque originis Germanicae, quod ad rei ſummam attinet, conſentire. Sic quamuis diuerſa ſit hominum propriorum ruſticorumque conditio in diuerſis Germaniae vicinorumque regnorum prouinciis: tamen quod ad rei ſummam attinet, eadem omnino fere vbique deprehendes.

§. XV.

Quum porro ſint gentes vicinae, eiuſdem nobiſcum originis, apud quas ius Romanum haec tropica non inſtituit, quae in ipſa Germania obſeruamus: ipſa vnumquemque docebit experientia, III.) eorum, quae hodie in media Germania obtinent, iurium origines aliquando in vicinarum gentium legibus moribuſque facilius, quam apud ipſos Germanos, reperiri. Tertium.

§. XVI.

At quum nemo tamen temere negaturus ſit, Germanos iura peregrina in ſubſidium adoptaſſe: (§. VI.) iuriſprudentiae Germanicae ſtudioſo obſeruandum eſt, IIII.) eorum contagione ita ſaepe infectas eſſe iuris patrii reliquias, vt maiores, ſi redierint in vitam, eas vix eſſent agnituri *: ac proinde V.) operae facturos eſſe pretium, qui diſtinctius oſtenderint, quid ſincerum, vereque Germanicum ſit, quidque ex iure peregrino illi, tamquam rubigo, adhaereat. ** Quartum et quintum.

* Sic *dotalitium* eſt originis Germanicae. *At omnia Germanica et Francica inſtituta*, vt ait Gvndling. *de coemt. vxor. cap.* 2. §. 12. *ad Romani iuris decempedam exigebant peregrinae legis baſiatores: in qua quum doti, ſeu dotalitio Germanico, ſimilius vix inuenirent, quam donationem propter nuptias, hinc vſu videtur veniſſe, vt dotalitium et donationem illam prorſus conuenire aliqui cenſerent.* Quam multa ergo Romana admixta ſint iuri illi Germanico, nemo non animaduertit.

** Et huc pertinet methodus differentiarvm iuris Romani et Germanici, cuius ſpecimina praeclara dedit perilluſtris academiae noſtrae cancellarius, Io. Petrvs de Lvdewig, qui vtinam pertexeret telam, felicibus auſpiciis coeptam!

§. XVII.

Quia denique ea regnorum ac principatuum fata eſſe ſolent, vt in iis multo facilius figantur refiganturque maiorum leges, quam in ciuitatibus, vbi optimatium ſententiis, ſuffragiiſue populi Sextum.

Digitized by Google

puli omnia aguntur: conſequens eſt, VI.) vt ius Germanicum minus inquinatum ſuperſit in ciuitatibus, vbi ariſtocraticum vel populare imperium tam frequentes ac praecipites legum mutationes fieri haud patitur, quam in prouinciis, quae monarchice reguntur.

§. XVIII.

Ordo in his elementis obſeruandus.

Haec itaque ſequutis principia, IVS GERMANICVM eo ordine tradere nobis conſilium eſt, cui iam adſueti ſunt, quicumque animum adpulerunt ad iuriſprudentiam. Totius enim iuriſprudentiae quum tria obiecta recenſeantur, PERSONAE, RES et ACTIONES: quidquid maiores noſtri de his ſanxerunt, quaeue conſuetudine in Germania noſtra inoleuerunt, tribus libris ſecundum ordinem, in Inſtitutionibus Iuſtinianeis obſeruatum, explicabimus.

§. XVIIII.

Et methodus.

Attamen circa pulcherrimum hunc laborem eam nobis ipſi legem diximus, vt non modo ſingulorum iurium origines ex genuinis fontibus eruamus, verum etiam bona fide oſtendamus, quid et hodie in ipſis obtineat rerum argumentis. Abſurdum enim eſſet, ea tantum addiſcere velle, quae non ſis in vſu habiturus.

LIB.

LIB. I.
DE
IVRE PERSONARVM.

TIT. I.

DE PRIMA HOMINVM DIVISIONE, ET SPECIATIM DE SERVILIS CONDITIONIS HOMINIBVS.

§. XX.

An Germani diſtinxerint hominem et perſonam?

QVamuis et Germanis varii eſſent hominum ſtatus: ſubtilior tamen ac durior eſt diſtinctio HOMINIS et PERSONAE, quae in iure Romano vtramque facit paginam, * quam vt maiores noſtri ei locum eſſe voluerint in iuriſprudentia ſua. PERSONAE ergo Germanis ſunt omnes, quibus mens, ratione praedita, in corpore humano contigit, id eſt eaedem, ac homines.

* Romanis ſeruos non fuiſſe perſonas, luculenter probauimus alibi. (*Inſt.* §. 77.) Teſtimoniis, ibi adductis, iam addimus locum inſignem PASCHASII, diaconi Romani *de Spiritu S. Lib. II. cap.* 4. qui ſaeculo quarto ſcripſit: *Apud nos homines filiusfamilias iuxta patrem; vel ſeruus iuxta dominum* PERSONAE *propriae locum non habet.* Et quibuſdam interiectis: *Perſona res iuris eſt, ſubſtantia res naturae.* In Germanorum monimentis ſimile nihil reperias, niſi quod in CONSTITVTIONIBVS SICVLIS a LINDENBROGIO inter leges Germanorum editis, ſed iure peregrino paſſim inquinatis, *Lib. I. tit.* 50. §. 2. PERSONAM *amittere* idem ſit, quod libertate excidere.

§. XXI.

Prima hominum diuiſio et antiquiſſima.

Prima ac praecipua HOMINVM diuiſio antiquitus illa fuit, quod quidam eſſent LIBERI, quidam SERVILIS CONDITIONIS, *liberi* porro in NOBILES, INGENVOS et LIBERTINOS diſtinguerentur. TACITVS *de Morib. Germ. cap.* 25. LIBERTI *non multum ſupra* SERVOS *ſunt. Raro aliquod momentum in domo, nunquam in ciuitate, exceptis duntaxat iis gentibus, quae regnantur. Ibi enim et ſuper* INGENVOS, *et ſuper* NOBILES *adſcendunt.*

§. XXII.

Eadem obtinuit apud Francos,

Quatuor illa hominum genera et medio aeuo occurrunt. Apud Francos quamuis receptior eſſet hominum diuiſio in SENIORES vel MAIORES, et IVNIORES ſeu MINORES, HINCM. *Epiſt. XIIII.* de qua prolixius egit HERT. *Notit. regn. Franc. cap.* 3. §. 29. tamen ea ad ordines regni pertinuit. Ratione ſtatus enim GREG. TVRON. *Vit. Patr. cap.* 9. INGENVOS diſtinguit ab illis, qui NOBILITATE ſublimes ſunt: et apud THEGAN. *in vita Ludouici Pii cap.* 44. LIBER diſcernitur a NOBILI. Et LITORVM, LIBERTORVMque aeque ac SERVORVM tam ſaepe ſit mentio in eorum legibus ac monimentis, vt dubitare non liceat, apud Francos eamdem hominum diuiſionem obtinuiſſe.

§. XXIII.

et apud Saxones.

Nec minus Saxones priſci iſtius moris obſeruantiſſimi fuerunt. WITICHIND. *Annal. Lib. I. p.* 634. *Saxonica gens vſque hodie* TRIFORMI *genere ac lege, praeter conditionem ſeruilem, diuiditur.* EGINARDVS apud ADAM. BREM. *Lib. I. Hiſt. Eccl. cap.* 5. *Quatuor differentiis gens illa conſiſtit*, NOBILIVM, et LIBERORVM, LIBERTORVM*que atque* SERVORVM. A quibus vere non diſſentiunt HVCBALDVS *in vita B. Lebuini*, et NITHARDVS *Lib. IIII. p.* 478. quamuis hi tres tantum hominum ordines faciant, quos vocant ETHELINGOS, FRILINGOS, et LAZZOS, NOBILES, INGENVOS, SERVILES, * et hinc eos auctores praeter hiſtoriarum fidem ſeruorum ordinem omittere exiſtimet HACHENB. *Germ. med. Diſſ. II.* §. 2. *p.* 20.

* Ita et in *Capitul. de partibus Sax.* §. 15. apud BALVZIVM *Capitular. Tom. I. pag.* 253. Saxones in *nobiles*, *ingenuos et litos* diſtinguuntur. Sed quemadmodum liberti apud Germanos non multum ſupra ſeruos erant: TACIT. *de Mor. Germ. cap.* 25. ita vtrique communi nomine *laſſi* et *liti* dicebantur. Sunt ſane *laſſi* ſeruilis conditionis, quos HENRICVS, Dux Brunſuicenſis, in charta anni MCCCCXXXIII. apud SCHOTTEL. *ſingul. iur. Germ. cap.* 2. vocat *eegene Lude, oder Laten.* Erant etiam Laſſi libertini, qui in LEGE BAIVVAR. *tit.* 4. §. 10. [illegible] vocantur *frilazzi.* GLOSSA Latino-Theouiſca apud LINDENBROG. *in Gloſſar. p.* 1404. *Libertini, frilaza. Litos* quoque modo ſeruos eſſe, modo ab iiſdem diſtingui, adeoque et libertinae conditionis fuiſſe, multis teſtimoniis docuit CAR. DV FRESNE *in Gloſſar. Lat. voce Litus. p.* 513. inter quae eminent loca bina ex LEGE RIPVAR. *tit.* 62. §. 1. et LEGE FRISION. *tit.* 15.

§. XXIIII.

§. XXIIII.

An non et quintum ordinem conſtituerint burgenſes?

INGENVORVM quidem MVNICIPVM, vel ciuici ordinis, vel, vti poſtea vocabantur, BVRGENSIVM, tum demum auditum eſt nomen, quum primum vrbes in Germania magna paullo frequentiores eſſe coepiſſent, quod quando factum ſit, luculenter oſtendit HERM. CONRINGIVS *in Diſſert. de vrbibus Germaniae.* Sed quicumque ſe conferebant in vrbes, ii vel *ingenui* erant, vel *libertinae*, vel *ſeruilis conditionis*, * ac proinde, qui vrbes habitabant, non niſi ſero quintum, ac diuerſum a reliquis, ordinem conſtituere coeperunt.

* Sic ſane de Henrico I. Germ. Rege, quem Aucupem vulgo adpellitant, notum eſt, eum ex *militibus agrariis* nonum quemque in vrbes, a ſe conditas tranſtuliſſe. WITICHIND. *Annal. Lib. I. p. 639.* Pleroſque vero vel libertinae, vel ſeruilis fuiſſe conditionis, ex eo ſatis conſtat, quod ciuibus Spirenſibus Henricus V. Imp. anno MCXI. gratiam fecit iuris mortuarii. LEHMANN. *Chron. Spir. Lib. IIII. cap.* 22. Idemque beneficium contigit Wormatienſibus, teſte diplomate apud ill. LVDEWIG. *Reliqu. MSSC. Tom. II. p.* 283. Hinc facile patet ratio, cur S. Bonifacius apud OTHLONEM *in Vita Bonif. cap.* 2. Erfurtum vocarit *vrbem paganorum ruſticorum*: et cur ſaeculo adhuc XIIII. ciues Brunſuicenſes quaſi manumiſerit Otto, Dux Brunſu. in diplomate apud LVNIGIVM *im Reichs-Archiu. Part. Special. Continuat. IIII. Part. II. pag. 639.* MEIBOM. *Tom. III. Rer. Germ. p.* 205.

§. XXV.

Quinam nobiles?

Ceterum NOBILES erant, quicumque ex ingenuis ad maiores in republica dignitates adſpirauerant, veluti, qui ducebant exercitus, (*Herzoge*,) et *principes*, *qui iura per pagos vicoſque reddebant*, vti eos deſcribit TACIT. *de Morib. Germ. cap.* 12. 13. id eſt, comites vel *grauiones.* Vid. SCHILT. *Diſſ. de Praerogat. S. R. I. Comitum* §. 12. Et quamuis hi initio populi ſuffragiis deligerentur: *inſignis* tamen *nobilitas*, *aut magna patrum merita*, *principum dignationem et adoleſcentibus adſignabant.* TACIT. *ibid. cap.* 7. Tales fuere Claſſicus, Ciuilis, Iulius Paullus, Italus, quos ob regium ac nobile genus celebrat IDEM *Hiſtor. IIII*, 55. *IIII*, 13. et *Annal. XI*, 6.

§. XXVI.

Qui ingenui?

Proximi ab his INGENVI erant, quicumque libertate ſine eiusmodi maiore dignitate fruebantur. Quo nomine olim praecipue veniebant, qui poſtea *milites*, vel equeſtris dignitatis viri audiebant, *der Land-Adel.* *

 * Quod

* Quod adeo verum eſt, vt praedia libera, *Rittergüter*, olim dicta ſint *ingenuitates*, et *manſi ingenuiles*, (*Rittérhuffen.*) ANNAL. BERTIN. *ad ann.* 866. et ipſe equeſtris ordo vocatus ſit *ingenua nobilitas* in CHRON. REICHERSP. *ad ann.* 1084.

§. XXVII.

Qui libertini?

LIBERTINI erant, quicumque ex iuſta ſeruitute fuerant manumiſſi. Quamuis enim et hi ad *ingenuitatem* perueniſſe dicantur in monimentis Francorum: CAR. DV FRESNE *Gloſſar. Latin. voce Ingenuitas p.* 66. ibi tamen veteres loquuntur ex iuris Iuſtinianei principiis, quod libertinos omnes ingenuitatis iuribus donauerat. *Nouell. LXXVIII. cap.* 1. Ceteroquin enim iure Germanico eorum conditio longe abfuit a praerogatiua ingenuorum, ſemperque manſit in Germania, quod iam notauimus ex TACITO *de Mor. Germ. cap.* 25. *vt liberti non multum ſupra ſeruos eſſent.*

§. XXVIII.

Qui ſerui denique?

Denique SERVI erant homines, corpore dominis obnoxii, ea lege, vt et cenſum et operas dominis praeſtarent, et ex horum praediis * cum familiis alerentur.

* *Non* enim Germani *ſeruis*, *Romanorum in morem*, *deſcriptis per familiam miniſteriis*, *vtebantur* : *ſed ſuam quiſque ſedem*, *ſuos penates regebat. Frumenti modum dominus*, *aut pecudis*, *aut veſtis*, *vt colono*, *iniungebat. Et hactenus parebant.* TACIT. *de Mor. Germ. cap.* 25. Attamen quum poſtea frequentior cum Romanis conſuetudo et gliſcentes opes ad paullo ſplendidiorem viuendi rationem Germanos pellicerent: coeperunt et hi ſeruos domum recipere, et varia iis iniungere miniſteria. Hinc diuiſio ſeruorum in CASATOS, qui et coloni dicebantur, et NON CASATOS, qui et GASINDI, (LEG. LANGOB. *Lib. I. Tit. VIII.*) ſiue MINISTERIALES, quippe qui variis officiis ac miniſteriis fungebantur, de quibus vid. BALVZ. *Capitular. Tom. II. p.* 391. 392. 426. 906. CANG. *in Gloſſar. Lat. voce Serui miniſteriales p.*836. *ſequ.* Sic paſſim occurrunt ſerui *argentarii*, *aurifices*, *carpentarii*, *fabri*, *ſartores*, *ſutores*, *coqui*, *piſtores*, *fullones*, *hortulani*, *et ſingularum artium magiſtri*, LEX BVRG. *Tit. XXI.* §. 11. *Lex Sal. Tit. XI.* §. 5. *Chron. Conſtant. apud* PIST. *Rer. Germ. Tom. II. p.* 655. Quin et *mercatorum* ſeruilis conditionis mentio fit apud HVND. *Metrop. Saliſb. Tom. I. p.* 227. *et Tom. II. p.* 372. Poſtremis ſaeculis rariores iterum homines proprii in aedibus herilibus, vt hodie famuli domeſtici plerique ſint mercenarii liberi, homines vero proprii ſuam quique ſedem, ſuos penates regant.

§. XXVIIII.

De iis axiomata.

Ex hac vero definitione colligimus, I. ſeruos Germanorum omnes, quod ad corpus attinet, fuiſſe dominis obnoxios, ac proinde dictos **eigene Leute**, **Eigenbehorige**, **Leibeigene**. II. Eoſdem

dem dominis et cenſum, et operas debere; ac proinde III. ex praediis et facultatibus eorum alimenta cum coniugibus ac liberis capere, ſibi ſuisque id habituros, quod rem familiarem curando geniumque defraudando comparſerint.

§. XXX.

Serui aut naſcuntur,

In eam vero conditionem iure Germanico variis modis peruenitur. Serui enim in Germania quoque et NASCVNTVR, et FIVNT. Nam quum, quod ad corpus attinet, dominis ſint obnoxii: (§. 29. I.) non mirum ſane eſt, et, quidquid ex iis naſcitur, eorumdem eſſe dominorum. Et quidem partus iure vetere patrem, SPEC. SAX. *Lib.* III. *cap.* 73. recentiore ventrem ſequitur. WEICHB. *art.* III. Conſtitut. Friderici I. Imp. ann. 1158. apud GOLDASTVM *Tom.* III. *Conſtit. p.* 331. HERT. *de Homin. propr. cap.* III. §. 4. niſi quod hodie quoque quibuſdam locis ſerui et ancillae domini liberos ex iis natos inter ſe partiuntur. * AVENTIN. *Annal. Boic. Lib. VII.*

* Idem olim factum apud Wiſigothos, ceu patet ex eorum LEGE *Lib. X. Tit. I.* §. 17. itemque apud Alamannos, teſte charta vetere apud GOLDASTVM *Tom. II. Script. Rer. Alam. chart. II.* vbi id ius ex lege Alamannica deriuatur, quum huiuſmodi caput in ea lege Alamannica, quae hodie ſupereſt, nuſquam occurrat, adeoque vel de conſuetudine Alamannorum loquatur chartae iſtius auctor, vel legem hanc olim pluribus, quam hodie exſtant, capitibus conſtitiſſe oporteat.

§. XXXI.

aut fiunt per captiuitatem.

Quumque in bello captos omnia ſibi licere putarent Germani: non mirum eſt, eoſdem et corpora eorum ſibi obnoxia feciſſe, eoſque aliarum gentium exemplo redegiſſe in ſeruitutem. Eo ſane iure maiores noſtri vſi ſunt, non modo aduerſus extraneos, veluti Romanos, SENECA *Epiſt.* XXVII. TACIT. *Annal.* XII, 26. Gallos, MAMERTIN. *in Panegyr. cap.* 4. Slauos et Venedos, HELMOLD. *Chron. Slau. Lib.* I. *cap.* 66. ſed et ipſos Germanos. Quod, vt alia exempla hic praetermittamus, ſatis probant fata Saxonum, a Francis oppreſſorum, in ANNAL. FVLD. *ad ann.* 794.

§. XXXII.

Quae captiuorum ſeruitus hodie ſublata.

At paullatim ab vſu receſſit haec bello captorum ſeruitus, et, teſte IO. SELDENO *de Mari clauſo Lib.* I. *cap.* 26. *Chriſtianae caritatis cauſſa exoleſcere coepit ante aliquot ſaecula.* Idque

que voluiſſe arbitror Io. Bodinvm, dum *Lib.* I. *de Rep. cap.* 5. medio ſaeculo decimo tertio omnem inter Chriſtianos ſeruitutem ſublatam eſſe, ſcripſit. De ſeruitute enim bello captorum id veriſſimum eſt. Sin de ſeruitute generatim accipias, nihil illa obſeruatione erit abſurdius. *

* Et tamen eam certatim amplexi ſunt ICti doctiſſimi, veluti Gvdelin. *de Iure Nouiſſ. Lib. I. cap.* 4. Stamm. *de Seru. Perſon. Lib. I. tit.* 1. *cap.* 2. Stryk. *Vſ. hodiern. Pandect. tit. de ſtatu hom.*

§. XXXIII.

Permiſſa captorum redemtione vel permutatione.

Itaque hodie, exſoluto lytro, redimuntur bello capti, vel permutantur cum aliis, ab altera parte captis. Hert. *de Lytro Sect.* II. Turcas tamen alioſque infideles bello captos iure retorſionis detrudi nouimus in ſeruitutem, ſed talem profecto, qualem neſcio an permulti homines ingenui ſibi eſſent gratulaturi, ſi eorum res ageretur arbitrio.

§. XXXIIII.

Apud Germanos vnuſquiſque ſe alteri mancipare poteſt in ſeruitutem.

Quamuis porro libertas apud Romanos adeo non eſſe videretur in commercio, vt et maiori viginti annis, qui ſe venumdari paſſus eſſet, liceret ad libertatem proclamare, dum ne id pretii participandi cauſſa feciſſet: *l.* 1. *pr. ff. quib. ad libert. procl. non lic.* aliter tamen philoſophati ſunt Germani, qui vnicuique ius eſſe putarunt, corpus ſuum alteri addicere in ſeruitutem, * adeo, vt et, qui in aleae luſu libertatem extremo iactu perdiderant, victori ſe dederent vltro, neque ſalua fide ad libertatem poſſent proclamare. Tacit. *de Mor. Germ. cap.* 24.

* Quod etiam ex alio loco Taciti *Annal.* IIII. 72. probari poteſt, vbi Friſii, tributis exhauſti, conſumtis facultatibus, ſe ipſos Romanis in ſeruitutem addixiſſe perhibentur. Manſit hoc principium et ſub Francis, non modo apud Friſios, ceu patet ex eorum Lege *tit.* 2. §. 1. verum etiam apud Baiuarios. Vid. Lex Baivv. *tit.* 5. §. 6. Quin et poſtea idem iuris Germanici principium inculcat Ivs Prov. Sax. *Lib. III. art.* 32.

§. XXXV.

Fiunt etiam ſerui per addictionem expreſſam.

Quum itaque in ſeruitutem ſeſe alteri mancipare vnusquiſque poſſit: (§. 34.) et olim ſaepe contigit, et hodie contingit, frequenter, (1. vt quis expreſſa conuentione ſe alteri obnoxium faciat, et quidem cum tota familia: * *Wann ein loſgelaſſener Vntertban ſich durch gevviſſen Vertrag bey einer andern Herrſchafft nebſt ſeinen Kindern, ſo viel er derſelben zur Zeit des Ver-*

Vertrags vnter våterlicher Gevvalt hat, vnd von ihm durch Haltung eigen Feuer vnd Rauchs nicht geſondert ſind, andervveitig vnterthänig vnd dienſt pflichtig machet. ORD. SVBD. LVSAT. *Art.* II. MEV. *von dem Zuſtand. vnd Abford. der Bauren. qu.* I. *n.* 46. *ſequ.*

* Id medio aeuo ſaepe faciebant homines etiam opulentiſſimi, qui ſe vna cum familiis ſuis ex ſingulari pietate vltro offerebant vel mancipabant eccleſiis. Id vero eo ritu fiebat, vt collum inuoluerent laqueo, quo campana trahebatur, vel altari caput cum brachiis, et quatuor denarios, imponerent. Exempla habes apud MABILLON. *de re dipl. Lib. VI. n.* 4. AVB. MIR. *Lib. II. Donat. Belg. cap.* 17. CAR. DV FRESNE *Gloſſar. Lat. voce Oblati p.* 18. POTGIESER. de *Statu et Condit. Seru. Lib.* I. *cap.* 3. §. 47. *ſequ.*

§. XXXVI.

Praeterea inde colligebant (2. tacite quoque eum eamue ſe in ſeruitutem addixiſſe videri, qui alterius ancillam ſibi matrimonio iunxerit, vel quae alterius ſeruo nupſerit, niſi libertatem redemerit is eaue, qui quaeue ſeruitutem adhuc ſeruiuiſſet. LEX BAIVVAR. *Tit. VI. cap.* 1. *§.* 3. MEV. *ibid. qu. II. n.* 160. VADIAN. *de monaſter. apud* GOLDAST. *Tom. III. Script. rer. Alam. p.* 141. OTTO *von der Leibeigenſchafft Part. II. p.* 31. (3. Nec minus pro addictione tacita haberi putabant commorationem in eiuſmodi loco, vbi aër ſeruos reddere dicitur. HERT. *de hom. propr. Sect. III. §.* 3. *et Paroem. Iur. Lib. II. paroem.* 12. *p.* 608.

Nec non per tacitam, veluti per matrimonium et habitationem.

§. XXXVII.

Quin (4. quum olim aliquando ob delictum ſeruitutem adirent liberi homines, qui poenam, vel litis aeſtimationem ferre non poterant: MARCVLF. *Formul. Lib. II. cap.* 36. *et* 58. LEX BAIVVAR. *Tit. VI. cap.* 2. §. 2. nec minus (5. obaerati creditoribus in ſeruitutem addicerentur, ſi ſoluendo non eſſent: IVS PROV. SAX. *Lib. III. Art.* 39. WEICHBILD. *Art.* 27. COLER. *de Proceſſ. exſequut. Part. I. cap. III. n.* 114. *et* 140. prioris rigoris hodie exemplum vix reperies: poſterior placuit Lubecenſibus. Vid. IVS LVBEC. *Lib. I. Art.* 3. *Tit.* 1. et ibi MEV. et HVSAN. *de Homin. propr. cap.* 9. *n.* 30. vbi et ſententia eius generis condemnatoria occurrit.

Itemque in poenam et ob aes alienum.

§. XXXVIII.

Quamuis vero et olim, et hodie, varia ſint ſeruorum hominumque propriorum genera, * et eorum quoque non eadem omnium

Seruorum in Germania conditio.

omnium conditio ſit: ſunt tamen quaedam, quae tantum non omnibus videntur communia, quae ex ipſa ſeruitutis Germanicae natura, recenſitisque de ea axiomatibus, (§. 29.) manifeſto fluunt, iamque erunt paullo accuratius explicanda.

* Sic a gente alii ALBANI vel ALBINI, vnde et *ius albinagii*, *le droit d' aubaine*. HERT. *de hom. propr. Sect. I.* §. 1. alii SAXONES, BROWER *Antiqu. Fuld. cap.* 11. alii SCLAVI, alii SMVRDI dicebantur. SCHILT. *Exerc. III.* §. 1. *p.* 50. Paſſim quoque in diplomatibus aliiſque monimentis occurrunt ALDIONES, BORDARII, BVBII (*Buben*,) CASATI, (vnde noſtri *coſsätea*,) GASINDI, (vnde noſtrum *Geſinde*,) HOMINES PROPRII, SERVI HVBARVM, (TRAD. FVLD. *Lib. II. n.* 72. *p.* 576.) LASSI, LITI, (inde Germanicum *Lied-Sohn*, a quo fruſtra alii *Litos* dictos exiſtimant. vid. HACHENB. *Germ. Med. Diſſ. II.* §. 15. *p.* 29.) MALMANNI, MANSIONARII, MASSARII, ORIGINARII, VILLANI, MANVS MORTVAE, CONDITIONARII (IVO CARN. *Epiſt. CXXXXVIII. can.* 52. *Diſt.* 53.) ACCOLABI, SERVI GLEBAE, COLONI, SERVITORES, TRIBVTARII, (BROWER. *ibid.*) de quibus pleriſque ordine alphabetico agunt POTGIES. (*de ſtatu et condit. ſeru. cap.* 3. et HACHENB. *Germ. med. Diſſ. II.* §. 15. *ſequ.* Sed et hodie notae ſunt diuerſae denominationes hominum ſeruilis conditionis. Vocantur enim alii generatim *eigenbehörige*, *eigene Leute*, *Vnterhanen*, alii *Coſſ-Leute*, FELTM. *de iure in re et ad rem cap.* 6. §. 32. alii *Laſſen*, alii *Curmeden* vel *curmedige*, alii *Inſtmannen*, alii *Halbeigene*, HERT. *Sect. II.* §. 2. alii *Wildfänge*, HACHENB. *Germ. med. Diſſ. II.* §. 17. Inprimis vero ratione dominorum alii erant ſerui FISCALINI, qui fiſco regis ſeruiebant, medio aeuo dicti *Königs-Leute*, alii ECCLESIASTICI, qui plerumque ab aliquo caelite vel templo nomina ſortiebantur, dicti *S. Peters-Leute*, *S. Martins-Mannen*, *H. Creutz-Leute*: alii PRIVATORVM. HACHENB. *ibid.* §. 17.

§. XXXVIIII.

Homines proprii adſcriptitiae conditionis ſunt.

Quum enim dominis, quod ad corpus attinet, ſint obnoxii: (§. 29. 1.) ſequitur, (1. vt ſint adſcriptitiae conditionis, adeoque, (2. ſi fuga eos abſtulerit, poſſint a dominis vindicari: MEV. *vom Zuſt. vnd Abford. der Bauren*, quod olim vocabatur *das Beſetzen*, *Beſatzungs-Recht*, *Sazz-Recht*. DATT. *de pace publ. Lib. I. cap.* 14. *n.* 119. HERT. *Sect. III.* §. 10. (3. Vt nec in collegia opificum admittantur, GAIL. *de Arreſt. imp. cap.* 8. *n.* 29. HADR. BEIER. *Tiron. cap.* 5. §. 1. nec (4 in ipſas vrbes, * *Diploma Ioannis Com. Cliu. ann.* 1348. apud DITHM. *Cod. Dipl. ad Teſchenmach. num.* 23. *p.* 14. SIGISM. Imp. apud GOLDAST. *Tom.* I. *Conſt. p.* 167. adeoque veriſſima ſit paroemia vetus: *Keinne Henne fleugt vber die Mauren.* HERT. *Paroem. Iur. Lib.* II. *paroem.* XI. *p.* 607. quamuis multae

tae ciuitates id priuilegium obtinuerint, vt homines proprii, qui vertente anno ibi bona fide in libertate commorati fuerant, ſe aduerſus dominos annali vel decennali praeſcriptione tuerentur. * Vid. *Diſſertat. noſtr. de praeſcript. annal. iur. Lubec.* §. 9. *ſequ.*

* Memorat B. frater, Io. MICH. HEINECCIVS *in Antiqu. Goſl. Lib. II. pag.* 221. codicem cereum, in curia Goſlarienſi ſuperſtitem, in quo longa ſeries hominum propriorum, a vicinis vindicatorum. Eius principium tale eſt: *Dat ſint, de man var eghene Lude var dem Rade beklaget heſt. Conrat von Geynſen, den heſt de Domprouiſt van Hildenſ. beklaget. Direken van Leuede, den eſchet de Abet van Buerſuelde vn de van der Leuenborch. cet.*

** At quum ſic diffugerent homines proprii: non modo de priuilegiis contra iſtam vrbium libertatem ſolliciti erant domini, DATT. *ibid. n.* 73. ſed et ſaepe mancipia iſta ab vrbibus ferro ac flammis repetebant. HERT. *de hom. propr. Sect. III.* §. 10. Denique mos inualuit, vt extraneis plane non pateret aditus ad iura ciuitatum, niſi offerrent teſtimonia ingenuorum natalium, vulgo *das Mannrecht, oder den Geburts-Brieff.* HERT. *ibid.* KNIPSCHILD *de priuil. ciuit. imper. Lib. II. cap.* 8. *n.* 150.

§. XXXX.

A domini libere alienantur.

Ex eodem principio conſequitur (5. vt homines proprii et ſoli, et cum familiis, et vna cum praediis, quin et cum peculio ſuo, vel, vti ſaepe in TRADIT. FVLD. *Lib.* I. apud PISTORIVM legas, *cum omni ſupellectile et ſumtu* recte alienentur. BOEHM. *de iur. et ſtatu hom. propr. a ſeruis Germ. non Rom. deriu. Sect.* III. §. 11. MEV. *vom Zuſtand und Abford. der Bauren, Quaeſt.* II. *n.* 9. *et Deciſ. Part.* III. *Dec.* VIII. Quamuis, ſi ſine praediis alienantur, ipſique iuſtas refragandi cauſſas adlegant, omnino ſint audiendi. BOEHM. *ibid.* Vt iam olim Germani receperint legem Romanorum, quae mancipium Chriſtianum Iudaeo vel pagano tradi prohibet. *l.* 1. *C. ne Chriſtian. mancip. haeret. vel Iud.* CAPITVL. *Lib.* VI. §. 318. *edit. Lindenbr.*

§. XXXXI.

Quae dominis in eos iurisdictio competat?

Ob eamdem cauſſam (6. non iniquum viſum eſt Germanis, dominis eſſe ius componendi ſeruorum controuerſias, ipſosque (7. coercendi, ſi fraena mordeant, * quin et (8. animaduertendi in facinoroſos. Quamuis, quum ſaepe contingeret, quod iam obſeruarat TACIT. *de Morib. German. cap.* 25. vt domini miſera eiusmodi mancipia *occiderent, non diſciplina et ſeueritate, ſed impetu et ira, vt inimicos*: id impune fieri non pateretur ſecta inſequentium temporum. Quapropter (9. non modo paulatim

latim cauſſae cognitio iniungi coepit dominis, atque inde (10. nata eſt IVRISDICTIO PATRIMONIALIS nobilium: (Vid. *Diſſert. noſtr. de orig. atque indole iurisdict. patrim.*) verum etiam (11. legibus imperii coercita eſt dominorum ſaeuitia, modica illis coercitione relicta. REC. IMP. *ann.* 1155. §. 54.

* Omnia haec iura non ex iuriſdictione aliqua eſſe, ſed ex poteſtate herili, vel inde patet, quod hoc ius coercendi immorigeros aliquando competit etiam in homines proprios, alterius ſubiectos iuriſdictioni, dominiſque negantes obſequium: quod vocant *den Bauren-Zwang.* Vid. HERM. ADMEINDERS *de iuriſdict. colon. praediar. et inferiore p.* 61. *ſequ.*

§. XXXXII.

Serui vel homines proprii dominis debent cenſus,

Quumque praecipua ſeruorum obligatio et in cenſu conſiſtat: (§. 29. 2.) eo referendae ſunt (12. variae, praeſtationes perſonales, aeque ac patrimoniales, veluti *cenſus capitis*, *Korn-Pâchte*, *Geld-Zinſen*, *Zinſs-Hûner*, *Leib-Hûner*, *Oſter-Eyer*, *Martins-Gânſſe*, *Pfingſt-Kâſe*, *Vieh-Fleiſch-vnd Frucht-Zehenden*, et ſimiles. * Et inde vere praediorum cenſiticorum origo repetenda eſt. ZIEGL. *Diſſ. de praediis cenſit. rural.* §. 20. Denique (13. tam amare hi cenſus exigebantur a ruſticis, vt ob moram duplicarentur quotidie. IVS PROV. SAX. *Lib.* I. *Art.* 54. Inde paſſim adhuc in vſu ſunt *cenſus promobiles*, vti vocantur a doctoribus, *die Rutſcher-Zinſen*, *vel die Meygaſſen*-vel *Meyborgen-Zinſen.* SCHOTTEL. *de ſingul. iur. German. cap.* 19. *theſ.* 6. BEYER. *Spec. Iur. Germ. Lib.* I. *cap.* 6. §. 8. *ſequ.* CARPZ. *Part.* II. *Conſt.* XXXVIII. *def.* 25.

* Iam TACITVS *cap.* 25. *Frumenti modum dominus, aut pecudis, aut veſtis, vt colono iniungit.* Et ſane medio etiam aeuo exſtant cenſus, in veſte conſiſtentis, exempla. In diplomate enim Ottonis M. Imp. apud SAGITTAR. *Antiqu. Magdeb.* §. 45. familiae quaedam ſeruiles eccleſiae S. Mauritii *ſingulis annis vnum cauallum, ſcutumque et lanceam, et duas* CRVSINAS *dare iubentur, vt ſciant, in mundiburdio regis ſe eſſe.* Vbi CRVSINAS eſſe pallii ſeu veſtis genus, fortaſſis *eine krauſſe*, obſeruat SAGITTAR. *ibid. p.* 15.

§. XXXXIII.

et operas.

Sed et ad operas iidem obſtricti ſunt iure Germanico. (§. 29. 2.) Hinc (14. praeſtant angarias et parangarias, *Spann-und Hand-Dienſte*, quarum varias ſpecies recenſet BEYER. *Specim. Iur. Germ. Lib. I. cap.* 5. §. 4. *ſequ.* Et hae quidem operae (15. regulariter indefinitae ſunt, taleſque olim erant etiam ratione temporis *: (16. hodie tamen, ſi nullam aequitatis rationem

habeant

habeant domini, ex aequo et bono definiuntur. BARTH. *Sent. Camer. P. V. ad ann.* 1575. STRVV. *Exerc. III.* 24. SCHVLZ. *Synopſ. Inſtit. pag.* 60. CARPZOV. *Lib. I. Reſp. LIIII.*

* Apud eumdem enim SAGITTAR. *Antiqu. Magdeb.* §. 89. pag. 41. Otto M. anno 966. eccleſiae Magdeburgenſi donat monaſterium *Hagenmünſter, cum omnibus ad id iure pertinentibus, eccleſiis, territoriis, aedificiis, areis, poſſeſſis et poſſidendis, ſeruis regiis, ſeruis cenſualibus,* SERVIS COTTIDIE SERVIENTIBVS. cetera.

§. XXXXIIII.

Quum porro ex praediis ac facultatibus dominorum alimenta capiant ipſi et familia eorum: (§. 29. 3.) collegerunt inde maiores, (17. homines proprios, quod ſibi comparſerint ex praediorum cultura, tamquam peculium habere, ac (18. de iis et contrahere, et (19. teſtari poſſe, modo id non faciant in domini fraudem, vel de fundo et inſtrumento diſponant. STRYK. *Vſ. hod. Lib. I. tit.* 5. §. 7. 8. Attamen ne id quidem ſeruis concedi in Pomerania et terris Meklenburgicis, obſeruat LAVTERBACH. *Colleg. Theoret. practic. tit. qui teſt. fac. poſſ.* §. 25.

Quatenus illis competat ius contractuum et teſtamenti factionis?

§. XXXXV.

At ex eodem conſequi videbatur, (20. vt, quia cauſſa, cur ex praedio aliquid ſibi adquirere poſſint, mortuo colono ceſſat, (ſiquidem tunc non amplius ferunt onus alendae familiae:) ex peculio illo e re domini adquiſito merito praecipuum ſibi vindicet dominus, BOEHMER *de ſtatu et cond. hom. propr. Sect. III.* §. 17. *pag.* 62. ac proinde (21. illi debeatur *ius mortuarii*, (*das Budtheil, der Todtenfall, das Geläſs, Baulebungs-Recht, die todte Hand* *; idque modo in tota hereditate conſiſtat, ſi liberi non exſtent, vel elocati ſint, vti in Alamannia: HARPRECHT. *de iure Mortuar. cap.* 4. §. 6. modo (22. in parte dimidia, veluti in Weſtphalia, vbi diuiſio fit hereditatis *bis zur Aſche auf dem Herdte, vnd bis zum Löffel auf dem Korbe.* FRIDER. MINDAN. *de Mandat. Lib. II. cap.* 67. POTGIES. *de ſtat. et cond. ſeru. Lib. II. cap.* 2. §. 13. modo (23. in triente, veluti in Heluetia. STVMPF. *Chron. Helu. IV.* 27. modo (24. in optimo capite, vel optimis exuuiis, (*dem beſten Haupt, oder dem Haupt-Fall, dem Gewandt-Fall, Weydmahl* vel *Wadmahl,*) HERT. *de Hom. propr. Sect.* 3. §. 9. WEHNER. *Obſ. pract. voce Leibeigen.* modo denique (25. in eo, quod ſibi dominus,

Domino debetur praecipuum ex hereditate?

minus, pro iure optionis, tamquam ἐξαίρετον elegerit, quod ius ſpeciatim vocatur CVRMEDICVM. Ill. a LVDWIG. *de iuribus feudo vicinis.* HERT. *ibid.*

* Vocabuli originem vulgo arceſſunt a fabula, quaſi dominus, ſi nihil eſſet in rebus ſerui, quod ſibi vindicare poſſet, manum vel dextram, vel vtramque, a reliquo cadauere abſciderit, ſibique ſeruarit. Primus, vti videtur, hanc fabulam narrauit auctor CHRONICI MAGNI BELGICI ad ann. 1123. vnde eam hauſit LEHMANN. *Chron. Spirenſ. Lib. IIII. cap.* 22. et Io. MOLAN. *de Canonicis Lib. III. cap.* 35. Sed ego ideo *manum mortuam* vel *mortimanum* dictum fuiſſe hoc ius arbitror, quod vbi ius mortuarii obtinet, ibi eatenus teſtandi ius ademtum eſt hominibus propriis. POTGIESER *Lib. II. cap.* 2. §. 14. Eiuſmodi enim ſeruos glebae, quibus de bonis ſuis teſtamento cauere fas non eſſet, vocatos eſſe manus mortuas, (*gens de main morte*) obſeruat CAR. DV FRESNE *Gloſſar. Lat. voce Manus mortuae p.* 425.

§. XXXXVI.

Nec ſine eius conſenſu recte a ſeruo contrahuntur nuptiae.

Denique quum domino ſeruum eiuſque familiam e praedio et rebus ſuis alendi incumbat neceſſitas: (§. 29. 3.) (26. non abſurdum olim viſum eſt Germanis, ſine domini conſenſu nuptias adfectare non poſſe ſeruum vel hominem proprium, pro eoque conſenſu (27. tunc ſoluere certam pecuniae ſummam, quam Scoti *marchetam* vel *merchetam*, (CAR. DV FRESNE *Gloſſar. Lat. p.* 449.) alii *maritagium* vocabant *: IDEM *ibid. p.* 463. eiuſdemque originis (28. eſſe morem Germaniae, quo ruſtici redimere tenentur indulgentiam matrimonii, quam vocant *die Bedemuth*, vel *Bauermiethe*, SPEC. SAX. *Lib. III. Art.* 73. nec non (29. ius domini, re adhuc integra dirimendi ſponſalia, ſe inſcio contracta. MEV. *vom Zuſtand und Abford. der Bauren. Quaeſt. II. n.* 160. STEINMEIER. *de iure propriet. p.* 25. BOEHM. *Diſſert. cit. Sect.* 3. §. 9.

* Inde ego κατ' ἀναλογίαν iuris Germanici rectius mihi videor arceſſere huius marchetae vel maritagii origines, quam a turpi illa conſuetudine, qua domini Scoti ſibi vindicaſſe dicuntur ius primae noctis. BVCHANAN. *Rer. Scotic. Lib. III. Reg.* 16. *p.* 109. POLYD. VERGIL. *Rer. Anglic. Lib. I. cap.* 10. HACHENB. *German. med. Diſſ.* 5. §. 12. Vix enim credibile eſt, eodem ſe probro polluiſſe maiores noſtros, qui ſepta pudicitia egerunt. Et quid coniecturis opus eſt, quum ſatis conſtet, veteres Germanos eorum omnium conſenſum exegiſſe in nuptiis, quibus aliqua erat in ſponſos poteſtas? Demonſtrauit hoc vir illuſtris, Io. PETR. A LVDEWIG. *in Diſſ. de conſenſu connub. extra parent.*

§. XXXXVII.

Errores vulgares

Ex quibus omnibus iam ſatis patet, (30. abſurde pleroſque negare, Germanis eſſe ſeruos, multoque abſurdius (31. homines

Digitized by Google

mines proprios ab iis ſeruili conditione eximi. STRYK. *Vſ. mod. Lib. I. tit. 5. §. 5. ſeq.* HOPP. *Comment. ad Inſtit. p. 46. et p.* 141. immo (32. fieri non poſſe, quin intelligendo faciant, vt intelligamus nihil, qui ſtatum hominum propriorum vel cum HAHNIO, DONELLO, BONACOSSA, LAVTERBACHIO, ex conditione ſeruorum Romanorum, vel cum STAMMIO, HVSANO, et ERHARDO, ex ſtatu colonorum adſcriptitiorum, vel denique cum SICHARDO, MEVIO, BRVNNEMANNO, ex iuribus et conditione libertinorum explicandum exiſtimant. In quem iura diuerſiſſima miſcendi morem, ICtis olim familiariſſimum, grauiter inuecti ſunt viri docti, in primis BOEHMER. noſter *Diſſert. de iure et ſtatu hom. propr. Sect. II.* et, qui ipſe ab hoc morbo non omnino immunis eſt, DAV. MEV. *von dem Zuſtand vnd Abford. der Bauren. Quaeſt. I. n.* 2. de ſtatu hominum propriorum.

TIT. II.

DE STATV LIBERTINORVM, SEV RVSTICORVM NON ADSCRIPTITIORVM.

§. XXXXVIII.

PRoximi ſeruis ſeu hominibus propriis in Germania ſunt LIBERTINI, id eſt, ex iuſta ſeruitute manumiſſi, (§. 27.) quorum ſtatus hodie conſpicitur in ruſticis et colonis Germaniae, quotquot eorum non ſunt adſcriptitiae conditionis, qui in plerisque Germaniae prouinciis * frequentiores hodie ſunt, quam homines proprii. Quid libertini?

* Rigidioris ſeruitutis veſtigia in iis potiſſimum locis ſuperſunt, quae olim coluerunt vel Slaui et Venedi, vel aliae gentes, dira victoria perdomitae. Et hinc olim ſeruis vel maxime adfluebat Alamannia. VADIAN. *de colleg. et monaſt. Germ. ap.* GOLDAST. *Rer. Alam. Tom. III. p.* 56. Et hodie plenae propriis hominibus ſunt Weſtphalia, Pomerania, Holſatia, ducatus Meklenburgicus, Luſacia, Sileſia, Bohemia, Morauia. In reliquis Germaniae prouinciis paullo rariores ſunt homines adſcriptitiae conditionis, adeoque illi fere vbique ad libertatem adſpiraſſe per manumiſſionem videntur.

§. XXXXVIIII.

Modi manumittendi apud Germanos.

An temporibus antiquiſſimis ſollemni manumiſſionis ritu liberi eſſe iuſſi ſint ſerui, nos hodie ſcimus cum ignariſſimis. Id vero conſtat, medio aeuo Germanos et Romanorum ritus manumittendi praecipuos ſuos feciſſe, et quoſdam praeterea habuiſſe γνησίως Germanicos, et Romanis ignotos. Itaque eos recte in COMMVNES et PROPRIOS diſpeſcere nobis videmur.

§. L.

Ii vel communes illis cum Romanis.

Ita communes Germanis cum Romanis erant manumiſſiones IN SACROSANCTIS ECCLESIIS, vel, vti in LEGE LANGOBARDICA *Lib. II. tit.* 18. §. 3. vocatur, CIRCA ALTARE, quae ſimul requirebant tabulas, a quibus hi libertini TABVLARII dicebantur. Exempla ſuperſunt in MARCVLFI *Adpend. cap.* 56. formulis SIRMONDICIS *cap.* 12. GVIL. FORNER. *Selećt. Lib. I. cap.* 4. Communis quoque manumiſſio PER TESTAMENTVM, cuius exempla ſuppeditabunt ſupremae tabulae S. Remigii, apud CHIFFLET. *de ampulla Remenſ. cap.* 3. *p.* 9. Euerardi Comitis apud MIRAEVM *Cod. donat. piar. cap.* 15. aliaeque plures paſſim obuiae. Communis denique manumiſſio PER EPISTOLAM, * cuius monimentum apud MARCVLF. *Lib. I. Formul.* 39.

* Ab hac diuerſam fuiſſe manumiſſionem PER CHARTAM, exiſtimat POTGIESER, dum de hac *Lib. III. cap.* 9. *ſequ.* de illa *cap.* 12. agit. Sed inter has ego quidem nihil video diſcriminis, et manifeſtum eſt, has omnes manumiſſiones eſſe a Romanis, quamuis ea, quae fiebat in ſacroſanctis eccleſiis; κατ' ἐξοχὴν *manumiſſio ſecundum legem Romanam* diceretur. Ceterum omnibus fere reliquis manumiſſionibus chartae accedebant; ceu monimenta vetera teſtantur.

§. LI.

Vel proprii, veluti per denarium.

Contra et quaelibet fere gens Germanica proprium ac peculiarem habebat manumittendi ritum. Ex legibus enim Francorum ſeruus manumittebatur, praeſente rege, EXCVSSO e manu eius DENARIO. LEX RIPVAR. *tit.* 57. §. 1. *tit.* 58. *tit.* 62. §. 2. Quae dicebatur MANVMISSIO EX LEGE SALICA, SECVNDVM LEGEM FRANCORVM, PER DENARIVM, (vid. Diploma Zuentepoldi Reg. apud HEDAM *Epiſc. Vltrai. p.* 70.) quemadmodum et manumiſſi HOMINES DENARIALES vocabantur. LEX RIPVAR. *tit.* 62. §. 2. Chartae ſuper huiusmodi manumiſſione ſcriptae, quae et *praecepta* DENARIALIA, exſtant apud BALVZ. *Capitul. Tom. II. p.* 905. MELCH. GOLDAST. *Tom. III. Conſt. Imp. n.* 1. HEDAM. *ibid. p.* 70.

§. LII.

§. LII.

Iidem Franci aliquando manumittebant per PORTAS PATENTES, ita, vt liberto, portis apertis, facultatem darent, quo vellet, migrandi. LEG. RIPVAR. *tit.* 61. §. 1. GOLDAST. *Chart. VII. Tom. II. Part. I. Script. rer. Alamann.* Langobardi ſeruum primum alteri tradebant, qui eumdem tertio, et hic, intercedentibus teſtibus, traderet quarto, * illum dimiſſuro in quadriuio, verbis: DE QVATVOR VIIS, VBI VOLVERIS AMBVLARE, LIBERAM HABEAS POTESTATEM. LEX LANGOB. *Lib. III. cap.* 4. §. 1.

Itemque per portas patentes, quatuor vias, et quartam manum.

* Ne Francis quidem ignota erat haec manumiſſio, quamuis ex LEGE RIPVAR. *tit.* 58. §. 8. is ritus adhiberetur, *ſi quis tabularium facere vellet ex ſeruo alieno.* Nam tunc manumittendus, *ſi Romanus eſſet, per ſeptem; ſin Francus, per quatuordecim noctes de manu in manum ambulare* debebat, totieſque vendi, *vſque dum ad eam manum veniret, quae eum ingenuum dimiſerit.* CAPITVLARI vero *Aquiſgranenſi anni* 813. *cap.* 10. cautum fuerat, vt ſeruus in loco, qui dicitur *Sanctum*, manu duodecima manumitteretur. Quae manumiſſio fieri dicebatur PER HANTRADAM. BALVZ. *T. I. Capit. p.* 511. *ſequ.*

§. LIII.

Iiſdem Langobardis propria erat manumiſſio PER IMPANS ſeu MANVM vel VOTVM REGIS, qua dominus ſeruum ſuum regi ea lege cedebat, vt hic eum *per manum ſacerdotis circa altare* manumitteret. LEX LANGOB. *Lib. II. tit.* 34. §. 1. Manumiſſionis PER SAGITTAM, iiſdem Langobardis ſollemnis, meminit PAVLLVS WARNEFR. *de geſtis Langob. Lib. I. cap.* 13. Sed qualis fuerit iſte ritus, non ſatis conſtat, quamuis veroſimile ſit, quod ſuſpicatur POTGIES. *de ſtat. et cond. ſeru. Lib. III. cap.* 7. §. 1. traditionem armorum vel ideo viſam eſſe libertatis ſymbolum, quod hominibus duntaxat liberis fas eſſet, incedere armatis.

Denique per impans et per ſagittam.

§. LIIII.

Quemadmodum vero apud Romanos multum referebat, quo quis ritu eſſet manumiſſus, quandoquidem ſollemniter manumiſſi per teſtamentum, vel per vindictam, vel in ſacroſanctis eccleſiis, plenae libertatis ipſiuſque ciuitatis Romanae fiebant participes, quum, adhibitis ritibus minus ſollemnibus, libertini Latinorum tantum coloniariorum iura conſequerentur; VLPIAN. *tit.* 1. §. 10. CAI. *Inſtit. Lib. I. tit.* 1. §. 2. ita pro diuerſita-

Horum rituum effectus.

te

te rituum, manumiſſionis apud Germanos quoque diuerſos admodum effectus medio aeuo fuiſſe, comperio.

§. LV.

Quibusdam ritibus manumiſſi plenam; quibusdam minus plenam libertatem conſequebantur.

Manumiſſi IN SACROSANCTIS ECCLESIIS aeque liberi, ac ab omnibus ſeruitiis immunes erant, ac ſi ab ingenuis parentibus eſſent procreati. *Formula apud* GVIL. FORNER. *Select. l.* 4. ADPEND. MARCVLFI *cap.* 56. FORM. SIRMOND. *cap.* 12. Idemque dicendum de manumiſſis apud Francos PER DENARIVM; BALVZ. *Capitular. Tom. II. p.* 905. apud Langobardos per QVARTAM MANVM, vel PORTAS PATENTES, vel per IMPANS, quippe *qui fiebant fulvreal*, (*vollſrey*) *et a dominis extranei*, *id eſt*, *amond.* * LEX LANGOB. *Lib. II. tit.* 34. §. 1. *et* §. 3. Reliquis modis, in primis per CHARTAM vel EPISTOLAM, manumiſſi non plenam ſemper libertatem, et aliquando vix vmbram libertatis, conſequebantur.

* *Tabularii*, vel in ſacroſanctis eccleſiis manumiſſi, erant in tuitione eccleſiae; LEX RIPVAR. *tit.* 58. §. 13. quae etiam iis ſuccedebat, ſi ſine liberis deceſſiſſent, *ibid.* §. 4. et occiſorum pretium capiebat. BALVZ. *Capitul. Tom. II. p.* 947. Denariales contra erant in tutela vel defenſione Regis, et orbi fiſcum heredem ſortiebantur. LEX RIPVAR. *tit.* 57. §. 4. quod ius et apud Langobardos Rex ſibi vindicabat in bonis manumiſſorum *per quartam manum*. LEX LANGOB. *Lib. II. tit.* 34. §. 1.

§. LVI.

Hodie modi illi manumittendi, eorumque effecta ceſſant.

Quum vero iam olim, TACITI temporibus, liberti non multum ſupra ſeruos eſſent, (§. 27.) et Germani religioſiſſime plerumque maiorum mores ſeruarent; (§. 6.) illis ſane non admodum placere potuit plena illa libertinorum libertas. Eoque factum eſt, (1. vt illam paullatim in deſuetudinem abire paterentur, et hinc (2. ex tot manumittendi ritibus vix vllum hodie agnoſcant poſteri, praeter illum, quo ſerui PER EPISTOLAM, vel CHARTAM, libertate donantur. HERT. *de hom. propr. Sect.* 3. §. 11. STRVV. *Exerc. XXXX.* §. 75.

§. LVII.

Axioma de libertinorum ſtatu.

Nimirum aut *caſati* erant ſerui, aut *gaſindi* vel *miniſteriales*. (§. 28. *) Poſteriores, accepta aeſtimatione, (*gegen billigmäſsigen Abtrag der Leibeigenſchaft*) facile abire patiuntur domini, quo libet. Priores, ſi in praediis manere velint, *manumiſſi*, *non multum ſupra ſeruos ſunt*, adeoque tenendum eſt axioma: Manumiſſione ruſtici id tantum conſequuntur, vt non amplius

plius adſcriptitiae ſint conditionis: quod ad reliqua attinet, eorum ſtatus a ſeruorum vel hominum propriorum conditione parum differt. *

* Ex inſtituto nuper docuit ill. Boehmer. *in Diſſ. de imperfecta libertate ruſticorum per German.* §. 1. *libertatem hanc ruſticorum imperfectam eſſe, quod proxime ad ſeruitutis iugum accedat, et magis ſpeciem, quam verum libertatis vſum, habeat.* Quin aliquando manumittuntur ea lege, vt iam migrent, quo velint, iterum ſerituri, ſi redierint. Formulam huiuſmodi manumiſſionis habet Stamm. *Lib. III. cap.* 37. *n.* 13.

§. LVIII.

Ruſtici etiam libertini praeſtant operas et cenſum, aliquando et mortuarium.

Ex eo vero patet, (1. cur plerique hodie ruſtici ſint manumiſſi * ea lege, vt non multum ſupra ſeruos ſint, et hinc (2. aeque, ac homines proprii, debeant operas, angarias ac parangarias, quae in dubio indefinitae praeſumuntur; Dn. Boehm. *ibid.* §. 24. ita tamen, vt, niſi neceſſitas vrgeat, exigi nequeant noctu, nec diebus feriatis. Hvsan. *de hom. propr. cap.* 6. §. 98. Balthas. *de oper. ſubd. cap.* 3. Mvller. *Prax. March. Reſ.* 99. §. 79. itemque (3. cenſum praeſtent, quamuis in vtroque praeſtationis genere res ad antiquam conſuetudinem, vel pacta cum dominis inita, redeat: Balth. *de operis ſubd. cap.* 2. immo (4. aliquando etiam mortuarium. Potgies. *Lib. III. cap.* 11. §. 6.

* Dubitari poſſet, an in totis prouinciis ruſtici per manumiſſionem ad libertatem peruenerint? Sed aeque difficile eſt creditu, in totis prouinciis tacite et ſine manumiſſione, tot ruſticorum millia ad libertatem peruenire potuiſſe. Fuerunt ſane medio aeuo, qui ſiue pietate, ſiue aliis rationibus inducti, in totis pagis et territoriis homines proprios manumitterent. Exempla enim ſunt apud Leon. Ostiens. *Chron. Caſſin. Lib. I. cap.* 2. et 16. Potgies. *de ſtatu et cond. ſeru. Lib. III. cap.* 9. §. 3. et maxime apud Car. du Fresne *Gloſſ. Med. Lat. voce Manumiſſio p.* 414. *Tom. II.* Et manumiſſos in Germania operas, cenſum, aliaque ſeruitia praeſtare, non magis mirum eſt, quam Romae manumiſſos quondam dediticios fuiſſe, et a ſeruis multo minus, quam ruſticos noſtros ab hominibus propriis, diſcrepaſſe.

§. LVIIII.

Domino competit ius coercendi, et iurisdictio.

Ex eodem patet, (5. manumiſſionem illam non impedire, quo minus domini ruſticos ſuos coerceant carceribus, numellis, aliiſque poenis, eoſdemque (6. iis perinde, ac hominibus propriis, ius plerumque dicere, quamuis (7. herilis illa poteſtas iurisdictionis patrimonialis χῆμα iampridem induerit, *vid. Exercit. noſtr. de orig. ac ind. iuriſd. patrim.* et (8. ruſticis, durius a do-

Digitized by Google

minis habitis, quam par eſt, multo facilius ſubueniatur, quam hominibus propriis.

§. LX.

Praedia raro poſſident iure optimo maximo.

Nec aliunde eſt, (9. quod ruſtici, quantumcumque ſuam ſibi libertatem gratulentur, raro tamen praedia iure optimo maximo poſſident, ſed (10. plerumque vel ea precario tenent, vti *laſſi*, BERL. *Part. II. concl.* 48. et qui vocantur *Schillings-häüer*, vel ex condictione colonaria, quo pertinent *die Meyer*, *Landſiedler*, *Zinſs-Leute*, a quibus fere omnibus praeter cenſus exigi ſolent *Lehn-Waaren*, *Wein-Kauff-gelder*, *Willkommen*, *Auffarts-Gelder*, *Schreib-Schilling*, et ſimiles praeſtationes. FRANZK. *de laudem. cap.* 3. BEYER. *Spec. Iur. Germ. Lib. I. cap.* 23. quamuis (11. negandum non ſit, plura eius generis praedia per ICtorum errorem conuerſa eſſe in emphyteutica vel feudalia. * Luculenter de his omnibus egit illuſtr. A LVDEWIG *in Iure Clientelari.*

* Vidit hoc Iureconſultus eximius CASP. ZIEGLERVS, eiuſque confuſionis fontem in *Diſſ. de praediis cenſiticis ruralibus* egregie detexit. Melius maiores noſtri rem expenderunt, qui ſeruilis conditionis ſignum dixere laudemium, nota illa paroemia: *Die Henne trägt das Handlohn auf dem Schwantze.* HERT. *Tom. III. p.* 427.

§. LXI.

Non tamen ſunt adſcriptitiae conditionis.

At quum tamen adſcriptitiae conditionis eſſe deſierint: (§. 57.) facile patet, (12. ruſticos illos libertinos et in vrbes migrare, et, (13. ſi agris ſua conſtet cultura, nec colonorum inopia ſit, quaſuis artes ac opificia addiſcere, HADR. BEIER. *in Tiron. Opificiar. cap.* 5. §. 1. quin et (14. domicilium mutare poſſe, modo domino ſoluant vectigal, quod vocant *den Abzug*, vel *die Nachſteuer* *. BEYER. *Specim. Iur. Germ. Lib. I. cap.* 20.

* Vere hunc cenſum emigrationis deſcendere ex priſcae ſeruitutis Germanicae iure, recte ex eo demonſtrat BEYER. *ibid.* §. 5. quod equeſtris nobilitas ab eo onere ſemper immunis eſt habita, quum tamen municipes, quia et eorum fere ſeruilis origo eſt, (§. 24.) alicubi non minus ad exſoluendum hoc vectigal obſtricti ſint, ac ruſtici. MVLLER. *Pract. rer. for. reſol. XVI.* 9. *ſequ.*

§. LXII.

An gaudeant iu-

Denique ex eodem principio merito colligitur, (15. multo liberiorem his ruſticis facultatem competere, et teſtamentum conden-

Digitized by Google

dendi, et (16. contrahendi, et (17. nuptias faciendi, quam hominibus propriis, quamuis (18. non magis, quam homines proprii, teſtari poſſint in dominorum detrimentum, et (19. ſi de bonis immobilibus contrahant, id dominis inſciis fieri nequeat, et (20. ab iis, qui nuptias inire vellent, redimi litteras ſupra memoratas, *die Bedemuth*, ipſe meminerim. Adeo et hodie verum eſt, *libertos in Germania non multum ſupra ſeruos eſſe.* re connubii, contractuum, et teſtamentifactionis?

TIT. III.

DE STATV INGENVORVM, SEV EQVESTRIS NOBILITATIS IN GERMANIA.

§. LXIII.

TErtius eſt ordo INGENVORVM, quo nomine veniebant omnes, qui libertate ſine dignitate maiore in republica fruebantur. (§. 25.) Iidem in Gallia dicti EQVITES, teſte CAESARE *de Bello Gallic. Lib. VI. cap.* 4. *et* 5. medio aeuo in Germania LIBERI, vel LIBERI HOMINES *, veluti apud ADAMVM BREMENS. *Lib. I. cap.* 5. et in LEG. FRIS. *tit.* 11. §. 2. 4. 13. 14. denique MILITES AGRARII, apud WITICHIND. *Annal. Lib. I. p.* 639. vel DE GENERE MILITARI NATI, apud PETR. DE VINEIS *Lib. VI. epiſt.* 17. BONI VIRI, (*gude Mannen, gude Knechte*) SCHILT. ad KONIGSHOFF. *Elſaſſiſche Chron. Obſ.* 8. *p.* 525. numquam vero NOBILES, a quibus illi ſemper ſollicite in medii aeui monimentis diſtinguuntur. * Ingenui quinam?

* Non modo in LEGE FRIS. *tit.* 11. §. 2. *et* 4. LEG. ANGL. *tit.* 1. §. 1. verum etiam apud veteres ſcriptores. ADAMI BREMENSIS et NITHARDI teſtimonia iam ſupra dedimus. Iis nunc addimus locum inſignem CONRADI VRSP. *ad ann.* 1218 MILITES *quippe Teutonicos in dignitatibus Italiae conſtituit. Nam quemdam* LIBERVM, *Bideluphum, Ducem Spoleti effecit.* Ex quo patet, quomodo ex hominibus ingenuis facti ſint nobiles.

§. LXIIII.

Ingenuos illos CAESAR et TACITVS *de morib. Germ.* deſcribunt accurate, obſeruantque, *eos, quoties bella non inierint, mul-* Tempore Taciti

Venationum et armorum ſtudioſiſſimi.

tum venatibus, * *plus per otium tranſegiſſe.* TACIT. *cap.* 15. quin *vitam eorum omnem in venationibus, atque in ſtudiis rei militaris conſtitiſſe*: CAES. *de Bell. Gall. VI.* 21. non tamen illotis veluti manibus ad militiam adgreſſos adoleſcentes, *nec arma ſumere ante cuiquam moris fuiſſe, quam ciuitas ſuffecturum probarit. Tum in ipſo concilio vel principum aliquem, vel patrem, vel propinquum, ſcuto frameaque iuuenem ornaſſe. Hanc apud illos togam, hunc primum iuuentae honorem fuiſſe. Ante hoc domus partem viſos, mox reipublicae.* TAC. *cap.* 13.

* Id eo magis mirum viſum his ſcriptoribus, quo minus Romani venationem ingenuo homine dignam putabant, libera adhuc republica. Hinc SALLVST. *de bello Catilin. cap.* 4. *Neque vero agrum colendo, aut venando,* SERVILIBVS *officiis, intentum aetatem agere.* Quamobrem tum demum venationi aliquid pretii videtur acceſſiſſe, quum Imperatores ea corporis exercitatione coepiſſent delectari. ANT. MATTH. *de nobilit. Lib. I. cap.* 2. *p.* 11.

§. LXV.

Et hinc bella etiam extranea ſponte ſequuti.

Non modo autem pro patria proque aris et focis arma corripiebant ingenui, verum etiam, *ſi ciuitas, in qua orti eſſent, longa pace et otio torperet, plerique nobilium adoleſcentium petebant vltro eas nationes, quae tum bellum aliquod gerebant, quia et ingrata erat genti quies, et facilius inter ancipitia clareſcebant* *. TAC. *de Mor. Germ. cap.* 14.

* Quamuis enim de nobilibus adoleſcentibus, id eſt, de ducum comitumque filiis, loquatur TACITVS: dum tamen ſtatim addit rationem, quod *magnum comitatum non niſi vi belloque tueri liceat*, ſatis oſtendit, ingenuos quoque, qui, vti mox oſtendemus, in comitatu et clientela nobilium eſſe ſolebant, vna cum illis feciſſe ſtipendia.

§. LXVI.

Aliis clientelae nexu obſtricti.

Quum vero ad militarem laudem, dignitatemque in republica conſequendam, ingenuis vel maxime opus eſſet nobilium patrocinio: *adgregabantur robuſtioribus, nec rubor erat, inter comites adſpici. Gradus iſte comitatus habebat, iudicio eius, quem ſectabantur, magnaque et comitum aemulatio erat, quibus primus apud principem ſuum locus eſſet, et principum, cui plurimi et acerrimi comites: haec dignitas, hae vires, magno ſemper electorum iuuenum globo circumdari, in pace decus, in bello praeſidium. Nec ſolum in ſua gente cuique, ſed apud finitimas quoque ciuitates, id nomen, ea gloria erat, ſi numero ac virtute comitum eminerent: expetebantur enim legationibus, et muneribus ornabantur,*

Digitized by Google

bantur, et ipſa plerumque fama bella profligabant. * TAC. *de Moribus Germ. cap.* 13.

* Haec deſcriptio ita comparata eſt, vt videamur nobis videre viros principes Germaniae, inſigni vaſallorum globo ſtipatos. Inde collegerunt quidam, iam eo tempore feuda non fuiſſe veteribus Germanis ignota. Et ſane ſi feudum ſubſtantiam capit ex patrocinii et fidei promiſſione et dominio vtili, ea lege conceſſo: SCHILT. *Inſt. Iur. Feud. cap.* 3. §. 8. neſcio quid obſtet, quo minus comites iſti pro vaſallis habeantur. Fidei quam ſtrictum vinculum fuerit, docent illa TACITI *cap.* 14. *Quum ventum in aciem, turpe principi, virtute vinci, turpe comitatui, virtutem principis non adaequare. Iam vero infame in omnem vitam ac probroſum, ſuperſtitem principi ſuo ex acie receſſiſſe. Illum defendere, tueri, ſua quoque fortia facta gloriae eius adſignare, praecipuum* SACRAMENTVM *eſt. Principes pro victoria pugnant, comites pro principe.* Non gratis ſe principibus deuouiſſe illos comites, vel illa oſtendunt: *Magnum comitatum non niſi vi belloque tueare. Exigunt enim principis ſui liberalitate illum bellatorem equum, illam cruentam frameam, nam epulae, et quamquam incomti, largi tamen adparatus, pro ſtipendio cedunt.* Nec credibile eſt, haec tantum pro ſtipendio fuiſſe, ſed quum a pecunia parum valerent Germani, procul dubio agros praecipue datos eſſe comitibus, *quorum curam hi deinde feminis, ſenibuſque, et infirmiſſimo cuique ex familia, delegabant.* TAC. *ibid. cap.* 15. Accedit vocabulum *comes*, quod ipſum exprimit Germanicum *Geſell, vel vaſallus.* Probabiliora ſane haec omnia, quam quae vulgo de origine feudorum tradunt.

§. LXVII.

Et ex parte adſcriptitiae conditionis.

Ex quo TACITI loco ſimul diſcimus, (1. comites illos vel clientes plane ſe deuouiſſe pro dominis: quod olim et Celtiberos feciſſe, nouimus, VAL. MAX. II. 6. 11. et apud Gallos Soldurios, CAESAR *de Bell. Gall. III.* 22. (2. Eoſdem adeo vere dominis quodammodo fuiſſe obnoxios, et hinc procul dubio varia iis miniſteria praeſtitiſſe, perinde, ac medio aeuo miniſteriales. HERT. *de hom. propr. cap. vlt.*

§. LXVIII.

Iudiciis adſidebant.

Nec dubium eſt, quin ingenui liberi varia in republica munera obierint, et in primis comitibus, ius dicentibus per pagos, in conſilio fuerint. *Centeni ſingulis comitibus ex plebe comites, conſilium ſimul et auctoritas aderant*, teſte TACITO *de Moribus Germ. cap.* 13. quos ex ſeruorum vel libertinorum colluuie fuiſſe, nemo dixerit. BRVMMER. *de Scabin. cap.* 2. §. 21.

§. LXVIIII.

Medio etiam aeuo in-

Tales erant tempore TACITI ingenui: nec alia eorum medio aeuo fuit conditio. Nam (1. et tunc horum vita omnis do-

Digitized by Google

genui erant venationis ſtudioſi,

mi in venationibus conſiſtebat. Hinc Aimonivs *Hiſt. Lib. I. cap.* 21. ait, *moris eſſe Francorum, venatui inſiſtere*, idemque confirmat Avctor *de geſtis Dagoberti Regis cap.* 2. Et Eginhardvs *Vit. Caroli cap.* 22. Carolum M. *adſidue* ait *exercitatum fuiſſe equitando ac venando, quod illi gentilitium fuerit, quia vix vlla in terris natio inueniatur, quae in hac arte Francis poſſit aequiparari.* Geminum huic locum reperias in Annal. Metens. *ad ann.* 813. Quae itidem de ruſticis et hominibus propriis nemo intellexerit *.

* Tantum enim abeſt, vt his ius venandi fuiſſe videatur, vt ne armatis quidem incedere iis liceret, fortaſſis, ne armorum obtentu feras venatum irent. Capitvlaribvs ſane cautum fuerat, *vt ſerui lanceas non portent: qui inuentus fuerit poſt annum, haſta frangatur in dorſo eius, Lib.V. cap.* 227. et *Lib. VI. cap.* 271.

§. LXX.

et militiae.

Nec minus (2. militiae medio aeuo ſoli adſcribebantur ingenui vel liberi homines, quorum nemo ſe delectui impune ſubtrahebat, qui vel quatuor manſos agrorum poſſideret. Capitvlar. *ann.* 812. Non itaque e ſeruili colluuie confluebat veterum Germanorum militia, ſed ex ingenuis deligebatur, qui ideo κατ' ἐξοχὴν vocabantur milites. Quod et de ſua aetate obſeruauit Gvnthervs in *Ligurino Lib. II. v.* 151. *ſequ.* qui de Langobardis:

Vtque ſuis omnem depellere finibus hoſtem
Poſſit, et armorum patriam virtute tueri,
Quoſlibet ex humili vulgo, qvod Gallia * foedvm
Ivdicat, *accingi gladio concedit equeſtri.*

* Vbi ſane non de ſolis Francis loquitur, ſed praecipue Germanorum morem deſcribit. Apud hos quoque *milites ſecundi et tertii ordinis* memorat Brvno *in Hiſt. bell. Sax. pag.* 133. et *milites primos, milites gregarios, quin ingenuos omnes* iungit Wippo *in vita Conradi p.* 428. Ita et *leudes Auſtraſiorum in militiam bannitos*, legimus apud Fredeg. *Excerpt. Gregor. Tur. cap.* 83. Ceterum haec praecipue pertinent ad militiam equeſtrem. Vnde ſaepe in monimentis vetuſtis inuicem opponuntur milites et pedites. Loca plura iam collegit Ant. Matth. *de nobil. Lib. IIII. cap.* 10. *p.* 967.

§. LXXI.

Hinc militaribus armis ſol-

In eo quoque (3. antiquum obtinebant medio aeuo Germani, quod intra militum numerum eſſe non paterentur, niſi qui armis ſollemni ritu eſſent incincti. Siquidem tunc demum mili-

tes,

Digitized by Google

TES, EQVITES, *Ritter*, vocabantur, quum antea dicerentur MINISTERIALES vel FAMVLI, *Knapen*, *Knechte*, *edle Knechte*, HERT. *de homin. propr. Sect. IIII. cap.* 1. ANT. MATTH. *de Nobilit. Lib. IIII. cap.* 8. *et* 18. itemque ARMIGERI. Diploma anni 1337. apud MART. RANGON. *not. ad orig. Pomeranicas*, ac inde ſuperſit formula in creatione equitum ſollemnis: *Beſſer Ritter, als Knecht.* De ritu gladio militari accingendi ingenuos, medio aeuo vſitato, fuſe egerunt IO. LEIDENS. *Lib. XXXII. cap.* 28. CAR. DV FRESNE *Gloſſar. Lat. voce Miles p.* 542. BVRC. GOTTH. STRVV. *Obſeru. Halenſ. Tomo II. Obſeru.* 3. ANT. MATTH. *de Nobilit. Lib. IIII. cap.* 16. lemni ritu cingebantur.

§. LXXII.

Sed et (4. incredibile illud militiam etiam extra patrium ſolum ſectandi ſtudium poſteris manſiſſe, res ipſa docet. Nullum fere acrius gerebatur bellum, in quo non Germanica pubes ſtipendia faceret. Militarunt ſane Germani ipſis Romanis, quoties barbaris inferebant bella, quamuis ita ſaepe fieret, vt cum ſuae originis gentibus manus conſerere cogerentur. Exemplo eſſe poſſunt Oſtrogothi, quos Langobardorum potiſſimum viribus perdomuit Narſes. PAVLL. LANGOB. *de geſt. Langob. Lib. II. cap.* 1. Extraneis tunc quoque faciebant ſtipendia.

§. LXXIII.

Praeterea (5. media aetate pleroſque ingenuos in clientela fuiſſe nobilium, Ducum, Principum, Comitum ac Dominorum, tam notum eſt, vt ideo potiſſimum, quod ille mos omnibus fere Germanis communis eſſet, inter ſe diſputent eruditi, a Langobardis, an a Francis, aliaue gente Germanica repetenda ſit feudorum origo. STRVV. *Hiſtor. Iur. cap.* 8. §. 3. 4. Quare *burgenſes feuda et iuriſdictiones et aduocatias poſſidere poſſe*, negat Fridricus, Miſniae Marchio, apud AVCT. *Addit. ad* LAMB. SCHAFNAB. *ad ann.* 1308. Add. IVS FEVD. ALAM. *cap.*1. §.2. et SCHILTER. *ad rubr. Iur. Feud. Alam.* §. 19. Immo (6. et his temporibus tam adſtrictum fuit iſtud clientum vinculum, vt quidam ex illis ingenuis veluti adſcriptitiae eſſent conditionis *, et nec domicilium iis ſine dominorum conſenſu mutare liceret, nec vxorem ducere: quin et eam conditionem in liberos transferrent, et domino relinquere tenerentur mortuarium, et denique permutari, vindicari, ac manumitti poſſent. Quam miniſterialium conditionem ſaltim ad ſaeculum XIIII. duraſſe, obſeruant viri docti, veluti WIG. HVND. *im kurzen Auſzug Hiſtoriſcher Obſeruat.* Plerique et hac aetate in clientela dominorum, multi etiam adſcriptitiae conditionis.

voce

voce Miniſteriales. Ant. Matth. *de Nobilit. Lib. IIII. cap.* 8. Hert. *de Hom. propr. Sect. IIII. §.* 2. *ſequ. ad* §. 11.

* Quemadmodum enim olim cuiuis licebat ſe alii in ſpontaneam adicere ſeruitutem: (§. 34. et 35.) ita et viri ingenui ſaepe ſe dominis, maxime Epiſcopis et praelatis, vltro mancipabant, ac miniſterialium ſubibant onus. Exemplum Hertivs *de hom. propr. Sect. IIII.* §. 3. attulit ex Lindenbrogii *Priuilegiis Hamburg.* p. 201. In ea enim charta *Henricus et Otto, Milites, fratres de Bramſtede, renunciantes nobilitati et libertati ſuae, ſe ſpontanea voluntate ſua factos eſſe profitentur miniſteriales eccleſiae Bremenſi, facientes corporaliter iuramentum, ſicut Bremenſis eccleſiae miniſteriales facere conſueuerint, iurantes, ſe eccleſiae antedictae, ſicut miniſteriales perpetuo ſeruituros, vxores quoque ſuas, liberoſque iam natos, vel adhuc naſcituros, idem facturos, quando praedictus dominus Archiepiſcopus vel eius nuncius eos duxerit requirendos.*

§. LXXIIII.

Partes pleraſque reip. capeſſebant ingenui.

Iudicia porro, (7. aliaeque reip. partes hoc temporis interuallo non niſi ab ingenuis adminiſtrabantur. Sub Francis ſane memorantur *Poppo Comes, et* maiores natv *de comitatu eius*, qui tum Scabinorum officio fungebantur. Tradit. Fvld. *Lib. II. n.* 156. Atqui *maiores natu* Francis eoſdem fuiſſe, ac viros ingenuos et nobiles, iam ſupra obſeruauimus (§. 22.), quamobrem hoc ipſo loco paullo poſt vocantur viri nobiles. Iudices ergo et *ſcabini conſtituebantur nobiles*, et *viles perſonae conſtitutae eiiciebantur.* Lex Langob. *Lib. II. Tit.* 52. §. 24. Vt iam non dicamus, in iure Saxonico *Schoeppenbar-freye Leute* non alios eſſe, quam viros ingenuos et equeſtris dignitatis *. Weichb. *Art.* 16. et ivs Prov. Sax. *Lib. III. art.* 19. 46. *et* 55. Brvmm. *de Scabin. cap.* 7. §. 5. *p.* 334.

* Hinc *Schoeppenbar-freye* in glossa Weichb. *ad art.* 33. ſunt, qui ab vtroque auo et ambabus auiis ſunt ingenui, *die ihre vier Ahnen beweiſen können.* Schilter *Comm. ad ius Feud. Alamann. cap.* 1. §. 15. *p.* 32. Spirenſibus tamen anno 1347. id priuilegium datum, *daſs ſie lehnbar ſeyn mögent, vnd Vrtheil ſprechen mogen mit den Rittern allenthalben.* Lehmann. *Chron. Spir. Lib. VII. cap.* 41.

§. LXXV.

Ii abhorrebant ab impari matrimonio.

Quum ergo tot praerogatiuae coniunctae eſſent cum natalibus ingenuis: non mirum eſt, equites dediſſe operam, ne vel ipſi impari connubio polluerent ingenuum ſanguinem, vel filiae gentibus ingenuis enuberent. Si ingenuus ingenuaue apud Francos ancillae ſeruoue iungeretur: ipſe quoque ingenuus vel ingenua

genua libertatem amittebat. *(§. 36.)* LEX SALIC. *tit.* 1. *cap.* 14. §. 11. CAPITVL. *ann.* 819. *de Lege Sal. cap.* 3. LEX RIP. *tit.* 58. §. 15. Quin morte expiandum hoc facinus videbatur Burgundionibus, et Langobardis, ſi puella ingenua ſeruo ſuccubuiſſet, niſi parentes gratiam ei delicti fecerint, quo caſu a rege in ſeruitutem vindicabatur *. LEX BVRG. *tit.* 35. §. 2. Apud Ripuarios puellae ingenuae, nubenti ſeruo, a Comite offerebatur *ſpatha* et *concula*, id eſt, gladius et fuſus, ea lege, vt, priore electo, ſeruum occideret, poſteriore cum eo obiret ſeruitutem. LEX RIPVAR. *tit.* 58. §. 18.

* Maior Saxonum ſeueritas: de quibus EGINARDVS apud ADAMVM BREM. *Hiſt. eccl. Lib. I. cap.* 5. *Id legibus firmatum, vt nulla pars in computandis coniugiis propriae ſortis terminos transferat, ſed nobilis nobilem ducat vxorem, et liber liberam, libertus coniungatur libertae, et ſeruus ancillae. Si vero quiſquam horum ſibi non congruentem et genere praeſtantem duxerit vxorem, cum vitae ſuae damno componat.* Et quamuis mitius nonnullae gentes animaduerterent in puellas ingenuas, ſeruilibus implicitas nuptiis, iisque tempus praefinirent, ante quod domo maritorum exire, et ſeruitutis iugum excutere poſſent: LEX ALAM. *tit.* 17. in eo tamen conueniebat omnibus, quod ordine ingenuorum mouerentur, qui quaeue vota in crucem miſiſſent, niſi errore id feciſſent, quamuis et tunc repudium dandum eſſet imparis fortunae ac ſortis coniugibus. CAPITVLAR. COMPEND. *ann.* 757. *cap.* 5. *p.* 181. *Tom. I.*

§. LXXVI.

Iam ex hac ingenuorum hominum conditione, qualis et TACITI temporibus, et medio aeuo fuit, facile intelligitur, I. Ingenuos in Germania ſe non niſi militiae ac venatui, non alii quaeſtui, aliiſque artibus, natos putaſſe. II. Eoſdem, quamuis liberos, tamen et nobilibus potentioribuſque fidem ac miniſteria praeſtare, et III. quaelibet in rep. munera recte obire potuiſſe, quamuis hodie ciuici ordinis homines ſaepe ſuper ipſos ingenuos adſcendant *. IIII. In aeſtimanda ingenuitate nobilitateque non paternae tantum, ſed et maternae originis rationem habitam eſſe. Quaedam de ingenuorum ſtatu axiomata.

* Quum enim venatui tantum et militiae vacarent equeſtris dignitatis viri: *(§. 64. 69. ſeq.)* raro aliquid temporis dabant litteris, niſi ſe forte ad eccleſiaſticam dignitatem praepararent. Simul ac vero ius Romanum in fora Germaniae penetrabat: in iudicia aulica, in quibus antea ſolis equeſtris dignitatis viris locus erat, (vid. SECKENDORFF. *Hiſt. Lutheraniſmi Lib. I. Sect. XIII.* §. 75. *Addit.* 9. *p.* 117. *Tom. I.*) admitti coeperunt iuriſconſulti ciuici ordinis, atque inde nata eſt diſtinctio *in die Adeliche, vnd die Gelehrte Banck*, quae et hodie in pleriſque illuſtrioribus dicaſteriis obſeruatur, quamuis et litteris iam pridem ſe dare coeperint ingenui.

Digitized by Google

§. LXXVII.

Ius venandi nobilibus vindicatum.

Ex primo axiomate patet, (1. cur, quum principes ſibi venationes in ſiluis vel foreſtis, ceu medio aeuo vocabantur, tamquam ius regale vindicarint, Hert. *de Superiorit. territ.* §. 49. Ill. a Lvdewig. *Diſſ. de venatu eiuſque Regali Differ. V. p.* 30. 37. *ſequ.* nihilominus tamen ius venandi plerique equeſtris ordinis viri in praediis ſuis, etiam allodialibus, ſibi retinuerint *, idque (2. in ſubditorum quoque ſeu ruſticorum ſuorum fundis exerceant. Boehmer. *Diſſert. de iur. et ſtat. hom. propr. a ſeruis Germ. non Rom. repetend. Sect. III. §.* 19.

* Qui praedia feudalia poſſident, tunc demum eo iure frui cenſentur, ſi id per inueſtituram conceſſum ſit, quod fruſtra vulgo probant ex *II. Feud.* 56. *et II. Feud.* 27. Videntur profecto olim omnes ingenui in fundis ſuis ſubditorumque venandi ius habuiſſe, quippe praerogatiuam ingenuis propriam. At dum quidam hoc ius diſerte exprimi petierunt in litteris inueſtiturae, id ſane fraudi eſſe non debuiſſet reliquis, qui eam cautionem non adhibuerunt. Vix itaque dubitandum videtur, quin, tacentibus etiam litteris inueſtiturae, pro nobili poſſeſſore praedii equeſtris militare debeat praeſumtio, cum ius venandi ſibi iure vindicare, niſi conſtet feudum vaſallo de territorio ſuo dediſſe principem, cuius eſt ſtatuere, quem modum eſſe velit beneficii ſui, *l.* 119. *D. de reg. iur.* adeoque et litteris inueſtiturae, quid dare voluerit, oſtendere. Ill. a Lvdewig. *Diſſ. de venatu eiuſque Regali Differ. V. n.* 15. *et ſequ.*

§. LXXVIII.

Cur ingenui rariores in vrbibus, et eos artem venatoriam addiſcere non pudeat?

Ex eodem principio reddimus rationem, (3. cur ab vrbana vita, licet ſplendidiore, ſemper abhorruerint viri ingenui, et licet quidam in nouas vrbes migrarint iuſſu Henrici I. Regis, alii ſibi in iis vltro penates conſtituerint, ibique opibus ac potentia eminere coeperint, vrbanae tamen illae familiae reliquis, ruri in latifundiis ſuis viuentibus, plerumque ſordere, et veluti ingenuitatis parum ſincerae eſſe viſi ſint. Beyer. *Spec. Iur. Germ. Lib. I. cap.* 1. §. 21. (3. Cur, quum pudeat ingenuos, vllam, praeter liberales, artem addiſcere, ii tamen ſaepe artem venatoriam ex inſtituto addiſcant. Vnde noti *adeliche Iäger-Purſchen, Iagd-Pagen, Iagd-Iunkere:* nec ſuprema officia aulica temere aliis, quam equeſtris ordinis viris, demandari animaduertimus.

§. LXXVIIII.

Cur mercaturam adſpernati?

Quumque alii quaeſtui, aliiſque artibus, vix operam dederint ingenuae originis homines (§. 76. 1.) fieri non poteſt, (4. quin conditione ſua indignum putent, mercaturam, quantumuis lucroſam,

ſam; facere. Quod adeo verum eſt, vt ne patriciatus quidem iura ſalua ſint illis, qui eum quaeſtum faciunt *. Vnde non eſt, quod huius iuris originem repetamus ex *l. 3. C. de commerc. et merc.*

* Noribergenſibus patriciis id priuilegium dedit Henricus VI. Imp. vt ſalua illis eſſent auitae ingenuitatis iura, *wo ſie ſich der Adelichen Tugend vnd Freyheit ihres Standes fürbaſs hinhalten wollen, und gemeiner Bürgerſchafft der Stadt Nürnberg allein ihren Handel vnd Gewerb frey laſſen, vnd ſich deſſen nicht bekümmern, wie ſie biſsher gethan haben.* Beyer. *Spec. Iur. Germ. Lib. I. cap. 12. §. 17. p. 57.*

§. LXXX.

Contra, ob idem principium, omnia, quibus prae plebe potiſſimum eminent ingenui, ſunt militaria. Eo enim pertinet (5. ius certaminum equeſtrium, *daſs ſie vor Thurniers-Genoſſen zu achten, vnd mit andern Thurniers-Genoſſen vnd rittermâſsigen Edelleuten in alle vnd iegliche Thurniere zu reuten vnd zu thurnieren befugt ſeyn.* Vid. Chron. Mont. Ser. *ad ann.* 1175. *p.* 40. *ſequ.* Strvvii *Diſſert. de Torneamentis.* Eodem merito referas (6. ius armorum vel inſignium, vt certis teſſeris gentilitiis militaribus, *Schild und Helm*, vtantur, eaſque non modo in ſigillis, ſed et aliis occaſionibus quibuſcumque, oſtentent *. Quemadmodum et (7. ſollemne eſt familiis equeſtribus, feretris in funeribus adfigere arma, gladium, calcaria, eaque vna cum vexillis in templis vel ad ſepulcra ſuſpendere. Ant. Matthaei *de Nobilitat. Lib. IIII. cap. 17. pag.* 1035.

Ius torneamentorum, et inſignium.

* Ceterum iam olim Taciti temporibus Germani aliquid his teſſeris analogum habuere. Scuta enim lectis coloribus diſtinguebant: *de Morib. Germ. cap. 6.* vnde Dio Cass. *Lib. V. p.* 307. ea vocat ὅπλα πεποικιλμένα ἰδιοτρόπως, *arma inſigni proprio variegata:* qualia ſcuta inſignibus notata Alamannorum memorat Ammian. Marcell. *Lib. XVI. cap.* 12. Sic et de Cimbris refert Plvtarch. *in Mario p.* 420. eorum equites ſe oſtentaſſe, κράνη εἰκασμένα θηρίων φοβερῶν χάσμασι καὶ προτομαῖς ἰδιομόρφοις ἔχοντες, ἃ ἐπαιρόμενοι λόφοις πτερωτοῖς εἰς ὕψος, ἐφαίνοντο μείζους, *galeas gerentes quae repraeſentarent faetarum belluarum rictus, inuſitatas figuras, quas alatis faſtigiantes criſtis, adparuerint eminentiores.* At vſum eiuſmodi inſignium, tanquam teſſerarum gentilium, non antiquiorem eſſe ſaeculo Chriſti XI. occaſione potiſſimum expeditionum ſacrarum inualuiſſe, oſtenderunt iam alii. Vid. beati fratris Io. Mich. Heineccii *Synt. de Sigill. Part. II. cap.* 4. §. 4. Agnouit id ipſe Clavd. Menetrier *dans l'abregé méthodique p.* 4. vbi memorat inſignia gentilia comitum de Waſſerburg, Ratiſponae publice poſita anno 1010. quibus antiquiora ſe nec in Gallia, nec in Italia, nec in Germania, reperire potuiſſe, quamuis diligentiſſime quaeſita, fatetur.

§. LXXXI.

Plerique ingenui vaſalli.

Quumque ab omni aeuo ingenui ſeſe nobilioribus et potentioribus fide clientelari obſtringerent: (§. 76. 2.) facile intellectu eſt (8. cur bona ingenuorum pleraque ſint feudalia, et (9. ii etiam, qui praedia ſua iure optimo maximo poſſidebant, illa tamen vltro nobilioribus in feuda obtulerint. Vid. Hert. et Thomas. *de feudis oblat.* (10. Cur alicubi ſoli nobiles atque ingenui capaces ſint feudorum equeſtrium, *der Ritter-Güter*: * ivs Fevd. Sax. *cap.* 2. ivs Alam. *cap.* 1. §. 2. privil. Lvsat. apud Beyer. *Specim. Iur. Germ. Lib. I. cap.* 2. §. 54. alibi (11. quamuis et ciuici ordinis viri huiuſmodi feuda adquirere poſſint, ſoli tamen ingenui ſanguinis admittantur ad comitia prouincialia, et inter Pares curiae adſidendi ius habeant. Beyer. *Specim. Iur. Germ. Lib. I. cap.* 2. §. 52.

* A quibus et nomina gentilia pleraſque nobilitatis equeſtris familias adoptaſſe nouimus. Paucae quidem a miniſterio ſe vocant, *Truchſeſſe*, *Schenken*, *Marſchalle*, *Cammer r*, ſed et hae plerumque διακριτικῶς addunt certorum praediorum nomina e. g. *Marſchalle von Bieberſtein.* Morem hunc ſaltim ab Ottonis M. temporibus in Germania viguiſſe, per inductionem ex diplomatibus ſuo more demonſtrauit Pfeffinger. *ad Vitriar. Iur. publ. Lib. I. Tit.* 20. §. 3. *not.* ∂. *p.* 842. *ſequ. Tom. II.*

§. LXXXII.

Eorum officia et ſeruitia aulica.

Ex eo feudali nexu porro ſequebatur, (12. vt nobiles non modo quaelibet aulica munera ac officia, veluti *dapiferorum*, *pincernarum*, *marſchallorum*, *camerariorum*, ſoli capeſſerent: (vid. constit. de expedit. Rom. *pag.* 261. *edit. Gebaueri.*) ſed et, (13. extra ordinem euocati in aulam, adeſſe tenerentur, ſiue conſilio eorum aut iudicio in cauſſis feudalibus opus eſſet, ivs fevd. Alam. *cap.* 9. ivs fevd. Sax. *cap.* 4. ſiue vt globo eorum ſtipatus dominus tanto comitatior eſſet. Hinc mos, vaſallos ſollemnitatum cauſſa arceſſendi, *die Vaſallen zu Aufrichtungen*, *Beylagern*, *Empfahung fremder Herrſchaffien zu verſchreiben.* * De quibus ſeruitiis, quae vocantur *Gerichts- vnd Ehren-Dienſte.* vid. Titivs *im Teutſchen Lehen-Recht. cap.* 14. §. 22. *pag.* 266.

* Qualia olim fuerint ea ſeruitia, diſcimus quodammodo ex praecepto Conradi II. Imp. apud Io. Henr. de Falckenstein. *in Cod. Dipl. Antiqu. Nordgau. p.* 24. vbi Erneſti Ducis vaſalli petunt pro filiis ac poſteris, *vt dum primum curiam frequentare nitantur, per eum annum, propriis bonis ſuis deſeruiant, nihil accipientes, excepto in prima anni feſtiuitate pelles cum pellicio:*

expleto

Digitized by Google

expleto autem eo anno, accipiant iuxta inſtitiam ſuam beneficium ſuum, ſcilicet manſos regales III. Sin autem, poteſtatem habeant, vbiuis terrarum degere, niſi iuſto beneficio reuocentur. Quin et filias debuiſſe ſeruitia ex eo patet, quod eorum cauſa efflagitant eodem diplomate, *ne vnquam cogantur in ſeruitium pediſſequarum, excepta Italica expeditione: tum quidem proficiſcantur Wizenburch feria II. ad reſarciendas veſtes, ſeu quaelibet neceſſaria, vſque in feriam V.*

§. LXXXIII.

Quumque praecipue ingenui capeſſerent rempublicam: (§. 76. 3.) non mirum eſt, (14. eos, iam inde ab antiquiſſimis temporibus ad praecipuas dignitates non modo aulicas, militares ac ciuiles, verum etiam eccleſiaſticas, adſpiraſſe, ſiquidem, quum mature admodum archiepiſcopi, epiſcopi, et praelati quidam principibus coepiſſent aequiparari, (vid. LEG. ALAM. *praefat.*) eorumque ſententiae tum in comitiis, tum in ſecretiore Regum conſilio, omne punctum ferrent, HINCM. *Epiſt. III. de regno et palat.* CAPITVL. CAROLI CALVI *tit.* 1. HERM. CONRING. *de ciuib. Imperii* §. 36. MABILLON. *de re diplom. Lib. VI pag.* 474. 475. 479. indignum viſum eſt imperii maieſtate, terrae filios, quorum maiores paullo ante a furno et lacu rediiſſent, maximas in eccleſia dignitates adfectare *. Pleriſque in dignitatibus plebeiis praeferuntur ingenui.

* Quumque a patriis moribus ea in re deficeret Ludouicus Pius Imp. et ſeruilis originis homines praeficeret eccleſiis: id vel maxime reprehendit THEGANVS *de geſt. Ludou. Pii cap.* 20. Non mirum itaque videtur, in pleraque eccleſiarum cathedralium capitula nemini patere viam, qui non oſtentare poſſit certum imaginum numerum, *acht, ſechzehn oder zvvey vnd dreyſſig Ahnen*, et pauciſſimas eccleſias epiſcopales paruiſſe canonibus, qui aliquot doctores vna cum nobilibus ac ingenuis canonicorum numero adſcribi voluerunt.

§. LXXXIIII.

Denique, quum in aeſtimandis ingenuis natalibus non modo paternae, ſed et maternae originis, ratio habeatur: (§. 76. 4.) nullum eſt dubium (15. quin, quotieſcumque requiruntur quatuor, octo, ſedecim vel triginta et duae imagines, toties dimidia earum pars in linea paterna, dimidia in materna numeranda ſit. NOLDEN. *de Stat. nobilit. cap.* 11. *n.* 28. HORN. *Iuriſpr. publ. cap.* 63. §. 3. adeoque (16. ex impare matrimonio haud naſcantur liberi, qui iſto iure imaginum gaudeant *, multoque minus (17. ex matrimonio ad morganaticam, BEYER. *Specim. Iur. Germ. Lib. I. cap.* 24. §. 15: omnium minime autem (18. nobilitatem et iura ima- Iura imaginum.

ginum tribuat adoptio. Vid. DNI. D. KNORRII *Diſſert. de nobilitate adoptiua.*

* Id olim ſtricte obſeruatum, adeo, vt ſi vir ingenuus ad ſingulare certamen prouocaret ingenuum, quatuor imagines ab vtroque parente demonſtrare cogeretur. IVS PROV. SAX. *Lib. III. Art.* 29. quod vocabant *das Handmahl bevveiſen, und ſeine vier Ahnen benennen.* Eo de iure *Lib. III. Art.* 72. legimus: *Das eheliche und freygebohrne Kind behält ſeines Vaters Heerſchild, vnd nimmt auch ſein Erbe, vnd der Mutter alſovvol, ob es ihr ebenbürtig iſt. Nimmt ein Schöppenbar-frey Mann eine Bauer-Gültin, die Kinder ſind ihm nicht ebenbürtig.*

§. LXXXV.

Varia ingenuorum priuilegia.

Ob ingenuos huiuſmodi natales plura priuilegia conceſſa ſunt ingenuis, veluti (19. quod, ſi immobilia non poſſident, his oneribus obnoxia, immunes intra moenia ſint a muneribus publicis, et maxime metatis. BEYER. *Spec. Iur. Germ. Lib. I. cap.* 2. §. 10. (20. quod nec emigrationis nec detractionis cenſum ſoluant, nec (21. iuriſdictionem municipii agnoſcere teneantur, nec (22. iiſdem ſemper cum plebe adficiantur poenis, aut (23. ſine Principis conſenſu diris quaeſtionibus ſubiiciantur. Quamuis et haec omnia, et, quae vulgo (24. de proedria ingenuorum, eorumque (25. praerogatiua in veſtitu, titulis, immunitatibuſque plurimis adferri ſolent, non omnium locorum ſint, et iis viuamus temporibus, quibus erectiora ingenia ſaepe doctrinae ac virtuti debent, quod fruſtra a fumoſis maiorum imaginibus exſpectant ii, qui ruri torpent otio, et nihil agentes, inter equos et canes conſeneſcunt.

TIT. IIII.

DE STATV NOBILIVM, SEV PRINCIPVM DOMINORVMQVE IVRIBVS.

§. LXXXVI.

Qui olim nobiles?

QVamuis hodie, qui olim ingenuorum ordini adſcribebantur, veluti κατ' ἐξοχὴν vocentur NOBILES, *Edelleute*: tamen iam ſupra obſeruauimus, axioma iſtud antiquiſſimis temporibus proprium fuiſſe illis, qui ex ingenuis ad maiores in re-

publica

publica dignitates adſpirabant, eorumque poſteris, quibus ipſa patrum merita ac laudes nobilitatem conciliare videbantur. * (§. 25.)

* Qua in re Romanos quodammodo conſentientes habebant Germani, qui latis legibus Caninia, Ogulnia et ſimilibus, omnibus ingenuis ius honores capeſſendi dabant, eorum vero, qui honores geſſerant, poſteros tanto nobiliores habebant, quo plures maiorum conſularium, cenſoriorum, praetoriorum numerarent imagines. PLIN. *Hiſt. Nat. Lib. XXXV. cap.* 2. In eo tamen prudentiores Germani, quod iis non negarent nobilitatis decus, qui primi ad honores adſpirabant, quum Romani hos, ſua tantum imagine claros, tanquam NOVOS HOMINES, deſpicerent. PLVTARCH. *vit. Caton. Mai. init.* APPIAN. *de bello ciuil.* p. 710.

§. LXXXVII.

Quum vero TACITI aeuo aliae gentes regnarentur, aliae optimatium vel populari vterentur imperio: apud illas nobiles erant honoreſque capeſſebant, quorumcumque virtutem ac prudentiam Rex probabat. Et hinc libertos in ciuitatibus monarchicis *et ſuper ingenuos, et ſuper nobiles, adſcendiſſe*, teſtatur TACITVS *de Mor. Germ. cap.* 25. In reliquis ciuitatibus ii, qui vel exercitus ducebant, vel iura per pagos vicoſque reddebant, quos promiſcue PRINCIPES vocant TACIT. *ibid. cap.* 13. 14. et CAES. *de bello Gall. Lib. VI. cap.* 23. non niſi ex nobilitate ſumebantur. Et quidem temporibus Taciti.

§. LXXXVIII.

Priores medio aeuo dicti DVCES, *Hertzoge*, iique ſimul maioribus prouinciis cum imperio praeerant: poſteriores, qui per pagum aliquem vel ciuitatem ius dicebant, adpellati COMITES, GRAVIONES, *Grauen*, VADIAN. *de colleg. et monaſter. Germ. apud* GOLDAST. *tom.* 3. *Script. rer. Alam. p.* 25. VLR. OBRECHT. *Prodr. rer. Alſat. Vol. I. cap.* 12. *p.* 260. Acceſſere poſtea recentiora honorum vocabula, aliique dicti COMITES PALATINI, alii MARCHIONES, vel MARGGRAVII, alii LANDGRAVII, * BVRDGRAVII, RVGRAFFII, WILDGRAFFII, vt iam omittamus ARCHIDVCES, PRINCIPES, COMITES PRINCIPALIS DIGNITATIS, quorum origines in hiſtoria; iura in iuriſprudentia publica explicantur. Nec non medio aeuo.

* Recentioris aeui hanc dignitatem putant plerique, et ſaeculo XI. vix antiquiorem. Sed attulit celeberrimus PFEFFINGERVS ad VITRIAR. *Lib. I. Tit.* 17. §. 4. locum ex vita S. Fridolini apud GOLDASTVM *Tom. I. Script. rer. Alam. p.* 248. in quo occurrit *Landgrauius, iudicio villae Rankvvile praeſidens.*

dens. Non ergo primi fuerunt Thuringi, qui principi eius ordinis paruerunt, ſed iam multo ante id vocabulum Heluetiis ſatis notum fuiſſe videtur.

§. LXXXVIIII.

Hi omnes dicti nobiles et ab ingenuis diſtincti ſunt.

Hi vero omnes, cum antiquiſſimis temporibus, quibus adminiſtratoria tantum eorum erat poteſtas, quum eam iure hereditario obtinerent, NOBILES dicebantur: et hodie non alio epitheto compellantur ex cancellaria pontificis maximi, quum alioquin fere euiluerit hic titulus. * Apud LAMBECIVM *Rer. Hamb. Lib. II. n.* 383. *Dux Brunſuicenſis* vocatur *nobilis vir*; eodemque elogio *ibidem n.* 515. mactatur *Ioannes, Comes de Delmenhorſt.* Alia teſtimonia collegerunt POTGIESER. *de ſtatu et cond. ſeru. Lib. I. cap.* 2. §. 42. et HERT. *de feudo nobili Sect. III.* §. 7. Poſtea ad *comites* fere hic titulus tranſiit, ac proinde in ſaeculi 12. diplomatibus, quoties teſtes recenſentur, qui rei geſtae interfuerunt, fere ſemper ordine ſe excipiunt NOBILES, LIBERI et MINISTERIALES, et in primo ordine plerumque ſoli comites enumerantur.

* Idem contigit Germanicis vocabulis *Edelmann* et *Iuncker*, quorum olim ne principes quidem puduit, quum hodie ea vix ferant equeſtris ordinis viri. Comites ſane Waldeccenſes comitatum ſuum in feudum offerentes Haſſiae Landgrauiis, promittunt, *ſie vvolten ihre getreue Edelmannem darumb ſeyn.* HERT. *de feudis oblat. in Chartis ſubiunctis n.* 5. *p.* 580. Et in chartis, quae e ſaeculis XIV. et XV. ſuperſunt, paſſim *Iunckern* vocantur Duces Brunſuicenſes et Cliuenſes, Comites Delmenhorſtani, et de *Sternberg.* Vid. POTGIES. *de Stat. et Condit. Seru. Lib. I. cap.* 1. §. 41. *p.* 61. *ſequ.* Immo et Guilielmus, Comes Hollandiae, poſtea Rex Germanorum, vulgo dictus *den Joncker van Holland.* BVCHEL. ad *Beck. Chron. Vltrai. p.* 81.

§. LXXXX.

Inter nobiles etiam Epiſcopi et praelati.

Quum vero et Epiſcopi ac Abbates, ſimulac antiquae ſuperſtitioni nuncium miſerant Germani, inter Duces et Comites de republica conferre conſilia coepiſſent, ac proinde ipſi quoque ad principum dignitatem paullatim eueherentur: (§. 83.) non mirum eſt, et hos fuiſſe inter nobiles. Hinc initio CAPITVLARIVM CAROLI M. *et* LVDOVICI PII *apud* BALVZ. *Tom. I. p.* 697. legimus: *Incipiunt capitula Regum et Epiſcoporum, maximeque nobilium omnium Francorum.* Et VENANT. FORTVNATVS *Lib.* I. *Carm.* 4. laudans Leontium, Burdegalenſium Epiſcopum:

Eccleſiae nunc iura regis, venerande ſacerdos,
Altera NOBILITAS *additur inde tibi.*

§. LXXXXI.

§. LXXXX.

Nec non domini et barones.

Denique et familiae quaedam in Germania florebant, nulli Principum nexu clientelari obſtrictae, qualis ſub Francis Guelphica, de qua HIST. GVELF. *apud* LEIBNIT. *Tom.* I. *Script. rer. Brunſu. p.* 798. *ſequ.* ſub ſequentibus familiae pleraeque aliae, quae praeter feuda, cum dignitate maiori, veluti Ducum vel Comitum coniuncta, plures poſſidebant terras mere allodiales, de quibus plura V. C. B. G. STRVVIVS *de allod. imp.* §. 9. *ſequ.* Qui ergo huiuſmodi terras allodiales poſſidebant ſine maiore dignitate, itidem erant nobiles, * ac plerumque κατ' ἐξοχὴν vocabantur *Edle, Edle Herren, Herren, Frey-herren, Semperfreye,* immo et *natura liberi.* DOCVM. WVRTEMB. *ſub coenobio Denkendorff. p.* 454.

§. LXXXXII.

Varii nobilitatis gradus.

Itaque non mirum eſt, medio aeuo nobilitatis varios gradus fuiſſe. WIPPO ſane *in vita Conradi p.* 428. vbi de fide Conrado Imp. iurata agit: *De fidelitate,* inquit, *facta Regi minus neceſſarium dicere puto, frequenti vſu teſte, quod omnes* EPISCOPI, DVCES *et reliqui Principes,* MILITES PRIMI, MILITES GREGARII, *quin et* INGENVI *omnes, ſi alicuius momenti ſint, regibus fidem faciant.* Et huc merito referuntur ſeptem clypei militares *, *die ſieben Heerſchilde,* quorum mentio fit apud AVCTOREM VET. *de Beneſic.* §. 2. *et* 3. in IVRE PROV. SAX. *Lib.* I. *Art.* 3. et IVRE FEVD. ALAM. *cap.* I.

* *Peimus* clypeus, id eſt, ſupremus nobilitatis gradus erat REGIS, *alter* EPISCOPORVM et ABBATVM. (Nam *ex ſecundo* inquit AVCT. *de Benef.* §. 3. *in tertium deſcenderunt clypeum laicales principes, quum epiſcoporum fiebant homines,*) *tertius* PRINCIPVM laicorum, *quartus* COMITVM, *quintus* LIBERORVM, *der Herren und Freyen, ſextus* MINISTERIALIVM *der Dienſtmannen, ſeptimus* denique eorum, qui, quamuis non eſſent equeſtris originis, feuda tamen adquiſiuerant. Add. SCHILT. *ad Ius feud. Alam. cap.* 1.

ſ. LXXXXIII.

De iure et ſtatu nobilium axiomata.

Iam ergo ex his facile intelligitur, I. eadem eſſe iura nobilium, ac ingenuorum, quamuis his cum illis non omnia ſint communia. II. Nobiles et tituli ſplendore, et dignitate, praeſtare ingenuis, et III. hos plerumque fide clientelari ſibi habere obnoxios.

ſ. LXXXXIIII.

Iura circa ludos

Ex primo axiomate intelligitur, (1. nobilibus quoque viam patuiſſe ad certamina equeſtria, eoſque gladio equeſtri ſollemni-

equeſtres, venationes, militiam.

niter fuiſſe accinctos : ALB. STAD. *ad ann.* 1184. CHRON. MAGN. BELG. *apud Piſtor. p.* 244. PETR. DE VIN. *Lib. III. Ep. XXVIIII.* ac proinde (2. eos tum in numis, tum in vetuſtis ſigillis, plerumque conſpici armatos, et equis cataphractis vectos, et vel haſtas, vel vexilla, vel gladios vibrantes. I. M. HEINECC. *de Sigill. Part. I. cap.* 10. §. 15. *ſeq.* (2. Eoſdem quoque venationibus in primis ſplendidioribus ſe praetuliſſe ingenuis. Quo quum vel maxime etiam pertineret res accipitraria, non mirum eſt, principum iuuentutis ſigilla plerumque referre homines, venatum proficiſcentes. TENZEL. *Bibl. curioſ. MDCCIIII. repoſ.* 1. *plut.* 4. *p.* 326. OLIV. VRED. *Sigill. Com. Flandr. p.* 48. 94. 99. 101. 104. 107. 108. HEINECC. *ibid. p.* 127. (3. Nobilium quoque ſtatum fuiſſe ad militiam vel maxime comparatum, idque hodienum oſtendere eorum inſignia, maxime equos cataphractos, et vexilla, quae in funeribus praeferri ſolent *.

* Hinc et feuda nobilia olim oblatis vexillis dari ſolebant, ſingulaque vexilla ſingula feuda notabant. Exemplum Henrici, Bauariae, mox Auſtriae Ducis dabit OTTO FRISING. *de geſt. Fridrici I. Lib. II. pag.* 32. Add. GVNDLING. *de feudis vexilli.*

§. LXXXXV.

Ratione titulorum.

Ex ſecundo axiomate reddi poteſt ratio, (4. cur, quum ingenui a praediis tantum cognomina arceſſant, nobiles integros ducatus, principatus, comitatus et dynaſtias, quas vel poſſident, vel ſibi iure deberi contendunt, recenſere, eumdemque titulum (5. et fratribus natu minoribus, licet exſortibus prouinciarum, ad ſpem futurae ſucceſſionis ſeruandam, indulgere ſoleant. * (6. Cur ingenuis maiores ſibi titulos adrogantibus, nobiles quoque ſuos mutarint, dictique ſint pro *illuſtribus* et *nobilibus*, *ſereniſſimi* et *illuſtriſſimi*, pro *Fürſtliche* vel *Gräſliche Gnaden*, *Hochfürſtliche* vel *Herzogliche Durchlauchtigkeiten*, *Hochgräſliche Gnaden* vel *Excell.* nec principes iuuentutis amplius domicelli, *iunge Herren*, ſed principes, *Prinzen*, et principum et comitum filiae non *Fürſtliche* vel *Gräſſliche Fräulein*, ſed *Prinzeſſinnen* vel *Comteſſes*, vocentur.

* Id olim aliter ſe habuit. Tantum enim abeſt, vt fratres natu minores eorumque ſibi, prouinciarum exſortes, paternos titulos nomini ſuo adſcripſerint, vt ne paris quidem cum patre dignitatis habiti ſint, ſed ſaepe principum filii comitum vel dominorum gradu contenti vixerint. CHRONICON QVEDL. apud LEIBNIT. *Script. rer. Brunſu. Tom. II. p.* 288. *Bernardus Dux* (Saxoniae,) *inuehitur coelos, quem lamentatione dignum octaua de-*

cima

tima die moriens ſequutus eſt LVDGERVS, COMES, *frater ſuus.* LAMB. SCHAFFN. *ad ann.* 1048. *Feſtum S. Michaelis Imperator iterum Polethae celebrauit, ibi poſtero die* DIETMARVS, *Comes, frater Ducis Bernardi, quum a milite ſuo Arnoldo accuſatus fuiſſet, de inito contra Imperatorem conſilio, congreſſus cum eo, vt obiectum crimen manu propria purgaret, victus et occiſus eſt.* Denique BRVNO de Bello Saxon. ap. FREHER. *Tom. I. Scr. Rer. Germ. p.* 106. *Hermannum Comitem* vocat Magni Ducis Saxoniae patruum. Adeoque ex ſola gente Saxonica Billungorum plures recenſeri poſſent fratres Ducum, natu minores, qui intra comitum ordinem ſeſe continuerunt. Et talia exempla in omnibus fere principum, multoque magis comitum, familiis occurrunt. Iam vt vnum addam, *Dietricus*, filius Beringeri, comitis Sangerhuſani, nepos Ludouici, Landgrauii Thur. ſe ipſe vocauit *dominum de Berka.* Vid. LEVKF. *Antiqu. Ilfeld. cap.* 4. §. 3. *p.* 35.

§. LXXXXVI.

Denique ex tertio axiomate, (§. 93. 3.) explicari poſſe videtur, (7. cur hodienum Principes equites *caros fideles* vocare, et (8. in ſecunda perſona ſingularis numeri compellare ſoleant: et cur denique (9. Germaniae moribus impar habeatur matrimonium, quod cum ingenua muliere contrahitur, & hinc (10. filii filiaeque plerumque non principalis dignitatis, ſed ingenui et ingenuae tantum putentur, immo (11. nec ad ſucceſſionem facile admittantur, niſi mater codicillis Caeſareis ad principum vel comitum nobilitatem euecta fuerit. THOMAS. *Iuriſtiſche Händel P. III. cap.* 3. *p.*197. a LVDWIG *Comment. ad Aur. Bull. tom. II. p.*1359. Ratione ingenuorum et matrimonii cum illis.

§. LXXXXVII.

Sed haec et alia pleraque, quae de iure nobilium in Germania dici poterant, ad ius publicum magis, quam priuatum, de quo hic loquimur, pertinent. Itaque iis non immoramur, id tantum obſeruantes, (11. quum olim ingenui non niſi collatis ducatibus, principatibus, comitatibusue, in nobilium numerum referrentur, ceu exemplum Adolphi de Santersleue, ab anno 1030. primi Comitis Schaumburgici, docet in CHRON. MIND. *apud* MEIBOM. *Script. rer. Germ. T. I. p.* 560. hodie ſaepiſſime eam dignitatem codicillis ſacris conferri iis, qui opibus ac meritis tantum eminent, quamuis nullum principatum comitatumue poſſidentibus. Quomodo quis fiat nobilis.

Digitized by Google

TIT. V.

DE IVRE MVNICIPVM, QVI MEDIO AEVO BVRGENSES.

§. LXXXXVIII.

Origo municipalium ſcitu neceſſaria.

QVandoquidem quintus hic hominum ordo, ab ingenuis hodie proximus, vrbibus demum in Germania conditis, paullatim natus eſt: (§. 24.) in harum origines, et cauſſas, cur condi coeperint, eo maiore diligentia inquirendum erit, quo minus ſine accuratiore earum intelligentia iura municipum videntur explicari poſſe.

§. LXXXXVIIII.

Germani antiquiſſimo tempore non habitabant vrbes.

Et Tacitvs quidem *de Morib. Germ. cap. 16. nullas Germanorum populis vrbes habitari, eoſque ne pati quidem inter ſe iunctas ſedes*, tradit. Tantum itaque abeſt, vt vrbes incoluerint, vt eas vel maxime ſint auerſati, ac proinde odio, tanquam hoſtes, habuerint Vbios, quod in coloniam migraſſent, eoſque indignos Germanorum nomine et conſortio putarint, niſi muros, tanquam monimenta ſeruitutis, detraherent. Tacit. *Hiſt. IIII.* 64. Durauit iſte mos et inſequentibus ſaeculis *, quibus Amm. Marcell. *Hiſt. XVI.* 3. refert, *Germanos, etiam ciſrhenanos, oppida, vt circumdata retibus luſtra, declinaſſe*, et tractus tantum ſuburbanos circa Argentoratum, Berbotomagum, Nemetes, Moguntiam, inhabitaſſe.

* Magnum equidem πόλεων, id eſt, *vrbium* in Germania numerum ineunt geographi Graeci, et maxime Cl. Ptolemaevs, Aegyptius. Et Herodianvs *Hiſt. VII.* 2. memorat πόλεις, quas in Germania ferro ac flammis deleuerint Romani: ſed vti priores caſtella et vicos, quos fama celebrabat, ſuis decepti moribus, pro ſplendidis vrbibus videntur habuiſſe: ita, dum poſterior, paucis interiectis, κώμας adpellitat, quas paullo ante πόλεων vocabulo dignabatur: ſatis profecto indicat, ſe voci iſti impropriam plane notionem ſubieciſſe, quemadmodum eodem ſenſu Germanis oppida tribuiſſe videtur Caes. *de Bello Gal. IIII. 19. et VI.* 10. Conring. *de vrbib. Germ. §.* 21. 22.

§. C.

Ne vici quidem.

Quin ne vicos quidem, quales hodie in hiſce prouinciis et ſuperiore

periore Germania conſpicimus frequentiſſimos, veteres Germani patiebantur, *nec eos*, vt TACITVS pergit, *locabant in Romanorum morem, connexis et cobaerentibus aedificiis. Suam quiſque domum ſpatio circumdabat, ſiue aduerſus caſus ignis remedium, ſiue inſcitia aedificandi.* Potius, vt idem obſeruat, *colebant diſcreti ac diuerſi, vt fons, vt campus, vt nemus placebat* *. continui in Germania.

* Hinc et hodie in Weſtphalia atque ac inferiore Saxonia huiuſmodi vicos deprehendimus, vbi ſingula praedia fere ſeorſum ad nemora, fontes, riuos, extructa ſunt. Quum vero inde nati ſint poſtea vici frequentiores: facile credimus CLVVERIO *Germ. antiqu. Lib. I. cap.* 13. CONRINGIO *ib.* §. 17. STRVVIO *Syn. Hiſt. Germ. Diſſ.* 3. §. 5. inde eſſe, quod plura pagorum noſtrorum nomina deſinant in *brunn, feld, bach, aue, leben* vel *laube, hayn.* cetera.

§. CI.

Enimuero id tantum intelligendum eſt de Germania magna, vel, vti Romanis vocata eſt, tranſrhenana. In ciſrhenana enim et veteres Germani vrbes ſatis frequentes coluerunt, veluti Treuiri, Nemetes, Vangiones, Mediomatrici, et plures poſtea addiderunt Romani, rerum ibi potiti, e. g. Moguntiam, Coloniam Vbiorum, Argentoratum. Quod et de prouinciis trans Danubium, id eſt, de Raetia, Vindelico et Norico, dicendum, vbi plures vrbes celeberrimae, veluti Auguſta, Campodunum, Boiodurum, vel caſtra Batauorum, Laureacum, Arlapis, aliaeque iam illo tempore celebrantur. SPENER. *Notit. Germ. antiqu. Lib. VI. cap.* 2. In Germania ciſrhenana et trans Danubium quaedam oppida.

§. CII.

Nec ſuffragamur nos HERM. CONRINGIO, qui in *Diſſ. de vrbib. Germ.* §. 24. non modo ante ſaeculum quintum, ſed et ante nonum nullas in Germania magna vrbes, praeter vnicam fortaſſis Wurzburgum, repertas exiſtimat. Vt enim iam non dicam de Lupoduno, quam FREHERVS *ſingulari opuſculo de Lupoduno* ſcripto, ab interitu vindicauit, aliiſque quibuſdam, quarum dubius adhuc ſitus eſt: quis ignorat, vrbem munitam, Schidingam, cuius ipſe meminit CONRINGIVS, iam ſaeculo ſexto in media Germania ipſaque Thuringia floruiſſe? Vid. GREGOR. TVRON. *Hiſt. Franc. Lib. III. cap.* 4. *et* 7. An in Germania magna ante ſaeculum VIIII. plane nullae vrbes?

* *Lupodunum* enim Frehero eſt *Ladenburg*, ab aliis non procul ab Argentorato reperiri hodieque *Lupfſen* vocari creditur. Diuerſas eruditorum ſententias de hoc ſimilibuſque oppidis habes apud SPENER. *in Notit. Germ. antiqu. Lib. IIII. cap.* 2. §. 8. *p.* 170. *ſeq.*

Digitized by Google

§. CIII.

Sub Francis iam vrbes quaedam celebrantur.

Multo minus itaque dubitandum eſt, quin ſub Francis plures vici magis magiſque celebrari, et vrbium ſpeciem paullatim induere coeperint, quamuis raro moenibus circumdati fuerint, et LVITPRAND. *Lib. III. cap.* 12. Germanis *domorum congregationem non clauſam* BVRGVM *vocari*, obſeruet. Frequentiores itaque vici ſubinde eſſe coeperunt: idque factum, cum ob commercia, ob quae anno 805. tamquam emporia celebrantur *Bardenwich*, *Schesla*, *Magadoburch*, *Erpesfurt*, *Forachheim*, *Bremberg et Raginsburg*. CAPITVL. II. *anni* 805. *tit.* 7. apud BALVZ. *p.* 425. *tom.* I. tum ob inſignem agri vbertatem. ob quam Erfurtum tam multi ruſtici confluxiſſe videntur, vt ideo ab OTHLONE vocetur *vrbs paganorum ruſticorum* * (§. 24. *). At vel maxime occaſionem condendis amplificandiſque vrbibus dediſſe videntur inſtituti hinc inde epiſcopatus, quos per canones non niſi in vrbibus celebrioribus eſſe oportebat. CONCIL. SARDIC. *can.* 6. CAPITVL. *Aquiſgr. ann.* 789. *cap.* 19. SAGITT. *Antiqu. gentiliſmi et Chriſt. Thur. Lib. III. cap.* 12. §. 5. Hinc iam ſaeculo IX. Hamburgi, vrbis et ſuburbii, murorumque, quibus cincta erat, meminerunt REMBERT. *Vit. Anſchar. cap.* 34. et GVALDO *Vit. Anſchar. cap.* 35. quamuis Eichſtetenſem epiſcopatum citius, quam inſtitutam ibi vrbem, floruiſſe, pateat ex FALKENST. *Cod. Dipl. Nortgau. n.* 10. *et* 11.

* Quem locum male vertiſſe videtur SAGITTARIVS *eine alte Heidniſche Baurenſtadt.* Quis enim credat Bonifacium nouum Epiſcopatum inſtituere voluiſſe in vrbe, a meris paganis habitata? Videntur intelligendi ruſtici ex pago vel tractu terrae vicino, qui Erfurtum confluxerunt ob ſitus commoditatem, vbertatemque agri eximiam, quin et ob commercia, quibus fiebat, vt facile res ſuas cum lucro quodam venderent.

§. CIIII.

Quae tamen non ſingulares reſp. habebant, ſed comites iis praeerant.

Nec tamen exiſtimandum eſt, vrbes tum ſuas reſpublicas, collegia decurionum, vel iuriſdictionem habuiſſe. Quemadmodum enim comites per pagos et vicos tum ius dicebant, adhibitis in conſilium ſcabinis vel rachimburgiis: ita idem fiebat in vrbibus. Comites ſane his praefuiſſe, ex CAPITVLARI II. *anni* 805. *tit.* 7. diſcimus, in quo *Bardewici Redi*; *Scheslae Madagoz*; *Magdeburgi Atto*; *Erfurti Madalgoz*; *Forchheimii et Bramburgi Odulfus*; *Ratiſponae Odulfus*; *Lauriaci Warinarius comites praeuidiſſe* *, dicuntur.

* PRAEVI-

* Praevidere autem hic idem eſt ac praeeſſe, et hinc praecipue Comites praeuidere dicuntur. Paſſim obuia in capitularibus eſt loquutio: *comitatum praeuidere*. Quod ne a Carolo quidem du Fresne obſeruatum, ex Capitvl. Caroli Calvi *cap. 9.* praeclare demonſtrauit Sagittar. *Antiqu. Duc. Thur. Lib. IX. cap. 4. §. 6. p. 221. ſequ.*

§. CV.

Exſtincta in Germania Carolidarum ſtirpe, perpetuae Hungarorum irruptiones facile perſuaſerunt Germanis, vt celebriores vicos moenibus turribuſque paſſim communirent, maxime, quum exemplo praeeuntem haberent Henricum I. Regem, qui per Saxoniam, teſte Witichindo *Lib. I. Annal. p. 639. vrbibus exſtruendis die noctuque operam dabat, quatenus in pace diſcerent, quid contra hoſtes in neceſſitate facere debuiſſent.* Tunc ſane conditae civitates plurimae *, veluti Miſna, Merſeburgum, Quedlinburgum, Goslaria, Gobelin. *Coſmodr. Aetat. VI. cap. 47. p. 248.* quibus Gotham Tenzelivs *Suppl. Hiſt. Goth. II. ſect. 1. p. 19. ſequ.* Herfordiam Schvrzfleischivs *Strictur. ad Hiſt. Herſ. p. 10.* alias alii addunt. Vrbes plures ab Henrici I. Regis temporibus conditae.

* Vel potius moenibus ac turribus cinctae. Vix enim credibile eſt, intra tam paucos annos tot vrbes conſurgere potuiſſe, niſi iam antea frequentiores vici ibi fuiſſent. Atque hinc factum eſſe arbitramur, vt pleraeque Saxoniae inferioris vrbes non deſcriptis ad lineam plateis, ſed ſatis contortis vicis et angiportibus exſtructae ſint.

§. CVI.

Ceterum quod inſtitutum tenuerit rex laudatiſſimus circa vrbes exſtruendas, idem Witichindvs, ex eoque Sigebertvs Gemblac. *Chron. ad ann. 925.* memoriae prodiderunt. *Et primum quidem ex agrariis militibus nonum quemque eligens, in vrbibus habitare fecit, vt ceteris conſamiliaribus ſuis octo habitacula exſtrueret, frugum omnium tertiam partem exciperet ſervaretque: ceteri vero octo ſeminarent & meterent, frugeſque colligerent nono, et ſuis eas locis reconderent.* Hinc multi paſſim in vrbibus ingenui, praeſidio pariter ac ornamento nouis coloniis futuri, et ideo aliquot ſaeculis poſt in ſuperiore Germania dicti *Conſtaffler* vel *conſtabularii.* Schilt. ad Koenigshofivm *Chron. Alſ. cap. 5. §. 100. p. 307.* quorum quidam et cognomina ab vrbibus adſciuiſſe videntur, veluti domini *de Goſa, de Goslaria, de Oſterode, de Eimbeck, de Brunſuic, de Halberſtadt, de Aſchersleue* et ſimilia. Regis iſtius circa vrbes inſtituta. Ingenui in vrbes adſciti.

§. CVII.

§. CVII.

Plerique tamen ciues ſeruilis vel libertinae conditionis.

Quum vero non totas ciuium vniverſitates ex ingenuis conſtitiſſe, credibile ſit: reliqui oppidani procul dubio ex ruſtica plebe eo confluxerunt, adeoque partim libertinae, partim ſeruilis fuere conditionis. Seruis permultis adfluxiſſe ciuitates, iam ſupra demonſtrauimus. (§. 24. *) De libertinis eleganter HERM. CONRINGIVS *de Vrbib. German.* §. 81. quamquam paullulum lapſus circa libertinorum originem: *Auxit vero hoc plebis ſtudium indubie innumera libertorum copia, quae poſt annum Chriſti nongenteſimum ſuccreuit, omnibus paene ſeruis per vniuerſam Germaniam ex pietatis feruore emancipatis. Quibus quum proprii agri nihil, adeoque ruri quidem non niſi duriſſimo ſeruitio victus poſſet comparari, quum in vrbibus per opificia aliaque miniſteria facilior eſſet vitae tolerandae ratio, quin et ad diuitias pateret aditus: plerique illorum, agris relictis, vrbes incolere coeperunt.*

§. CVIII.

Concilia et conuentus Henricus I. in vrbibus celebrari voluit.

Deinde id quoque ſanxerat Henricus I. Rex, vt *concilia, et omnes conuentus, atque conuiuia, in vrbibus celebrarentur.* WITICHIND. *ibid.* Et ſane ex eo tempore pleraque comitia, * ſynodi, iudicia celebriora, & nundinae inprimis, in vrbibus habebantur. *Eſt*, (addit CONRING. *ibid.* §. 83.) *vbi hodieque nuptialia conuiuia non niſi in vrbibus celebrant agreſtes.* In iiſdem vrbibus aliquando et haſtiludia tunc indicebantur. Quae omnia permultos, quibus elegantioris vitae cultus adlubeſcebat, in vrbes pellexiſſe videntur.

* Attamen alicubi comitia vel diaetae prouinciales adhuc multo poſt ſub dio habebantur. In Miſnia ſaeculo adhuc 13. comitia prouincialia ſub dio habita eſſe Culmizii, tradit WECK. *Deſcript. Dreſd. part. IIII. tit. 6. p.* 437. Idem de Ducatu Brunſuicenſi et Landgrauiatu Haſſiae refert HERT. *de conſultat. Legib. et iudic. in ſpecial. Germ. rebusp.* §. 9. vbi et de conuentibus Opſtalbomicis Friſiorum adducit egregium locum VBB. EMM. *Rer. Friſ. Lib. XIII. ad ann.* 1323. ſimulque a Francis eſſe huius ritus originem, oſtendit, quorum *Campi Martii* et *Campi Maii* ſatis noti ſunt: quemadmodum de Langobardorum in *campis Roncaliis* comitiis res notiſſima eſt. OTTO FRIS. *de geſt. Fridr. Lib. I. cap.* 12.

§. CVIIII.

Ius in illis tum dicebant aduocati et ſculteti.

Non dubium eſt, quin, comitibus pagos pleroſque iure hereditario ſibi paullatim vindicantibus, in reliquis vrbibus, in Regum ac Principum poteſtate conſtitutis, ius eorum loco dixerint ADVOCATI et SCVLTETI, qui circa haec tempora vbique *ſcabinorum*

rum praeerant collegiis. DITHM. *Cod. Dipl. ad* TESCHENM. *n.* 3. *p.* 2. Hos omnes vel ex militibus, vel ex ingenuis iſtis vrbanis, illos ex ipſis aliquando nobilibus lectos eſſe, nulli dubitamus. (§. 74.) Goslariae ſane aduocati praefuere anno 1152. ANNO, procul dubio de Heymburg, anno 1177. VOLKMARVS de Wildenſtein, anno 1200. HENRICVS, Comes palatinus Rheni, et Dux Saxoniae, anno 1206. HERMANNVS, Comes de Wernigerode. Vid. I. M. HEINECC. *Antiqu. Gosl. Lib. II. p.* 220. *ſequ.*

§. CX.

Poſt ea tempora multas vrbes condidere Principes et Comites.

Ab hoc tempore feruebat in Germania vrbium condendarum ſtudium. Quumque tot Epiſcoporum, Principum, Comitum, in quorum prouincias diſtracta eſt Germania, nullus eſſet, quin vrbem aliquam celebriorem, vel plures, habere vellet: coeperunt et ipſi de condendis vrbibus cogitare *, ſimulque, variis propoſitis priuilegiis atque immunitatibus, homines ad vitam vrbanam inuitare. Hinc alias vrbes REGIAS, alias PRAEFECTORIAS dictas arbitramur in diplomatibus ſaeculi X. et XI. apud ZYLLES. *Defenſ. Abb. S. Maximini p.* 27. *ſequ.*

* At tunc nondum id facere ſe poſſe exiſtimabant ſine Imperatorum vel Regum conſenſu, adeoque ius condendi ciuitates ab iis videbatur precibus impetrandum. Quod anno 1311. Spirae publica lege ſancitum, tradit Is. PONTANVS *Hiſt. Gelr. Lib. VI. p.* 182. Exempla eius rei plura ex hiſtoria medii aeui chartisque collegit HERT. *de Superioris. territ.* §. 18. *p.* 228. *ſequ.* His nos iam addimus bina diplomata multo antiquiora Eichſtadienſia, quibus Epiſcopis poteſtatem exſtruendi vrbes, inſtituendique nundinas, officinam monetariam, et telonium, faciunt anno 908. Ludouicus Infans, et anno 911. Conradus I. Reges Germaniae, apud FALKENST. *Cod. Dipl. Antiqu. Nordgau. num.* 10. *et* 11. *p.* 17. *ſequ.* Ex quibus ſimul patet, iam ante Henrici Aucupis tempora de exſtruendis vrbibus non modo Reges, ſed et Principes, cogitaſſe.

§. CXI.

De iure municipali axiomata.

Inter haec priuilegia ciuibus oppidanis conceſſum, I. vt ciuitatibus ſingulis liceret habere collegium decurionum, ea, quae ad vtilitatem reip. decuſque vrbis pertinerent, curaturum *. II. Vt negotiationibus potiſſimum ciues, vel municipes, inſtarent, iidemque III. iuribus coquendi vendendique cereuiſiam, nec non IIII. facultate opificia et artes elegantiores exercendi fruerentur; et V. ſi qui in ſuburbia habitatum concederent, vel incolae, quam ciues, eſſe mallent, paullo deterioris eſſent condi-

 tionis,

tionis, quam ciues, ſaltim non iure optimo maximo ciues haberentur.

* Eiusmodi decurionum collegia iam ſaeculo XI. paſſim in vrbibus fuiſſe arbitramur. Spirenſibus Henricus V. Imp. conceſſit facultatem eligendi duodecim viros ex ſuo ordine reipublicae adminiſtrandae. LEHN. *Chron. Spir. Lib. IIII. cap.* 11. Auguſtanos libertate, a Conrado, vltimo Sueuiae duce, redemta, ex ſuis ſibi municipibus ingenuis proprium ſenatum elegiſſe, et ciuitatis curatores, duumuirosue (Magiſtros tunc ciuium dictos, *Burgermeiſter*,) et praefectos vrbi, adhuc *Stadt-pfleger* adpellari ſolitos, libere creare ſolitos eſſe, tradit CRVS. *Annal. Sueu. Part. III. Lib. II. cap.* 17. Idem Vlmae a Ludouici Bauari temporibus contigiſſe refert. Ab anno 1251. Erfurti ſenatum praeeſſe coepiſſe reipublicae, tradit GVDENVS *Hiſt. Erfurt. Lib. I. p.* 12. A ſaeculo XII. et Goslarienſium, Bremenſium, aliarumque ciuitatum Conſules et Proconſules memorari videmus, quum antea vix vllum eius rei exſtet veſtigium.

§. CXII.

Reſpublicae municipales olim ariſtocraticae, hodie fere populares.

Et quidem quod ad publicum iſtud conſilium attinet, olim vbique fere ariſtocraticum vel oligarchicum erat illud municipiorum regimen, nec dubitare licet, quin conſules ac decuriones ex ingenuis, qui paſſim in vrbibus ſedes ac domicilia conſtituerant, fuerint cooptati. Aſt ineunte ſaeculo XIIII, gliſcentibus plebis opibus, et patriciis arrogantius, collegiis opificum licentius omnia agentibus, vbique fere per Germaniam ciuiles procellae coortae, nec ceſſatum eſt a tumultibus, donec, deiectis ea praerogatiua ingenuis, plebs ſibi viam in curias muniuiſſet. KONIGSHOFF. *Chron. Alſat. et Arg. cap.* 5. *§.* 94. *ſequ.* et ibi SCHILT. CONRING. *de Vrbib. Germ. §.* 131. *ſequ.* HERT. *de ſpecial. imp. Rom. Germ. rebuſp. cap.* 2. §. 22.

§. CXIII.

Ius ſenatorium, iuriſdictio municipalis, ius ſtatuta condendi.

Ex quo intelligitur (1. cur hodie vix aliqua in Germania ſit vrbs celebrior, quae pure ariſtocratice regatur, praeter inclytam Noribergam. (2. Cur multis locis ſenatus tantum ea, quae ad ordinem et decus ciuitatum pertinent, (*die Policey-Sachen*) curet, non autem iuri dicundo praeſit, ſed iſtam reipublicae partem adminiſtrent ſculteti, aduocati, *Stadt-Voigte*, cum ſcabinis, vel in oppidis minoribus ipſi principum praefecti *. Ex quo conſequitur, (3. vt falſo vulgo doceant, conceſſo iure ciuitatis, conceſſam ſimul intelligi iuriſdictionem, ſaltim inferiorem. OBRECHT. *de Iuriſd. theſi* 299. SCIP. GENTIL. *de Iuriſd. Lib. II. cap.* 5. *et* 6.

Ex

Digitized by Google

Ex eodem intelligimus, (4. quae ſit origo ſtatutorum municipalium, plerumque ad ordinem et decus vrbium pertinentium, et cur illa vocentur *Willkühre.* Qualia condendi facultatem anno 1292. Hamburgenſibus factam nouimus a Comitibus Holſatiae. LAMBEC. *Orig. Hamb. II. n.* 471. *

* Aſt paullatim tamen ciuitates, exſtincta ſculteτorum aduocatorumque iurisdictione, quae plerumque feudalis erat, aut ipſae ſibi illam redemerunt, aut a Regibus et principibus impetrarunt pro beneficio. Hinc nulli in vrbibus quibusdam ſculteti ſunt, in aliis non a Principe, ſed ſenatu, conſtituuntur. Quin vrbana iurisdictio alicubi non modo intra moenia exercetur, ſed longe lateque per tractum ſuburbanum, qui vocatur *weichbildum*, porrigitur. Intra eumdem tractum, antequam pax publicis ſanctionibus firmaretur, qui vim apertam adhibuerat, fractae pacis erat reus, id quod vocabant *das Weichfried-Recht.* SCHOTTEL. *de ſingul. Germ. iur.* cap. 10. GRYPHIAND. *de Weichbild. Sax. cap.* 76.

§. CXIIII.

Ex eadem iuriſdictionis vrbanae indole (5. facile explicari poteſt origo ſcabinatuum in celebrioribus Germaniae vrbibus, de qua ſingulari libello erudite diſquiſiuit FRID. BRVMMERVS. Nec minus (6. iam reddetur ratio ſtatuarum, quae paſſim ad curias, et in foris ciuitatum Saxonicarum, conſpiciuntur, quippe non libertatis et αὐτονομίας teſtes, ſed iuriſdictionis, maxime ſuperioris, quemadmodum et veteres loca, vbi ius ſub dio dicebant, ſigno quodam notata, *mallos* vocare ſolebant. ECCARD. *ad Leg. Sal. Tit.* 2. §. 1. *p.* 14. Quare (7. fruſtra iis nomen a fabuloſo illo Stentore, Rolando, arceſſunt. Vid. GRYPHIAND. *de Weichb. Sax. cap.* 71. *n.* 9. *ſequ.* LEVBER. *Magdeb. Stapel-Vnfug. n.* 1257. *ſequ.*

Scabinatus, ſtatuae Rolandinae.

§. CXV.

Denique quum mira ſaeculo XIIII. reipublicae municipalis facta ſit conuerſio: (§. 112.) non mirum eſt, (8. hodie, licet in quibuſdam ciuitatibus adhuc emineant ingenui, vel ciues primarii ex doctorum vel mercatorum ordine, iis tamen plerumque adiungi aliquos ex plebe, ac proinde (9. tribus vel corpora opificum iure quodam ſuo poſtulare ſolere, vt quidam ex contribulibus ſuis vel in ſenatum cooptentur *, vel, vbi de republica conſulitur in medium, adhibeantur in conſilium. Vnde formula Goſlarienſibus ſollemnis: *Concluſum in beyden Räthen, mit Zuziehung der Freunde von Gilden und Gemeinde.*

Plebeiis vbique fere eſt ius honorum.

* Sic Argentorati anno 1332. conſtitutam eſſe rempublicam, docet Koenigshoff. *in Chron. Alſat. cap.* 5. §. 96. *p.* 305. Francofurti iuxta Moenum ſenatores leguntur partim ex *patriciis*, quorum collegium coit in aedibus dextrae curiae lateri proximis, *im alten Limpurg*; partim ex *ciuibus primariis*, veluti doctis, et mercatoribus, quorum collegium eſt in aedibus ad latus curiae ſiniſtrum, *zum Frauenſtein*: partim denique ex certis opificum collegiis, quae accuratius recenſet Itterus apud Hert. *de ſpecial. Imp. Romano-Germ. rebusp. Sect. II.* §. 23. *p.* 130. *ſequ.*

§. CXVI.

Priuilegia mercatorum.

Quumque municipum potiſſimum ſit, inſtare negotiationibus: (§. 111. 2.) aequum videbatur, iis varia indulgeri priuilegia, ac proinde (10. mercatoribus in illis turbis, quibus quotidiana priuatorum bella inuoluebant Germaniam, pacem ſanciri, aeque ac clericis, et religionis cauſſa peregrinantibus, *cap.* 2. *X. de immun. cler.* ius Prov. Sax. *Lib. II. Art.* 66. ius Prov. Suev. *cap.* 248. recess. imp. Francof. *ann.* 1442. §. 6. Iisdem (11. dari facultatem, proprium inſtituendi collegium, et olim (12. ſtatuta etiam, ad commerciorum incrementum comparata, condendi, nec non (13. ius illud famoſiſſimum, quod codices mercatorum ſemiplene probare pro ſcribentibus patitur *. Roesn. *de Libris mercat.*

* Id ius in Italia, ſpeciatim Venetiis, natum eſſe, ex SC. anno 1466. eam in rem facto demonſtrauimus in Differt. *de codicibus mercatorum foro cedentium* §. 18. Poſtea paullatim Alpes tranſcendit illud mercatorum priuilegium, quemadmodum et pleraeque aliae mercatorum conſuetudines, in primis negotiationes collybiſticae. Vnde et vocabula technica, familiaria mercatoribus, pleraque ſunt Italica.

§. CXVII.

Ius fori et nundinarum.

In primis ad negotiationes municipum pertinent (14. nundinae, tum quae ſingulis hebdomadibus recurrunt, (*Wochen-Märckte*,) in quibus (15. ea plerumque municipum praerogatiua eſt, vt gaudeant iure quodam προτιμήσεως, et exteri emere non poſſint frumentum aliumque commeatum, quamdiu certum ſignum ex curia conſpicitur, tum (16. annuae, eaeque vel a principibus inſtitutae, (*Iahrmärckte*,) quales nundinas in oppido Hueſſen anno 1348. inſtituit, et priuilegio munit Ioannes, Comes Cliuenſis apud Diethm. *Cod. Diplom. ad Teſchenmach. n.* 23. *p.* 15. vel confirmatae ab Imperatoribus, (*Meſſen* *) Koenigshoff. *Chron. cap.* 5. §. 54. *p.* 285. in quibus etiamnum obtinet priuilegium

gium *l. un. C. de nund.* AHASV. FRITSCH. *de regali nund. iure.*

* Ita commune eſt id vocabulum ſacrificio miſſatico et nundinis celebrioribus. Quum enim olim ad miſſam ſollemnem in encaeniis, vel die alicui ex caelitibus ſacro habendam confluerent peregrini innumeri: eam lucrum faciendi occaſionem praetermittendam non putabant mercatores, quorum eo tempore tantus erat concurſus, vt paullatim inde nundinae celeberrimae naſcerentur. Exempla habes paſſim, veluti in Chron. Mariemod. apud LEIBNIT. *Script. Rer. Brunſu. Tom. II. p.* 45. Suſpicatus eſt hoc primum VADIANVS, cuius obſeruationem mirifice confirmat charta Dagoberti apud DOVBLETVM *Lib.* III. *cap.* III. vbi Rex: *Cognoſcat*, inquit, *ſollicitudo et prudentia veſtra, qualiter volumus et conſtituimus, in honorem domini et glorioſi patroni noſtri, Dionyſii*, MERCATVM *conſtituendo ad* MISSA *ipſa, quae euenit ſeptimo idus Octobris ſemel in anno.* Inde ergo eſt, quod huiuſmodi nundinae plerumque incidunt in diem, caeliti, vrbis patrono, ſacrum, ab eoque et ipſae nundinae nomen ſortiuntur, e. g. *Die Peter-Paulli-Meſſe zu Naumburg, die Bartholomaei-Meſſe zu Franckfurt.*ceterae. Quin in Belgio hodie omnes nundinae vocantur *Kerckmiſſen kermiſſen*, vt eo minus de hac earum origine dubitare liceat.

§. CXVIII.

Vrbibus quoque quibuſdam propria ſunt quaedam iura eminentiora, mercaturae cauſſa inuenta, et vel ad fiſci vtilitatem, vel ad ipſarum vrbium et mercatorum compendium atque emolumentum comparata. Tale eſt, (17. IVS STAPVLAE quod vocant, id eſt, ius vrbi cuidam competens, cogendi eos, qui merces tranſuehunt, vt eas inde dimouere non poſſint, niſi venales prius expoſuerint ciuibus. Idque vel VNIVERSALE eſt, vel SINGVLARE, et ad certa mercium genera certaue tempora reſtrictum. Quod, quum ſaepe in monopolium euadat, viciniſque vrbibus admodum incommodum ſit, innumeris litibus praebuit materiam, LEVBER. *Magdeburgiſch. Stapel-Vnfueg.* et proinde hodie ſine Electorum omnium ſuffragio concedi non poteſt. CAPITVL. CAROLI VI. *Art.* 8. Ius ſtapulae.

§. CXVIIII.

Tale etiam (18. IVS GERANII, *das Krahn-Recht*, id eſt, ius habendi machinam tractoriam, cuius ope merces quaelibet, quantaecumque molis, ex nauibus ſurſum tolli poſſunt, vt ne vectigal defraudetur a praeternauigantibus. De quo plura dixerunt BESOLDVS, WEHNERVS et SPEIDELIVS in voce *Krahn-Recht.* Talis machina Argentorati facta anno 1385. KOENIGSH. *Chron. cap.* 5. §. 54. *p.* 285. *not. a.* Tale (19. IVS TRVTINAE PVBLICAE, *die Stadt-Wage*, qua omnium mercium inuectarum vel exportan- Ius geranii.

 darum

darum pondus exploretur, vt ſecundum eius, quem vrbs ei rei praeſecit, teſtimonium vectigalia, portoria, ſimiliaque onera praeſtentur.

§. CXX.

Alia mercatorum priuilegia per lancem ſaturam recenſita.

Ad mercatorum priuilegia, non omnibus emporiis communia, ſed quibuſdam tantum propria, pertinent (20. aditus ad curiam vel ordinem ſenatorium, (21. locus proximus a litteratis, honore academico ornatis, adeo, vt in ſollemnitatibus publicis ſinguli litterati et mercatores vna procedere ſoleant. (22. Forum priuilegiatum, *das Kauff- vnd Handels-Gerichte*, in quo a iudicibus quibuſdam ICtis et mercatoribus omnes cauſſae mercatorum, leuato velo, decidantur, quo (23. et iudicium nauticum, *das Admiralitâts-Gericht*, pertinet, itidem ex ICtis et mercatoribus nauiculariis compoſitum, ac proinde vti ſolitum titulo: *zum Admiralitâts-Gericht verordnete Herren und Bûrger.*

§. CXXI.

Ius coquendi cereuiſiam.

Quum etiam ius coquendi vendendique cereuiſias ad municipum priuilegia vel maxime pertineat: (§. 111. 3.) intellectu ſane haut difficile eſt, (24. hanc cereuiſiae praeparationem venditionemque eſſe negotiationem municipalem, adeoque (25. ruri viuentes cereuiſiam quidem coquere aliquando poſſe ſuis vſibus, non tamen eamdem venalem habere, niſi ſpecialiter id conceſſum eſſe doceatur *. CARPZ. *Part.* II. *Conſt.* 6. *def.* 4. *et* 5. Ex eodem principio eſt, (26. quod in Saxonia municipes iure prohibendi vtuntur intra milliare, id eſt intra ſpatium decem millium octingentorum paſſuum, a fine ſuburbii ad praedium illud, in quo cereuiſia coquitur, per viam regiam metiendum. IVS PROV. SAX. *Lib.* III. *art.* 66. *et ibi Gloſſa.* MARSMANN. *Miliolog. cap.* 8. BEYER. *Specim. Iur. Germ. Lib.* I. *cap.* 16. §. 4. *ſequ.*

* Quin ſi vel maxime conceſſa ſit cereuiſiam vendendi facultas: ea tamen arctis admodum limitibus plerumque circumſcripta eſt, cautumque, vt cereuiſia non niſi minutatim vendatur, (*daſs das Bier verſchencket, aber nicht verſchroten werde,*) vt certis tantum anni temporibus venalis habeatur, cetera. BEYER. *ibid.* §. 17. *ſequ.*

§. CXXII.

Leges de re cereuiſiaria admo-

Aſt quemadmodum ipſae cereuiſiae tam ſunt ſui diſſimiles, vt vix binae vrbes eiuſdem ſaporis, coloris, ac ſalubritatis cereuiſias coquant: ita (27. et leges ad rem cereuiſiariam pertinentes

nentes tam variae ſunt, vt certi quidquam hic ſcribi vix poſſit. Id tamen pleriſque locis obtinet, vt certis tantum vel perſonis, vel aedibus, ius ſit faciendi vendendique cereuiſiam *, iique, quibus hoc ius eſt, et ipſi, quando eos ordo tangit, illo vti, et aliorum quoque facultatem (*ihre Brau-Gerechtigkeit*) conducere, et tunc ea vti poſſint. Talia ex inſtituto explicarunt Otto Tabor *de Iure cereuiſiario. tom.* I. *Op. p.* 603. *ſequ.* Schoepffer *de iure braxandi*, et alii. dum variae.

* Aliquando et vrbes gaudent iure certos pagos cogendi, vt non alibi quam ex ea vrbe petant cereuiſiam: quemadmodum et cauponae huiusmodi reperiuntur, in quibus ſolis ruſtici alicuius tractus perpotare et cereuiſiam emere poſſint. Qualia iura tamen ſola praeſcriptione non adquiruntur, quia cereuiſiam alicubi petere eſt actus merae facultatis: ſed ſi ab actu prohibendi, e. g. pignoratione, tempus lege definitum lapſum ſit: tunc demum natum eſt ius huiusmodi bannarium. Vid. Schilt. *Exerc.* *XVIII.* 4. Schoepff. *ibid. Part.* IIII. *cap.* 2. *n.* 41. *ſequ.*

§. CXXIII.

Quum vero et opificia, tanquam praecipua commerciorum fulcra, ciuibus municipiorum veluti propria eſſe cenſeantur: (§. III. 4.) non obſcurum eſſe poteſt, (28. quamobrem illis in Germania tot priuilegia conceſſa ſint, veluti (29. vt collegia et corpora ſua inſtituant, vocata in monimentis medii aeui *ſocietates*, *gildae*, *vniones*, *Einungen*, *Innungen*, *Zünffte*, *Aempter*, quales iam ſaeculo XII. fuiſſe Magdeburgi patet ex Chron. Magd. apud Meibom. *Rer. Germ. tom. II. p.* 329. Ludewig. *Reliq. MSS. tom. II. p.* 389. et (30. hiſce fas ſit in quibuſdam vrbibus rempublicam ſimul capeſſere. vid. *Diſſert. noſtra de Colleg. et corp. opif. cap.* 2. *§.* 11. (31. Cur opifices non ſolum iure prohibendi alios, in collegium non receptos, gaudeant, ſed (32. etiam ruri quaedam opificia exerceri non patiantur *. Illuſtr. a Ludewig. *de opifice ex pagis exſule.* Sed de hoc opificiario iure non vno opuſculo tam accurate egit Hadr. Beiervs, vt hic actum agere nolimus, maxime quum innumerae ſint opificum conſuetudines, et in illis etiam quaedam abſurdae, ac proinde communibus ordinum imperii ſuffragiis merito abolitae anno 1731. Vid. Schmavs. *Corp. Iur. public. p.* 1551. Opificum priuilegia.

* Sunt tamen quaedam opiſicia et ruſticis permiſſa. Dantur enim *Dorff-Schneider*, *Schuſter* cet. qui tamen plerumque ius exercendi opiſicium a collegio quodam proximae vrbis impetrare tenentur. Quin in *citata diſſertatione*

tatione cap. 1. §. 6. oſtendimus, quaedam opificia olim vix ab aliis, quam ſeruis, exerceri conſueuiſſe, atque inde ſupereſſe morem, quosdam boetos vocandi ſeruos, e. g. *Fleiſcher Knechte, Schuh-Knechte Tuch-Knappen Mühl-Knappen*: quum alii audire malint *Geſellen*, alii *Diener*. Hadr. Beier *in Boetho cap.* 1. *n.* 30. *ſequ.*

§. CXXIIII.

Quis opificium exercere poſſit in vrbibus.

Tam luculenta vero priuilegia facile ſubigebant contribules, (33. vt non promiſcue omnes reciperent in collegium et magiſtrorum vocabulo dignarentur, ſed a candidatis exigerent, (34. vt teſtimonia ingenuorum natalium, *ihren Geburths-Brieff*, exhiberent, (35. vt, tirocinii quoque annos rite et ſecundum collegii leges exactos eſſe, demonſtrari ſibi vellent litteris, quas vocant *den Lehr-Brieff*: (36. vt eos deinde rite in boethorum recipi numerum, et (37. aliquot annos peregrinationibus impendere iuberent: (38. vt denique eos non reciperent in collegium, niſi inter petitores aliquoties profeſſi nomina, confecto artis ſpecimine, collegio coena excepto, ſolutis denique impenſis, magiſtrorum nomen more maiorum meruiſſent. Longa ea fabula eſt, quam cum adparatu perpoliuit Hadr. Beier tum *in Tirone*, tum *in Boetho* et *Magiſtro opificiario*.

§. CXXV.

Suburbani deterioris conditionis, quam reliqui ciues.

Quandoquidem porro, qui in ſuburbiis haerebant, ad reliquorum municipum iura ac praerogatiuas non adſpirabant *: (§. 111. 4.) cum iis et hodie (39. nec ius honorum, nec facile (40. ius coquendi cereuiſiam communicari videmus, niſi ſuburbia ſingularia municipia conſtituant, ſuiſque pareant magiſtratibus municipalibus, qualia paſſim occurrunt. Quin (41. ſaepe ſuburbani, quamuis ciuitatis iura redimere teneantur, tamen, perinde ac ruſtici, certas operas praeſtant, quin et alicubi, qui ipſis a ſenatu oppidano praeficiuntur, vocantur *Baurmeiſtere*, veluti Francofurti iuxta Viadrum.

* Suburbia ſini vrbium, in Germania conditarum, initio non ſatis conuenire videbantur. Quum enim hae ideo munirentur, vt obex poneretur Hungaris, Normannis, Slauis per Germaniam longe lateque diuagantibus, omniaque ferro et flammis deuaſtantibus (§. 105.) ex ſuburbiis multum detrimenti imminebat municipiis, quippe quibus facile hoſtes potiri; et pro caſtris vti poterant. Ipſe quidem Henricus I. Rex ſuburbia tolerabat, ſed ea implebat latronibus furibuſque, partim vt eos paullatim a turpi vitae genere ad honeſtatem pelliceret, partim vt iis, tanquam leuis armaturae militibus, aduerſus hoſtes vteretur. Witichind. *Annal. Lib. II. p.* 643.

Digitized by Google

p. 643. SIGEB. GEMBLAC. *ad ann.* 922. Quare mirum videri non poteſt, *viie olim viſum eſſe, quidquid extra moenia in ſuburbiis penates conſtituiſſ*::*t.*

§. CXXVI.

Qui pfalburgeri?

Quamuis vero ſuburbia ideo Gallis vocentur *fauxbourg*, idemque vocabulum exprimat Germanicum PFALBVRGER: tamen (42. non leuiter errant, qui hos non alios, quam ſuburbanos, fuiſſe arbitrantur. STRVV. *Synt. Hiſt. German. Diſſ. XI.* §. 20. *not.* *. Pfalburgeri enim dicebantur, qui extra ciuitates habitantes, aliisque ſubiecti, in dominorum praeiudicium iura ciuitatis in vrbe aliqua potentiore impetrabant, eiuſque auxilio freti, eo obtentu, ab oneribus ac tributis ſeſe exemtos putabant. WENKER *de Pfalburg. et Vsburg.* §. 7. *ſequ.* Quum vero hic mos, ab Henrici IV. temporibus, vti WENKERO videtur, repetendus, et iniquus, et permoleſtus eſſet imperii ordinibus: (43. variis imperii legibus ille abolitus eſt a ſaeculo chriſtiano decimo tertio *, maxime vero in AVREA BVLLA *cap.* 16.

* Antiquiſſima, quae pſalburgeris oppoſita fuit, conſtitutio eſt HENRICI VII. Regis, quae anno 1232. Wormatiae prodiit, ac in Germanicam linguam translata eſt a Sigismundo Imp. Vid. GOLDAST. *Conſt. Imp. T. I. p.* 79. *Ration. Conſt.* 78. et *Reichs-Satz. Lib. II. p.* 16. Enimuero ipſe Fridericus II. Imperator eodem ſaeculi 13. anno triceſimo ſecundo rem ratam habuit, edixitque, *vt ciues, qui pſalburgere dicebantur, penitus eiicerentur.* Quod diploma a SCHILTERO *Tom. II. Iur. publ. p.* 117. HEINECCIO *de Sigill. p.* 219. et LVDEWIG *Reliqu. MSC. Tom. VII. p.* 519. editum eſt. Repetiit eam ſanctionem idem Fridericus II. anno 1236. in comitiis Moguntinis, GOLDAST. *Conſt. Imp. Tom. I. p.* 80. ſimilesque exſtant Rudolphi I. apud LEHMANN. *Lib. V. Chron. Spir. cap.* 108. Ludouici, Bauari, apud DATT. *de Pace publ. Lib. I. cap.* 14. *n.* 55. *ſequ.* et aliorum, de quibus operoſe WENKERVS et LVDEWIG. *ad Aur. Bull. Tit.* 16. §. 1. *p.* 151.

§. CXXVII.

Nec non ausburgeri?

Nec (44. cum ſuburbanis confundendi ciues extranei, *die* AVSBVRGER vel VSBVRGER, quippe qui et ipſi non intra weichbildum, ſed in Principum et reliquorum imperii ordinum territoriis habitabant, et a pfalburgeris in eo duntaxat diſcrepabant, quod ſine detrimento dominorum iura ciuitatis in vrbe aliqua impetraſſent. WENKER. *ibid.* Attamen quum ne id quidem ſine omni dominorum incommodo fieret, ſubditis quippe ſuis cenſum inferentibus in vrbium aeraria: hos quoque promiſcue recipi, vetuerunt leges imperii, de quibus fuſe ſuo more clariſſimus WENKERVS.

Digitized by Google

§. CXXVIII.

Conditio incolarum,

Quumque par ſit incolarum conditio: (§. 111. 4.) facile patet, (45. cur qui operas mercede locant, *Tagelôhner*, *Handarbeiter*, ſimileſque ex vltima plebe homines, ſoluta quotánnis certa pecunia, quae *Schuz-Geld* vocatur, in vrbibus et ſuburbiis tolerentur, quaeſtum tamen, ciuibus proprium, facere non poſſint. BEYER. *Specim. Iur. Germ. Lib.* I. *cap.* 12. §. 35. *ſequ.* (46. Cur incolis accenſendi ſint etiam IVDAEI, quippe nec iuris ciuitatis participes *, et non niſi certis legibus, (e. g. ne fundos poſſideant, nec tabernariam mercaturam exerceant,) intra moenia recepti: quamuis variae ſint Iudaeos recipiendi formulae, iique multis locis, opibus freti, maiora audeant, et ipſorum paene ciuium luminibus officiant. Vid. BOEHMER. *Diſſ. de cauta Iudaeorum tolerant.* Saltim (47. hodie inane nomen videtur ſeruitus, cui obnoxios Iudaeos eſſe, ob tributum iis in Imperii legibus nomen *H. R. Reichs Cammer-Knechte*, plerique obſeruant. STAMM. *de Seruit. perſ. Lib.* I. *tit.* 5. *c.* 1. *ſequ.* SCHILT. *Exerc.* XXXVII. 15. *ſequ. et Iur. Publ. Tom.* I. *Lib.* I. *tit.* 4. §. 6.

* Et tamen Wormatiae Iudaei aeque, ac alii, iura ciuitatis obtinuerunt. Auctor enim eſt SCHANNAT. *Hiſt. Epiſc. Wormat. Part. II. cap.* 2. §. 4. *p.* 206. Epiſcopos eos in chartis ſuis vocaſſe: *Vnſere liebe Burger, Iuden vnd Chriſten*, et Fridericum II. in diplomate anno 1213. iunxiſſe *Burgenſes in ciuitate Wormatienſi, ſiue* IVDAEOS. IDEM *p.* 391. obſeruat, Iudaeos ſaeculo 14. Wormatiae habuiſſe 12. iudices, ex Iudaeis lectos, iisque praefuiſſe antiſtitem, quem vulgo vocarint *den Iuden-Biſchoff*. Quin alicubi et hodie iurisdictionem aliquam iis conceſſam eſſe, *daſſ ſie vor ihren Parnoſſen vnd Elteſten belanget werden können*, ſi ipſi inter ſe litigent, ex actis didicimus, et hinc adoptionem nepotum, ab auo Iudaeo apud Parnoſſum factam, per tactum ſudarii, *durch den Mantel-Griff*, ab Halenſium ac Francofurtanorum iureconſultorum ordine validam eſſe iudicatam, meminimus.

§. CXXVIIII.

et exemtorum.

Ex eodem vero intelligitur, (48. ab incolis magnopere differre EXEMTOS, quales ſunt miniſtri principum, nobiles, profeſſores, aliique academici, quippe forum priuilegiatum, ſaltim quod ad perſonas attinet, recognoſcentes, cetera a muneribus municipalibus immunes, niſi vel fundos in vrbium territoriis poſſideant, vel ſimul quaeſtum municipalem faciant, (*wenn ſie bürgerliche Nahrung treiben.*) BEYER. *Spec. Iur. Germ. cap.* 12. §. 33. *ſequ.*

§. CXXX.

§. CXXX.

Ceterum quum militaria ornamenta nobilibus ac ingenuis in Germania ſemper fuerint propria, (§. 76. I.) ciues vero municipiorum commerciis, opificiis, et re cauponaria vitam tolerarint: (§. III.) conſequens videbatur, (49. vt municipes non deceret militiam ſequi, multo minus (50. equitum cohortibus adſcribi. Quamuis, (51. gliſcente vrbium potentia, ſaepe et ciues arma victricia per viciniam circumferrent *, et (52. quidam eorum equites patriae ſtipendia facerent, ab haſtis, quibus armati erant, dicti *die Glevenbürger* vel *Glevener*, WENKER *de Pfalburg. Vsburg. et Cleuenburger*, et (53. hodie, recepta militia mercenaria, milites non modo ex municipibus, ſed et ex ipſa plebe ruſtica, conduci ſoleant. Militia vrbana.

* Quod maxime in interregno et poſt illud factum videtur. ANNAL. COLMAR. *ad ann.* 1281. *Multi ignobiles facti milites in Argentina. Et ad ann.* 1287. *Conſules Argentinenſes ciues ſuos equos habere bis mille praecepere.* Quod ius eo magis ſibi vindicarunt municipes, quo potentiores poſtea fierent vrbes, maxime quum Reges a Papis exagitati, infenſiorque experti epiſcopos et principes, vrbium opibus niterentur, eaſque priuilegiis quam plurimis ornarent. Et ſane nota ſunt bella ab vrbibus Helueticis geſta, quibus et libertatem ſibi quaeſiuerunt, et plures prouincias ſub ſuam redegerunt poteſtatem. Alia exempla bellorum ab vrbibus geſtorum habes apud fratrem *Antiqu. Goſl. Lib. V. p.* 381. 382. 404. 405. *ſequ.* 410. 419. *ſequ.*

TIT. VI.

DE ALTERA HOMINVM DIVISIONE, ET SPECIATIM DE POTESTATE PARENTVM IN LIBEROS.

§. CXXXI.

SIc ſatis haſtenus dictum eſt de *prima* diuiſione hominum: ſequitur iam *altera*, ſecundum quam homines quidam SVI IVRIS, alii ALTERIVS IVRI SVBIECTI eſſe dicuntur. Quamuis enim et haec hominum diuiſio ex ipſa ratione proficiſcatur, adeoque ſit iuris gentium: multo aliter tamen philoſophati hic ſunt Altera hominum diuiſio.

Germani, quam Quirites, qui omnes ſui iuris eſſe docebant, qui nec in patria, nec in dominica poteſtate, eſſent.

§. CXXXII.

Quinam iure Germanico alieni iuris?

At Germani, quibus omnis poteſtas in alterius perſonam vel res MVNDIVM *, id eſt, protectio vocabatur, non modo SERVOS et LIBEROS in mundio, ſeu poteſtate dominorum et parentum, ſed et VXORES in mundio maritorum; MINORES in mundio tutorum: LIBERTINOS in mundio eorum, ad quos ſeſe adplicaſſent, immo et ECCLESIAS, CIVITATEsque in mundio principum eſſe dicebant. Hinc ſaepe legas, liberos *teneri in mundiburdio parentum*: BVRCARD. *Decret.* XVIIII. *p.* 268. feminas *viuere ſub poteſtate et in mundio virorum*: LEX LANGOBARD. *Lib.* II. *tit.* 10. pupillos *eſſe in poteſtate et in mundio tutorum*: LEX LANGOB. *Lib.* II. *tit.* 34. §. 4. libertos *factos eſſe iamundlingos vel mundmannos.* LINDENBR. *Priuil. eccl. Hamb. p.* 149. *p.* 155. *et* 156. HVND. *Metrop. Saliſb. Tom. I. p.* 240. Eccleſiae autem tam ſaepe in *mundio*, *mundiburdio*, *mundiburde Regum* et Principum eſſe dicuntur, vt ipſa horum diplomata, quibus earum defenſionem in ſe ſuſcipiunt, *mundiburdia* vocentur. CAR. DV FRESNE *Gloſſar. med. Latin. p.* 696. *ſequ. Tom.* II.

* MVND Germanis eſt os. Quum vero ad eorum, qui alios in poteſtate habent, officium pertineat, eis ore praecipere, eosque verbis, quoties opus eſt, defendere: vſu inualuit, vt *mund* pro poteſtate ac tuitione acciperetur. Id vero vel inde patet, quod veteres *in mundio eſſe* Latine exprimerent *in verbo, ſermone vel ore eſſe.* LEX SALICA *tit.* 14. §. 5. *Si pupilla, quae trahitur,* IN VERBIS *regis fuerit.* Et *tit.* 59. §. 1. *Rex eum extra* SERMONEM *ponet.* Add. MARCVLF. *Lib. I. Form.* 24. GREGOR. TVRON. *Hiſtor. Lib. VIIII. cap.* 42. Qua notione et Graecum λόγοι apud ſcriptores Byzantinos occurrere, obſeruauit CAR. DV FRESNE *Gloſſar. Lat. p.* 1280. *ſequ. Tom.* III. Nihil ergo frigidius eſt etymologia, quam ex GVILLIERMI BRITTONIS *vocabulario* MSC. et *Auctore Mammotrecti* profert IDEM *Tom.* II. *p.* 695. *Mundus muliebris dicitur apparatus ad ornatum mulieris: vnde et miniſtros talium mundiburdos vocamus.*

§. CXXXIII.

Poteſtas, tutela et mundium Germanis aure-

Hi omnes itaque Germanis erant ſub alterius poteſtate, tutela vel *mundio*, qui non gratis illorum tuitione fungebantur; quum tutores plerumque vel per eiuſmodi perſonas adquirerent, vel ſpem haberent, eorum in bona ſuccedendi. Vnde recte BEYERVS *Specim. Iur. Germ. Lib.* III. *cap.* 10. §. 14. obſeruat, *poteſtatem*

Quinam ſui iuris?

tem Germanis conſtanter vocari tutelam, (*Vormundſchafft*,) *quae penes patres, maritos & tutores eadem fuerit, et in iure vſusfructus, atque obligatione alterum alendi conſtitiſſe videatur.* Qui quaeue ergo in nullius ſiue parentis, ſiue domini, ſiue patroni, ſiue mariti, ſiue tutoris, ſiue aduocati, poteſtate, tutela vel mundio erat, is eaue erat ſui iuris, vocabaturque AMOND. LEX LANGOB. *Lib.* II. *tit.* 2. §. 34.

§. CXXXIIII.

Quae liberorum conditio temporibus Taciti?

Aſt de dominica poteſtate iam ſupra ſatis ſuperque diximus. (§. 38. ſequ.) Itaque iam de ea, quae parentibus iure Germanico competit in liberos, erit diſſerendum. De parentum liberorumque conditione vix quidquam refert TACITVS *de Morib. Germ. cap.* 20. niſi quod *hi in omni domo nudi egerint ac ſordidi: quod ſua quemque mater vberibus aluerit, nec infantes ancillis aut nutricibus fuerint delegati: quod denique inter eadem pecora, in eadem humo degerint, donec aetas ſepararit ingenuos, virtus agnouerit.* Itaque ignota maioribus fuit delicatior educatio, nec liberos puduiſſe videtur, miniſteria domeſtica cum matribus et ſororibus obire. TAC. *cap.* 25. Ceterum haec omnia ad patriam poteſtatem nihil omnino facere, facile intelligitur.

§. CXXXV.

Parentibus videtur ius vitae et necis fuiſſe in liberos.

Contra de Gallis memoriae prodidit IVL. CAESAR *de Bello Gall. Lib.* VI. *cap.* 19. *viros* apud illos *in vxores pariter, ac liberos, vitae neciſque habuiſſe poteſtatem.* Quod de Germanis etiam dici poſſe videtur, quamuis non deſint, qui in Germania antiqua parentibus nunquam eiuſmodi poteſtatem competiiſſe contendunt *. Vid. THOMAS. *de Vſu pract. tit. Inſt. de patr. poteſt. cap.* 2. §. 3. *ſequ.*

* Primo enim eius iuris non meminiſſe obſeruant veteres. Deinde CAESAREM *Lib.* VI. *cap.* 21. diligenter deſcripſiſſe mores Germanorum, eosque comparaſſe cum Gallorum inſtitutis: ſed nihil illum memoriae prodidiſſe de iure vitae ac necis, quo parentes in Germania vſi ſint in liberos. Potius *numerum liberorum finire, aut quemquam ex agnatis necare flagitium habitum eſſe*, teſte TACITO *de Mor. Germ. cap.* 19. Denique quum CAESAR Gallis in vxores aeque, ac in liberos, ius vitae ac necis fuiſſe ſcribat, Germanos autem in vxores tam rigida poteſtate vſos eſſe, non conſtet: probabile videri, eosdem nec in liberos eo modo animaduertere potuiſſe. Sed primo communes fuiſſe Celtis omnibus huiusmodi mores nouimus. (§. 1. *) Deinde, quum CAESAR ea tantum notarit, in quibus Germani eſſent Gallis diſſimiles, et hic tamen nihil diuerſum apud Germanos deprehenderit: nullum eſt dubium, quin iis hactenus omnia conuenerint. Praeterea locus

TACITI tantum pertinet ad procurationem abortus et expoſitionem infantum, quae flagitia ignoraſſe Germanos, facile largimur. Denique ius vitae et necis maritis fuiſſe in vxores, miramur quemquam negare, quum illud Germanis tribuerit TACIT. *de Mor. Germ. cap.* 19.

§. CXXXVI.

Non tamen medio aeuo.

At facile largimur, eam poteſtatem, ſi antiquis Germanis conceſſa fuit, paullatim ab vſu receſſiſſe iis ſaeculis, quibus Chriſtianae religionis cultus rudioribus Germanorum moribus rubiginem veluti deterſit, relicta parentibus modica tantum caſtigandi facultate. Sic LEX WISIGOTHICA *Lib. IIII. tit.* 5. §. 1. *Flagellandi*, inquit, *et corripiendi liberos, quam diu ſunt in familia conſtituti, tam auo, quam auiae, ſeu patri, quam matri, poteſtas manebit.* Contra eadem lex liberos, qui iniuriam atrocem intulerint parentibus, a iudice virgis caedi, et liberorum caedem capitalem eſſe iubet. * *Lib. VI. tit.* 3. §. 7.

* Attamen LEX LANGOB. *Lib.* II. *tit.* 9. §. 2. reliquis ea in re paullo durior, parentibus facit poteſtatem filiam, quae in ſerui torum ſua ſponte conceſſerat, *vel occidendi, vel foris prouinciam transuendendi, et de rebus ipſius mulieris faciendi, quod voluerint.* Vbi clariſſ. POLAC. *Syſtem. Iuriſpr. Germ. Lib. I. cap.* 12. §. 2. inde non ſequi putat, vt Langobardi parentibus ius vitae et necis conceſſerint, quia ſpecialis hic caſus ponat delictum aliquod atrocius. At tale ſemper ponit ius vitae et necis, niſi pro eo iure nobis ſummam iniuriam, et barbaram in viſcera veluti ſaeuiendi licentiam concipiamus.

§. CXXXVII.

An ius venumdandi.

Ius venumdandi liberos Germanis parentibus fuiſſe, plerique negant. THOMAS. *ibid.* §. 6. Et ſane id verum eſſe de WISIGOTHIS, patet ex hoc loco *Lib. V. tit.* 4. §. 12. *Parentibus filios ſuos vendere non liceat, aut donare, vel oppignorare: nec ex illis aliquid iuri ſuo defendat ille, qui acceperit, ſed magis pretium vel ſepoſitionis commodum, quod dederat, perdat, qui a parentibus filium comparauit.* At hoc quoque non commune omnibus Germanis inſtitutum fuit. Oſtrogothi enim *liberos, cogente neceſſitate, alimentorum gratia vendi* patiebantur, ſalua ingenuitate. EDICT. THEODORICI *cap.* 94. Et apud gentes pleraſque Germanicas non modo parentes, ſed et fratres alioſque agnatos, filias, ſorores, agnatas, aliis in matrimonium vendidiſſe, ſuo loco oſtendemus. Quin adhuc in IVRE PROV. ALAM. *cap.* 407. legimus: *Wo ein Mann ſein Kind verkaufft durch ehehaffte Noth, das thut er*

er vvol mit recht. Er ſoll es aber nicht verkauffen, daſs man es thât in das Hurhauſs: er mag es einem Herrn vvol zu eigen geben. Similia legas in GLOSSA IVR. SAX. *Lib. I. art.* 13. *n.* 2. *et* 3. niſi quod huius auctor, ſe ea ex iure Quiritium didiciſſe, fatetur.

§. CXXXVIII.

Reliqua iuris parentum in liberos effecta in eo conſtitiſſe medio aeuo, animaduertimus, quod I. parentibus fas eſſet liberorum bona tutelae nomine adminiſtrare, IVS WISIG. *Lib. IIII. tit.* 2. *§.* 12. II. actiones liberorum dirigere, poſteriſque praeſcribere, quid fieri vellent. CAPITVL. *Lib. VI. cap.* 148. III. Quod ſine eorum conſenſu liberi nec nuptias contrahere, nec quidquam magni momenti ſuſcipere poſſent. LEX LANGOB. *Lib. II. tit.* 2. *§.* 2. Denique IIII. quod communis eſſet vtrique parenti ea poteſtas, et matri non minus, quam patri, competeret *, adeoque V. vere non in dominio, quemadmodum apud Romanos, conſiſteret, (vid. CORN. VAN BYNKERSH. *de Iure occid. liberos cap.* 1. *p.* 145.) ſed in mundio, vel tutela, vel poteſtate tuendi perſonas, adminiſtrandique bona liberorum, qui ipſi ſe nondum ſponte defendere poſſent, ab ipſo naturali iure parentibus permiſſa. HVB. GIPHAN. *Comment. ad tit. de patr. pot. p.* 41. Axiomata de parentum in Germania poteſtate.

* Hinc plane Germanica ſunt, quae diſerte ſancit LEX WISIGOTHORVM, *Lib. IIII. tit.* 2. §. 13. *vt, patre mortuo, filii in* MATRIS POTESTATE *conſiſtant, et quod ſi marito ſuperſtite, vxor forſitan moriatur, filii, qui ſunt de eodem matrimonio procreati, in patris poteſtate conſiſtant.* Gemina eſt ſanctio LEGIS BVRGVNDICAE *tit.* 59. *Si mater nubere, electa caſtitate, diſtulerit, filii* CVM OMNI FACVLTATE *in eius ſolatio et* POTESTATE *conſiſtant.* Conf. LEX BAIVVAR. *Tit.* 14. *tit.* 6. *et* 7. *§.* 1. 2. 3. Itaque, conſtante matrimonio, par erat vtriusque coniugis in liberos poteſtas: et poſtea alterius praemortui ius ſuperſtiti adcreſcebat. Hinc eſt, quod ex eiusdem legis principiis vtroque parente, id eſt, patre et matre, intra 25. annos orbati, *pupilli* haberentur. Quod quam praeclare conueniat Germanorum inſtitutis, argumento eſſe poteſt loquutio Germanica πολυθρύλλητος. *Vater-und Mutterloſſe vvayſen.*

§. CXXXVIIII.

Quum ergo ex principiis iuris Germanici fas ſit parentibus, bona liberorum tutelae nomine adminiſtrare: (*§.* 138. I.) conſequi videbatur, (I. vt, quidquid liberis bonorum alicunde obtigiſſet, ex eo vterque parens fructus, conſtante matrimonio, communiter perciperet, (tutelam enim legitimam fere fructua- Parentum adminiſtratio fructuaria.

Digitized by Google

fructuariam fuiſſe, ſuo loco demonſtrabimus,) at, (2. mortuo patre, vſusfructus vel totus, vel pro parte, matri viduae relinqueretur. * Lex Wisig. *Lib. IIII. tit.* 2. §. 14. lex Bvrg. *tit.* 59. lex Baivvar. *tit.* 6. *et* 7. Ex quo non difficile eſt intellectu, (3. vſumfructum bonorum aduentitiorum patribus in Germania non primum ex iure Romano acceſſiſſe, ſed ex antiquo iure Germanico ſupereſſe: (4. eiuſdemque originis eſſe vſumfructum maternum *, qui etiamnum obtinet apud Gallos, Molin. *Conſuet. Pariſ. art.* 240. Angleberm. *Conſu. Aurelian. artic.* 216. Sainson. *Conſuet. Turonenſium* §. 358. Lamb. Goris. *Prodrom. Adu. Iur. cap.* 21. *n.* 5. *p.* 165. Belgas, Beck. *de Teſtam. coniug. Lib. V. cap.* 6. *n.* 2. *p.* 645. Lamb. Goris *ibid. n.* 3. 5. 12. Suecos, Loccen. *Iur. prou. Suec. tit.* 2. *cap.* 15. Francos hodiernos, Ivst. Verac. *Conſuet. Bamb. Part. II. quaeſt.* 1. *et* 2. Thuringos, Richt. *deciſ.* 18. *n.* 11. Colonienſes, Mindenſes, reliquoſque Weſtphalos, Hamburgenſes, alioſque, de quibus ex inſtituto egimus *in diſſert. de vſufruct. matern. iur. German. inprimis Hamb.* §. 14. *ſequ.*

* Fuere tamen gentes Germanicae, quae tantum abeſt, vt liberos in poteſtate matris viduae eſſe, aut vſumfructum ex eorum bonis percipere paterentur, vt potius ipſam matrem filiorum, aliorumque vel agnatorum, vel cognatorum, tutelae ſubiicerent. Diuerſi enim ea in re erant mores Francorum et Saxonum. Vid. lex Sal. *Tit.* 46. §. 1. *ſequ.* lex Sax. *Tit* 7. §. 2. 3. *ſequ.* Et tamen poſtea Saxonibus quoque hic vſusfructus maternus placuit. Vide *Diſſ. noſtr.* paullo ante citatam §. 21. *ſequ.* Quamuis et ibi, vti in pleriſque Germaniae ciuitatibus, hunc morem ita aboleuerit ius Romanum, vt paſſim nec vola eiusdem, nec veſtigium ſuperſit.

§. CXXXX.

Liberorum actiones quatenus dirigant?

Quumque ipſa naturalis ratio parentibus permittat ius, actiones liberorum dirigendi, iiſque et in futurum conſulendi: (§. 138. 2.) ne Germanis quidem parentibus deneganda erit haec facultas. Atque inde eſt, quod (5. pater materque in communibus liberis educandis ſocias ſibi operas praeſtent, (6. immorigeros aequali iure coerceant, et in ordinem cogant, (7. iis de futuro vitae genere proſpiciant, et (8. liberi matris non minus, quam patris, facta praeſtare cogantur, niſi hereditate abſtinere malint.

§. CXXXXI.

Digitized by Google

§. CXXXXI.

Quandoquidem etiam ſine parentum conſenſu nihil alicuius momenti ſuſcipere poſſunt liberi : (§. 138. 3.) facile patet , (9. cur iure Germanico nullae ſint nuptiae ſine conſilio et conſenſu parentum factae , quamuis , matrimonii honori parcendum eſſe , quidam malint , ac proinde diuellendas non putent huiuſmodi nuptias *. SPEC. SVEV. *cap.* 381. SIM. VAN LEVWEN *Cenſ. for. Part. I. Lib. I. cap.* 13. *n.* 9. (10. Cur , diſſenſu inter parentes orto , ceteris quidem paribus patris ; CARPZ. *Iuriſpr. Conſiſt. Lib. I. tit.* 3. *def.* 44. alioquin eius , qui iuſtiores ſui conſilii rationes habet , voluntas ſit praeferenda : idemque (11. ſtatuendum videatur , ſi circa educationem liberorum , eligendumque iis vitae genus , in diuerſa abeant parentes. Sine eorum conſenſu nihil agunt liberi.

* Veteres Germanos diremiſſe nuptias , inuitis parentibus contractas , ſatis patet ex LEG. ALAMANN. *tit.* 54. §. 1. Quum enim mulier perueniret in mundium mariti , (§. 132.) et de tutela parentum , in qua erat mulier , ſine eorum conſenſu nihil omnino deminui poſſet : conſequens erat , vt , deficiente eo conſenſu , hae nuptiae nullae eſſent , nec vir in feminam quidquam poteſtatis conſequeretur. Eadem principia hodie ſeruare ius Hennebergicum , obſeruat SCHILTER. *Exerc.* 3. §. 12. Sed et in Marchia idem obtinere , diſcimus ex EDICTO BRAND. *de Matrimon. anni* 1694. §. 14. *ſequ.* At, quod non vbique hic rigor obſeruatur, id inter reliquias principii Romanenſium de ſacramento matrimonii videtur referendum.

§. CXXXXII.

Quum porro communis ſit in Germania vtrique parenti illa poteſtas : (§. 138. 4.) non mirum eſt, (12. ea fere eodem iure agere matrem , quae patri , inualeſcente iuris Romani vſu , acceſſerunt , veluti (13. vt ipſa quoque liberis tutorem teſtamento conſtituat. Nec obiici poteſt , tutorem tamen , a matre teſtamento datum , eſſe confirmandum , quum commune id ſit iure Germanico tutoribus omnibus, etiam a patre rite datis. Mater etiam tutorem dat teſtamento.

§. CXXXXIII.

Denique quum parentum in Germania poteſtas non alia ſit , quam quae ex iure naturae et gentium proficiſcitur : (§. 138. 5.) facile intelliges , (14. eam non eſſe perpetuam , ſed ceſſare illico , ſi vel filius ſua quadra viuere coeperit , vel filia per nuptias in aliam familiam tranſierit. (15. Eam poteſtatem etiam ad nepotes non porrigi , ſed hos , viuo et ſuperſtite auo , eſſe in poteſtate parentum ſuorum. (16. Ceſſare ergo iuris Romani Parentum in Germ. poteſtas ex iure naturae eſt.

axioma, quod patrem et filium pro vna perſona haberi iubet, ac proinde (17. non raro in Germania et pacta inter parentes et liberos iniri, et (18. actiones, nulla licet intercedente emancipatione, naſci. BEYER. *Specim. Iur. Germ. ibid.* §. 41. *ſequ. p.* 116. Quamuis (19. hic multa nouarint iureconſulti, ſoli iurisprudentiae Romanae, tamquam glebae, adſcripti. THOMAS. *Diſſ. de quaſiemancip. Germ.* nec non *de vſu practico doctrin. Inſt. quib. mod. patr. pot. ſolu. cap.* 2.

§. CXXXXIIII.

Nihilque commune habet cum patria poteſtate Romanorum.

Ex quo ſimul intelligitur, (20. quam inanis ſit quaeſtio, an ius patriae poteſtatis Romanorum in Germania abolitum ſit? quamque male (21. is, qui conſtitutiones Auguſti Electoris Saxoniae fecit, rationes inierit, dum ſcripſit: *Weil in den Sächſiſchen Rechten nirgends zu befinden, daſs die väterliche Gewalt inſonderheit aufgehoben, ſo bleibe auch dieſelbe nochmals nicht unbillig beſtehen. Part. II. Conſtit. X.* quum potius (22. expendere ille debuiſſet, id, quod numquam in vſum venit, abrogatione non indigere, et (23. hodie quoque veriſſimum eſſe, quod ſcripſit IVSTINIANVS §. 2. *Inſt. de patr. poteſt. Ius poteſtatis in liberos* PROPRIVM *eſſe ciuium Romanorum, nec eſſe* ALIOS HOMINES, *qui talem in liberos poteſtatem habeant, qualem Romani habuerint.*

TIT. VII.

QVIBVS MODIS IVS ILLVD POTESTATIS ADQVIRATVR.

§. CXXXXV.

Modi adquirendi poteſtatem Germanis non iidem, qui Romanis.

TAlis fuit, et etiamnum apud nos eſt parentum poteſtas: iam, quomodo illa adquiratur, facile intelligitur. Quum enim illa apud Germanos in mundio vel tutela conſtiterit, (§. 138. 5.) ac proinde, vt recte obſeruat BEYERVS *Spec. Iur. Germ. Lib. I. cap.* 26. §. 7. *ſequ.* magis ad prolis, quam patris, vtilitatem fuerit comparata: vix ſuſpicandum eſt, parentes in Germania admodum fuiſſe ſollicitos, vt liberos ADOPTIONE vel LEGITIMATIONE ſibi quaererent, ſed modum adquirendi hanc poteſta-

poteſtatem vnicum fere, et maxime naturalem, illis fuiſſe IVSTAS NVPTIAS.

§. CXXXXVI.

Itaque et in Germania liberi legitimi videbantur, quotquot ex iuſtis nuptiis erant procreati. Et quidem ſi verum eſt, quod refert TACITVS *de Morib. Germ. cap.* 18. *et* 19. quod *ſeuera ibi matrimonia : quod mulieres ſepta pudicitia egerint, nullis conuiuiorum irritationibus corruptae* : itemque, *quod pauciſſima in tam numeroſa gente adulteria, eorumque poena praeſens et maritis permiſſa fuerit :* fieri non poteſt, quin pauciſſimi etiam fuerint liberi ex adulterio procreati. At quia vitia erunt, dum erunt homines : non difficile probatu fuerit, etiam in Germania liberos *naturales*, *ſpurios*, denique ex *adulterio* atque *inceſtu* natos, repertos fuiſſe, quamuis pauciores. * Liberi legitimi ex iuſtis nuptiis nati.

* Miris laudibus veteres celebrant Germanorum pudicitiam. *Solos barbarorum ſingulis vxoribus contentos viuere*, ſcribit TACIT. *cap.* 18. Idemque refert, *eſſe ciuitates, in quibus tantum virgines nubant, et cum ſpe votoque vxoris ſemel tranſigatur.* Adſtipulatur TACITO CAESAR, qui *Lib. VI. de Bello Gall. cap.* 15. *intra viceſimum annum feminae notitiam habuiſſe, in turpiſſimis rebus ab iis haberi*, tradit, quin, ſi eidem fidem habemus, nudi homines virginibus parum a ſtatuis differre viſi ſunt, quia nulla pubertatis occultatio fuit, vtroque ſexu *promiſcue lauante in fluminibus, magna parte corporis nuda.* Aliquot ſaeculis poſt IVLIANVS *in Miſopog. p.* 107. Gallos et Germanos Venerem, nuptiarum Deam, *γάμου τε ὄντα καὶ παιδοποιίας μόνον*, *coniugii prolisque tantum gratia noſſe*, ſcribit. Vandali, teſte SALVIANO *de gubernat. Dei Lib. VIII. p.* 256. ed. BALVZ. gladio coercebant impudicitiam. Varnis femina, de cuius nuptiis tantummodo actum, etiamſi corpore eſſet integra, pro corrupta habebatur, nec vnquam ab iis ſponſae, niſi ob ſtuprum, repudium dabatur. PROCOP. *de Bello Goth. Lib. IIII.* Saxones quoque *crudelitate efferos, ſed caſtitate mirandos*, vocat SALVIAN. *ibid. p.* 223. et ſimiles laudes addit de Gothis, quos *mundare caſtitate*, ait, *quae Romani fornicatione polluerint.* Enimuero fuere et tum, qui ob nobilitatem plurimis nuptiis ambirentur : TACIT. *cap.* 18. exemplumque Ariouiſti memorat CAESAR *de Bello Gall. Lib. I. cap.* 38. qui duas vxores ſecum in Galliam duxerat, Sueuam alteram, alteram Noricam. Et quidquid de inſigni maiorum caſtitate iactant veteres, id omne comparate intelligendum. Sanctiora vtique Celtis omnibus erant matrimonia, quam Romanis, ſed ideo non ignota genti erant ſtupra, adulteria, aliaeque foedae libidines, quae eo magis gliſcebant, quo frequentior illis ab Auguſti temporibus cum Romanis conſuetudo intercedebat.

§. CXXXXVII.

Medio aeuo inter Regum filios legitimos et illegitimos nulla differentia fuit.

At quae temporibus illis liberorum illegitimorum fuerit conditio, hodie non conſtat, niſi quod IVLIANVS *Epiſt. ad Maximum p. m.* 181. Gallos liberos recens natos Rheno immerſiſſe refert, vt explorarent, natarentne, an mergerentur, hinc impurae originis, illinc honeſtorum natalium argumentum petituri. Adde LIPS. *ad* TACITI *de Mor. Germ. p.* 556. Medio aeuo, quod ad Regum liberos illegitimos, et ex impare natos matrimonio, attinet, inter hos et legitimos, ſaltim apud Francorum primae ſtirpis Reges, * parum diſcriminis fuit. Illos enim non minus regnum patrium creuiſſe, quam hos, probari poteſt exemplis Theodorici, GEST. FRANC. EPITOM. *cap.* 14. Theodebaldi, GREG. TVRON. *Hiſt. III.* 27. Sigeberti et Chilperici, GREG. TVRON. *ibid.* 4. 5. Similia exempla ſufficiunt annales Viſigothorum, ISIDOR. HISP. *Chron. Goth. ad eram* 545. Danorum, ADAM. BREM. *Hiſt. Eccl. Lib. II. cap.* 54. et Normannorum. STVRLES. *Hiſt. Noruag. p.* 67. *ſequ.*

* Generatim enim GREG. TVR. *Hiſt. Lib. V. cap.* 21. obſeruat, *praetermiſſis feminarum generibus, regis vocatos eſſe liberos, qui de regibus fuerint procreati.* At ſub altera ſtirpe iam dubitatum eſt, an regum nothi ad ſucceſſionem eſſent vocandi? Caroli M. filii naturales, Hugo et Drogo, vitam monaſticam ſectabantur. Carolomanni notho, Arnulfo, ſola Carinthia ex regno paterno ceſſit. REGINO *ad ann.* 880. Carolus, Craſſus, Bernardo, ex concubina filio, ſucceſſionem deſtinauerat, ſed irrito conſilio, ceu patet ex ANNAL. LAMBEC. *ad ann.* 885. Magis ex voto res ceſſerat Arnulfo, Imperatori, qui poſt multa cum Lotharingis certamina Zuenteboldo, notho, Lotharingiae regnum viuus contulit in comitiis Wormatienſibus, REGINO et ANNAL. MET. *ad ann.* 894. *et* 895. quamuis aegre principem hunc ob natalium maculam ferrent Lotharingici proceres, nec prius quieſcerent, quam eum vita ac imperio priuaſſent. REGINO *ad ann.* 900.

§. CXXXXVIII.

Spurii ac illegitimi priuatorum nec in poteſtate, nec heredes erant ſub Francis.

Idemne inſtitutum etiam inter priuatos fuerit, non facile dixerim. LEGE ſane ALAMANNICA non niſi ii liberi patris in poteſtate erant, in quorum matrem hic poteſtatem vel *mundium* acceperat. *Mundium* autem in aliam, quam vxorem, nec ab aliis, quam eius parentibus vel priore marito, cui fortaſſis ſubducta erat mulier, impetrare nemo poterat. LEX. ALAM. *tit.* 51. §. 2. *et tit.* 54. §. 3. Apud LANGOBARDOS quoque ex inceſtis nati nuptiis non erant patri heredes: *Lib. II. tit.* 8. §. 3. nec legitimi habebantur, qui ex aldia vel ancilla aliena, licet

vxore,

Digitized by Google

vxore, non impetrata manumiſſione, * fuerant editi. LEX LANGOB. *Lib. II. tit.* 1. §. 9. Similia de inceſtuoſis ad hereditatem non admittendis ſunt in CAPITVL. REG. FR. *Lib. VI. cap.* 307. *et Addit. Ludou. III. cap.* 69. quin et multo ante in LEGE SAL. *tit.* 14. §. 12. quae et infamia huiuſmodi liberos notat.

* Vocatur manumiſſa LEGE LANGOBARDICA *ibid. et* §. 8. WIDERBORAN, id eſt, *wiedergebohren*, eamque loquutionem procul dubio Langobardi a Romanis didicerant, qui natalibus reſtitutos, quales ex IVSTINIANI lege erant omnes libertini, *regenitos*, ipſamque illam natalium reſtitutionem παλιγγενεσίαν ſeu *regenerationem* vocabant. NOVELL. *LXXVIII. cap.* 1.

§. CXXXXVIIII.

Quin inſequentibus temporibus infames habebantur et ſeruilis conditionis.

Multo magis odio eſſe coeperunt liberi, extra matrimonium nati, inſequentibus temporibus, quum canones pontificumque conſtitutiones omnem coniunctionem extra matrimonium prohiberent, ipſumque concubinatum, quamuis vſu ſatis frequentem, pro illicita coniunctione haberent. Ex eo enim inualuit, vt liberi illuſtrium, ex concubinatu vel ex matrimonio ad morganaticam nati, hereditatis exſortes eſſent, ceu vel turbae inter Albertum Thuringiae Landgrauium, eiuſque filios legitimos ortae oſtendunt: HIST. LANDG. THVR. *cap.* 73. ſpurii vero priuatorum, quin omnes illegitimi, plane infames, * (IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 37. IVS PROV. SVEV. *art.* 410.) immo et ſeruilis conditionis, ac inteſtabiles haberentur, niſi illis ea conditio principum indulgentia remitteretur. MIR. *Dipl. Belg. Lib. I. cap.* 85. *Priuileg. Palat. apud* THVLEMAR. *de Octouir. cap.* 18. §. 27. *p.* 257. *ſequ.* ZYP. *Notit. iur. Belg. p.* 186. *ſequ.*

* Hinc excluſi ſunt ab honoribus nothi, non modo plebeiorum quorumuis, ſed et clericorum, qui in focariarum amplexus ruiſſent. Sane in *Ouonis I. Regis Addit. ad Leg. Langob. tit.* 7. *apud* ECCARD. *ad Leg. Sal. pag.* 200. legimus: *Diaconorum, epiſcoporum, presbyterorum filios notarios, ſculdaſios, comites, iudices fieri, omnibus modis prohibemus.* Et Fridericus I. Imp. teſte ABB. VRSPERG. *ad ann.* 1187. *filios presbyterorum, diaconorum, ruſticorumque, cingulum militare aliquatenus adſumere vetuit*, eoſque *qui iam adſumſerint, per iudicem prouinciae a militia pelli* iuſſit. At principum liberis naturalibus tantum abeſt, vt macula aliqua haerere vita ſit, vt ipſi titulum *baſtardi* adſcripſerint nominibus ſuis, e. g. *Ego Guilielmus cognomento Baſtardus.* CAR. DV FRESNE *Gloſſ. Tom. I. p.* 502. Et in Belgarum annalibus ſatis notus eſt Antonius, filius naturalis Philippi, Burgundiae Ducis, quem tum vulgo vocabant *de groote Baſtard van Burgund.*

Digitized by Google

§. CL.

Legitimatio per pallium.

Quum itaque haec eſſet illegitimorum conditio : mos paullatim inualuit, vt liberi huiuſmodi per LEGITIMATIONEM in parentum poteſtatem redigerentur. Ad quam tamen conſequendam non ſuffeciſſe ſubſequens matrimonium, vel inde colligo, quod, quum Albertus, Degener, Thur. Landgrauius, Cunegundim, concubinam, poſtea vxorem duceret, Apicius tamen nothus iura filii legitimi non conſequeretur. Hist. Landgr. Thvr. *ibid. ad ann.* 1287. Solebant tamen filius vel filia, ante initum matrimonium nati, dum parente ritu eccleſiaſtico iungebantur, ſub palla matris latitare, eoque modo iura legitimorum conſequi, dicti inde *Mantel-Kinder.* Car. dv Fresne *Gloſſar. Lat. Tom. III. p.* 102. Dietherr. *Contin. Theſaur. Beſold. p.* 384. Legitimationis, papae reſcripto ſaeculo XIII. factae, exemplum eſt in Chronico Mont. Ser. *ad ann.* 1201. *p.* 71. auctoritate Imperatoris apud avctorem *Hiſt. de Landgr. Thur. p.* 443. *edit. Eccardi.*

§. CLI.

Adoptionis in Germania antiqua nullum veſtigium.

Adoptio an Germanis nota fuerit Taciti temporibus, ego ſcire me fateor cum ignariſſimis. Scribit quidem auctor iſte celeberrimus, *cap.* 20. *ſororum filiis eumdem apud auunculum, qui apud patrem, honorem fuiſſe, et quondam ſanctiorem arctioremque hunc nexum ſanguinis eſſe arbitratos* : ſed haec non magis ad adoptionem pertinere videntur, quam ad tutelam, ad quam locum iſtum retulit Hert. *Notit. vet. Germ. pop. Part. I. cap.* 3. §. 4.

§. CLII.

Varii adoptionis ritus, ſed nullius fere effectus.

Medio aeuo varii memorantur adoptionis ritus, veluti per arma, id eſt equos, enſes, clypeos, et reliqua inſtrumenta bellica, quorum traditione vel transmiſſione Theodericus, Oſtrogothorum rex, regem Herulorum; Iuſtinianus imp. Athalaricum, Oſtrogothorum regem; Iuſtinus imp. Cabadem Perſam, alii alios, adoptaſſe dicuntur : Cassiodor. *Var. Lib.* 4. *cap.* 2. *et Lib. VIII. cap.* 1. Procop. *de Bello Perſic. Lib. I. cap.* 11. Iornand. *de reb. Getic. cap.* 57. itemque per comam vel capillvm reſectum, de quo Pavll. Warnefr. *de Geſt. Langob. Lib. VI. cap.* 53. Otto Frising. *Chron. Lib. I. cap.* 16. Pith. *Aduerſ. Lib. I. cap.* 1. Car. dv Fresne *ad Ioinuill. Diſſ. XXII.* Ev. Otto *Iuriſp. Symb. Exerc. III. cap.* 9. nec non per tac-

TAM

TAM vel RESECTAM BARBAM, quo ritu ab Alarico, Gothorum rege, adoptatus eſt Chlodouaeus, rex Francorum, AIMON. *de Geſt. Franc. Lib. I. cap.* 20. a Gregorio, Romanorum patricio, Taſo. IDEM *Lib.* IIII. *cap.* 32. PAVLL. WARNEFR. *Lib.* IIII. *de geſt. Lang. cap.* 40. Sed omnes hae adoptiones non ad adquirendam patriam poteſtatem, ſed vel ad honorem, vel ad religionem fuere comparatae, * vti adoptiones per baptiſmum, per catechiſmum, per confirmationem, mitram, mantum, poenitentiam, de quibus EV. OTTO *Iurisp. Symb. Exerc. III. cap.* 7. *et* 8.

* Sic Luitprandum Pipino adtondiſſe capillos, ſcribit OTTO FRIS. *Chron. Lib. I. cap.* 16. *vt pater illi ſpiritualis exſiſteret.* Alaricus, tacta Clodouaei barba, factus dicitur *eius patrinus.* COLLECT. HIST. *Lib.* 3. *cap.* 10. apud CANIS. *Ant. Lect. Tom. II.* Per arma adoptatus filii quidem vel nepotis nomen ſumebat, ſed ſine effectu ciuili, quum nec in patriam poteſtatem perueniret, nec hereditatis eſſet particeps. PITH. *Aduerſ. l.* 1. Nec alia fuiſſe videtur adoptio, qua Carolus Craſſus Imp. Ludouicum Boſonis filium, in filii locum ſuſcepiſſe dicitur. Vid. HERM. CONTRACT. *Chron. ad ann.* 887. *edit.* CANIS.

§. CLIII.

Raro adoptiui iura filiorum vere conſequuti.

At aliquando tamen iiſdem ſimilibuſque ritibus vtebantur, ſi non ſolum filii vocabulum, ſed et ipſam hereditatem, aliaque liberorum iura in adoptatum tranſire vellent. Sic Guntchramnus, Rex Francorum, quum liberos mares non ſuſcepiſſet, Childeberto, ad ſe vocato, porrexit haſtam, addiditque: *Hoc eſt indicium, quod tibi omne regnum meum tradidi.* GREG. TVRON. *Lib. VII. cap.* 33. Aliquando et TESTAMENTO cum in finem fiebat adoptio, vt adoptiuus in gentem, nomen, et bona teſtatoris tranſiret. Quod immediatos imperii equites ſaepe olim factitaſſe, obſeruat LERCH. *de Ord. equeſtri Part. I. n.* 12.

§. CLIIII.

De modis adquirendi poteſtatem axiomata.

Ex quibus patet, I. Germanis etiam liberos legitimos eſſe, qui ex iuſtis nuptiis prodierunt. II. Spurios, et alios illegitimos nec poteſtati patris ſubeſſe, nec eius hereditatem cernere, et III. plerumque ſatis abiectae conditionis eſſe, niſi a patribus illuſtribus agnoſcantur alanturque. IIII. Legitimationem, proprie ſic dictam, tum quae *per ſubſequens matrimonium*, tum, quae *per reſcriptum principis* fit, e iure Romano adoptaſſe Germanos, et eam tamen ſaepe in Germania cum Romana

mana nihil omnino commune habere. V. Adoptiones quoque hodie ſieri rarius, eaſque magis Romanae, quam Germanicae, originis eſſe. *

* Sunt tamen, qui non quidem adrogationes, ſed adoptiones illas, quae ad acta fiunt, originis Germanicae eſſe, contendunt. REINHARD. *Differ. iur. ciuil. et Saxon. Part. I. Diſſ. LI.* Eas enim praeſidium reperire putant in IVRE PROV. SAX. *Lib. II. art.* 30. *Wer iemand erbe zuſaget, nicht von ſippe halber, ſondern von der gabe des gelübdes wegen, das ſoll man halten vor vnrecht, vnd nicht glauben, man mag denn bezeugen, daſs das gelübde vor Gerichte beſtättiget ſey.* Geminum huic locum habes in LEGE LANGOB. *Lib. II. tit.* 16. *Qui filium legitimum non habueris, et alium quemlibet ſibi heredem facere volueris, coram comite, vel coram rege et ſcabinis, vel miſſo dominico, traditionem faciat.* Quem itidem de adoptione accipit clariſſ. POLAC. *Syſt. iuriſp. Germ. Lib. I. cap.* 11. §. 4. *p.* 43. Sed ſane neuter locus agit de filiofamilias, aut vel verbo meminit adoptionis, adeoque vterque potius ad pacta ſucceſſoria, vel donationem omnium bonorum in euentum mortis, quam ad adoptionem, pertinet.

§. CLV.

Conditio liberorum ex iuſtis nuptiis, et matrimonio ad morganaticam natorum.

Quum itaque et Germanis liberi legitimi ſint, qui ex iuſtis nuptiis prodierunt: (§. 154. 1.) ſequitur, (1. vt et iure Germanico pater ſit, quem iuſtae nuptiae demonſtrant. (2. Vt nati ex connubio ad morganaticam * legitimi quidem, et in parentum poteſtate ſint, nec tamen ab inteſtato ſuccedant vna cum legitimis, ſed ex pacto cum matre, et aliquando etiam cum liberis prioris matrimonii, vel agnatis, inito: MYLER AB EHRENBACH *in Gamol. perſ. illuſtr. cap.* 6. (3. Vt liberi huiuſmodi nec legitimam petere poſſint, nec (4. eiuſdem cum patre dignitatis et ordinis ſint. (5. Vt, ſi pater cum ſola matre huiuſmodi pacta inierit, ea in fauorem liberorum mutari poſſint, non autem, ſi pactus ſit cum liberis legitimis vel agnatis, quibus ius ex eo pacto quaeſitum auferri non poteſt. Vid. HENR. COCCEII *Diſſ. de lege morganatica.* BEYER. *Specim. Iur. Germ. Lib. I. cap.* 24. §. 16. *ſeqq.*

* Quamuis hoc pactum ita comparatum ſit, vt nihil obſtare videatur, quo minus et priuati illud inire poſſint, adeo, vt ne conſenſu quidem principis ad id opus eſſe videatur HORNIO *Iuriſpr. Feud. cap.* 6. §. 2. non facile tamen ſe hodie offeret exemplum eius matrimonii, niſi inter perſonas illuſtres, quarum intereſt, gentis ac familiae ſplendorem huiuſmodi pactis conſeruari. Quin exſtant Principum conſtitutiones, quae ne equeſtris quidem ordinis viros vxores ad legem morganaticam ducere patiuntur, de quibus infra ſuo loco plura monebimus.

§. CLVI.

Digitized by Google

§. CLVI.

Deinde ex altero axiomate (§. 64. 2.) conſequitur, (6. vt nihil admodum moribus Germaniae interſit inter naturales, ſpurios, adulterinos, inceſtuoſos, quum iſti non magis, quam reliqui, iuribus liberorum fruantur. Vt contra (7. non accenſeri oporteat ſpuriis aut naturalibus eos, qui contracto quidem iuſto matrimonio, at maturius, quam id natura exigit, nati ſunt, modo eos patres pro ſuis agnoſcant (8. Vt illegitimi, iure etiam Germanico, nec patri, nec agnatis ab inteſtato ſuccedant, multoque minus (9. feudi capaces habeantur. *II. Feud. XVI. §. naturales.* Ivs Fevd. Alam. *cap.* 1. §. 4. Ivs Fevd. Sax. *cap.* 11. Illegitimorum.

§. CLVII.

Nec minus ex tertio axiomate facile intelligitur, (10. cur ſpurii nec ad opificia addiſcenda, nec (11. facile ad dignitates admitti ſoleant. Quod adeo verum eſt, vt ruſtico, extra matrimonium nato, a praefecto vero ſculteti honore ornato, ſtatus controuerſiam a reliquis ruſticis moueri, meminerim. Vid. Responsvm *Iurid. in Diſſ. noſtra de leuis not. mac. §.* 35. Praeterea inde diſcimus, (12. cur olim et in conferendis honoribus academicis ratio habita ſit natalium, adeo, vt iureiurando adfirmare cogerentur candidati, ſe ex iuſto matrimonio natos eſſe: Itter. *de grad. acad. cap.* 7. §. 18. *ſequ. p.* 233. *ſequ.* et (13. cur hodienum ſpurii in Palatinatu cum reliquis *wildfangis*, ceu vocant, a fiſco in ſeruitutem vindicentur, eorumque inteſtatorum hereditas, (14. liberis non relictis, fiſco cedat. Ivs Prov. Palatin. *tit.* 8. An ad opificia et honores admittantur?

§. CLVIII.

Ex quarto axiomate (§. 154. 4.) reddimus rationem, (14. cur in Germania non modo liberi naturales, ſed et ſpurii, et adulterini, quin et matres eorum, legitimentur. Thomas. *de vſu pract. doctr. Inſt. de legitimat. cap.* 2. §. 2. (15. Cur ea legitimatio raro cauſſa patriae poteſtatis, at plerumque ad eluendam natalium maculam comparata ſit, ac proinde vocetur *das Ehrlich-machen.* Stryk. *Vſ. pandect. tit. de his qui ſunt ſui vel al. iur. §.* 15. (16. Cur et per ſubſequens matrimonium aeque, ac per reſcriptum, hodie ſpurii legitimentur. Stryk. *ibid.* §. 20. Thomas. *ibid.* §. 3. (17. Cur per illud contra *Nouell. LXXXVIIII.* 11. et inuiti legitimentur. * Thomas. *ibid. p.* 54. Legitimatio hodie a Romana diuerſa, tum quae fit per ſubſequens matrimonium,

* Scilicet hodie ea in re magis ſequimur ius canonicum, quam Romanum. Canones vero legitimationem inſeparabilem eſſe a legitimo matrimonio, ſtatuunt, ac proinde canoniſtae exiſtimant, et ſpurios, et adulterinos; inceſtuoſos, ſi diſpenſatio acceſſerit, per ſubſequens matrimonium legitimari. Gonzal. Tellez *ad cap. I. X. qui fil. ſint legit. n. vlt.*

§. CLVIIII.

Tum quae per reſcriptum principis.

Praeterea, (18. quum legitimatio maxime eluendae natalium maculae cauſſa fieri ſoleat: (§. 158. 15.) reſcriptum plerumque non a principibus et ordinibus imperii, ſed ab Imperatore, vel conſtitutis ab eo comitibus palatii Lateranenſis, peti ſolet: quamuis (19. principes, iurium ſuorum multo hodie, quam olim, ſeruantiores, illam comitum palatinorum poteſtatem in prouinciis ſuis variis reſcriptis ac conſtitutionibus coercuiſſe, ſciamus. Thomas. *ibid.* §. 4. Sed (20. huius quoque legitimationis effectus raro eſt patria poteſtas, vel ius patri ab inteſtato ſuccedendi.

§. CLX.

Adoptionis vſus hodiernus.

Denique ex axiomate poſtremo (§. 154. 5.) colligimus, (21. adoptiones pariter ac adrogationes hodie non quidem extra vſum eſſe, earumque exempla paſſim exſtare in Germania et Belgio, qualia ſunt collecta a Kvlpis. *Diſſ. de adopt. et emancipat. Princip.* §. 7. *ſequ.* Stryk. *Vſ. Pand. tit. de adopt. et capite minut.* Hvber. *Prael. ad tit. Inſt. de adopt.* §. 14. ſed tamen (22. iis non transferri patriam poteſtatem Romanam, ſed Germanicam, ac eatenus eas recte vocari poſſe improprias. Thomas. *Vſ. pract. doctr. de adopt. cap.* 2. §. 2. Potius (23. praecipuum earum effectum eſſe ius ſuccedendi ab inteſtato. * Non ſemper autem (24. adoptiuos nomen adoptantis adſciſcere, et (25. numquam aliquem adoptione vel arrogatione iura nobilitatis ſuccedendique in feudis conſequi, niſi princeps, qui adrogationem reſcripto ſuo firmat, ſimul ſit feudi dominus, et eum in finem aliquem adrogari patiatur, et nullus denique agnatus vel ſimul inueſtitus ſit, cui hac adrogatione ius quaeſitum auferatur. D. Knorr *Diſſ. de nobilit. adopt.*

* Ex quo patet, falſum eſſe, quod quidam ICti ſcribunt, adoptiuos hodie non fieri filiosfamilias, ſed alumnos. Gvdelin. *Iur. nouiſſ. Lib. I. cap.* 13. Vinn. *ad pr. Inſt. de adopt.* Groeneweg. *de Leg. abrog. ad pr. Inſt. et tit. C. de adopt.* Gregor. Tholos. *Syntagm. Lib. I. cap.* 6. Alumnis enim hereditas ab inteſtato non debetur, quum tamen debeatur adoptiuis.

§. CLXI.

§. CLXI.

An eius in locum ſurrogata vnio prolium?

Poſtremo (26. nemo non animaduertet, nihil commune cum adoptione habere vnionem prolium, neque (27. eam in adoptionis locum apud Germanos ſurrogatam eſſe, ceu vulgo exiſtimant, GIPHAN. *ad L. 2. C. de adopt.* HAHN. *ad Weſemb Paratitl. eod. tit. n. 6.* BESOLD. *Theſaur. pract.* voce *Einkindſchafft:* ſed (28. nihil aliud eſſe, quam pactum, inter coniuges initum in fauorem liberorum prioris matrimonii, vt hi vna cum liberis communibus vniuerſam hereditatem vtriuſque coniugis aequa lance diuidant. Quod pactum, miris captionibus obnoxium, (29. non niſi adhibitis liberorum tutoribus vel curatoribus. (30. ad acta, et (31. praeuia cauſſae cognitione, expenſisque vtriuſque patrimonii viribus, denique (32. interpoſito decreto, iniri poteſt, RICK. *de vnion. prol. cap. 3. n. 64.* MVSC. *de ſucceſſ. conuent. et anomal. membr. 3.* STRYK. *de ſucceſſ. ab int. Diſſ. VIII. cap. 6.* BEYER. *Spec. iur. Germ. Lib. I. cap. 25. et* (33. ob eamdem cauſſam, ſaltim in hoc Germaniae tractu, ſatis rarum eſt. STRYK. *Vſ. Pandect. tit. de adopt.* §. 9.

TIT. VII.

QVIBVS MODIS PARENTVM POTESTAS IVRE GERM. SOLVITVR.

§. CLXII.

Differentiae inter ius Rom. et Germanicum hac in re fundamentum.

QVia poteſtas, parentibus in Germania conceſſa, non eſt illa Romana, ſed iuris gentium, eaque magis ad liberorum, quam ad parentum, commodum pertinet: (§. 138. 5.) nemo, credo, ſuſpicabitur, eam iiſdem modis apud nos, ac olim Romae, ſolui, ſed, tacite liberos exire ſacris paternis, et in ſuam tutelam peruenire, ſimul ac a parentibus ali educarique deſinant, facile vnuſquiſque intelliget.

§. CLXIII.

Separatio filiorum tempore Taciti.

Et in antiqua quidem Germania id obſeruaſſe parentes ingenui * videntur, vt liberos iuſtae aetatis maſculos, iam paternis exituros penatibus, et ſuo ſibi ſudore victum et neceſſaria

ria vitae praeſidia quaeſituros, armis in publico aliquo conuentu incingerent, eoque ſigno oſtenderent, ſe eos e poteſtate ſua dimittere. TACITVS ſane *de morib. Germ. cap.* 13. vbi deſcripſit ſollemnem ritum, quo armis ornari ſolebant ingenui iuuenes, (§. 64.) ſtatim addit: *haec apud illos toga, hic primus iuuentae honos. Ante hoc* DOMVS *pars, mox* REIPVBLICAE. Itaque domus ſeu familiae pars eſſe deſierunt armis cincti, adeoque nullum eſt dubium, quin parentum poteſtate illico exierint.

* Idem procul dubio obſeruatum a nobilibus. Viuo ſane patre Sigimero, Arminius Cheruſcis praefuit, ſuiſque auſpiciis cum Romanis bellum geſſit, et Quintilium Varum fudit. FLOR. *Lib. IIII. cap.* 12. Serui an tum poteſtatem aliquam habuerint in liberos ſuos, non conſtat. Si quam habuerunt, eam ceſſaſſe veroſimile eſt, ſimul ac filii vel praedium a domino acciperent, vel alio laboris genere vitam tolerare coepiſſent. In re obſcura coniecturas ſequi non iniquum videtur.

§. CLXIIII.

Filiae quomodo poteſtate parentum exierint?

Quod ad filias attinet, eas, matrimonio inito, exiiſſe poteſtate parentum, nemo negauerit. Primo enim elocabantur, datis quibuſdam rebus, quibus tum pretium ſtatuebatur, armis puta, quae ad virum ferrent. TACIT. *de Morib. Germ. cap.* 20. Deinde tota foederis iſtius connubialis deſcriptio, quam ibi reperimus, manifeſto docet, vxorem in poteſtatem tutelamue mariti tranſiiſſe. Id quod denuo argumento eſt, poteſtatem vel tutelam parentum ſolutam eſſe. Hinc nubere Germanis iam ab antiquiſſimis temporibus fuit et etiamnum eſt *freyen*: * et puella, iam matura viro, iam plenis nubilis annis, Belgis etiam hodie vocatur *eine Freyſter* vel *Fryeſter*, quaſi quae iam veluti ſtatulibera, mox parentum penatibus exitura ſit.

* Antiquiſſimum ſane eſt hoc vocabulum. Nam in VLPHILAE *Euangeliis Gothicis* legimus *fragiptim*, quaſi *freygeben* pro deſpondere: *Luc. I.* 27. *Du magathai in fragiptim abim, thizei namo Ioſef.* id eſt: *Zu einer Magd, die freyen wolte einem, deſſen Name Ioſeph.* Et *Luc. II.* 5. *Mith Mariin ſeiin Fragiftim*, id eſt: *mit Maria, ſeiner Vertraueten.* Et in LEGE SALICA *tit.* 70. gloſſam Malbergicam: FRIFRA SIGENA GEORG. ECCARDVS *p.* 111. interpretatur: *freyen umb eine Frau, vnd ſich hernach zurück ziehen*, quod et rubrica iſtius tituli oſtendit: *De eo, qui filiam alienam adquiſierit; et ſe retraxerit.*

§. CLXV.

§. CLXV.

Medio etiam aeuo non alius erat ex poteſtate parentum exeundi modus, quam illa, de qua paullo ante diximus, ſeparatio, filiarumque nuptiae. Et quidem, quum vxor coemenda eſſet a parentibus vel propinquis: ne dubitare quidem fas eſt, quin maritus in eam *mundium*, ſeu poteſtatem, acceperit. De qua re infra, vbi de poteſtate maritali agendum fuerit, plura dicemus. Id modo iam obſeruamus, iure Francico proditum eſſe modum vel rationem, non modo parentum poteſtate, ſed et familia tota, ſeſe eximendi, * quem ita deſcribi videmus in LEGE SALICA *tit.* 52. *Si quis de parentela tollere ſe voluerit, in mallum, aut in tunchinium admallare debet, et ibidem quatuor fuſtes alninos, ſuper caput ſuum frangere debet in quatuor partes, et illas in mallo iacere debet, et ibi dicere: Quod ſe et de iuramento, et de hereditate, et de tota ratione illorum tollat; et ſic poſtea, ſi aliquis de ſuis parentibus aut morietur, aut occidetur, nulla ad illum compoſitio hereditatis perueniat. Simili modo, ſi ille moriatur, ad ſuos parentes non pertineat cauſſa, nec hereditas eius, ſed amodo cum duodecim iuratoribus ſe exinde educat.*

Iidem modi medio aeuo obtinuerunt.

* Id vero facere ſolebant Franci ob onera inimicitiarum, quas more maiorum aeque, ac amicitias, tota familia ſuſcipere tenebatur. TACIT. *de Morib. Germ. cap.* 21. Nec minus frequenter id faciebant ob onus vindicandi mortem propinquorum, et iuriſiurandi, ſaepe pro cognatis, et cum iiſdem, praeſtandi. Vid. HIER. BIGNON. et GEORG. ECCARD. *ad h. l. p.* 108.

§. CLXVI.

Sed luculentiora ſunt, quae de ſeparatione liberorum inculcant iura Saxonica et Alamannica. Maiorennes enim liberos, et ſuo in poſterum ſudore victum ſibi quaeſituros, parentes a ſe ſeparabant, adſignata ſimul illis certa patrimonii parte, et ex lege quidem Alamannica, ſi vna eſſet proles, quinta, ſin plures liberi, duplice quinta, ſimulque bonis aduentitiis redditis. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 11. *et* 12. IVS PROV. SVEV. *cap.* 382. Quin idem aliquando fiebat, liberis adhuc minorennibus, et tunc circa bona aduentitia parentes tutela fructuaria fungebantur.

Separatio liberorum ex iure Sax. et Sueuico.

§. CLXVII.

Quamuis vero neutrum ius liberos ſeparatos ſpe futurae hereditatis priuet, ſed ipſa aequitas illos vna cum reliquis fratribus et ſororibus, modo accepta conferre velint, ad parentum hereditatem

Ritus differentia a Lubecenſi.

Digitized by Google

ditatem vocet, niſi ei vltro renunciarint: IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 13. aliter tamen hic rationes ſubduxerunt Lubecenſes, quibus ſeparati liberi pro mortuis ſunt, vt adeo, licet diſerte hereditati parentum non renunciarint, eius tamen plane exſortes habeantur. * IVS LVBEC. *Part. II. tit.* 2. *art.* 33. Quod ius Hamburgenſes etiam ſequuntur. STAT. HAMB. *Part. III. tit.* 3. §. 2.

* Si nulla alia re ea, quae in *Hiſt. iur. Lib. II.* §. 86. *ſequ.* de origine iuris Lubecenſis ex iure Suſatico diximus, probari poſſent: vel hoc caput ſufficeret. Similis enim mos ſeparandi liberos, ſimiliſque huius ſeparationis effectus in illo Weſtphaliae tractu ad noſtra vſque tempora permanſit, et ſero demum illum ſanctione pragmatica aboleuit Fridricus, Rex Pruſſiae.

§. CLXVIII.

Separatio filiarum per nuptias.

Quo minus dubitandum eſt, quin et filiae familia paterna exierint, quamprimum nupſiſſent, ſiquidem tunc in mundium vel poteſtatem maritorum tranſibant, IVS PROV. SAX. *Lib. I. Art.* 31. *et art.* 45. IVS PROV. SVEV. *cap.* 259. et partem aliquam bonorum paternorum vna cum aduentitiis ſuis accipiebant, adeoque liberis ſeparatis vere accenſeri poterant. Vnde iure Germanico magnum diſcrimen erat inter FILIAS NVPTAS, et eas, QVAE IN CAPILLIS PERMANEBANT, ſiquidem illae non vbique cum his pari iure hereditatem paternam cernebant *, quamuis alia ſit ſanctio LEGIS LANGOB. *Lib. II. tit.* 14. §. 20. *ſequ. et tit.* 20. §. 1. CONSTIT. SICVL. *Lib. II. tit.* 9. *Lib. III. tit.* 24. §. 2.

* Regulariter enim praedia nobilia cedebant primogenitae. In reliquis bonis innupta excludebat nuptam. Atque inde eſt, quod familiae equeſtres in ſuperiore Germania filiabus dotatis vix quidquam iuris in bonis paternis allodialibus concedunt, quamuis iis non renunciarint. Sed multae hinc lites, maxime ex invecto iuris Romani et canonici vſu natae, de quibus nuper Ill. Cancellarium a LVDEWIG in nouellis publicis, (*in den Wöchentlichen Anzeigen*,) ex inſtituto agere meminimus.

§. CLXVIIII.

De modis ſoluendi patr. poteſtatem axiomata.

Ex quo facile patet, I. Germanos olim emancipationem *, reliquoſque patriam poteſtatem ſoluendi modos, plane ignoraſſe. II. Liberos ibi vel ſeparari ſolere, vel III. tacite exire poteſtate parentum, et maſculos quidem, ſimulac res ſuas ſibi habere, ſuoſque regere penates coeperint; feminas, quamprimum nupſerint. IIII. Separatos liberos alibi ſpem hereditatis amittere, alibi

Digitized by Google

alibi eamdem retinere, quamuis prius, quod ad filias attinet, frequentius factum eſſe videatur.

* Quum patria poteſtas Romanis nihil aliud eſſet, quam dominium iuris Quiritium in liberos, (§. 168. 5.) dominium vero Quiritarium non niſi modis quibuſdam alienandi ciuilibus, quorum praecipuus erat *mancipatio*, transferri poſſet: fieri non poterat, quin eodem modo liberi quoque, e patria poteſtate dimittendi, ter vendendi eſſent per aes et libram, ſeu per mancipationem, ſiquidem tertium demum vendui, et tertium manumiſſi ſui iuris fiebant. (*Inſt.* §. 195. *) Haec omnia non quadrabant principiis Germanorum, quibus parentum poteſtas non conſiſtebat in dominio. Nec ergo moribus Germanorum quadrabat emancipatio.

§. CLXX.

Quum ergo ſollemnem emancipandi ritum plane ignorent Germani: (§. 169. 1.) conſequens eſt, (1. vt nec vetus ille venumdandi ritus, nec emancipatio Anaſtaſiana per reſcriptum principis, nec ea, quae ex IVSTINIANI conſtitutione apud acta fieri poteſt, in Germania frequentis vſus ſit. (2. Vt poſtrema quidem aliquando tum inter illuſtres, * tum inter priuatos, et maxime mercatores, adhiberi ſoleat: attamen illa non ſit ex iure Germanico, ſed Romano, moribus Germanicis, nulla neceſſitate vrgente, adplicato. THOMAS. *de Quaſiemancip. Germ.* §. 28. *ſequ.*

An in Germania nota emancipatio?

* Notiſſimum eſt exemplum Ludouici, Lövenſt. Com. liberos ſuos anno 1587. ſollemniter emancipantis in Camera Imperii, cuius emancipationis acta integra KVLPISIVS ſubiunxit *Diſſert. de Adopt. et Emancip. Princip.* Alia exempla collegerunt BETS. *de pactis fam. illuſtr. cap.* 10. *p.* 366. EYBEN. *ad Inſt. Diſſ. III. Obſ.* 13.

§. CLXXI.

Quumque non minus reliqui modi ſoluendi patriam poteſtatem, ex iure Romano orti, extra vſum ſint: (§. 169. 1.) conſequens eſt, (3. vt, ceſſante apud Germanos capitis deminutione, et effectus eiuſdem, qui in ſoluenda patria poteſtate conſiſtit, ceſſet, niſi quod proſcriptioni imperii eum effectum tribuere ſolent. * THOMAS. *de vſu pract. doctr. Inſt. quib. mod. patr. pot. ſolu. cap.* 2. §. 4. (4. Vt, quamuis nulla dignitas liberos eximat parentum poteſtate: raro tamen in poteſtate ſint filii, dignitate aliqua, cum emolumento coniuncta, ornati, non quidem ob dignitatem, ſed ob ſeparatam oeconomiam, quam tunc plerumque ſolent inſtituere. THOMAS. *ibid.* §. 6. Vnde inſipida

An capitis deminutione et dignitate finiatur parentum poteſtas?

Digitized by Google

ſipida eſt diſtinctio dignitatum maiorum et minorum, publicarum et priuatarum, qua ſe torquet SIM. A LEEVWEN *Cenſ. forenſ. Lib. I. cap. 9. §. 17. p. 2.*

* Saltim id creditum a Caroli V. adminiſtris, quippe qui in diplomate, quo Io. Fridericus, exelector Saxoniae, in integrum reſtitutus eſt, diſertis verbis expreſſerunt, principi etiam reſtituta eſſe iura patriae poteſtatis in liberos. Edidit hoc diploma poſt alios LVNIG. *in Archiuo Imp. Part. Spec. Sect. IIII. p. 64.* Atquum poteſtas parentum Germanorum non ſit iuris ciuilis, ſed gentium, (§. 138. 5.) *ciuilis vero ratio ciuilia quidem iura corrumpere poſſit, naturalia vero non vtique*: §. 3. *Inſt. de legit. agn. tut.* magis verum eſt, durante proſcriptione, pendere iura patriae poteſtatis, quam ea morte hac ciuili perimi.

§. CLXXII.

Finitur apud nos parentum poteſtas ſeparatione.

Contra certiſſimum eſt, (5. antiquum in eo obtinere Germanos, quod ſolam quidem ſeparatam oeconomiam hodie etiam filios liberare a parentum poteſtate, putant, nec tamen (6. ſtatim res ſuas ſibi habere dicunt filios, qui ſeorſum a patre habitantes, eorum ſumtibus viuunt (7. Separatam illam oeconomiam tollere quidem ius dirigendi liberorum actiones, non tamen hos priuare iure ſuccedendi, multoque minus (8. reuerentiam et obligationem, quae ἐκ τῆς ἀντιπελαργίας naſcitur, exſtinguere, ac proinde (9. liberos etiam ſeparatos, et ſuos regentes penates, ſine parentum conſenſu nuptias facere non poſſe.

§. CLXXIII.

Et filiarum nuptiis.

Idem porro tenendum eſt (10. de filia nupta, niſi quod ea ex poteſtate vel *mundio* parentum in poteſtatem vel tutelam mariti tranſit, et (11. hic iure Germanico hic ſtatim eſt *der Ehevogt*, vel *der Eheliche Vormund ſeiner Frauen.* Vid. *Diſſ. de marito tutore vel curat. vxoris legit. cap. 2.* (12. Non reuiuiſcere parentum poteſtatem in viduam, niſi forte illa egena et aliorum ope deſtituta, ad patrios Lares veluti poſtliminio reuertatur, ſiquidem tunc, quod ad domeſticam diſciplinam attinet, vix a filiafamilias differre ſolet, quamuis in foro pro femina ſui iuris habeatur. SIM. VAN LEEVWEN *Cenſ. forenſ. Lib. I. cap. 9. §. 14. p. 32.*

§. CLXXIIII.

Separatorum liberorum conditio.

Denique ex ſecundo et vltimo axiomate (§. 169. 34.) patet, (13. ſeparationem hanc fieri poſſe tacite, non intercedente auctoritate magiſtratus. BALTHAS. *Pract. Reſol. tit. 3. reſ. 3. n. 6.* (14. Separatos liberos quidem patresfamilias ratione adquaeſtus eſſe, at

Digitized by Google

at (15. patrem tamen, ſi velit, tutorem vel curatorem huiusmodi liberorum minorennium eſſe, adeoque, (16. facta ſeparatione, eadem poteſtate iuris gentium in eos vti, ac ante ſeparationem. (17. Liberos etiam, hac inſtituta ſeparatione, non amittere iura familiae, adeoque (18. non minus ſpem hereditatis retinere, ac non ſeparatos, niſi quod (19. iure Lubecenſium ac Hamburgenſium, quin et Weſtphalorum, aliud obtinere, iam paullo ante monuimus. (§. 167.)

§. CLXXV.

Reliqui caſus quibus ea poteſtas finitur.

Superuacuum eſſet addere, (20. apud Germanos quoque hanc poteſtatem finiri morte, (21. furore, aut (22. prodigalitate patris. Qui enim liberorum actiones regeret mortuus, furioſus, vel cui bonis interdictum eſt, quum hi omnes ipſi in aliorum curatione ſint? Attamen (23. hoc caſu liberos, qui nondum ſeparatam oeconomiam inſtituerunt, aut domo patria enupſerunt, agnatorum aliorumue tutelae vel curae eſſe demandandos, facile adſentimur Sim. Leevwio *Cenſ. for. ibid.* §. 18. *p.* 32. Denique (24. et adoptione plena parentum poteſtatem non quidem finiri, ſed tantum in adoptantem transferri, non dubitamus, dumne quis hoc de poteſtate Iuris Romani intelligendum exiſtimet. *

* Quum enim adoptio, qualis hodie aliquando fit, non fit ex iure Germanico, ſed Romano: procul dubio etiam obſeruanda erit iuris Rom. diſpoſitio, quatenus illa conuenit Germanorum moribus. Non autem conuenit moribus noſtris poteſtas patria Romana, ſed Germanica. Ergo et haec tantum tranſibit ad adſcendentem, qui deſcendentem ritu Romano adoptauerit.

TIT. VIIII.

DE SPONSALIBVS.

§. CLXXVI.

Nexus huius tituli cum ſuperioribus.

ALIENI IVRIS in Germania eſſe diximus non modo ſeruos et filiosfamilias, de quibus hactenus dictum eſt, verum etiam VXORES. (§. 132.) Itaque iam res ipſa exigit, vt de

POTESTATE MARITALI in vxores dicamus. Quod quidem vix rectius exſequemur, quam ſi quaedam de SPONSALIBVS, NVPTIIS, ac aliis IVRIBVS CONNVBIALIBVS Germanorum, praemiſerimus.

§. CLXXVII.

Sponſalia Taciti temporibus in conuiuiis facta.

SPONSALIA Germanos praemiſiſſe nuptiis, eo minus dubium videtur, quo magis ipſa recta ratio exigit, vt in indiuiduam illam vitae conſuetudinem prius conſentiant ii, quorum intereſt, et inuicem iungant manus, quam ipſas taedas accendant nuptiales, et communi toro vtantur. Quemadmodum vero maiores noſtri antiquiſſimis temporibus nihil fere magnae rei, niſi inter pocula et epulas, agebant: ita *et de* IVNGENDIS ADFINITATIBVS *plerumque in conuiuiis* * *conſultabant, tamquam nullo magis tempore aut ad ſimplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incaleſcat.* TACIT. *de Mor. Germ. cap.* 22.

* Hinc et hodie *Verlöbniſs* non ſolum pactum ſponſalitium ſignificat, verum etiam conuiuium: quemadmodum et *Hochzeit* cum coniunctionem maris et feminae legitimam, tum conuiuium nuptiale denotat. Poſterior notio et Graecis non ignota. IVL. POLLVX *Onomaſt. Lib. III. ſegm.* 44. Ὅμηρος μέντοι οὐ τὸ ἔργον μόνον, ἀλλὰ καὶ τὴν ἑστίασιν γάμον καλεῖ. *Homerus autem non modo rem ipſam, ſed et conuiuium, nuptias vocat.*

§. CLXXVIII.

Per emtionem venditionem.

Neque tamen in eo natura ſponſaliorum poſita erat, ſed in conuentione vel pacto, quod tam inter perſonas deſponſandas, quam inter earum parentes, inibatur. Id vero non aliud erat, quam emtio venditio. * Ad ſponſalia enim, non ad nuptias, pertinere videntur illa TACITI *de Mor. Germ. cap.* 18. *Dotem non vxor marito, ſed vxori maritus, offert. Interſunt parentes et propinqui, ac munera probant: munera, non ad delicias muliebres quaeſita, nec quibus noua nupta comatur, ſed boues, et fraenatum equum, et ſcutum, cum gladio frameaque.* Tum vero de nuptiis pergit auctor: *In haec munera vxor accipitur, atque inuicem ipſa armorum aliquid viro adfert.*

* Itaque non aliter differebant ſponſalia et nuptiae veterum Germanorum, ac emtio venditio et traditio. In ſponſalibus maritus offerebat dotem, in nuptiis tradebat. In illis ſibi coemebat vxorem, in his vxorem coemtam a parentibus accipiebat. Nec quemquam turbabit, quod emtio venditio fieri non poſſit, niſi pecunia numerata pro pretio ſoluta: §. 2. *Inſt. de emt. vend. l. pen. C. eod.* hic vero boum, et aliarum rerum mentionem faciat TACITVS. Quum enim ICti etiam Romani hic in diuerſa abierint, et Sabini Caſſiique diſcipuli, etiam alia re loco pretii data, emtionem fieri poſſe, ex loco

HOMERI

HOMERI *Iliad.* α. probarint, ipſique Graeci veteres non alio emtionis genere vſi ſint, indeque emere et vendere ipſis ſit ἄρνυσθαι, ὠνεῖσθαι, πωλεῖν, ἀπὸ τῦ ἄρνε, ὄνε, πώλε, i. e. *ab agno, aſino, pulio*, quae animalia loco pretii dabant: MVRET. *Var. Lect. X.* 3. quis Romanorum ſubtilitates in ſiluis Hercyniis quaerat apud Germanos, *quibus armenta ſolae et gratiſſimae opes erant, aurum et argentum propitiis, an iratis, Diis negantibus?* TACIT. *de Mor. Germ. cap.* 5.

§. CLXXVIIII.

Quemadmodum vero *nulli mortalium armis et fide ante Germanos erant:* TACIT. *Annal. XIII.* 54. ita, ſemel facta mentione et repromiſſione futurarum nuptiarum, non locus erat repudio, ſicuti apud Romanos, qui *alii deſponſatam renunciare conditioni, et nubere alii non prohibebant. l.* 1. *C. de ſponſal. L.* 2. *in fin. C. de repud.* ſed adeo ſacroſanctum videbatur hoc vinculum *, vt de Varnis, Germanica gente, memoriae prodiderit PROCOPIVS *de Bello Goth. Lib. IIII. barbaros illos ſponſas, niſi ob ſtuprum, non dimittere.* Sponſalia indiſſolubilia, niſi ob ſtuprum.

* Et hinc erant gentes quaedam Germanicae, apud quas *tantum virgines nubebant, et cum ſpe votoque vxoris ſemel tranſigebatur*, TAC. *de Mor. Germ. cap.* 19. Eae ne nubere quidem alii patiebantur ſponſam, cuius nuptias fata ſponſi turbauerant. Vnde iterum PROCOPIVS *ibid. Tanto enim honore*, inquit, *pudicitia apud barbaros colitur, vt femina, de cuius nuptiis actum eſt, etiamſi corpore ſit integra, pro corrupta habeatur.* In his ergo Germanorum ciuitatibus aut ſponſo nubendum erat, aut nulli.

§. CLXXX.

Hi mores patrii et poſteris placuerunt. Nam et medio aeuo Franci ſponſalia celebrabant per emtionem venditionem, ſeu, vti in vetuſtis monimentis legimus, PER SOLIDVM ET DENARIVM *. Pertinet huc FORMVLA BIGNON. V. *p.* 498. *Tom. II. Capitul. Dum et ego te* PER SOLIDVM ET DENARIVM, *ſecundum legem Salicam, viſus ſum ſponſare.* Et FORM. LINDENBROG. *LXXV. p.* 532. *ap. Baluz. Tom. II. Dum taliter parentibus noſtris vtriuſque partis complacuit atque conuenit, vt ego te* SOLIDO *et* DENARIO, *ſecundum legem Salicam, ſponſare deberem, quod et feci.* Similia ſunt apud GREG. TVRON. vel FREDEGAR. *in Geſt. Franc. Epitom. cap.* 18. *Legati offerentes* SOLIDVM *et* DENARIVM, *vt mos erat Francorum, eam partibus Chlodouaei ſponſant.* Francorum ſponſalia per ſolidum et denarium.

* Vendebant enim virginem parentes, vel propinqui, ac proinde ſponſalia, ſine parentum vel propinquorum conſenſu facta, ipſo iure nulla erant, niſi eorum poſtea acceſſiſſet ratihabitio. Hinc Bertchramnus apud GREG. TV-

Digitized by Google

non. *Hiſt. Lib. VIIII. cap.* 23. *Quia ſine conſilio parentum vxorem coniugio copulaſti, non erit vxor tua.* Et tamen iam triginta annos cum Bertchramno vixerat mulier, quum marito haec ſtatus quaeſtio moueretur.

§. CLXXXI.

Omnes Germanicae gentes medio aeuo coëmebant ſponſas.

Dicitur hic ritus promanaſſe ex lege Salica, in qua ſemel tantum, et quidem vbi non de virginis, ſed de viduae deſponſatione agitur, mentio fit trivm solidorvm et denarii. *Tit.* 47. §. 1. Sed coemtio haec imaginaria, vti vocat Bignon. *in Notis ad Form. p.* 980. Saliis non modo cum reliquis Francis, verum etiam cum populis Germanicis tantum non omnibus communis fuit, ceu ex inſtituto probauit Gvndl. *de coemt. vxor. cap.* 1. niſi quod pretium non omnibus gentibus idem eſſet. Sic lege Saxonvm *tit.* 6. cauetur, vt *vxorem ducturus trecentos ſolidos det parentibus eius.* Eiuſmodi pecunia in lege Bvrg. *tit.* 12. *et* 34. pretivm, in lege Saxonica *tit.* 7. §. 3. pretivm emtionis eivs; in lege Bvrg. *tit.* 66. §. 1. *ſequ.* Wittemon; in lege Langobardica *Lib. II. tit. I.* §. 7. Meta; in lege Salica *tit.* 46. §. 2. *ſequ.* ſi viduae quis ambiret nuptias, Reipvs vocatur *.

* Meta, vel, vti *Lib. II. tit.* 4. §. 3. et *tit.* 14. §. 15. vocatur, Methivm veteres gloſſae interpretantur *pecuniam vel donationem ſponſalitiam vel nuptialem.* Ea vox vere Germanica eſt, vti Langobardicae pleraeque. *Miethe* enim vocatur merces locationis, eoque vocabulo veteres etiam pro pretio emtionis vſi videntur. Nam et in Evangeliis Gothicis *Matth. V.* 46. *et Luc. VI.* 23. *Mizdo* generatim eſt *merces*, vel *praemium.* Nec dubium eſt, quin reipvs ſit Germanicum *Reu-Buſʒe*, quae iam Gvndlingii coniectura fuit. Wittemon vero veteribus fuiſſe pretium vel mercedem, Lindenbr. *in Gloſſa* 1499. eleganter probat ex Willerami verſione *Cantici Cant. cap.* 3. *Tho her hemo ſelvemo maheida mit dema withemo ſines hiiligen Bluedes.* Id eſt, *Da er ſich ſelbſten verlobte mit dem mahlſchatz ſeines heiligen Bluthes.*

§. CLXXXII.

Arrhae, ſponſalitia largitas, dos.

Caue vero exiſtimes, hoc pretium fuiſſe ipſam dotem. Praeter illud enim, quod ſollemnitatis tantum cauſſa interceſſiſſe videtur, ſponſae et alia dabantur, veluti arrha, largitas ſponſalitia, et in ipſis nuptiis dos Germanica. Sic apud Fredegarivm *Geſt. Franc. Epit. cap.*18. Chlodouaeus annulum Chrotechildi miſit per Aurelianum, et ab ea annulum recepit. Qui annuli loco arrhae fuerunt *. Praeter hanc autem in formulis ſupra laudatis futuris ſponſis integra praedia, pecora, boues et vaccas, porcos et verueces, auri et argenti ſolidos donant ſponſi, adduntque legem, *vt haec omnia ſuperius nominatae ſponſae, quandoquidem euenerit*

nerit nuptiarum dies, et Deus eos coniunxerit, ab illo die haberent, tenerent, atque poſſiderent, vel quidquid exinde facere voluerint, liberam ac firmiſſimam in omnibus haberent poteſtatem. BALVZ. *Tomo II. p.* 533. Vbi ſane praedium, loco dotis; pecora, aurum et argentum, loco ſponſalitiae largitatis fuerunt.

* Addit GREG. TVRON. *in vitis Patr. cap.* 16. *et* 20. ſponſum ſponſae priſco Francorum ritu cum oſculo et annulo calceamentum quoque obtuliſſe. Quod cuius rei fuerit ſymbolum, ex inſtituto diſquiſiuit EV. OTTO. *Iuriſpr. ſymbol. Exerc. II. cap.* 11. *p.* 64.

§. CLXXXIII.

Libelli dotis.

Ceterum eae donationes omnes non modo in ſcripturam redigebantur, quales libelli dotis apud MARCVLF. *Lib. II. cap.* 15. et *in Adpend. cap.* 37. FORM. SIRM. *cap.* 14. BIGNON. *cap.* 5. LINDENBR. *cap.* 75. *et ſequ.* et alibi paſſim ſuperſunt: ſed et firmabantur apud acta, adhibitis ſollemnitatibus *, et, vt eo certior eſſet ſponſa de commodis omnibus, quae ipſi a ſponſo propter futuras nuptias fuiſſent promiſſa, comminatio addebatur, hac ſimiliue formula: *Si quis deinceps contra hanc chartulam libelli dotis, quod fiendum eſſe non credo, venire, aut eam temerare praeſumſerit, ſi ſe exinde non correxerit, illum, qui ab initio maſculum et feminam condidit, contra ſe vltorem ſentiat, et inſuper auro vncias tantas, argento libras tantas, coactus exſoluat, et, quod repetit, nullatenus euindicare praeualeat, ſed praeſens haec epiſtola tam a me, quam ab heredibus meis, defenſata, omni tempore firma ac ſtabilis permaneat, ſtipulatione interpoſita.* FORM. LINDENBR. *cap.* 85.

* Hinc in FORM. LINDENBR. *cap.* 82. ſponſus profitetur, *ſe per epiſtolam compoſitionis, ſiue per* FESTVCAM *et* ANDALANGVM donationem illam firmaſſe. Vbi feſtuca pertinet ad ritum *effeſtucationis*, de quo infra ſuo loco. ANDALANGVS, quidquid argutiarum ſectentur gloſſarum ſcriptores, eſt ipſum Germanicum *Hand-Langen*, id eſt traditio manu facta, vel ſaltim ſtipulata manus. WENDEL. *in Gloſſ. Sal.* adeoque ſenſus eſt, donationem illam, facta ſollempiter traditione ſymbolica, vel manu porrecta, eſſe perfectam. Non quidem hoc ad palatum eſt CAR. DV FRESNE *Gloſſ. med. Lat. Tom. I. p.* 187. qui, indicata illa WENDELINI diuinatione: *Wendelinus*, inquit, *andelangum idem ſonare ait quod traditio in manus, mancipatio, ex in Handen langhen, tradere in manus: at in formula haec vox quidpiam corporale ſonat.* Sed quid magis, quaeſo, corporale eſt traditione feſtucae, vel alterius ſymboli, manu facta?

§. CLXXXIIII.

Hoc quoque tempore ſponſalia indiſſolubilia.

In eo quoque mores maiorum ſeruabant Franci, aliaeque originis Germanicae gentes, quod inita hoc ritu ſponſalia nullo temere colore irrita fieri paterentur, niſi iuſtiſſima eſſet cauſſa repudii *. LEX LANGOB. *Lib. II. tit.* 1. §. 11. Hinc et vni deſponſam alter non ducebat impune, CAPITVLAR. *Lib. VI. cap.* 41. et ſpeciatim apud Alamannos, *qui ſponſam alterius contra legem acceperat, vel reddere eam cum CC. ſolidis, aut, ſi reddere nollet, eam ſoluere, et mortuam etiam cum CCCC. ſolidis componere* cogebatur. LEX ALAM. *tit.* 52.

* Quam quidem liquidam eſſe oportebat, qualis erat mora, ſi ſponſa ſponſum biennium fruſtra exſpectaſſet. LEG. WISIG. *Lib, III. tit.* 1. §. 4. itemque LEG. LANGOB. *Lib. II. tit.* 1. §. 1. Sed haec Romana ſunt ex *l.* 2. *C. de repud.* veu docuimus in *Comm. ad Leg. Iul. et Pap. Popp. Lib. II. cap.* 5. §. 2. *p.* 179. *ſequ.* Id vero notatu non indignum eſt, indiſſolubile tunc praecipue viſum eſſe pactum iſtud ſponſalitium, ſi annuli vtrimque dati eſſent. LEX WISIGOTH. *Lib. III. tit.* 1. §. 3.

§. CLXXXV.

An et poſt Francorum in Germania imperium coemtio manſerit in vſu?

Nec alia poſt Francorum tempora ſponſaliorum fuit ratio, adeo, vt ne pretium quidem emtionis plane ab vſu receſſerit. Nam ad noſtra vſque tempora ſponſi ſponſaeque ex plebe ſibi inuicem praeter annulum offerre ſolent aliquot numos aureos argenteoſue, quamuis ii magis hodie pro arrha, quam pro pretio, habeantur. At quemadmodum in aliis iuris antiqui capitibus; (§. 10. *) ita et in hac vxorum coemtione Galli maiorum mores multo religioſius, quam ipſi Germani, ſeruarunt. Nam illi et hodie in ſponſalibus numos quoſdam dare ſolent, venditionis cauſſa, idque fruſtra vulgo ex iure Romano repetunt viri docti *. BARN. BRISSON. *de ritu nupt, p.* 20. *Cuius moris*, (a Romanis in vxorum coemtione vſurpati,) *veſtigia a nobis in noſtris nuptiis vſurpari, quidam opinantur* TREDECIM NVMORVM *numeratione. Verum ego ex barbararum coloniarum, quae in Gallias ex Germania migrarunt, ferroque et armis ſedes occuparunt, moribus id in uſu manſiſſe, potius crediderim.*

* Simile quid in Sueonum ritibus hodiernis contingit, quamuis et hos viri docti perperam a moribus Romanorum arceſſant. IO. LOCCEN. *Antiqu. Sueo-Goth. Lib. II. cap.* 24. *p.* 105. *Ille* [illegible] *legitimus et poſtris tralitus mos eſt, vt ſi quis ambiat nuptias virginis, illius parentes, aut, his defunctis, tutores, propinquos, aut conſanguineos eo nomine conueniat, qui ſi adſentiantur cum deſiderata petentis deſiderio, ſponſalia in praeſentia teſtium ineuntur: vbi mutuis promiſſis*

miſſis et donis ſponſus et ſponſa futuri fidem paciſcuntur. Id quod COEMTIONIS ET IMAGINARIAE VENDITIONIS *ex priſco Romanorum ritu, et tandem in manum conuentionis formam quandam ſapit. Quam firmat iſta vetus Sueonum formula :* BRVDKÖP DRICKA, *i. e. coëmtionem ſponſalitiam bibere.*

§. CLXXXVI.

Manſit et mos, adfinitates in conuiuiis iungendi, a quo ne hodie quidem diſcedunt poſteri, parum firma atque auſpicata exiſtimantes ſponſalia ſicca, et in quibus adhibiti auſpices *An conuiuia ſponſalitia, et dos a maritis conſtituta?*

Cynica traducunt tempora coena.

Satis diu quoque manſit conſuetudo, vt dotem non vxor marito, ſed vxori maritus offerret, eamque dotis conſtitutionem firmaret litteris, quales plures ſuperſunt, veluti Henrici I. Germaniae Regis, apud GVNDLING. *in Henr. Aucup. p.* 312. et ex ipſo authentico emendatiores apud ECCARD. *Hiſt. geneal. Sax. p.* 27. Ottonis II. Imp. apud LEVKFELD. *in Adpend. Antiqu. Pold. p.* 208. Henrici Raſponis, Landgrauii Thuringiae, quas ex BVTKENII *Trophaeis Brabantiae* extulit GVNDL. *de coemt. vx. cap.* 2. §. 23. qui et §. 19. *p.* 51. plures alias recenſet. De Ottone M. refert CHRONOGR. SAXO ad ann. DCCCCXXIX. *illum Edithae, vxori, vrbem Magdeburg, inter ceteras opes, pro dote obtuliſſe.* Et Henricum II. dotem Cunigundi ſuae conſtituiſſe in vrbe et tractu Bambergenſi, ex SIGEB. GEMBL. *ad ann.* 1005. diſcimus. Similia exempla dabunt MONACHVS BRAVVILER. *cap.* 1. §. 7. et Diploma Ottonis M. apud ECCARD. *in Probat. Hiſt. Geneal. Sax. n.* 7. *p.* 135.

§. CLXXXVII.

Manſit denique mos, non temere rumpendi foedus ſponſalitium, niſi iuſtiſſima cauſſa id ſuaderet. Probat hoc exemplum Henrici IV. Regis Germ. qui deſponſam ſibi puero a patre Bertham odio plus quam Vatiniano proſequebatur : et eam tamen inuitus ducebat. BRVNO *Hiſt. bell. Sax. p.* 176. *Vxorem ſuam, quam nobilem et pulchram, ſuaſionibus principum,* INVITVS *duxerat, ſic exoſam habebat, vt poſt nuptias celebratas eam ſponte ſua numquam videret, quod et ipſas nuptias* NON SPONTE SVA *celebrauerat.* Quin et manſiſſe videtur opinio, eam iam conditioni renunciare non poſſe, quae annulum pronubum ſua ſponte acceperit, dederitque *. *An et tunc ſponſalia indiſſolubilia?*

* Huc

* Huc enim merito referimus paroemiam iuris Germanici, quam ex Besoldi *Theſauro pract. voce Haffi-Geld* profert ſuoque more interpretatur Hert. *Paroem. Iur. Lib. I. par. 65. p. 516.*

Iſt der Finger beringet,
So iſt die Iungfrau gedinget.

Cuius ſenſum non ſatis adſequutus videtur vir doctiſſimus. Nec enim haec paroemia indicat tantum, annulum pronubum eſſe ſignum: ex quo praeſumantur ſponſalia, ſed eum certiſſimum eorum argumentum haberi. Ex nouo enim iure eſt, quod annulus pronubus non probat ſponſalia, niſi ipſum pactum ſponſalitium ſimul liquido poſſit probari. Mascard. *Concl.* 1023. *n.* 2. Mev. *Deciſ. VIII.* 39. 5.

§. CLXXXVIII.

Axiomata de ſponſalibus. Itaque ex his omnibus liquet, I. ſemper Germanos ſponſalia pro nullis habuiſſe, quae non cum conſenſu tum ipſarum perſonarum, nuptias meditantium, tum II. vtriuſque familiae *, facta eſſent. III. Semper ſponſum ſponſae et arrham, et IIII. aliquam ſponſalitiam largitatem obtuliſſe, quae inter plebeios plerumque in veſte, vel ornamento, vel aliquot numis maioribus, conſtitit. V. Semper in ſcripturam redactum eſſe pactum, quo ſponſus ſponſae dotem conſtituebat. VI. Semper denique in ſponſalibus adhibitos eſſe cognatos, teſtes, ac veluti auſpices, eoſque vna cum ſponſis lautiore exceptos eſſe conuiuio.

* Tacitvs *de Mor. Germ. cap.* 18. non modo *parentum* meminit, quorum arbitrio res omnis geſta ſit, ſed et *propinquorum. Suſcipere enim tam amicitias ſeu patris, ſeu propinqui, quam inimicitias, neceſſe erat.* Idem *cap.* 21. Medii aeui leges parentvm tantum conſenſum exigunt. Sed *parentes* hoc aeuo vocabantur omnes cognati, qui et Gallis ſunt *les parens*, idque perſpicue patet ex lege Langob. *Lib. II. tit.* 2. §. 1. *Componat* parentibvs *mulieris, id eſt, patri vel fratri eius, vel ad quem mundium pertinuerit, pro anagripp. fol.* 10. Ceterum quamuis omnes cognati adhiberi ſolerent: ſponſa tamen coemenda erat ab vno ex illis, cuius in *mundio* ſeu poteſtate erat femina. Neque enim illud mundium in alterum transferre poterat, niſi qui ipſe illud habebat. Habebat vero apud Wiſigothos hoc mundium pater, lex Wisig. *Lib. III. tit.* 1. §. 1 eoque defuncto mater, vel, ea quoque praemortua fratres, vel his non exſtantibus aut adhuc minorennibus, patruus. ibid. §. 7. Idem fere apud Burgundos obtinuit, niſi quod mater et ſorores tertiam tantum partem *Wittemonis* acciperent. Lex Bvrg. *tit.* 66. §. 1. *ſequ.* Secundum legem Salicam *tit.* 46. ſi nepos eſſet, viduae mundium habebat ſororis filius ſenior, ſin neptis tantum, eius filius ſenior, ſin nec neptis filius, conſobrinae ex materno latere filius, hoc non exſiſtente, avunculus, et hoc quoque deficiente prioris mariti frater, et poſt hunc proximus ad ſextum gradum, ac poſtremo, his omnibus deficientibus, fiſcus. Quem penes autem mundium erat, is et *reipus* accipiebat. Secundum legem Sax. *tit.* 7. §. 2. *ſequ.* viduae tutelam habebat, pretiumque emtionis accipiebat primo priuignus, deinde frater defuncti mariti, ac demum proximus paterni generis, vel eius conſanguineus.

§. CLXXXVIIII.

§. CLXXXVIIII.

Conſenſus ſponſaliuus.

Quum itaque ſponſalia ſine conſenſu perſonarum, quae pactum inire cupiunt, conſiſtere nequeant: (§. 188. 1.) non abs re inde colligunt Germani, (1. perinde eſſe, ſiue per litteras, ſiue per internuncium, ſiue per ſponſum ſponſamque, iſte conſenſus explicetur: nec (2. moribus ſuis concinnam eſſe differentiam inter *pactas* et *ſponſas*, quae Romanis erat familiaris. NON. *de Propriet. Serm. V.* 69. ARNOB. *adu. Gent. Lib. IIII. p.* 140. Permultum tamen (3. intereſſe inter declarationem priuatam, *das Ia-Wort*, et ſollemnem, quae fit in ipſis ſponſalibus, quia prior plerumque ea conditione fieri ſolet, ſi de reliquis conuenire poſſint, et publica ſubſequantur ſponſalia: et hinc, (4. antequam haec acceſſerint, locum dari poenitentiae *. THOMAS. *de pact. fut. ſponſal.* BOEHM. *Ius eccl. Proteſt. Lib. IIII. tit. I. §.* 40.

* Multa tamen hic turbauit iuris canonici doctrina de ſponſalibus de praeſenti et de futuro, de cuius genuino ſenſu fuſius diſputauit laudatus BOEHM. *ibid.* §. 10. *ſequ.* Quin generatim obſeruandum eſt, ius canonicum hic tantum non peruertiſſe ſimpliciora iuris Germanici principia, et quidem non modo inter Romanenſes, verum etiam inter ipſos proteſtantes, Theologis aeque ac ICtis, ſe non rectius conſulturos putantibus conſcientiae, quam receptis iuris canonici concluſionibus, etiamſi ea ex principiis, ab eccleſia ſua exploſis, profluerent.

§. CLXXXX.

Conſenſus parentum et propinquorum.

Quandoquidem etiam Germani ſemper vtriuſque familiae conſenſum exegerunt: (§. 188. 2.) facile reddetur ratio, (5. cur non, vti apud Romanos, patris conſenſus ſufficiat, ſed et maternum accedere oporteat. CARPZ. *Iuriſpr. Conſiſtor. II.* 3. 54. CYPR. *de Sponſ. cap.* 6. *et* 7. (6. Cur hodienum quibuſdam ſtatutis id exprimatur, ſponſalia, mortuis parentibus, agnatorum cognatorumque conſilio ac conſenſu, eſſe contrahenda: vid. illuſtris A LVDEWIG *de Conſenſu connub. extra patrem Diſſ. III.* multoque magis (7. eo conſenſu opus viſum ſit ad conficienda pacta dotalia. STAT. MIND. *Lib. I. tit.* 4. *§.* 4. *Wann zwiſchen zweyen Perſonen eine Ehe bedinget, vnd ihres Gutes vnd Beybringens halber, in Gegenwart der Freunde vnd Bedinges-Leuten, verabſcheidet, vnd durch einen Ausſpruch oder durch ſchriffliche Ehe-Pacten ſich vergliechen, ſoll vnd muſs es dabey billig verbleiben, vnd ſoll dagegen nichts gehandelt werden.*

§. CLXXXXI.

Arrhae ſponſalitiae.

Praeterea quum ſponſalia ſine arrha vix viderentur ſubſiſtere: (§. 188. 3.) intellectu non difficile eſt, (8. cur hodienum vel annuli, * vel numi quidam aurei argenteiue, ſponſae dari ſoleant. (9. Cur inde, ceteris paribus, petatur praeſumtio, ſponſalia vere eſſe facta, dummodo ſatis conſtet, pecuniam illam datam eſſe, tamquam arrham ſponſalitiam, vel annulum eſſe pronubum, vel denique ita ferant loci alicuius conſuetudines, vt annulum non accipiant puellae, niſi deſponſationis cauſſa. BROWER. *de iur. Connub. Lib. I. cap.* 23. *n.* 7.

* Antiquus ſatis eſt annuli pronubi vſus, de quo plura ANT. HOTOM. *de vet. rit. nupt. cap.* 10. BARN. BRISS. *de ritu nupt. p.* 4. 5. KIRCHMANN. *de Annul. cap.* 18. Quum ergo hi, iam pridem Romanos annulis vſos eſſe in ſubarrhandis feminis, luculenter probarint, et de Germanis contra vix credibile ſit, eos antiquiſſimis temporibus permultum impendiſſe eiuſmodi ornamentis: nemo dubitauerit, quin Franci aliaeque Germanicae originis gentes hunc annulorum vſum a Romanis didicerint.

§. CLXXXXII.

Sponſalitia largitas.

Et quia ſponſalitia largitas, quamuis minus neceſſaria, non temere tamen omittitur: (§. 188. 4.) nemo dubitabit, (10. quin ea nihil aliud ſit, quam donatio ſub conditione ſequuturi matrimonii facta, et, quamuis (11. pro facultatum et conditionis diſcrimine ea non in omnibus ſponſalibus eſſe poſſit eadem, * plerumque tamen ſponſi, etiam quibus curta ſatis ſuppellex eſt, ea occaſione prodigi ſint, et liberalitatis laudem etiam cum rei familiaris detrimento adfectent, vel ſaltim aureos montes polliceantur, vix minima praeſtent. Vnde Germanorum adagium: *Alle Freyer reich; alle gefangene arm.* HERT. *Paroem. Iur. Lib. I. paroem.* 66. *p.* 517.

* Hinc inter ruſticos obtinere videmus idem, quod ſupra apud TACITVM et in Francorum monimentis notauimus, vt futuri coniuges ſibi inuicem aliquot vaccas, oues, porcos, vel offerant, vel promittant, vt optime elocatae videantur filiae, quibus vel pecoris aliquid, vel aliquantum frumenti a parentibus ad inſtruendam rem familiarem datum eſt.

§. CLXXXXIII.

Inſtrumenta dotalia.

Sed et (12. in eo maiorum mores cuſtodire videmus Germanos, quod, quae inter eos de dote conuenerunt, ea plerumque in ſcripturam referant, * eaque inſtrumenta, (13. a Germanis vocata *Ehe-Pacten*, *Eheſtifftungen*, *Ehe-Zärter*, in Haſſia *Ehelich*,

Ehelich, non modo a paciſcentibus, verum etiam a parentibus, cognatis, auſpicibus, aliiſque perſonis praeſentibus, (quas in Haſſia *Weinkauffs-Zeugen* vocari, ex actis forenſibus obſeruaui,) ſignentur, quin et (14. aliquando ad acta confirmentur. Quod (15. quibuſdam locis, ſi ruſtici pacta dotalia inire velint, abſciſſe neceſſarium eſſe, ex CONSTITVTIONIBVS ANHALTINIS, niſi fallor, didici.

* Id quoque a Romanis ad Francos; ab his ad nos permanaſſe arbitror. Nam, vti Germani tardius aliquem litterarum vſum habere coeperunt: (§. 4.) ita iam inde ab antiquiſſimis temporibus ſollemne erat Romanis, tabulas conficere ſuper pactis dotalibus. Hinc illa IVVENALIS: Sat. *X. v. 336.*

Veniet cum SIGNATORIBVS auſpex.
Et Sat. *VI. v. 199.*
Si tibi legitimis pactam iunctamque TABELLIS
Non es amaturus.

Add. BRISSON. *de rit. nupt. pag.* 3. 4. ANT. HOTOMANN. *de vet. rit. nupt. cap. 9. p. 166.*

§. CLXXXXIIII.

Denique quum Germani ſemper indulſerint epulis, nec vllam ſollemnitatem hoc veluti condimento carere paſſi ſint: (§. 188. 6.) non mirum eſt, (16. eos et in ſponſalibus lautiores dapes ſtruere, et boni veluti ominis cauſſa ſe tunc inuitare largius, inprimis vero (17. ad hoc conuiuium vocare viros graues, qui teſtimonium perhibeant, ſponſalia illa non clandeſtina fuiſſe, ſed omnia eſſe recte et ordine facta „ *ſignatas tabulas, dictum feliciter!* * Epulae ſponſalitiae.

* Hoc quoque, licet origine Romanum, tamen et in Germanorum mores iuit. Solent itaque, quando probatio ſponſaliorum ſuſcipitur, articuli, quos vocant probatoriales, ita ſaepe formari: *Wahr, daſs alle Anweſende beyden Verlobten gratuliret, vnd dieſe ſolche Gratulation angenommen? Wahr, daſs über der Taffel des Bräutigams vnd der Braut Geſundheit von allen Gäſten getruncken worden? Wahr, daſs dieſe nebſt beyderſeits Eltern ſolche Ehre angenommen, vnd ſich davor bedancket? Wahr alſo, daſs die Verlobung damals würcklich geſchehen, vnd es nicht bey bloſſen Tractaten verblieben?*

TIT. X.

DE RITV NVPTIARVM.

§. CLXXXXV.

Nuptiae apud omnes gentes ſollemni ritu celebratae.

SPonſalia ſequuntur NVPTIAE, quem vitae humanae nouum veluti actum tanti omnes fere gentes fecerunt, vt nulla fuerit, quin eum, adhibitis quibuſdam ritibus, condecorandum putarit, ſiue vt eo auſpicatius eſſet connubiale hoc foedus, ſiue vt eo minus dubitari poſſet de legitimo eorum matrimonio, qui tam ſollemniter, tantoque cum adparatu, manus iunxiſſent. Nos iam ea tantum conſectabimur, quae in iuribus connubii alicuius ſunt momenti, certo ſatis perſuaſi, idem fuiſſe conſilium veterum iureconſultorum, quando in Digeſtis titulum DE RITV NVPTIARVM exſtare voluerunt, quamuis ei rubricae ipſa fragmenta, ſub illa poſita, vix hodie reſpondeant. Vid. THOMAS. *Diſſ. de vſu pract. doctr. Inſt. de nupt. cap.* I. §. I.

§. CLXXXXVI.

Germanis ſeuera matrimonia.

Et hic quidem plura haud proletaria iam collegit PAVLLVS HACHENBERGIVS *Germ. med. Diſſert. V.* Sed dabimus operam, vt inuentis aliqua addamus, ad illuſtrandum ius Germanicum vel maxime pertinentia. Nimirum laudi hoc in primis cedit maioribus noſtris, quod ſancta in primis ipſis fuerint connubia, et a probris, quibus infamatae ſunt aliae gentes pleraeque, maxime ſibi cauerint. * Et neſcio, an vlli alii nationi quadret, quod de maioribus noſtris, ſibi alioquin haud parum inuiſis, ſcripſit TAC. *de Mor. Germ. cap.* 18. *Seuera illic matrimonia: nec vllam morum partem magis laudaueris.*

* Equidem iam ſupra faſſi ſumus, non videri maiores noſtros ea in re tam ab omni labe puros, vt nullum vnquam profligati pudoris exemplum exſtiterit. At verum tamen eſt, eos ſanctius habuiſſe matrimonium, quam Romanos, qui ſe omni flagitiorum genere polluebant, quorum vxores annos non conſulum, ſed maritorum, nominibus notabant, quibus denique ne ſpiritus quidem purus erat. Vere QVINCTILIANVS *Declam. III. Nihil tale nouere Germani, et ſanctius viuitur ad Oceanum.* Quod teſtimonium iure opponimus SEXTO EMPIRICO, qui neſandam Venerem Germanis non turpem vitam, ſed plane in mores iuiſſe, turpiter calumniatur.

§. CLXXXXVII

§. CLXXXXVII.

Nuptias apud Germanos faciebant non quatuordecim annorum pueri, et virgines duodecennes, quam aetatem ſufficere procreandae ſoboli, putabant Romani, * ſed iuuenes iuſtae aetatis, et qui quaeue iam viros matreſque familias agere ſcirent, nec ad parentum nomen erubeſcerent. Caes. *de bello Gall. Lib. VI. cap.* 21. *Qui diutiſſime impuberes permanſerunt, maximam inter ſuos ferunt laudem: hoc ali ſtaturam, ali vires, neruoſque confirmari, putant: intra annum vero viceſimum feminae notitiam habuiſſe, in turpiſſimis habent rebus.* Et Tacitvs *cap.* 20. *Sera iuuenum Venus, eoque inexhauſta pubertas: nec virgines feſtinantur: eadem iuuenta, ſimilis proceritas, pares validique miſcentur, ac robora parentum liberi referunt.* Nuptiae ſero a Germanis contractae.

* Quin quamuis apud Romanos non prius viri et vxoris iuribus fruerentur coniuges, quam eam aetatem attigiſſent: *l.* 68. *D. de iure dot. l.* 4. *D. de rit. nupt.* ſaepiſſime tamen illi vxores ducebant vere adhuc pueri, nubebantque virgines immaturae, et quae vix infantia exceſſiſſent. Mariti ſane annorum XI. menſium V. mentio fit in marmore apud Grvter. Inſcr. *p.* 788. 8. vxorum VIII. et VII. annorum, *ibid. p.* 124. 1. *et* 1046. 6. Plura huius generis exempla collegimus *in Comment. ad Leg. Iul. et Pap. Lib. II. cap.* 5. *p.* 183.

§. CLXXXXVIII.

Deinde id etiam dediſſe operam videntur, ne vxores ducerent, niſi Germanas, ne natiuus ille vigor, et propria nationi vniuerſae virtus, exterarum mulierum conſuetudine elangueſceret. Conring. *de habitus corp. Germ. cauſſ. p.* 27. *ſequ.* Nam id ipſum innuere arbitror Tacitvm *de Morib. Germ. cap.* 4. dum Germanos vocat *gentem, nullis aliarum nationum connubiis infectam, adeoque propriam, et ſinceram, et ſui ſimilem.* Et quae, quaeſo, femina, deliciis Romanis Germanorum frugalitatem praetuliſſet? * Et quomodo mulier, non modo lautiori vitae, ſed et ſtupris foediſque libidinibus, adſueta, duraſſet in Germania, vbi *nemo vitia ridebat, nec corrumpere et corrumpi ſaeculum vocabatur?* Tac. *ibid. cap.* 19. Nec alias vxores ducebant, quam origine Germanas.

* Attamen ne a' peregrinis quidem connubiis abhorruerunt, poſtquam pars a Romanis victa in longinquas terras militiae cauſſa protracta eſt, aut ipſi extera petierunt, et in vicinia per Romanas colonias morum feritas aliquantum eſt correcta, ceu recte obſeruat Conring. *ibid. p.* 28. Vbii ſaltim, ſeſe Romanis *per connubia ſociatos eſſe,* multoſque, *qui inde prouenerint*, coloniam Agrippinam *patriam habere*, fatentur apud Tacit. *Hiſtor. Lib. IIII. cap.* 65.

§. CLXXXXVIIII.

An a cognatis et adfinibus abſtinuerint?

An ſanguini honorem habuerint veteres Germani, et a propinquarum nuptiis abſtinuerint, non ſatis conſtat. Neque iam immorari placet coniecturis CLVVERI, quibus et hanc laudem adſerere maioribus noſtris conatus eſt. Vt abhorruerint ab earum nuptiis, quas natura tamquam matres vel auias reuereri iubet: ſaltim a reliquis cognatis eos abſtinuiſſe, liquido adfirmari non poteſt. *

* Primo enim omnes fere Germanorum leges, a Chriſtianis latae principibus, magna cura inceſtas prohibent nuptias, id non facturae, niſi frequentiores iuſto fuiſſent commixtiones huiuſmodi turpiſſimae. Deinde inter EPISTOLAS FRANCORVM apud PITH. *Script. Rer. Franc. T. I. p.* 195. exſtat quaedam *Mapinii* vel *Maximi Ep.* ad Nicetium, qua ſibi relatum ſcribit a Theobaldo Rege, *Nicetium, dum aliquos Francorum pro zelo diuini timoris corripuerit, ac pro inceſtis conductionibus a communione eccleſiaſtica remouerit, ſcandala ſeu anxietates multimodas ſuſtinere.* Id vero fieri non potuiſſet, maxime ſub regibus Chriſtianis, niſi id vitium ita inueteratum fuiſſet, vt illi extirpando impares eſſent Chriſtianorum antiſtites.

§. CC.

Abſtinebant a πολυγαμίας.

Certius eſt, Germanos veteres non plures vna vxores habuiſſe, adeoque abhorruiſſe ab orientalium moribus, qui inter greges vxorum concubinarumque vitam agebant: quamuis fatendum ſit, nobiliores ſibi plus indulſiſſe, et non vixiſſe vna contentos. Locum TACITI iam ſupra dedimus, (§. 146. *) addidimusque exemplum Arioviſti, cui CAESAR *de Bell. Gall. Lib. I. cap.* 53. duas tribuit vxores, vnam Sueuam natione, quam domo ſecum adduxerit, alteram Noricam, regis Vocionis ſororem, quam in Gallia duxerit, a fratre miſſam.

§. CCI.

Et impare matrimonio.

Ex eodem vero Arioviſti connubio colligas, id vel maxime cauiſſe Germanos veteres, ne impare ſe polluerent matrimonio, virique nobiles in plebeiarum, aut plebeii in feminarum illuſtrium amplexus ruerent. Indigna Arioviſti toro videbatur alia, quam nobilis: et hinc Vocionis, Noricorum ſiue reguli, ſiue ducis, ſoror mittebatur. Praeterea idem docet Arminii exemplum, qui ſolam Segeſtis, viri principis, filiam dignam exiſtimans ſuo thalamo, eam et inuito patri rapuerat. TACIT. *Annal. Lib. I. cap.* 55. 56.

§. CCII.

§. CCII.

Mariti non ob dotem, ſed ob nobilitatem quaerebantur.

Denique id Ariouiſti exemplum docet, non raro cognatos feminis honeſtam conditionem vltro quaeſiuiſſe, et parum ſollicitos de dote, ambiiſſe potius adfinitates eorum, qui virtute ac rerum geſtarum gloria excellerent. Hinc Vocion miſiſſe Ariouiſto dicitur ſororem, et TACITVS *de Mor. Germ. cap.* 20. viros principes *ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiri* ſolitos, teſtatur *.

* Haec quoque fere omnia, quae hactenus obſeruauimus, multo aliter ſe habuere apud Romanos. Primo enim ex quo plebeiis libertinas ducere permiſerat Lex Iulia et Papia, et Antoninus Caracalla ciuitatem Romanam cum vniuerſo orbe Romano communicarat, *l.* 17. *D. de ſtatu hom.* fieri non potuit, quin ſaepe in ciuis Romani aedibus vel Syra aliqua, vel Cilix, vel Treſſa; vel Afra dominaretur, qualis in Septimii Seueri palatio erat Iulia Domna. Deinde quamuis inceſtas nuptias et πολυγαμίαν damnarent: eo magis tamen ruebant in feminarum imparis conditionis amplexus, adeo vt vel ob eam maxime cauſſam Auguſtus ferendam putaret legem celeberrimam de maritandis ordinibus. Vid. *Comment. noſtrum ad Leg. Iul. et Pap. Lib. II. cap.* 1.

§. CCIII.

Medio etiam aeuo ſera iuuenum venus.

Pleraque haec medio aeuo mira religione cuſtodiebant gentes Germanicae. Tunc quoque ſera erat iuuenum Venus, nec prius de nuptialibus taedis cogitabant iuuenes, quam plenae ſaltim pubertatis annos attigiſſent *. Hinc Childeſwinthus in LEG. WISIG. *Lib. III. tit.* 1. §. 4. *Si aut aetate, aut perſonarum incompetenti conditione adnectitur copula nuptialis: quid reſtat in procreationis origine, niſi vt, quod naſciturum eſt, aut diſſimile maneat, aut deforme?* Hinc ea lex ſponſum perfectae aetatis eſſe, ſponſam vero non aliam, quam ſponſo natu minorem, eligi iubet. Sed et LEX LANGOBARDICA ſimilis exſtat *Lib. II. tit.* 8. §. 10.

* Diutiſſime Germanis manſiſſe hunc morem, multa exempla ipſorum principum, qui alioquin citius, quam priuati, nuptiis adiiciunt animum, luculenter oſtendunt. Henricus Auceps natus eſt anno 876. primum vxorem Hathburgim duxit anno 908. adeoque tum annos natus 32. Sic et Otto Editham, priorem vxorem duxit anno 930. quumque, teſte HROSWITHA, natus ſit octo dies ante Ottonis aui mortem, adeoque anno 912. ſponſus fuit annorum 18. totidemque fere annorum fuit Otto II. quum anno 972. Theophaniam ſibi iungeret. LEVKF. *Antiqu. Pold. adpend. p.* 208. in lucem quippe editus anno 955. CONTIN. REGINON. *ad ann.* 955. Henricus III. Cunechildem ſibi iunxit anno 1036. HERM. CONTR. *in Chron. ad ann.* 1036. Itaque annos habuit 19. quippe qui in lucem prodiit anno 1017. WIPPO *in vita Conradi p.* 436. Henricus V. einſdem nepos, natus anno 1081. CHRONOG. SAXO ad

ad ann. 1081. Mathildem vxorem domum duxit anno 1114. OTT. FRIS. *Chron. Lib. VI. cap.* 15. adeoque iuuenis tum fuit annorum XXIII. Si principum filii tum non feſtinabant: quid feciſſe dixerimus plebeios, quibus prius de re familiari, quam de nuptiis, cogitandum erat?

§. CCIIII.

Saepius tamen et externae ducebantur.

Sed non tam religioſe poſtea id ſemper obſeruabant Germani, vt Germanas ducerent domum. Saltim principes frequentiſſime ſibi vxores peregrinas arceſſebant, nec id fraudi erat liberis, inde natis, dum aequalis dignitatis ac conditionis femina in torum fuiſſet recepta. Sic inter Reges et Imperatores Germanorum Otto M. Anglam et Burgundam; Otto II. et Philippus Graecas; Henricus III. Anglam et Pictauienſem; Henricus IIII. Italam et Ruſſam; Henricus VI. Siculam; Fridricus II. Hiſpanam, Palaeſtinam, Anglam, habuerunt in matrimonio: nec raro principes exterarum nuptias ambibant *. Cum Iudaeis tamen nullum ius connubii eſſe Germanis patiebantur Franci, CAPITVL. *Lib. VII.* §. 59. 60. quia ita cautum fuerat in CONCIL. AVREL. *II. Can. XIX.* et in CONCIL. ARVERN. *Can. VI.*

* Sic Ethico I. Dux Alamanniae duxit Berſwindam Burgundam. ECCARD. *Orig. Habsb. Lib. I. cap.* 3. *p.* 12. Hermannus Dux Sueuiae Gerbergam, Burgundam. Sed et in Witichindi ſtemmate apud EVMDEM *Hiſt. Geneal. Princ. Sax. ſup. r. p.* 37. Witichindo vxor tribuitur Geua, Danica; Theodorico Comiti Reinhilda, Dano-Friſica, *Ibid. p.* 74. Herſiboni femina Noruegica; Wolfo Pomerano regis Daniae filia; Wicberto Iuditha, Bohema, *Ibid. p.* 179. Gunzelino, Marchioni Miſnenſi, et Herimanno, Marchioni Polonae; *Ibid. p.* 247. Wilhelmo et Vdalrico Marchionibus Hungarae. Omitto alia exempla, quorum innumera colligere liceret, niſi vel pauca haec ſufficere viderentur.

§. CCV.

Nuptiae inceſtae prohibitae.

At in eo laudandi inſequentium temporum Germani, quod de inceſtis nuptiis certiores leges ferrent, ſimul ac illis Chriſtianae pietatis lumen adfulgere coepiſſet. LEGE ſane SALICA *Tit.* 14. §. 16. prohibentur nuptiae cum ſororis vel fratris filia, aut alterius gradus conſobrina, fratriſque aut auunculi vxore, eaeque nuptiae *ſceleratae* vocantur, nec prognati inde liberi legitimi, ſed *infames* eſſe iubentur. CHILDEBERTVS quoque *in Decretione anni* 595. *apud* BALVZ. *Tom. I. Capitular. p.* 17. ſaltim in futurum coniunctiones inceſtas vetat, praeteritas epiſcoporum doctrinae ac dehortationibus ſanandas relinquit. Similes prohibitiones

tiones exſtant in LEGIBVS LANGOB. *Lib. II. tit.* 8. §. 3. 13. *et* 14. BAIVVAR. *tit.* 6. §. 1. ALAM. *tit.* 39. et maxime in CAPITVLARIB. *Lib. V.* §. 168. *et* 304. *Lib. VI.* §. 409. et *Lib. VII.* §. 143. vbi inter collaterales plane *ad ſextam propinquitatem carnis* prohibentur nuptiae, quamuis haec omnia magis ex canonibus eccleſiaſticis ſint, quam ex moribus Germanorum *.

* Hinc Reges Francorum Merouingicos parum penſi habuiſſe videntur haec eccleſiae praecepta, quantumuis rigida. Nam Charibertus, Rex, duas ſorores, Meroſledam et Marcouefam, in torum recepit. GREG. TVR. *Lib. IIII. cap.* 25. *ſequ.* Theodebaldus nouercae ſororem, Vuldetradam, vxorem duxit. GREG. TVR. *ibid. cap.* 9. Chlotharius et duas vna ſorores, et alteram ex his fratris vxorem, in matrimonio habuit. Sed paullo maiorem pudoris ac verecundiae rationem habuerunt Carolinae ſtirpis reges, et poſtea, gliſcente Pontificis potentia, nemo vel regum vel principum impune tulit, ſi non dicam ius diuinum, ſed canones eccleſiae, etiam iuri diuino parum conuenientes, violaſſet.

§. CCVI.

An πολυγυνία et pellicatus licitus?

Idem de πολυγυνίᾳ dicendum eſt. Quamuis enim nec plures ſimul vxores habere, nec pellicem vxori ſuperinducere liceret: CAPIT. *Lib. VI.* §. 230. *et* 433. *et Lib. VII.* §. 336. tamen, et huiuſmodi legibus ſeſe haud ſtringi, exiſtimabant Francorum Merouingicae ſtirpis reges *, qui et plures ducebant vxores, et inter pellicum ac concubinarum greges volutabantur, vt parum inter lupanaria eorumque gynaecea intereſſet. Sic Chilpericus Rex, quum iam plures haberet vxores, Galſwinthae, Wiſigothorum Regis filiae, nuptias adfectauit, fidemque dedit per legatos, ſe reliquis repudium daturum. Et de Dagoberto I. rege AVCTOR VITAE PIPINI DVCIS *apud* DVCHESN. *Tom. I. p.* 595. *Coepit*, inquit, *praeter concubinas, quarum multiplex erat numerus, contra ius canonicum, decus regium, trium reginarum inceſtis abuti complexibus.*

* Neſcio an caſtiores multo fuerint principes alterius ſtirpis. Caroli enim M. concubinas EGINARD. *in vit. cap.* 20. haut paucas recenſet, ſed mortuis demum vxoribus, vti videtur, adſcitas. Aſt vti concubinatus, ceu infra demonſtrabimus, diu ſatis in Germania manſit in vſu: ita pellicatui grauiter ſeſe oppoſuere Pontifices maximi, et Epiſcopi, et ne Regibus quidem pepercerunt, hoc ſe probro polluentibus. Quas turbas ſibi conciuerit Lotharius Rex, Waltrada Thietbergae Reginae ſuperinducta, notum eſt ex ANNAL. FVLD. *ad ann.* 863. *ſequ.* OTTON. FRISING. *Lib. VI. cap.* 3. et HINCM. *opuſc. de diuortio Lotharii et Thietbergae.*

§. CCVII.

An impares nuptiae?

Sed Reges iſti, in Venerem procliuiores; tam parum rationem habebant pudoris ac dignitatis ſuae, vt ne ab imparibus quidem nuptiis abſtinerent. Quamuis enim filias ac ſorores ſuas non temere aliis, quam regibus, elocarent: HADR. VALES. *Lib. XI. rer. Franc. ad ann.* 567. et legibus impares nuptias cohiberent: LEX FRIS. *tit.* 6. (§. 75.) ipſi tamen puellas, non modo ignobiles, ſed et ancillas, iuſtis nuptiis ſibi adiungere non dubitabant. Tales ſane fuere Auſtregildis Guntchramni, Meraſleda et Marcoueſa Chariberti, apud GREG. TVRON. *Lib. IIII. cap.* 25. 26. 27. Nantechildis Dagoberti, apud FREDEGAR. *in Chron. cap.* 58. Balthildis Chlodouaei II. et aliae complures. Quamuis fatendum ſit, alterius ſtirpis atque inſequentium temporum reges et principes non modo indecoras huiuſmodi nuptias ſeueris legibus prohibuiſſe, ſed et ipſos his legibus vixiſſe pleroſque.

§. CCVIII.

Virtus et nobilitas dos praecipua.

Denique et in hoc priſci moris manſit cuſtodia, quod et mariti ſibi vxores, non tam opulentas, quam nobiles et pudicas, eligerent, et virgines ac feminae nobiles non dotis ac opum, ſed praecipue nobilitatis ac virtutis cauſſa, maritos adpeterent. Sane enim et principes, a fortuna bonis euolutos, at origine rebuſque geſtis claros, ſaepe fuiſſe fortunatioribus praelatos, exempla quam plurima euincunt, veluti fata Henrici Saxonis, quem, principis proſcripti, ac bonis fere omnibus exuti, Henrici Leonis, filium, ſolius nobilitatis ac virtutis cauſſa, ipſi Philippo, Regi Franciae, ſponſum praetulit Agnes, Palatinatus ad Rhenum heres vnica, nullis Henrici VI. Imp. vel precibus, vel minis, ſeſe a conſilio illo dimoueri paſſa *. GVIL. NEVBRIG. *Hiſt. Angl.* 4. 30. GERARD. STEDERB. de *geſt. Henr. Leon. ad ann.* 1194.

* Similia multa habet matrimonium Ezonis vel Ehrenfridi, Comitis Palatini, cui non maximae fortunae principi Otto III. Imp. non ob aliam cauſſam deſponſauit ſororem, Mathildam, quam *quod eſſet corporis elegantia venuſtiſſimus, mentis induſtria prudentiſſimus, animi magnitudine fortiſſimus, ad diſponenda negotia, tam priuata, quam publica diſcretiſſimus.* MONACH. BRAWILER. *Vit. Ezon. et Mathild. cap.* 1. Sic vere in Germanos etiam quadrat, quod de ſua gente ſcribit SAXO GRAMM. *Hiſt. Dan. Lib. V. p.* 69. *Nulli quondam illuſtrium feminarum connubiis idonei cenſebantur, niſi qui ſibi ingens famae pretium geſtarum inſigniter rerum fulgore ſtruxiſſent. Summum in proco vitium deſidia fuit. Nihil magis in nuptiarum petitore,*

titore, quam claritatis inopia, damnabatur. Sola gloriae vbertas ceterarum rerum opulentiam exhibebat. Puellae quoque non tam procantium ſe formas, quam edita ſpecioſe facinora, mirabantur.

§. CCVIIII.

Ritus nuptiarum tempore Taciti per iunctos boues et arma.

Hactenus de perſonis, quas nuptias ſecundum Germanorum inſtituta obſeruamus feciſſe: proximum eſt, vt de ritu illas celebrandi quaedam adiiciamus. Is qualis fuerit temporibus Taciti, hodie fere ſcimus cum ignariſſimis, niſi quod ille, et armorum aliquid, et pecorum, quod in ſponſalibus promiſſum fuerat, cum ipſa puella marito traditum eſſe, innuit. Huc enim pertinet locus ex eius *de Mor. Germ. cap.* 20. *In haec munera* (vid. §. 178.) *vxor accipiebatur, atque inuicem ipſa armorum aliquid viro adferebat. Hoc maximum vinculum: haec arcana ſacra, hos coniugales Deos arbitrabantur. Ne ſe mulier extra virtutum cogitationes, extraque bellorum caſus putet, ipſis incipientis matrimonii auſpiciis admonetur, venire ſe laborum periculorumque ſociam, idem in pace, idem in praelio, paſſuram auſuramque* *. *Hoc iuncti boues, hoc paratus equus, hoc data arma denunciabant. Sic viuendum, ſic pereundum. Accipere ſe, quae liberis inuiolata ac digna reddat, quae nurus accipiant, rurſuſque ad nepotes referant.*

* Iuncti ergo boues communem rei familiaris curam; arma commune in bello periculum denunciabant. Quemadmodum enim domus officia vxor et liberi exſequebantur: ita et in bello comitabantur viros, et in praelium proficiſcentes milites paſſis crinibus flentes inclamabant, ne ſe in ſeruitutem traderent. Caesar *de Bell. Gall. Lib. I. cap.* 51. Feruente praelio *feminae vulnera exſugebant, cibos et hortamina pugnantibus geſtabant, inclinatas et labantes acies conſtantia precum et obiectu pectorum, et monſtrata cominus captiuitate, reſtituebant.* Tac. *de Mor. Germ. cap.* 7. *et* 8. Exempla dabit Plvtarch. *in Mario p.* 421. Tacit. *Hiſt. Lib. IIII. cap.* 18.

§. CCX.

Cuius et medio aeuo ſuperſunt veſtigia.

Hic ritus ne medio quidem aeuo videtur plane exoleuiſſe. Arma enim et tum in nuptiis paſſim fuiſſe adhibita, ſatis conſtat: auctorque eſt Io. Loccen. *Antiqu. Sueo-Goth. Lib. II. cap.* 24. *p.* 108. in nuptiis veterum Sueogothorum contum vel lanceam aut haſtam vexillarem complicatam, ſericis vinculis ornatam, ad ſponſi ſponſaeque pedes deponi conſueuiſſe, eamque contactam XII. teſtibus praeſentibus in doni matutinalis ſtabilimentum, ab vno eorum extra feneſtram domus nuptialis proiectam, et ab

Digitized by Google

accurrente plebe direptam fuiſſe, lanceae tamen cuſpidem chalybeam a ſponſo, in rei memoriam, argento redimi ſolitam. Cuius ritus rationem redditurus OL. MAGNVS *rer. ſept. Lib. XIIII. cap.* 4. *Significatione*, inquit, *interuenientium armorum in nuptiis declarabatur, etiam vxores, fortibus ac bellicoſis coniunctas, ſeuerum et minime effeminatum, ſed virilem cultum magna operando probare debere, itemque meminiſſe, ſe ex illuſtri, ſeu nobili ſtirpe, vt eam communiter cum marito defenderent, prodiiſſe.*

§. CCXI.

Ἱερολογία eccleſiaſtica quando inualuerit in Germania?

Sed priſcus ille ritus paullatim exoleuit, ex quo *ἱερολογία* eccleſiaſtica, vel copula ſacerdotalis, inualuit. Factum id apud Germanos, ſimul ac Chriſto dederunt nomen. Quemadmodum enim iam primi Chriſtiani, quibus nihil *ἄνευ εὐλογίας* agere moris erat, ſponſos in eccleſiis precibus Deo commendare conſueuerant: TERTVLL. *ad Vxor. Lib. II. cap. vlt.* * ita ſollemnem benedictionis ritum cum ipſa fere Chriſtiana doctrina receperunt Wiſigothi, (vid. LEG. WISIGOTH. *Lib. XII. tit.* 3. §. 8.) Langobardi, (LEX LANGOB. *Lib. I. tit.* 30. §. 15.) ac Franci. (CAPITVL. *Lib. VII. cap.* 179. *et* 363. *Lib. VI.* §. 133. 327. 408.) Sed ei caerimoniae, eccleſiaſticae potius, quam Germanicae, ac proinde potiſſimum ex ritualibus ſacris illuſtrandae, iam non immoramur. Vid. SELDEN. *vxor. Hebr. Lib. II. cap.* 26. *ſeq.*

* Sunt equidem, qui ritum illum ante Leonis imp. tempora inoleuiſſe negant, et loca omnia TERTVLLIANI aliorumque veterum ſcriptorum de precibus et congratulatione fidelium, itemque de oblationibus interpretantur, veluti SELDEN. *vxor. Hebr. Lib. II. cap.* 29. Enimuero loca TERTVLLIANI, AMBROSII *Lib. IX. Epiſt. LXX.* SYNESII *Epiſt. CL.* nimis clara eſſe, quam vt eludi poſſint, ipſe fatetur ZIEGL. *de Epiſc. Lib. III. cap.* 20. §. 4. *ſequ.* At facile largimur, non fuiſſe *ἱερολογίαν* iſtam publica lege ſancitam ante Leonis tempora, cuius *Nouella LXXXVIIII.* huc vel maxime omnino pertinet.

§. CCXII.

In Germania concubitus praecipue requirebatur.

At quamuis hi ritus omnes eſſent adhibiti: tantum tamen abeſt, vt vel conſenſus nuptialis, vel *ἱερολογία*, ad producendos effectus ciuiles matrimonii ſufficere videretur, vt potius praecipue requireretur concubitus, vel in torum receptio *. Hinc veteribus nuptias facere eſt *copulare aliquam ſuo ſtrato.* GREG. TVRON. *Hiſt. Lib. IV. cap.* 9. Et ob eamdem cauſſam pleriſque libellis dotis expreſſum eſt, dotis dominium in ſponſam tum demum

mum tranſiturum; quando dies nuptiarum aduenerit, et Deus ſponſum ſponſamque coniunxerit. FORM. LINDENBR. *cap.* 75. 77. 78. 80. Hinc denique in IVRE PROV. SAXONICO *Lib. III. Art.* 45. *et Lib. I. Art.* 45. legimus: *Sie iſt ſeine Genoſſin, vnd tritt in ſein recht, vvenn ſie in ſein Bett tritt.*

* Id Germani vocant: *die Decke beſchlagen.* Quod adeo videbatur ad eſſentiam matrimonii pertinere, vt adimpletum hoc videretur, ſimul ac ſponſus ſponſaque vel vno momento eodem lecto cubuiſſent. Hinc AENEAS SYLV. *in Vita Friderici III.* refert, Imperatorem, excepta Neapoli ſponſa, Eleonora, Luſitanica, tempus nuptiarum traxiſſe, ſiue nolentem, ſanguinem Italicum ſibi naſci, ſiue aliud religionis in mente gerentem. Moeſta ob id virgine, ſeque contemni ſuſpicante, Alfonſum, regem, vehementerque rogaſſe Imperatorem, vt ſponſam tandem aliquando in torum reciperet. *Hunc* itaque *iuſſiſſe Teutonico more ſtratum adparari, iacentique ſibi Eleonoram in vlnas amplexusque dari, ac, praeſente Rege, cunctisque proceribus adſtantibus, ſuperduci culcitram: neque aliud actum eſſe, niſi datum oſculum. Fuiſſe enim ambos veſtitos, moxque inde ſurrexiſſe.* Addit AENEAS: *Sic conſuetudinem Teutonicorum ſe habere, quum principes primum iungantur: mulieres vero Hiſpanas, quae adſuerint, arbitratas, rem ſerio geri, quum ſuperduci culcitram vidiſſent, exclamaſſe, indignum fieri facinus, regemque, qui talia permitteret, increpaſſe. Hunc autem non ſine riſu et iucunditate ſpectaſſe peregrinos mores.* Hinc plane Germanicus fuit ille ritus, quo olim legatus vel procurator, a principe ad adimplendum matrimonium miſſus, pedem, vel nudum, vel armatum, lecto, in quo cubabat ſponſa, immittere, eumque illico retrahere ſolebat. Vid. ill. A LVDEVVIG. *de matrim. per procurat. Diff. VIII. cap.* 3.

§. CCXIII.

Sed, vt ad concubitum illum nuptialem reflectamus orationem: quam neceſſarius ille viſus fuerit Germanis, ad effectus nuptiarum ciuiles conſequendos, vel inde patet, quod et quaedam in Germania ciuitates, et exterae originis Germanicae gentes, illud legibus exprimerent, nuptias intelligendas eſſe demum, vbi coniuges concubuerint. Hinc Gallorum paroemia: *Femme gagne ſon doüaire, à mettre ſon pied au lit.* ARGENTR. *Conſu. Brit. art.* 429. Add. IVS PROV. WVRTEMB. *Part. IV. tit.* 2. §. 1. REFORM. FRANCOF. *Part. II. tit.* 3. §. 5. ill. A LVDEWIG. *de Matr. per procur. Diſſ. VIII. cap.* 2. §. 2. *et* 3.

Quod et legibus ac ſtatutis variis expreſſum.

§. CCXIIII.

Vbi primam noctem exegerant coniuges: munus aliquod exigebat mulier, quod iam ab antiquiſſimis temporibus DONI MATVTINI, ſeu MORGENGABAE, nomine venit. Id ſiue primae noctis

Morgengaba nouae nuptae data.

Digitized by Google

noctis praemium fuerit, ceu vulgo tradunt, ſiue ſignum adprehenſae tori poſſeſſionis, quod viſum GVNDLINGIO *Diſſ. de coemt. vxor. cap. 3. §. 14. ſequ.* et antiquiſſimum, et gentibus Germanicae originis tantum non omnibus commune fuiſſe, animaduertimus *.

* Ac proinde ex iure Germanico originem procul dubio cepit; per axioma noſtrum II. (§. 14.) De quo eo minus dubitare licet, quo magis conſtat, ipſum quoque vocabulum MORGENGABE, Germanicae manifeſto originis, tot gentibus commune eſſe. Occurrit enim id vocabulum apud Burgundos in LEG. BVRG. *tit.* 42. §. 2. Francos in LEG. RIPVAR. *tit.* 37. §. 2. et GREG. TVRON. *Hiſt. Lib. VIIII. cap.* 20. apud Langobardos, LEG. LANGOB. *Lib. II. tit.* 1. §. 4. 8. *tit.* 4. §. 1. *et* 4. *tit.* 12. §. 1. *et tit.* 14. §. 15. Anglos in LEG. CANVTI *Regis. cap.* 71. Alamannos. LEG. ALAM. *tit.* 56. Saxones in IVR. PROV. SAX. *Lib. I. Art.* 20. Quin et de Sueo-Gothis LOCCEN. *Antiqu. Sueo-Goth. Lib. II. cap.* 14. *p.* 107. ſcribit: *Vxor marito dotem non affert, vt Germanis vxoribus hodie moris eſt, quamuis* TACITVS *priſcis Germanis illud in vſu fuiſſe neget: ſed loco dotis coniux marito animum et amorem ſuum donat. Maritus tamen eam* DONO MATVTINALI *adficit, et honorat, de quo in Synopſi Iur. Diſſ. VII. membro II. ex profeſſo et prolixe egi.* In monimento, quod IVSTVS FONTAN. *vindiciis antiquorum diplomatum* ſubiecit, haec morgengaba vocatur PRETIVM IN MANE', *quando ſurrexit de lecto.*

§. CCXV.

An haec eadem cum dote Germanica?

Sunt viri doctiſſimi, qui eamdem eſſe putant hanc donationem matutinam cum dote Germanica. Sed quo minus ei ſententiae ſuffragemur, prohibent tot veterum loca, in quibus DOS et MORGENGABA diſerte diſtinguuntur. Ex pactione enim, inter Guntchramnum et Childebertum Reges inita, quam integram edidit GREGOR. TVRON. *Hiſt. Lib. VIIII. cap.* 20. patet, Guileſuindam, germanam Brunichildis, *ciuitates Burdegalam, Lemouicum, Cadurcum, Benarno et Begorram tam* IN DOTE, *quam in* MORGANEGIBA, *hoc eſt, matutinali dono, adquiſiuiſſe, in Franciam venientem.* Et in LEGE RIPVARIA *tit.* 37. §. 2. *Si vir per ſeriem ſcripturarum vxori nihil contulerit, ſi virum ſuperuixerit, quinquaginta ſolidos* IN DOTEM *recipiat, --- vel quidquid ei in* MORGENGABA *traditum fuerat, ſimiliter faciat* *.

* Similiter diſtinguitur DOS a MORGENGEBA in LEGE ALAM. *tit.* 56. §. 1. *et* 2. Siquidem illam vidua vel ſacramento cum quinque conſacramentalibus praeſtando, vel ſingulari certamine *cum ſpatha tracta*; hanc ſolo *ſacramento per pectus*, quod vocabatur *Naſtaid*, adquirebat. Fatendum tamen omnino eſt, apud Langobardos, vbi vſque ad quartam bonorum partem, quin aliquando ad tertiam et vltra donabant loco *morgengabae*, hanc am-

plam

plam donationem dotem abſorpſiſſe videri. Sane enim in monimento, quod paullo ante ex Fontanino adduximus, (§. 214. *) anno 1163. contra legem Langobardicam. *Folo dedit dominae Gerlint omnia ſua, propter* pretivm in mane, *quando ſurrexit de lecto, et protulit ei, quidquid ad ſuum dominatum pertinuit.* Quid ergo hic dotis nomine dederit, quum omnia abſorbeat morgengaba?

§. CCXVI.

Ceterum illam morgengabam, vel donum matutinum, non eiuſdem vbique quantitatis fuiſſe, arbitramur. Apud Langobardos enim in mariti erat arbitrio, quantum dare vellet, dumne iſtud excederet partem quartam bonorum *. Lex Langob. *Lib. II. tit.* 4. §. 1. Et ſaepe tamen quartam exceſſiſſe hanc donationem, iam vidimus, docuitque pluribus Ian. a Costa *ad C. Raynut. X. de teſtam.* Apud reliquas gentes cuiuſuis voluntati relictum fuiſſe videtur, quantum donare vxori vellet. Morgengabae quantitas.

* Solebant Langobardi ante nuptias libello dotis exprimere, quantam donationem matutinam conſtituerint, facultatemque ſponſae dare, litteras illas altero nuptiarum die producendi ac cognatis amiciſque oſtendendi. Sed et ipſe hoc ſollemnibus verbis faciebat ſponſus, de quibus vt eo rectius conſtet, adſcribere hic non nulla placet ex tabulis dotalibus Vdebrandi, Langobardi, apud Dacher. *Spicil. Tom. XII. n.* 36. *p.* 155. vbi anno 1048. Vdebrandus ille *per ſcriptum* morgincap *donat, et tradit* Ingae, *integram quartam ſuam portionem de omnibus rebus proprietatis ſuae, ſecundum ritum gentis Langobardorum, promittitque, ſe hanc paginam ante parentes et amicos oſtenſurum, et ſcriptam a teſtibus roboratum, vt dicat:* QVIA, ECCE QVOD CONIVGI MEAE MORGINCAP DEDI, ET IN FVTVRVM PRO HAC CAVSSA PERCVRRAT. Et alio, quod edidit Steph. Balvz. in *Append. Capitular. n.* 147. *p.* 1550. anno 1044. promittit Ioannes Miczae ſponſae ſuae, *ſe alia die poſt noctem nuptialem, qui ſit dies votorum ſuorum, ante parentes et amicos ſuos oſtenſurum hoc ſcriptum, teſtibus roboratum, et dicturum:* ECCE, QVOD CONIVGI MEAE IN MORGINCAP DEDI, ET SIC AB ILLO DIE FIRMVM ET STABILE MICZAE VEL EIVS HEREDIBVS MANEAT.

§. CCXVII.

Manſit hoc inſtitutum et inſequentibus temporibus, quin inter Saxoniae, vicinarumque prouinciarum ingenuos ac nobiles hodie quoque perdurat. Vt rem quibuſdam medii aeui exemplis vere Germanicis illuſtremus: apud Alb. Argent. *p.* 113. *ſequ.* mentio fit *dominii de Kyburg, matri Ioannis Auſtriaci morganatico iure donati.* Ivs Prov. Svev. *cap.* 296. *Nun mercket, und vernemet, was ein ieglicher Mann, der von ritterlicher Art iſt, ſeinem Weib zur Morgengab geben mag, ohne ſeiner Erben Vrlaub.* Morgengaba et inſequentibus ſaeculis in Germania in vſu fuit.

Des

Des Morgens an ihrem Bett, oder ſo er zu Tiſch gehet, oder ob dem Tiſch, ſo mag er geben ſeinem Weibe ohne ſeiner Erben Vrlaub einen Knecht, oder ein Magd, die zu ihren Iaren kommen ſind, vnd Zevvn und Gezimmer ob der Erd. Qualia etiam ſunt in IVRE PROV. SAX. *Lib. I. art.* 20. Exſtant etiam diplomata, in quibus anno 1313. fit mentio *der Wiederlegung, Widdem vnd Morgengab* apud TOELN. *Cod. Diplom. Palat. n.* 119. *pag.* 82. et anno 1405. *antiphernae, Morgegeban vulgo dictae* * apud IO. IS. PONTAN. *Hiſt. Gelr. Lib. VIII. p.* 363. vt alia recentiora omittam exempla, quorum permulta ſunt apud LVNIGIVM.

* Ita ſe habent verba apud IO. IS. PONTANVM. Sed quum ipſe fateatur *p.* 362. ſe tabulas illas nuptiales Reinaldi, Iuliacenſis, vernaculo idiomate conceptas, Latine reddidiſſe: non dubito, quin illud *antipherna* male exprimat vocabulum Belgicum, quod fuit in tabulis authenticis, et in his nihil aliud lectum ſit, quam ſponſum ſponſae praeter dotalitium conſtituiſſe morgengabam.

§. CCXVIII.

Epulae nuptiales.

Quemadmodum vero ſponſalia non temere ſine epulis inibantur: ita multo magis ad condecorandas nuptias pertinere videbantur conuiuia opipara, pocula largiora, tripudia, inter quae cum alia per iocum fiebant, tum id inprimis, quod noua nupta aeque ac ſponſus in altum tollerentur. Iſtum ritum iam ſuo aeuo in nuptiis notauit OPTAT. MILEVITANVS *de Schiſm. Donat. Lib. VI.* ex eoque PETR. PITH. *Aduerſ. Lib. II. cap.* 6. Sed eumdem Germanicae etiam originis gentibus non ignotum fuiſſe; docet IO. LOCCEN. *Antiqu. Sueo-Goth. Lib. II. cap.* 24. *pag.* 109. *Caerimoniis iſtis confectis, ſponſus per iuuenes et viros, ſponſa per virgines et feminas deſaltatur, ad ſuum quiſque ordinem, et ſexum. Inter tripudium ſponſus iuuenis a ſubeuntibus paranymphis ſociiſque iuuenibus attollitur atque ſuſtinentium humeris vibratur.* Id quod tamen et in aliis, extra ſeptentrionem, prouinciis factum eſſe, ego quidem pro certo haud adfirmauerim.

§. CCXVIIII.

Dona nuptialia.

Denique et iſte mos vere Germanicus eſt, et iam inde ab antiquiſſimis vſque temporibus ad nos deductus, quod, qui ſollemnibus iſtis epulis intererant, ſponſum ſponſamque non modo piis votis, fauſtiſſimiſque adclamationibus, verum etiam donis et muneribus, pro ſuis quique facultatibus, proſequerentur. Sane enim

enim GREGOR. TVRON. *Hiſt. Lib. VI. cap.* 45. deſcribens nuptias filiae Chilperici: *Franci vero*, inquit, *multa munera obtulerunt: alii aurum, alii argentum, nonnulli equos, plerique veſtimenta, et vnuſquiſque, vt potuit, donatiuum dedit.* Haec dona et munera et hodiernis moribus obtinent, vocanturque: *Hochzeit-Geſchencke*, itemque *die Braut-Taffel* *.

* Inter plebeios et ruſticos nuptialia haec munuſcula non tam ad locupletandos nouos coniuges, quam ad ferendos ſumtus, in conuiuium nuptiale factos, conferuntur. Quod et in Suecia fieri docet IO. LOCCEN. *ibid. p.* 109. *In nonnullis locis ſumtus nuptiales ab inuitatis hoſpitibus in eranis et collectis ſolent adiuuari, ac ſubleuari: quum plures vnum facilius, quam vnus et ſolus ſeipſum, impenſa maiore inſtruere poſſit.*

§. CCXX.

Inde ergo colligimus, I. iure Germanico nuptias facere non pueros puellaſque, ſed iuſtae aetatis iuuenes, qui parentum nomen ſine rubore audiant. II. Non facile Germanos, ſi principes excipias, exteras ducere, quamuis, praeterquam cum Iudaeis, aliiſque a Chriſto alienis, cum omnibus ſit ius connubii. III. Numquam Germanos permiſiſſe πολυγαμίαν ac pellicatum: at IV. inter nobiles ac ingenuos hodie quoque non impune eſſe impar matrimonium. V. Inter plebeios non raras eſſe opulentarum cum tenuioris cenſus viris nuptias, quos virtus ac induſtria commendat. VI. In nuptiis quidem ritus eccleſiae ſeruare Germanos: lucra tamen pactis dotalibus promiſſa non adquiri, niſi concubuerint coniuges. VII. Dona nuptialia communia eſſe vtrique coniugi, niſi quod ea ſponſae plebeiae parentes ſaepe ſibi ſtipulantur in compenſationem impenſarum, irrogatarum in conuiuium nuptiale. *Varia de nuptiis axiomata.*

§. CCXXI.

Quum itaque in Germania ſemper fuerit ſera iuuenum Venus, longaque pueritia: (§. 220. I.) facile patet, (I. cur ſponſi aeque, ac ſponſae, olim inceſſerint coronis ornati, quaſi qui ad nuptias vſque, libidinum ſuperato impetu, pulcherrimam retulerint victoriam, caſtitatiſque laudem integram ſeruarint. Quod fruſtra dixeris de pueris et puellis, quibus huius victoriae laudem eo minus attribuas, quo minus plerumque hoſtilem inſultum paſſi ſunt *. *Ius coronae nuptialis.*

Digitized by Google

* Hinc ius ſponſae, capillis ſolutis et ſine velo incedendi, quod tanti ſemper viſum maioribus, vt illud et liberis honori fuerit, ſi parentes hoc ornamento vſi eſſent in nuptiis, (*vvann ſie mit fliegenden Hahren zu Kirchen vnd Straſſen gegangen*,) quippe quod olim in teſtimoniis ingenuorum natalium exprimi ſolebat. Hinc et defloratae, ereptae ſibi virginitatis pretium exigentes, vrgent, *daſs ihnen der Krantz bezahlet vverden moge*. Hinc tanti fit id ius coronae, vt poſtridie nuptiarum mira eſſe ſoleat aemulatio ſponſae et coniuiuarum caelibum, illa coronae vſum etiamnum adfectante, his ei eripere hoc decus, et velum capiti iniicere, conantibus, quaſi periculum eſſet, ne pollueretur id virginitatis ornamentum, ſi haereret capiti eius, quae virum paſſa eſſet. Quem luſum nuptialem, cum pluribus verbis nuptis ac praetextatis plerumque coniunctum, exprimere ſolent verbis: *man vvolle der Braut den Kranz nehmen, vnd ihr die Haube aufſetzen*. Similem ritum et apud veteres Graecos deprehendimus, niſi quod apud hos ſponſae, ſoluta zona, ipſae coronas cum oſculo et lacrymis ponerent. VALER. FLACC. *Argonaut. Lib. VIII. v. 6.*

Vltima virgineis quae flens dedit
oſcula vittis.

Quin et Deae cuidam, veluti Palladi vel Veneri coronam nuptialem dedicaſſe nuptas, maxime vbi primum peperiſſent, patet ex elegantiſſimo epigrammate vetere, quod eſt apud HEINS. *Not. ad Horat. p. 16.*

Τῇ παφίῃ στεφάνους τῇ παλλάδι τὴν πλοκαμῖδα
Ἀρτέμιδι ζωνὴν εἴσατο Καλλιρόη.
Εὕρετο γὰρ μνηστῆρα τὸν ἤθελε, καὶ λάχεν ἥβην
Σώφρονα, καὶ τέκνον ἄρσεν ἔτικτε γένος.

Has Paphiae ſertas, crinem hunc tibi, maxima Pallas,
Dyctynnae hanc Zonam Calliroe poſuit:
placido iam functa viro eſt, caſteque iuuentam
Tranſiit, et prolem maſculeam genuit.

§. CCXXII.

Pueriles, ſeniles et viduarum nuptiae.

Et quia iuſtae tantum aetatis iuuenes decere videbantur nuptiae: (§. 220. 1.) non modo (2. ſua ſponte hodie paullo ſerius animum ad eas adpellere ſolent Germani, ſed et (3. ſtatutis quibuſdam id expreſſum videmus, ne minores 20. annis aram Iunonis tangant. Quale ſtatutum Nordiingenſe laudat HOFFMANN. *de aetat. contrah. matr. idon. cap.* 2. §. 2. Ob eamdem etiam rationem (4. parum laudis apud nos habent nuptiae ſenum, quin et (5. viduarum, adeo vt hae ex quarundam ciuitatum ſtatutis quaſi mulctam quamdam, tenuem illam quidem, at mulctam tamen, exſoluere teneantur magiſtratui *, quemadmodum cognato olim debebatur REIPVS, (quaſi *Reu-buſſe*.) (§. 181. *)

* Halae,

Digitized by Google

* Halae noſtrae viduae, iterum nubentes, praetori ciuitatis offerre tenentur marſupium cum numo argenteo: (*mit einem Silber-Groſchen.*) Ockel. *de Praeſcript. immemor. cap.* 2. §. 11. ill. a Ludewig. *vom Münz-Weſen cap. vlt. p.* 266. Similem conſuetudinem Kirchſcheidingae obſeruari, tradit Besold. *in Theſaur. pract. voc. Lehen. Die Braut muſs den erſten Tag dem Herrn geben einem Kun, darzu geben ſie in einem rothen ledernen Beutel ohne Nath* 30. *Groſchen.* Ilenburgi ad vota ſecunda tranſitura mulier itidem Praefecto debet ſaccum ſine ſutura cum duobus numis, qui olim vocabantur *Schreckenberger.* Quod ius, ab Hidda, vrbis domina, ſi Ier. Simoni *in Chron. Ilburg. Part. II. p.* 286. *et Part. III. p.* 502. credimus, olim introductum, ſingulari diſſertatione *ad legem Hiddae de ſacco ſine ſutura* Lipſ. 1719. illuſtrauit D. Christoph. Dondorffius.

§. CCXXIII.

Quamuis vero Germani, ſi a principibus diſceſſeris, non facile domum ducant feminas exteras: (*§.* 220. 2.) tamen et ſtatutis quibuſdam prohibetur, ne (6. ciues extra communem patriam vel tribum, ſibi coniuges quaerant *. Saltim (7. opifices multis in ciuitatibus obſtrictos adhuc fuiſſe nouimus ad magiſtri eiuſdem opificii vel filiam, vel viduam, ducendam, adeo, vt (8. ſponſarum nomina profiteri teneantur, qui iura magiſtri ambiunt: id quod exprimere ſolent verbis: *Mann müſſe auf eines Meiſters Tochter, oder auf die Meiſterin muthen.* Qualia collegiorum ſtatuta ** recenſet, et ad iuſti ac aequi lancem expendit Hadr. Beier. *de orig. ſpecieb. et interpr. Iur. opific. cap.* 7. *§.* 10. *n.* 498. *ſequ.* et *de Domeſticis opific. cap.* 3. An Germanis ducere liceat exteras?

* Legibus Mediolanenſibus cautum eſſe, refert Bodin. *de Rep. Lib. I. cap.* 6. vt bona eius publicentur, qui peregrinam in torum receperit. Cui tametſi ſimile ſtatutum in Germania ipſa me nondum reperiſſe fatear: vere tamen Germanicae originis eſſe arbitror illud Mediolanenſium inſtitutum, et a Langobardis primum inuectum, ibi perennare.

** Quin quibuſdam locis eadem lex praeſcripta eſt, paſtoribus eccleſiae, ſiquidem alicubi non facile praeficiuntur parochiis, niſi qui paſtoris defuncti vel viduam vel filiam aliquam ſe ducturos promittunt: peſſimo profecto exemplo, et in eccleſiae dedecus ac opprobrium reperto, ſi vera fateri velis. Sunt equidem, qui patrocinium commodant huic conſuetudini, ſuis circumſcriptae limitibus: ſed facile legum repagula perrumpit vitium, ſi ſemel ei rimam dederis. Quid vero aliud conſequitur, more hoc ſemel admiſſo, quam vt homines indigni ſacro miniſterio obtrudantur eccleſiis, vt par coniugum tam male conciliatum non ſine offendiculo plebis bellum perpetuum gerat, vt denique ſtatus quaeſtio huiuſmodi miniſtro eccleſiae moueatur a parochis, nec his facile perſuaderi poſſit, eum diuinitus vocatum eſſe, cui ducenti vxorem munus ſacrum pro dote ceſſit? Vid. Finkelth. *de Iure patron. cap.* 6. *n.* 38. *ſequ.*

ſequ. TARNOV. *de Miniſt. eccl. Lib. I. cap.* 23. *Quaeſt.* 2. et MENGERING. *In-* *form. Conſc. Part. I. ſer. pentecoſt. quaeſt.* 4.

§. CCXXIIII.

Odium πολυγυνίας ſimiliumque coniunctionum.

Quemadmodum porro veteres Germani πολυγυνίαν et pellicatum numquam admiſerunt: (§. 220. 3.) ita (9. eamdem pudicitiae ac caſtitatis laudem etiam noſtris temporibus ſeruant, et hinc (10. non modo διγαμίαν, adulterium, pellicatum, ſed (11. paſſim etiam ſtuprum, a marito virgini vel viduae illatum, grauiore poena dignum iudicant, quin et hoc pro adulterio habent, quamuis ſtuprator non perſultarit alienum thalamum. Qua de re infra, vbi de criminibus agendum fuerit, plura dicemus.

§. CCXXV.

Impar matrimonium nobilium.

Ex quarto axiomate (§. 220. 4.) reddimus rationem, (12. cur inter regum quidem, principum ac comitum liberos ius ſit connubii, quia hi omnes accenſentur nobilibus: (§. 189.) non autem (13. inter principem et equeſtris vel plebeii generis feminam, adeoque (14. nec eiuſmodi vxor *, (ſecus ac iure Romano *l.* 9. *C. de incol. l. pen. ff. de rit. nupt.*) nec (15. liberi inde nati, participes ſint dignitatis nobilitatiſque paternae, ſed tunc obtineat regula IVRIS FEVD. ALAM. *art.* 102. §. 1. *Das Kind gehöret zu der ärgern Hand:* conf. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 51. niſi mater maioris nobilitatis ornamenta Imperatoris codicillis impetrarit. Et hinc quum ſaeculo 13. Reinhardus, Comes Hanouienſis, Adelheidam, miniſterialis filiam, vxorem duxiſſet, ex eaque ſuſtuliſſet liberos, pater veritus, ne hi ſtatus controuerſiam paterentur, diplomata, quibus matri liberiſque nobilitatis iura conferrentur, anno 1273. non modo a Rudolpho I. Rege, ſed et a ſingulis electoribus, impetrauit, quae primus edidit IO. CAR. CRANZIVS *Diſſert. de S. R. I. Comitum auſtregis* §. 56. ex eoque ill. a LVDEWIG *de dign. vxor. Diſſ. I. p.* 6. vbi et ex WECKII *Topogr. Dreſd. p.* 159. profert ſimiles Rudolphi I. Regis, tabulas quadriennio poſt ſcriptas, quibus Eliſabetham Maltitiam, nuptam Henrico, Miſniae Marchioni, non modo ingenuitatis, ſed et nobilitatis, liberoſque ex ea natos et dignitatis paternae, et iuris ſuccedendi, facit participes.

* In alia omnia quidem hic diſcedunt MVL. AB EHRENB. *in Gamolog. cap.* 5. VVLTEIVS *in Conſil. Marp. Vol. III. Conſ.* 17. SALMVTH *Reſp. ſingulari pro matr. virg. cum vir. nob.* et alii: ſed inducti in hanc ſententiam partim principiis iuris Romani, quae numquam receperunt Germani, partim locis quibuſ-

quibuſdam IVRIS PROV. SAX. *Lib. III. art.* 45. *et Lib. I. art.* 45. quae tamen de aequali mariti et vxoris mulcta (*vom Wehrgeld, Buſſe vnd Wette*) agere, obſeruat illuſtris LVDOLPH. *de Iur. femin. ill. cap.* 1. *Sect.* 1. §. 10. *p.* 25. Certiſſimum ſane eſt, mores hodiernos ſententiae noſtrae ſuffragari, et plurima exſtare exempla negatae huiusmodi vxoribus natisque ex iis liberis, nobilitatis maritalis ac paternae. Vid. VFFENB. *de Conſil. Aul. cap.* 10. *Sect.* 1. *p.* 84. 85. ill. a LVDEVVIG. *ad Aur. Bull. Tom. II. p.* 1385. *ſequ.* et BOEHMER. *de ſecund. illuſtr. perſon. nupt. cap.* 2. §. 16.

§. CCXXVI.

Contra ea (16. inter ingenuos et plebeios non tam ſeuere prohibitae ſunt nuptiae, et quamuis (17. bilem eae mouere familiis equeſtribus, et deſpicatui eſſe ſoleant tum ipſae plebeiae mulieres, tum mariti, qui iſtas in torum receperunt, quin et (18. liberis, ad dignitates eccleſiaſticas * et haſtiludia adſpirantibus, (§. 80. 83.) non leui impedimento ſit haec materna origo: ea tamen (19. non impedit, quo minus hi et paternae ingenuitatis participes, et (20. feudorum paternorum capaces habeantur. Nec non ingenuorum.

* Neque his tantum caſibus ad originem maternam reſpicitur, verum etiam ſi quis in numerum *ganerbiorum*, quos vocant, veluti Fridbergenſium, vel Geilenhuſanorum, recipi velit. Nam et tunc requiritur, vt ex materna aeque, ac paterna, familia maiorum imagines recenſeantur, eamque proſapiam iureiurando tum ſuo, tum aliorum probet candidatus. Hinc in ACTIS IVDICIAL. in *Sachen Herrn Rudolph Joann Graffen von Walpott zu Baſſenheim contra Hrn. Burggr. Baumeiſt. vnd Regiments-Burgmannen zu Friedberg p.* 2. legimus: *Vnter denenienigen Statutis aber, welche dieſſe in bemeldter Kayſſerlichen vnd Reichs-Burg Friedberg ſich vnirte Adeliche Ganerben ex iure Statuum immediatorum, priuilegiorum Caeſareorum, et ſuperioritatis territorialis vnter ſich errichtet, iſt beſonders auch dieſe Vorſehung mit enthalten, daſs wer in dieſer Adelichen Gannerbſchafft recipiret werden, vnd darinnen bleiben will, entweder von Geburt eines Burgmanns Sohn ſeyn, oder eines Burgmanns Tochter heurathen, dabey ſeine Väterliche vnd Mütterliche Ahnen von Schild vnd Helm altadelichen Geſchlechts, vnd Stiffsmäſſig gebohren, wie in andern Ertz- vnd Stifftern zu geſchehen pfleget, probiren, vnd aus denen zwölff Regiments-Burgmannen vier als Iuranten dazu erbitten, vnd produciren müſſe.*

§. CCXXVII.

Verum quemadmodum ingenua vel plebeia iura nobilitatis ideo non conſequitur, quod nobili nupſit: (§. 225. 14.) ita contra (16. femina maioris nobilitatis, modo nobilem, licet inferioris dignitatis, maritum ſortita fuerit, iura nobilitatis ſuae haud amittit. Hinc (17. regis filia, nupta principi *Ihro Hoheit*; principis An filia regis vel principis nobilitatis gradum maiorem a-

mittat, nubendo nobili minoris gradus?

principis filia, licet comiti nupta, *Ihro Hochfürſtl. Durchlauchtigkeit* vocatur: DN. a LVDEWIG *de Nobil. femin. Diſſ. III. p.* 40. LVDOLPH. *ibid.* §. 12. *p.* 28. 29. quin (18. vxorem comitis, principe natam, aliis comitum vxoribus in itu ſeſſuque praelatam fuiſſe, ipſe non ſemel obſeruaui, vid. LVDOLPH. *ibid. pag.* 28. quamuis (19. liberos, quos eius dignitatis femina enixa eſt, ideo non eſſe dignitate principes, facile unuſquiſque ſit animaduerſurus. GVNDL. *Diſſ. an nobilit. vent. cap.* 3. §. 15. *p.* 44.

§. CCXXVIII.

Illuſtris, ingenuo vel plebeio nupta, nobilitatis iura amittit.

Sed et nullum eſt dubium, (20. quin, ſi ita gente enubat filia principis vel comitis, vt ab ingenuo, vel a plebeio, ſe domum duci patiatur, ea depoſuiſſe cenſeatur nobilitatis ſuae ornamenta: GVNDL. *ibid.* §. 53. *p.* 89. nec (21. Germani vmquam receperint Gallorum, Anglorumque mores, quibus nobilitas tam firmis radicibus infixa videtur huius dignitatis feminis, vt, tametſi cum viris plebeiis ſignauerint tabulas, principum tamen elogia ac praerogatiuas retineant, et in Anglia poſtea quoque *My Ladys* ſalutentur. FELTMANN. *de tit. honor. Lib. I. cap.* 26.

§. CCXXVIIII.

Laude dignum habetur, virtutem doti anteferre.

Quum vero et hodie non rarae ſint opulentarum feminarum cum tenuioris cenſus viris nuptiae: (§. 220. 5.) conſequens eſt, (22. vt diuitis cum paupere matrimonium non noceat liberis, nec (23. dedecori id ſit ipſis coniugibus, ſed potius hoc ipſo laudem mereatur vterque, alter, quod virtutem non habuerit poſt numos, alter, quod fortunam ſibi moribus finxerit, et ſolo ingenio, virtuteque ſibi amorem coniugis opulentioris conciliarit.

§. CCXXX.

Ritus nuptiales.

Quamuis porro ritus ab eccleſia inſtitutos in nuptiis ſeruent Germani: (§. 220. 6.) certum tamen eſt, (24. ſacris illis ritibus multos accedere alios, quos iam ſupra notauimus in vetere Germania receptos fuiſſe, veluti coronas, concentus muſicos, dona ac munera nuptialia, et inter illuſtres coniuges *morgengabam*: tametſi (25. fatendum ſit, plebeios et ruſticos morum, a maioribus veluti per manus traditorum, multo eſſe ſeruantiores, quam in dignitate aliqua conſtitutos, qui noua ac ſingularia quaedam plerumque adfectant etiam in nuptiis *. Apud Hibernos,

bernos, quos Germanorum nepotes vocat, ſua etiam aetate *equum militarem cum framea inter iugalia munera ſollemnia fuiſſe*, in *Gloſſario archaeologico obſeruat* SPEELMANNVS.

* Sic e.g. qui genere vel dignitate eminent, non ter, ſed ſemel, e ſuggeſtu promulgari volunt nuptias: nec ſollemniter procedunt ad templum, ſed, paucis comitati cognatis amicisue, eo vehuntur, vel plane intra priuatos parietes rem omnem confici malunt. Raro etiam hic deprehendes coronas, ſaltim ſponſorum: raro dona nuptialia ſolemniter accipi, animaduertes. Quibus omnibus tamen mordicus inhaerent plebeii et ruſtici. Inter hos etiam alicubi ſancte ſeruatus eſt ritus, vt ſponſus arae imponat pileum, eique ſponſa velum adponat, et tunc nuptias feciſſe dicantur ſub lege: *Schleyer bey Huth.* De ritu hoc, in Haſſia potiſſimum, ad ſignificandam reciprocam coniugum ſucceſſionem, recepto, ex inſtituto diſſeruit IO. GEORG. WERNERVS *de pactis dotal. Huth bey Schleyer, Schleyer bey Huth. Marp.* 1714. vbi §. 10. refert, *relatum ſibi eſſe a viris fide dignis, in quibusdam Haſſiae inferioris pagis, nominatim auf dem Hayn, ante annos non ita multos, inſtante benedictionis ſacerdotalis actu, perſonas deſponſatas iſta capitum ſuorum tegumenta, Huth und Schleyer, ſollemni ritu et certis verborum formulis depoſuiſſe, et coniunxiſſe.* In actis, ex Haſſia transmiſſis Francofurtum iuxta Viadrum, reperi huiusmodi pactum dotale, initum die 27. Aug. 1712. inter Io. Elmshauſerum, Gieſelbergenſem, et Chriſtinam Neben, cuius §. 7. huc pertinet: *Die Sterbensfälle beyder verlobten Perſonen belangend, ſo ſetzen ſie* HVTH BEY SCHLEYER *und* SCHLEYER BEY HVTH, *alſo, daſs das letztlebende das verſtorbene erben ſolle, alles treulich ſonder gefehrde und argliſt. Wein-Kauffs-Freunde ſind hierbey gevveſen, auf des Bräutigams ſeiten der Vater obenbenandt: etc. auff der Braut ſeiten, etc.*

§. CCXXXI.

Quumque non capiantur lucra ex pactis dotalibus, niſi coniuges concubuerint: (§. 220. 6.) conſequens eſt, (26. vt, ſi, antequam coniuges communem lectum habuerint, ſolutum ſit matrimonium, nec dotalitium, nec portio ſtatutaria, nec promiſſa morgengaba peti poſſit, multoque magis (27. id obtineat, ſi ſponſa fugerit ſponſum, eique dolo malo numquam ſui fecerit copiam, iſque poſtea ſepulcrum pro geniali lecto inuenerit *. Quod adeo verum eſt, vt vel ideo ſponſae illuſtres per procuratores iungi ſoleant ſponſis ſuis. (§. 212. *) Ill. a LVDEWIG *Diff. iur. Rom. et Germ. in dote diff. XI. litt. c. p.* 31. *et de matrim. per procuratorem Diff. VIII. cap.* 3. Effectus conſcenſi tori.

* Quamuis vero hoc ius ad ſolam Saxoniam vulgo reſtringant: id tamen commune Germanorum omnium fuiſſe, facile poteſt demonſtrari. Sane enim in pactis dotalibus Ruperti III. Comitis Palatini apud TOELNERVM *Cod. Dipl. Palat. n.* 200. *p.* 160. anno 1393. promittitur dotalitium, ſed addita

dita

dita clauſula: *Vnd ſollen vvir vnd ſie auch keine Forderung darum thun, er habe dann vor bygeſchlaffen by der obgenanten vnſer Enkelin vnd Tochter.* Promittitur deinde augmentum dotis: ſed denuo addita illa conditione: *Wir dürffen auch dem obgenandten Hertzog Karle die Schloſſe Zvveyenbrück, Hornburg vnd Bergzabern, als vvir ihm die für das Zugeld verſetzet vnd verſchrieben haben, nit ingeben vor dem byſchlaffen, vnd vann das byſchlaffen geſcheen iſt, ſoll das inentvvorten der Schloſſe vſ beede Syt geſchehen eins mit dem andern.* Conſcenſionem tori et hodie exigunt Ivs Prov. Wvrtemb. *Part. IIII. tit.* 2. §. 1. Reform. Francof. *Part. II. tit.* 3. §. 5. Ivs Prvss. *Lib. V. Art.* 5. §. 7. Lvbecense *Part. II. tit.* 2. *Art.* 12. vbi vid. Mevivs *n.* 271. Quin et in Gallia hunc morem ſupereſſe, teſtantur Ger. Maynard. *Deciſ. Tholoſ. Lib.* I. *Dec. LIV.* Argentr. *Conſuet. Britann. Art.* 429. *gloſſ.* 3.

§. CCXXXII.

Quid iuſtum circa dona nuptialia?

Denique ex vltimo axiomate (§. 220. 7.) colligimus, (28. communia vtrique coniugi eſſe xenia nuptialia, ſiue verbis ſoli ſponſo, ſiue ſoli ſponſae, ſiue vtrique oblata ſint: Carpz. *Part. III. conſt.* 22. *def. I.* Petr. Mvller *de dono nupt. cap.* 2. §. 12. Ivs Wvrtemb. *Part. III. tit.* 7. adeoque (29. contra mores quotidianos philoſophari, qui, vel dona, a cognatis ſponſi oblata, ſponſo; a ſponſae cognatis tradita ſponſae adquiri contendunt, Moller. *ad conſtit. Elect. Part. III. conſt.* 22. *n.* 2. vel (30. cum Zasio *Lib. ſing. intell. cap.* 9. omnia ſponſae donata ſponſae; vel cum aliis omnia ſine diſcrimine ſponſo cedere, exiſtimant. Carpz. *Part. III. conſt.* 22. *def.* 2. (31. Non capere ſponſos haec munera, ſi ea ſibi ſtipulati ſint parentes, impenſas facientes in conuiuium nuptiale. Quin (32. ſi inter plebeios ſponſae parentes in conuiuium impenſas fecerint, xeniaque nuptialia reliquerint genero, ea naturam dotis induere, et, ſoluto matrimonio, repeti poſſe, tacita interim hypotheca vxori competente. Petr. Mvller. *ibid. cap.* 4. §. 7.

TIT.

TIT. XI.

DE IVRE DOTIVM, DOTALITII, MORGENGABAE, SIMILIVMQVE LVCRORVM NVPTIALIVM.

§. CCXXXIII.

Dotem apud Germanos vxor offerebat marito.

SPonſalibus et nuptiis iam inde ab antiquiſſimis vſque temporibus acceſſiſſe varia dona ac munera, iam ſupra monuimus. (§. 138.) In his praecipuum Dos, quam plane aliam apud Germanos deprehendit TACITVS *de Mor. Germ. cap.* 18. ac apud Romanos. Siquidem de illis ſcribit: *Dotem non vxor marito, ſed vxori maritus offert* *, quum conſtet, Romanos ab vxoribus exſpectaſſe dotes, propter quas et nubere poterant Romanae mulieres. *l.* 2. *ff. de iur. dot. l.* 1. *ff. ſolut. matrim.* quum contra *virgines grandes et dote caſſae*, viderentur *illocabiles.* PLAVT. *Aulul. act.* 1. *ſcen.* 2. *v.* 14.

* Quum vero olim ſimiles plerumque fuerint Gallorum Germanorumque mores: (§. 1. *) neſcio an illorum inſtituta ſatis peruiderit CAESAR, qui *Lib. VI. de Bello Gall. cap.* 19. Gallorum vxores dotem obtuliſſe maritis, et ab his eiusdem quantitatis donationem in commune collatam, ſcribit: *Viri*, inquit, *quantas* PECVNIAS *ab vxoribus* DOTIS *nomine acceperant, tantas ex ſuis bonis, aeſtimatione facta, cum* DOTIBVS *communicant. Huius omnis pecuniae coniunctim ratio habetur, fructusque ſeruantur. Vter eorum vita ſuperarit, ad eum pars vtriusque, cum fructibus ſuperiorum temporum peruenit.* Viderit haec CAESAR in iis Galliae partibus fieri, quas ſuis moribus Romani imbuerant: at vix credibile eſt idem reliquos feciſſe Gallos, quibus ſinceriores et minus inquinati mores placebant. Puto itaque CAESAREM, patriis adſuetum iuribus, ea, quae marito viciſſim offerebat vxor, pro dote habuiſſe, dotem autem veram Germanicam in ἀντίφερνα mutaſſe, quod multis poſt ſaeculis feciſſe etiam iureconſultos Germanicos, ſoli Romanorum iurisprudentiae innutritos, paullò poſt adparebit.

§. CCXXXIIII.

Vxor tamen et ipſa quaedam adferebat marito.

Quamuis vero maritus vxori offerret dotem, id eſt munera quaedam vel facultates, in quibus haec, finito matrimonio, vſumfructum nanciſceretur, et vnde marito ſuperſtes vitam honeſte

neſte et pro dignitate toleraret *: non dubitandum tamen eſt, quin et ipſa vxor pecora quaedam, aliaque, quibus eorum temporum ſimplicitas inſigne pretium ſtatuebat, ad maritum attulerit. Id enim velle TACITVM, arbitramur, dum addit, *vxorem inuicem ipſam armorum aliquid viro adferre.* Nec aliud eſſe putamus PECVLIVM illud, quod *Gallos*, (ciſalpinos, vti ſuſpicatur MENAG. *Amoen. Iur. cap.* 3.) ab vxoribus *in ea, quae Graeci* παράφερνα *dicunt*, accipere, teſtatur VLPIANVS *l.* 9. §. 3. *ff. de iure dot.* Quum enim dotes vxorum Gallos ignorare, probe ſciret: is aeque, ac CAESAR, (§. 233. *) moribus Romanis deceptus, eas parum commode παράφερνα adpellauit.

* Hoc quoque innuere videtur TACITVS, dum ſcribit, *accipere vxorem, quae liberis inuiolata ac digna reddat, quae nurus accipiant, rurſusque ad nepotes referant.* Ex quo merito colligas, (1. non in ſolis armis, ſed in aliis quoque facultatibus, in primis pecoribus, praecipuis Germanorum diuitiis, conſtitiſſe Germanorum dotes. (2. Ob eam cauſſam Gallos ciſalpinos, qui, obſeruante MENAGIO, Latine quidem loquebantur, ſed vocabulis aliam plane notionem ſubiiciebant, bona, quae vxor ad virum attulerit, vocaſſe PECVLIVM, quaſi quod in pecude potiſſimum conſtiterit. (3. In dote viduae conſtitutum fuiſſe vſumfructum, donec, extincta illa, rediret ad liberos.

§. CCXXXV.

An morgengaba recepta, tempore Taciti?

MORGENGABAE mentionem non facit TACITVS, nec aliorum lucrorum nuptialium, quae inſequentibus temporibus in vſu fuerunt. Quandoquidem tamen, vti paullo poſt demonſtrabimus, paucis poſt ſaeculis iſta *morgengaba* in plerisque gentium Germanicarum legibus occurrit: dubitare non licet, quin ea quoque iam tum Germanis non ignota fuerit.

§. CCXXXVI.

Medio aeuo dotem maritus vxori conſtituebat, apud Wiſigothos.

Nimirum vt ad medii aeui mores progrediamur, ne tunc quidem Germani ſui fuere diſſimiles. DOTEM enim et his temporibus non vxor marito, ſed vxori maritus, adferebat. Apud WISIGOTHOS *Lib. III. tit.* 1. §. 5. dos eatenus legibus circumſcripta erat, vt quiſque non vltra decimam bonorum partem dotis loco ſponſae conſtituere poſſet. Id vero, quod quiſque conſtituerat, in dominium vxoris tranſibat, et huic fas erat, de eo pro lubitu diſponere, praeterquam, ſi ſuperſtites haberet liberos aut nepotes, quibus dodrantem ſaltim relinquere tenebatur. LEX WISIG. *Lib. IIII. tit.* 5. §. 2.

§. CCXXXVII.

§. CCXXXVII.

Lex Ripvaria *tit.* 37. vnicuique permiſerat, dotem quantamcumque ſponſae promittere per tabularum ſeu chartarum inſtrumenta, idque promiſſum perpetuo valere iuſſerat. At, ſi nihil huiuſmodi pactis dotalibus fuerit expreſſum, dotem legitimam, mortuo marito, quinquaginta ſolidis definiuerat. Et hinc luculentiſſimas dotes, tum in pecunia, tum in praediis, agris, mancipiis, pecoribus, non modo a regibus, ſed et aliis inferioris ordinis viris, conſtitutas eſſe, conſtat exemplo Chlodouaei apud Greg. Tvron. *Hiſt. Lib. IX. cap.* 20. et ex tot libellis dotis a Francis confectis, quales iam ſupra ex Marcvlfi *Form. Lib. II. cap.* 15. *Adpend. cap.* 37. Form. Sirm. *cap.* 14. Bignon. *cap.* 5. Lindenbr. *cap.* 75. adduximus *. Apud Francos.

* Similes libelli exſtant in formvlis Andegav. *cap.* 1. apud Mabillon. *Analect. vet. Tom. IIII. p.* 134. *ſequ. form.* 34. *p.* 154. et *form.* 39. *p.* 157. nec non apud Balvz. *in Adpend. Capitular. n.* 148. *p.* 1551. eo ſane notatu digniores, quod, quum in iis confecti ſint Franciae prouinciis, vbi lege Romana viuebatur; nihilominus tamen dotem non vxor marito, ſed maritus vxori, conſtitueret. Praeterea ex libellis his diſcimus, dotem, in ipſis ſponſalibus promiſſam, et apud acta confirmatam, et aliquando eo nomine pignora data eſſe, vt eo certior eſſet ſponſa, ſe id lucrum, mortuo marito, conſequuturam. Praeterea inde patet, eam dotem conſcenſo toro, hac lege perueniſſe in dominium vxoris, vt illa liberis in eo matrimonio natis relinqueretur. Quod in form. Andegavens. *cap.* 39. ita verbis barbaris exprimitur: *Haec omnia ſuperius nominata ad die feliciſſimo nuptiarum hoc ad die praeſente habeas conceſſum, dum aduixeris, perpetualiter ad vſufructuario ad poſſedendum.*

§. CCXXXVIII.

Nec alia apud Alamannos erat dotis ratio. Quantitas enim legitima quadraginta ſolidis definiebatur, ſiue ea in auro argentoue, ſiue in mancipiis, aliiſue rebus, conſiſteret *. Hac vtebatur fruebatur vxor, ſi liberos marito enixa eſſet: ſin ſine prole deceſſiſſet maritus, ipſaque ad ſecunda vota tranſire vellet: *dotis* haec *legitima, et quidquid ei parentes placitauerant, et quidquid de ſede paterna ſecum attulerat*, eam ſequebatur. *praeter id, quod manducaſſet, aut vendidiſſet.* Et quidem ſi agnatus ei dubiam redderet dotem, ipſaque vel iureiurando, vna cum quinque conſacramentalibus praeſtito, vel ſingulari certamine eam obtineret: *illa pecunia poſt mortem mulieris retro numquam reuertebatur*, adeoque tunc dotem non iure vſufructuario, ſed Apud Alamannos.

 iure

iure dominii ac proprietatis, poſſidebat. LEX ALAM. *tit.* 54. *ſequ.*

* Libellus dotis Alamannicus exſtat apud GOLDAST. *Chart. Alam. num.* 4. *Tom. II. Script. rer. Alamann. p.* 28. in quo inter alia legimus: *Propterea dono tibi dotem, ſicut noſtris vtrisque complacuit amicis tibi donare, in pago illo, in loco, in villa nuncupata, id eſt, rectam curtem cum ſepe circumcinctiam.* Vbi ſane miror, GOLDASTVM, rerum Germanicarum alioquin haud imperitum, in margine notaſſe: *ita vocat* ἀντίφερνα, *ſeu donationem propter nuptias.* Ceterum ex eo loco patet, manſiſſe Alamannis veterem morem, dotes ex amicorum cognatorumque conſilio conſtituendi.

§. CCXXXVIIII.

Apud Saxones et Boioarios.

Apud SAXONES non minus, ac apud reliquas gentes Germanicas, dos vxori a marito conſtituebatur, eaque in re Oſtphalis et Angriuariis cum Weſtphalis omnia conueniebant. In eo tamen erat diſcrimen, quod apud illos vidua, filiis ſuperſtitibus, dote vteretur frueretur, iisdem turbato naturae ordine ante matrem exſtinctis, eam ad proximos heredes; ſin filios non enixa eſſet, ad dantem eiusue heredes tranſmitteret: apud hos vero vxor, filios enixa, dotem amitteret, liberis non exſtantibus, eamdem iure vſufructuario haberet, ea mortua, ad dantem eiusue heredes proximos redituram. LEG. SAXON. *tit.* 8. Apud BAIVVARIOS quoque dotem legitimam fuiſſe vxoribus conſtituendam, patet ex eorum LEGE *tit.* 14. *cap.* 7. §. 2.

§. CCXXXX.

Saeculis X. et ſequentibus.

Apud BVRGVNDOS *Wittemon*; apud LANGOBARDOS *meta* et *morgengaba* dotem maritalem abſorpſiſſe videtur: neque in earum gentium legibus occurrit dotis, a pretio nuptiali et dono matutinali diſtinctae, veſtigium. Hinc notaſſe ſufficiat, multo poſt ea tempora, in vniuerſa paene Germania et Gallia, quae moribus patriis viuebat, dotem hanc maritalem in vſu manſiſſe.* Exſtant ſane ex ſaeculo X. inſtrumenta dotalia Henrici Aucupis, apud ECCARD. *hiſt. geneal. Sax. pag.* 27. et Ottonis II. apud LEVKFELD. *Antiqu. Pold. p.* 208. ex ſaeculo XI. Rainoldi, Comitis Senonenſis, et Richardi apud MARTENE *Theſaur. anecdot. Tom. I. p.* 142. *et* 123. itemque Richardi, Normanniae ducis, apud LVC. DACHER. *Spicileg. Tom. VII. p.* 204. ex ſaeculo XII. Henrici, Brabantiae Ducis, apud MIR. *Cod. donat. piar. cap.* 99. *p.* 106. et Ingeranni, Comitis S. Paulli, apud EVMDEM *Notit. eccl. Belg. cap.* 95. *p.* 704. ex ſaeculo XIII. Wallerami, Ducis Lim-

Limburgenſis, apud Mir. *dipl. Belg. Lib. I. cap.* 77. in quibus omnibus mariti vxoribus dotem, et quidem iure vſufructuario poſſidendum, conſtituunt.

* Quin tantum abeſt, vt priſcum morem ea in re migrarent, vt potius profiterentur in inſtrumentis dotalibus, leges patrias id officii iniungere marito, vt vxori dotem promittat. Sic ſane Rainaldvs, Comes Senonenſis, in pactis dotalibus, anno mxxiii. ſcripſit: *Ego* Rainaldvs, inquit, *Comes Senonenſis, volo coniungere mihi mulierem, nomine* Lvvillam *: ſed praecipiunt* leges *humanae, ſponſum ſponſam ſuam ex propriis dotare.* Martene *Theſaur. anecdot. Tom. I. p.* 142.

§. CCXXXXI.

Nec tamen exiſtimandum eſt, nihil ad maritos attuliſſe vxores. Nam iam inde ab antiquiſſimis vſque temporibus aliquid pecorum, argenti, aliarumque rerum ex facultatibus paternis accipiebant. Eius ſane, *quod de ſede paterna ſecum attulerat* vxor, meminit lex Alam. *tit.* 54. Nec minus filiabus, ad maritos ituris, aliquid bonorum dabant Wiſigothi. Lex Wisig. *Lib. III. tit.* 1. §. 5. In primis apud Langobardos eius generis bona vocata ſunt faderphivm, * cuius paſſim meminit lex Langob. *Lib. I. tit.* 9. §. 12. *Lib. II. tit.* 1. §. 4. *et tit.* 14. §. 15. quemadmodum apud Anglos alioſque maritagivm. Glanvill. *Lib. VII. cap.* 1. Petr. de Vin. *Lib. III. Epiſt.* 5. Vxores quoque aliquid ad maritos adferebant.

* Glossa apud Lindenbrogivm: Faderfivm, *id eſt, dotem.* Sed ſcripſit eam gloſſam neſcio quis, loquutionibus iuris Romani adſuetus, cui dos erat, quam vxor viro adferebat. Lindenbrogio *pag.* 1398. vocabulum natum videtur a Germanicis *Vater*, et *erbe* vel *erffe* hereditas, vt *faderfium* idem ſit, ac *Vater-Erbe, hereditas paterna.* Sed magis rem acu attinges, ſi illud interpreteris *Vater-vieh*, partim quod plerumque in pecoribus conſiſteret illud ſponſae peculium, partim quod ſaepe filiae daretur a patre viuente, cuius nulla erat hereditas.

§. CCXXXXII.

Enimuero, qui dotes vocant haſce pecunias, non parum, ex mea quidem ſententia, falluntur. Quamuis enim P. Daniel *Hiſt. Franc. Tom. I. p.* 156. exiſtimet, Pipini ac Caroli M. temporibus dotes mulierum ita inualuiſſe, vt concubinae, non vxores, viderentur, quae indotatae ad maritos peruenerint: neſcio tamen, an firmo ſatis talo ſtet haec iſtius ſententia. Id ſaltim certum eſt, peculium iſtud qualecumque, filiabus datum, nihil commune habuiſſe cum dotibus Romanis. Nec enim neceſſario Nec tamen id erat dos.

Digitized by Google

dabatur, niſi forte apud WISIGOTHOS, et maritus eo fruebatur, non tamquam dominus, ſed tamquam legitimus ac fructuarius tutor vxoris ſuae. * BERGER. *de diſcrim. bon. vx.* §. 17. GAERTN. *de diſtinct. inter dot. et paraph.* §. 6.

* Teſtis eſt SPECVLATOR SAX. *Lib. I. art.* 31. vbi de bonis vxoris: *Wann ein Mann ein Weib nimmt, ſo nimmt er in ſeine Gewehr alles ihr Gut zu rechter Vormundſchafft.* Quem locum expoſuimus in *diſſert. de marito, tut. et curat. vxoris legit. cap.* 2. §. 16.

§. CCXXXXIII.

Dotes muliebres initio tenues.

Initio id peculium, quod filiabus nubentibus dabatur, tenue erat, et leuioris pretii. Poſtea, gliſcentibus opibus, ſatis luculentum eſſe, et in auro argentoque conſiſtere coepit. Sic Philippus Alſatius, Flandriae Comes, nepti Mathildi, nubenti Henrico, Brabantio, anno 1179. dedit *mille et quingentas libras Flandrenſis monetae*, apud MIR. *Donat. piar. cap.* 99. *p.* 106. *ſequ.* quumque Guilielmus, Dux Luneburg. ſaeculo XIII. elocaret filiam: auctor *vitae Magni Torquati, Ducis Brunſu.* apud LEIBNITIVM *Script. rer. Brunſu. Tom. III. p.* 219. ſcribit: *Agneten gaff er dem Hertoge van Saſſen, mit einem gar groten Brutſchatte an Gelde, ſo tho der tidt vnter den Forſten nicht gebrucklich.* At ex eo tempore vſu ſatis frequentata ſunt luculentiora illa peculia, ſaltim inter principes, * et, interiecto tempore, quum in aulis magni fieri coepiſſent iuris Romani principia, illa DOTIS nomen adſumſerunt, dote maritali in DONATIONEM PROPTER NVPTIAS paullatim degenerante. Exemplum Henrici Raſponis, Landgrauii Thuringiae, vxori, Beatrici, ducis Brabantiae filiae, anno 1211. DONATIONIS PROPTER NVPTIAS loco *dantis caſtrum Nauenburg, oppidum Sangerhuſen, caſtrum Erkenbaldesberge,* (Eccardsberge) *oppidum Gotham, et diſtrictum Belgere,* ex BVTKENII *Trophaeis Brab.* adduxit GVNDL. *de emt. vxor. cap.* 2. §. 23. *p.* 55.

* Hinc introductae *collectae*, quas vocant *die Fräulein-Steuer*, a ſubditis praeſtandae, quoties Principes elocant filias. V. C. BVRC. GOTTH. STRVV. *Iur. Publ. cap.* 27. §. 18. Et talem collectam ſibi a ciuibus oppidi Cranenburgenſis anno MCCCXL. ſtipulatur Diètericus, Comes Cliuenſis, apud DITHM. *Cod. dipl. ad Teſchenm. n.* 24. et a ciuibus Vdenheimenſibus anno MCCCL. Ioannes Comes Cliu. *ibid. n.* 28. *p.* 21. et quidem in eum caſum, ſi vel filii equeſtribus armis cingantur, vel filiae nubant. Quin etiam filiabus *apanagiatorum*, quos vocant, dos hoc modo corrogatur a ſubditis principis, qui regimini praeeſt, SPRINGENSF. *de Apanagio cap.* 11. §. 17. quamuis, ne pecunia

cunia nimis exhauriatur prouincia, pleraeque illuſtres familiae pactis cauere ſoleant, quid ſingulis feminis principibus nupturis a prouincialibus debeatur. Quae omnia multo poſt nata eſſe, quum iam dotes femininae neceſſariae haberentur, facile vnuſquiſque animaduertit.

§. CCXXXIIII.

Quamuis vero paullatim inualeſceret, vt et vxor marito, et maritus vxori, aliquid bonorum promitteret: variis tamen admodum vocabulis vtebantur in deſignandis iſtis lucris nuptialibus. * In Diplomate Ermeſindis, Comitis Luzemburgicae, Margaretha Barrenſis, nuptura Henrico Comiti Luceburgico, anno 1231. ſponſo adfert *Lineyum et Caſtellaniam*, cum dependentiis, hominiis et dominiis, idque vocatur MARITAGIVM: Henricus vero promittit, *ſe* DOTATVRVM *Margaretham ſeptingentis libris terrae in caſtello et caſtellania, in hominiis et dominiis.* MIRAEVS *dipl. Belg. Lib. II. cap.* 98. *p.* 395. *ſequ.* In diplomate Alberti I. Imperatoris apud LEIBNIT. *Cod. dipl. Tom. I. p.*40. id, quod Rudolphus Dux, eius filius, ſorori regis Franciae promittit, DOTALITIVM, vel DONATIO PROPTER NVPTIAS; quod rex Franciae daturus erat, DOS adpellatur. Quae vocabula etiam occurrunt in inſtrumento dotali anno 1299. apud DACHER. *Spicileg. Tom. VIII. p.* 259. Contra in diplomate Caſimiri, Regis Poloniae, apud LVDEWIG. *Reliqu. MSC. Tom. V. p.* 592. id, quod ſponſa adfert anno 1305. vocatur DONATIO PROPTER NVPTIAS; quod ſponſus promittit, DOS dicitur. Adeo ipſas veluti linguas ſimul confudit iuris Romani et Germanici confuſio. Varia vocabula dotium muliebrium et maritalium.

* Quin promiſcue paene vſos eſſe veteres vocabulis, *dos*, *dotalitium*, *donatio propter nuptias*, *ſponſalitium*, multis exemplis conſtat, quorum quaedam collegit ill. a LVDEWIG. *Diſſ. de dote mariti p.* 28. *ſqu.* Sic Richardus, Dux Normannorum, anno MXXVI. Adelae, coniugi, dat aliqua, *de* IVRE DOTALI, *vel* LEGE DOTIS, *vt iuxta nobilitatis ſuae lineam dotata ſibi iungatur.* Et tamen eam dotem poſtea vocat *ceſſionis* DOTALITIVM. DACHER. *Spicileg. Tom. VII. p.* 203. Et *Tom. VIII. pag.* 165. in alio inſtrumento dotali, anno MCIX. ſcripto, id, quod vxor marito adfert DOS; quod maritus vxori promittit, DONATIO PROPTER NVPTIAS vel SPONSALITIVM adpellatur. Quam ambiguam vocabulorum notionem, confuſioni iuris Romani et Germanici deberi, nemo non animaduertit.

§. CCXXXXV.

Paullatim quoque mos inoleuit, vt veluti coniungerentur dos muliebris et donatio iſta propter nuptias, * a viro conſtituta, Dotalitii, doarii, vidualitii origo.

(licebit

(licebit enim iam ore Romano loqui,) et ex ſumma illa vel vſurae promitterentur futurae viduae, vel ei certae praefecturae et praedia adſignarentur, ex quibus tantae aeſtimationis fructus caperet. Idque vocatum eſt DOTALITIVM, DOARIVM, VIDVALITIVM, *das Witthum*, *Leibgedinge*. IVS FEVD. SAX. *art.* 31. *Ein Leibgeding iſt eine Gabe, die ein Mann ſeinem Weibe giebet an Früchten oder Zinſen.* Dotalitii autem vocabulum Gallis, Anglis, Belgis, Italis, multo ante familiare, demum ſaeculo XII. ſub Imperatoribus Hohenſtauffiis, Germanis innotuiſſe, ſuſpicatur GVNDL. *de emt. vxor. cap.* 2. *§.* 2. *p.* 52.

* Nec tamen ea donatio ſemper, vt apud Romanos, erat doti aequalis, ſed aliquando duplo maior. Exemplum ex LVD. ANT. MVRATORII *Antiqu. Eſtenſ. Tom. I. cap.* 39. *p.* 381. iam eruit laudatus GVNDLING. *ibid.* §. 24. *p.* 56. vbi anno MCCIII. *Azo, Eſtenſis marchio,* in publico conuentu *baronum Lombardiae warentauit et profeſſus fuit, ſe accepiſſe in* DOTEM, *a Domina Aliz, filia quondam Rainaldi, Principis Antiocheni, quam in matrimonio ſibi receperit, duo millia marcharum argenti, ac inde iure pignoris et* DONATIONIS PROPTER NVPTIAS *inueſtiuiſſe Dominam Aliz de tantis de ſuis bonis et poſſeſſionibus et immobilibus, vbicumque habeat, vel adquirere debeat, vt valeant* DVPLVM SVPRASCRIPTAE DOTIS *et* DONATIONIS.

§. CCXXXXVI.

Nec non augmenti dotis.

Quum itaque non ſemper aequalis doti eſſet donatio illa propter nuptias: (§. 245. *): ad id, quod infra dotis illatae ſummam dabatur, exprimendum nouo opus erat vocabulo, ad quod aptiſſimum videbatur AVGMENTVM DOTIS, * *die Verbeſſerung* a donatione propter nuptias in eo diuerſa, quod nec doti ſemper aequalis fuit, nec iure proprietatis ad vxorem ſemper peruenit. Quale fere fuiſſe Graecorum inferioris aeui ὑπόβολον, patet ex deſcriptione ATTALIATAE *in Synopſi iur. Graec. tit.* 27. apud LEVNCLAV. *Iur. Graeco-Rom. Tom. II. p.* 25.

* Alioquin iure Romano AVGMENTVM DOTIS erat, quod mulier vel eius pater, addebat doti dictae, datae, vel promiſſae, idque iiſdem iuribus, ac ipſa dos gaudebat. *l.* 26. §. 2. *D. de pact. dot. l.* 8. *C. de iure dot.* Tria vero huius acceſſionis genera facit HOTOMAN. *de dote nu.* 9. *ſequ.* primum, ſi initio mille ſint promiſſi, et poſtea addantur quingenti: *Nou.* 22. *cap.* 31. alterum, ſi maritus quidem mille acceperit, et apocham tamen mulieri dederit in maiorem ſummam: *l.* 2. *C. de dote caut. non numerat.* tertium, ſi proprietati nudae in dotem datae vſusfructus poſtea accedat: qui caſus eſt in *l.* 4. *D. de iure dot.* Germani vero ſecundum tantum genus receperunt, et plus repromiſerunt vxori, quam ab ea dotis nomine acceperant, idque vocarunt *die Verbeſſerung.*

§. CCXXXXVII.

§. CCXXXXVII.

De MORGENGABA, eiuſque apud gentes Germanicae originis tantum non omnes vſu, iam ſupra, quantum ſatis eſt, diximus. (§. 214.) Iam addimus, in illa donatione nuptiali dominium conſequutam eſſe vxorem, * quum dos plerumque, ſaltim ſi liberi exſtarent, iure tantum vſufructuario ad viduam pertineret, et poſtea etiam dotalitium morte exſpiraret. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art. 20. Die Frau erbet die Morgengabe auf ihre Erben, vnd mag damit thun vnd laſſen, was ſie will; aber Leibgeding nicht.* — *Ius mulieris in morgengaba et dote.*

* Probat hoc etiam diploma GERTRVDIS, viduae *Henrici de Brandenberch*, quod edidit ill. BOEHMER. *de ſecund. nupt. illuſtr. perſ. cap. 2.* §. 41. quo vidua illa *allodium, ſitum in Griezzenpach, ad ſe* DONATIONIS *titulo pertinens, quod* MORGENGAB *vulgariter nuncupatur, cultum et incultum, quaeſitum et inquiſitum, cum omnibus attinentiis eccleſiae S. Petri in monte liberaliter et abſolute ordinat, teſtatur, tradit et legat. Acta ſunt apud Roſenhayn, anno Domini 1273. III. Id. Septembr. Indict. I.*

§. CCXXXXVIII.

Itaque, iure Romano in Germania recepto, adeo a moribus patriis paullatim deſcitum eſt, vt DOTIS nomen et priuilegia acciperent res, a muliere ſponſo promiſſae, vera dos Germanica in DONATIONIS PROPTER NVPTIAS naturam mutaretur, et in MORGENGABA tantum, et AVGMENTO DOTIS, quod quibuſdam locis vſu receptum eſt, aliquod priſci moris veſtigium supereſſet, quamuis inter illuſtres et ingenuos ius Romanum citius haec tropica inſtituerit, quam inter plebeios, * apud quos morgengabae et dotalitii rarior vſus eſt, et ſero demum dotes muliebres et donationes propter nuptias admiſſae ſunt. — *Ius Germanicum vſu iuris Rom. maxime corruptum eſt.*

* Cuius rei hanc reddideris rationem, quod ius Romanum et canonicum citius in principum palatia, quam in tuguria priuatorum, penetrauit. LEIBN. *praefat. Cod. iur. gent. dipl. Itaque ob illam quoque connexionem gentium Chriſtianarum, quae ex vetere Romanorum potentia ſuperfuerat, factum videtur, vt leges Romanae prope inſtar iuris gentium communis haberentur.* Et paucis interiectis: *principes liberos in contractibus et foederibus, in teſtamentis, aliiſque iuris gentium vel publici actibus, eaſdem leges Romanas ſeruare ſolitos, ex hoc ipſo codice noſtro paſſim adparet, ita vt interdum in formulis iuris nimii videri poſſint.* Denique additis exemplis: *Alibi*, inquit, *non contenti, renunciare legum auxiliis, etiam renunciant gloſſis et ſummis.*

Digitized by Google

§. CCXXXXVIIII.

Definitiones dotis, dotalitii, morgengabae, et augmenti dotis.

Itaque DOS Germanica fuit *pecunia, vxori data eum in finem, vt vidua inde vitam pro dignitate toleraret.* DOTALITIVM, ex *allodio* debitum, cum dote Germanica fere conuenit. Eſt enim et ipſum *pecunia vel vſusfructus, quem maritus vxori, ad tuendam in viduitate dignitatem, in allodio conſtituit :* at, quoties *ex feudo* praeſtandum eſt, ponit illatam ab vxore dotem, *cuius in compenſationem futuraque alimenta vidua certos reditus ex praedio feudali, vel vſuras decunces illatae dotis et donationis propter nuptias, ad dies vitae percipit.* * Per MORGENGABAM intelligimus *donationem, vxori poſtridie nuptiarum factam, in ſignum initi conſortii omnis vitae, iuriſque vniuerſi cum vxore communicati.* Denique AVGMENTVM DOTIS eſt *lucrum, recepta dote muliebri, vxori repromiſſum in vicem dotis, olim a marito conſtituendae.*

* *Dos* Germanica aeque, ac *dotalitium*, ordinarie vxori dabatur ad dies vitae, adeoque verus erat vſusfructus. Sic Alabertus quidam apud CAR. DV FRESNE *in Gloſſ. Lat. Tom. II. p.* 170. *Hanc autem hereditatem tibi dono, tali videlicet ratione, vt, ſi ex nobis heres non remanſerit, poſt tuum diſceſſum ad propinquos meos reuertatur.* Conf. MIR. *donat. piar. cap.* 99. *p.* 107. et diploma apud LEVKF. *Antiqu. Poeld. p.* 104. At pacta tamen vtrique legem dabant, et hinc aliquando id emolumentum vxor capiebat, dum vidua maneret, aliquando plenum eius dominium capiebat. Prioris generis exempla ſunt varia. In pactis enim dotalibus Henrici I. Regis Germ. legimus: *Et vt cuncti cognoſcant, eo modo, et ea ratione, ſi nobis ſuperſtes exſtiterit, et in ſanctae viduitatis pudicitia permanſerit, praedicta loca ei concedenda tradidimus.* Contra nec poſterioris generis deſunt exempla. Nam, vt alia praetermittam, Otto II. anno 972. Theophaniae conſtituit dotem luculentiſſimam, additque : *Ea per hanc noſtri praecepti paginam eidem ſanctiſſimae et dilectiſſimae Theophaniae, ſponſae noſtrae, concedimus, donamus, penituſque largimur, et de noſtro iure et dominio in eius dominium iuſque transfundimus et delegamus, -- quatenus iure proprietatis ea omnia habeat, teneat, firmiterque poſſideat, ſuque ſibi poteſtas donandi, vendendi, commutandi, vel, quod exinde iuſte decreuerit, faciendi, omnium hominum contradictione remota.* LEVKFELD. *Antiqu. Poeldenſ. p.* 206. *ſequ.*

§. CCL.

Axiomata de his lucris nuptialibus.

Inde ergo colligimus, I. DOTIS a marito conſtitutae vſumfructum duntaxat vxorem ordinarie percepiſſe. II. Eam poſtea commutatam eſſe in donationem propter nuptias, ex eo tempore, quo mulieres dotem inferre coeperint. III. DOTALITIVM in allodio cum dote conuenire ; in feudo vel in vſufructu, vel in vſuris certae quantitatis, conſiſtere. IIII. MORGENGABAE plenum

plenum dominium tranſire ad vxorem, vti et V. AVGMENTI DOTIS: quod ipſum quoque in locum dotis Germanicae alicubi ſucceſſiſſe, arbitramur.

§. CCLI.

Dotis Germanicae natura.

Quum ergo DOTIS vſusfructus duntaxat olim ad vxorem ordinarie tranſiret, (§. 250. 1.) niſi pactis dotalibus aliter fuiſſet conuentum. (§. 249. *) conſequens eſt, (1. vt, ſi liberi exſtarent, dos regulariter ad dies vitae ad vxorem pertineret, ac poſt eius demum obitum ad liberos rediret; (2. ſin deeſſent liberi, ea, finito vſufructu, ad proximos heredes deuolueretur, ſaepe tamen, (3. ſaltim in hunc caſum, ipſa proprietas penes viduam maneret, idemque (4. obtineret, ſi conueniſſet, vt dos in perpetuum vxoris dominium tranſiret; quo caſu (5. et vendi, et alienari, et in pios vſus conuerti dos poterat. * (6. Vt horum nihil liceret, ſi vel ſub viduitatis conditione, vel ad dies vitae, dos eſſet conſtituta.

* Et haec cauſſa vel maxime mouiſſe videtur matronas illuſtres, vt in rebus dotalibus proprietatem ac dominium ſibi ſtipularentur, ne deeſſent bona, quae conferrent eccleſiis, quibuſque, vti tum loqui ſolebant, animam redimerent. Sic ſane Mathildis, Henrici I. Regis vxor, pleraque oppida et praedia, ſibi dotis loco data, in coenobia commutauit, quamuis, quum ad dies duntaxat vitae, et ſub conditione viduitatis data eſſent, hoc ipſo non leuem indignationem incurreret filiorum, et maxime Ottonis M. VIT. MATHILD. *Cap. apud* LEIBNIT. *Script. rer. Brunſu. Tom. I. p.* Nec minus Wiltrudis, Giſelberti, Lotharingi, filia, Bertholdi Bauari vidua, parthenonem Bergenſem excitauit e bonis dotalibus. HVND. *Metrop. Salisb. p.* 147. Sed et Agnes, Henrici, Palatini, et Ducis Saxoniae, vidua, dotis loco a marito acceperat, decimam metallorum in monte Ramelino iuxta Goſlariam, quam tamen Ottoni, Duci Brunſuicenſi, pro mille et centum marcis puri argenti ceſſit, ſolutiſque ſibi DCCCCXV. marcis, pro reliquis LXXXV. marcis proprietatem ſibi ſtipulata eſt in *Iſenhagen*, vbi deinde anno 1245. monaſterium Ciſtercienſium condidit. LEVKF. *Antiqu. Poeld. cap.* 18. §. 2. *p.* 103. *ſequ.*

§. CCLII.

Eius mutatio in donationem propter nuptias.

Quum vero deinde, iuris Romani vſui adſueti, Germani dotem illam paullatim in donationem propter nuptias commutarent: (§. 250. 2.) facile eſt ad intelligendum, (7. cur inuenta ſint noua vocabula, doſque illa dici coeperit *eine Wiederlage, Gegenſteuer, Gegenvermachtnis, Verweiſs, Gegengeld*: curque (8. ea plerumque aequalis eſſet doti illatae, idque (9. et hodie maxime inter coniuges illuſtres obſeruetur *.

* Vnde formulae pactorum dotalium: *Gegen obgeſezte 32000. Gulden Heuraths-Guts wollen wir gedachter Princeſſin, N. als vnſerer kunfftigen geliebten Gemahlin, auf vnſern Aembtern vnd Schlöſſern N. N. ſambt denen dazu gehörenden Dörffern, Höffen, Vorwerckern, Renthen vnd Zinſen, Gehölzen, Fiſchereyen, Iagden, Gerichten vnd Gerechtigkeiten, 32000. Gulden Heuraths-Guths, vnd dann 32000. Gulden Wiederlegung vnd Gegengeldes, welches dann in einer Summa 64000. Gulden auſträget, verſchreiben: cetera.* Plures huiuſmodi pactorum dotalium formulas dedit ill. LVDOLPHVS in *Adpend. libri de iure femin. illuſtr.*

§. CCLIII.

Natura dotalitii in allodio conſtituti.

Quum porro DOTALITIVM in allodio conſtitutum cum dote Germanica conueniat: (§. 250. 3.) conſequens eſt, (10. vt debeatur, ſiue vxor dotem intulerit, ſiue non intulerit, ſiue plane indotata ſit: (11. vt et in vſufructu fundorum praediorumque conſiſtere poſſit, quo caſu vocatur *eine Leib-Zucht*, et (12. in vſuris certae pecuniae vel ſortis. (13. Vt ne ad vitae quidem dies hoc lucro ordinarie fruatur vidua, ſed illo excidat, ſi ad ſecunda vota tranſeat, niſi adiecta ſit ea conditio, vt, non obſtantibus ſecundis nuptiis, dotalitium per omnem vitam percipiat *. DN. BOEHMER. *de ſecundis ill. perſon. nupt. cap.* 2. §. 37. (14. Vt ad conſtituendum huiuſmodi dotalitium nullius opus ſit conſenſu, idque (15. ab heredibus omnibus abſciſſe praeſtandum ſit. Denique (16. vt nihil obſtet, quo minus pactis et ius proprietatis in dotalitio relinqui poſſit viduae, adeo vt et inter viuos et mortis cauſſa de eo diſponere poſſit femina.

* Eoque pertinet exemplum Eliſabethae, reginae Boemiae, quae conſtitutum a Wenceſlao, Boemiae rege, dotalitium non modo, quoad vidua manſit, retinuit, verum etiam ad alterum maritum, Rudolphum, Auſtriacum, tranſtulit, eoque ad dies vitae fruita eſt. Vid. HENEL. *de iur. dotal. cap.* 10. §. 17. PETR. MVLLER *de odio ſecund. nupt. cap.* 2. *theſ.* 4.

§. CCLIIII.

Nec non in feudo.

Quandoquidem vero dotalitium in feudis in compenſationem dotis datur, (§. 249.) et plerumque in vſufructu fundorum, vel vſuris certae ſortis, conſiſtit: (§. 150. 3.) ſequitur (17. vt non niſi dote illata praeſtandum, adeoque (18. illatio probanda ſit, quamuis (19. hac probatione ſemel defuncta vidua, non item probare teneatur verſionem in feudum. LVDOVICI *de probat. illat. dot.* §. 31. (20. Vt conſtituti dotalitii quantitas conſiſtat in quadruplicatis vſuris dotis, vel, quod perinde

inde eſt, in duplicatis vſuris dotis ac donationis propter nuptias, in vnum conflatae. (21. Vt ordinarie duret ad dies vitae, ſed (22. poſtea abſorbeat dotem et donationem propter nuptias, et hinc (23. aliquando optio ſit viduae, dotemne repetere, an dotalitio frui malit. (24. Vt, vidua ad ſecunda vota tranſeunte, non quidem exſpiret dotalitium, ſed plerumque tamen perſonae illuſtres heredibus ſtipulari ſoleant ius, illud, ſoluta certa pecuniae ſumma, reluendi *.

* Hinc pactis dotalibus inſertam aliquando legimus formulam: *Da ſichs aber nach dem Willen des allmächtigen Gottes begeben möchte, daſs Fräulein N. ihren Ehegemahl Herrn N. vberlebete, vnd nachdem ſie ihr Witthum angenommen, ihren Wittwenſtand verändern, vnd ſich zur zweyten Ehe begeben würde, ſie hätte gleich mit Herrn N. Kinder, oder nicht: ſo ſoll ſie alſdann ſchuldig ſeyn, von dem ihr eingeräumtem Witthum-Sitz vnd dazu gehörigen Pertinentien, vnd mit übergebenen Inventario, Abſtand zu thun, iedoch nicht anders, ſie habe dann zuvor entweder --- Rthlr. empfangen, oder wegen jährlicher Zinſen von --- Rthlr. auf ihre Lebens-Zeit gnugſame Verſicherung erhalten.*

§. CCLV.

Eius conſtitutio et natura.

Illud quoque obſeruandum, (25. dotalitium, quia in compenſationem dotis debetur, non modo ab heredibus feudalibus, verum etiam (26. ab agnatis et ſimultanee inueſtitis, quin et (27. a domino, cui feudum apertum eſt, praeſtandum eſſe, (28. ſiue a defuncto promiſſum ſit, ſiue non, niſi priore caſu iuſto plus, e. g. vſurae centeſimae, vel ſesquicenteſimae promiſſae ſint, Carpz. *Part. II. Conſt.* 42. *def.* 5. vel dotis illatio non probari, vel non illata dos cum vſuris non offerri a vidua poſſit. Coler. *Part. I. dec.* 63. *n.* 3. Carpz. *Part. II. conſt.* 44. *defin.* 11. *et* 12. Ex quo facile patet, (29. dotalitium non tam debitum eſſe, quam onus feudale, quod ad omnes poſſeſſores, etiam, qui in id non conſenſerunt *, tranſit. Carpz. *Part. II. Conſt.* 46. *def.* 25.

* Modo iuſtus et legitimus dotalitii modus ſeruatus ſit: alioquin enim agnatorum pariter ac ſimultanee inueſtitorum, et dominorum, conſenſus requiritur. Schvlz. *Synopſ. Feud. cap.* 8. *n.* 237. *ſequ.* eoque deficiente, irritum habetur, quod vltra modum promiſſum eſt. Coler. *Part. I. Dec.* 60. *n.* 20. 21. Hinc hodie, euitandarum litium cauſſa, plerumque peti ſolet domini conſenſus, quem tamen non facile impetrat, niſi qui agnatorum quoque conſenſum impetrauit, Moller *ad P. II. Conſt.* 42. *num.* 11. quamuis, his praeter ius et aequum conſenſum denegantibus, Princeps et ſine illis conſentire poſſit. Richt. *de priuil. cred. cap.* 3. *ſect.* 1. *n.* 69. *p.* 251. Henel. *de dotalit. cap.* 6. *n.* 5.

§. CCLVI.

Iura vxoris in illo.

Ex eodem colligas, (30. dotalitium in locum dotis ſurrogari, ac proinde (31. viduae ratione illius non modo tacitam hypothecam in bonis mariti competere: BRVNNEM. *ad l. vn. C. de rei vxor. act.* verum etiam (32. ius retentionis bonorum, tum feudalium, tum allodialium: MYNS. *Cent. VI. Obſ. XXXXV. n.* 33. nec non (33. ius praelationis, ſi res ad creditorum concurſum peruenerit: SCHROET. *de dotalitio cap.* 3. *§.* 4. ac denique (34. ius optionis, ita comparatum, vt vel dotalitium eligere, vel dotem repetere, vel vtroque repudiato, portionem ſtatutariam exigere poſſit. SCHROET. *ibid. cap.* 4. §. 7. *et* 8.

§. CCLVII.

Quomodo ceſſet?

Contra ex his principiis facile intelligitur (35. dotalitium, quippe ex regula vſumfructum, ceſſare, non modo morte viduae, verum etiam (36. vſu eius peruerſo, IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 21. et ibi GLOSS. et *Lib. II. art.* 28. nec non (37. alienatione eiuſdem, ſeu ceſſione, extraneo facta, RICHT. *Vol. II. Conſil.* 447. *n.* 4. inprimis vero (38. adulterio, ab vxore commiſſo, quo crimine exprobrato, viduam heredes etiam repellere poſſunt, ſi maritus eam accuſationem praepararit, SCHVLZ. *Synopſ. ibid. n.* 255. CARPZ. *Part. IIII. Conſt.* 21. *def.* 4. non ſi hic eius delicti gratiam vxori fecerit, ſiue expreſſe, ſiue tacite, ipſoque facto. MOLLER *Semeſtr. Lib. III. cap.* 13. *nu.* 2. MENOCH. *de praeſumt. Lib. II. praeſ.* 76. *n.* 5. Nec dubium eſt, quin (39. dotalitium exſpiret caede mariti, vel (40. inſidiis eius vitae ſtructis, vel cauſſa morti praebita, SCHROET. *de dotalit. cap.* 4. §. 3. *ſequ.* nec minus (41. praeſcriptione, rei interitu, ac renunciatione voluntaria, SCHROET. *ibid. §.* 6. *ſequ.*

§. CCLVIII.

Morgengabae natura et conſtitutio.

Quumque MORGENGABA in ſignum communicati omnis iuris detur: (*§.* 249.) conſequens eſt, (42. vt quamuis eius apud Langobardos modus fuerit legitimus, puta quarta pars bonorum, (*§.* 216.) hodie tamen (43. in cuiuſque arbitrio poſitum ſit, quantum vxori dare velit: (44. Vt ea donatio viduae non minus, quam virgini, fieri poſſit. Ill. A LVDEWIG *Comment. in aur. bull. Tom. I. tit.* 25. *§.* 5. *p.* 549. GVNDL. *de emt. vxor. cap.* 4. §. 26. Cuiuſmodi exemplum exſtat apud Io. Is. PONTAN. *in Hiſt. Gelr. Lib. VIII. pag.* 363. (45. Vt tamen ea pleriſque

riſque locis non debeatur, niſi promiſſa. BEYER. *Spec. Iur. Germ. Lib. II. cap.* 16. §. 14. *ſequ.*

§. CCLVIIII.

Ius vxoris in illa.

Et quia porro eius doni matutini plenum dominium ad vxorem tranſit: (§. 250. 4.) ſequitur ſane, (46. vt liberis prioris matrimonii nihil in eam iuris ſit, ſed (47. vxor liberam habeat de eo diſponendi facultatem, idque (48. ſibi velint verba: *wie morgengabs recht und gewonheit iſt*, quae in pleriſque inſtrumentis, ſuper illo confectis, reperiuntur, (vid. exempla apud GVNDLING. *de emt. vxor. cap.* 4. §. 8. *pag.* 124. et BOEHM. *de ſecund. illuſtr. perſ. nupt. cap.* 2. §. 42. *pag.* 167. *ſequ.*) et in iisdem ita fere explicantur: *Vnd ſollen vnſere künftige Gemahlin, Fräulein N. Liebden mit der Morgengabe, als ihrem freyen Eigenthum, nach ihrem Gefallen zu ſchalten vnd zu walten berechtiget ſeyn, wie Morgengabs Recht vnd Gewonheit iſt.* (49. Vt ab hoc dono matutinali differat morgengaba, quae, mortuo marito, viduae ex eius bonis, et pecoribus in primis, iure Germanico debetur, de qua, nec non de *cibariis*, (*Muſstheil*,) *vtenſilibus* (*der Gerade*,) *ſuperuita* (*vom Eingeſchneitel, Huſſenband* * ſimilibuſque iuribus, hic plura dicere non vacat.

* Rectius HVBENBAND, quaſi HAVBENBAND, quod ſignificat faſciam illam, qua olim matronae vittam capiti adſtringebant. In Ducatu vero Sleſuicenſi et Holſatico eo nomine venit praecipuum, quod viduae nobili ex mariti bonis debetur, veluti vſusfructus annuus praedii, ita tamen, vt conſitos agros heredibus relinquat, vel ſi mariti ſubſtantia in pecunia et nominibus conſiſtat, vſurae annuae. Quibus iure communionis accedit dimidia pars ſupellectilis adquiſitae, exceptis fixis vinctis, lanae, lini, auri et argenti facti, animalium, pecuniae paratae, non tamen foenebris, aliarumque quam plurimarum rerum, quas prolixius enumerat conſtitutio, inſerta *der reuidierten Landgerichts-Ordnung der Hertzogthümer Schleſswig vnd Holſtein. Part. IIII. tit.* 5. *p.* 97. *ſequ.* et illuſtrata a V. C. FRANC. ERN. VOGT *diſſert. de iure coniugum in bona. Kil.* MDCCXIIII.

§. CCLX.

Augmenti dotis natura.

Denique quum augmentum quoque dotis, (*die Verbeſſerung,*) alicubi in locum dotis Germanicae ſucceſſerit: obſeruandum eſt, (50. id non vbique in Germania, ſed maxime in noua Marchia, Pomerania et terris Mecklenburgicis, obſeruari. (51. Hoc quoque non deberi, niſi illata dote, adeoque et illud eſſe ſpeciem donationis propter nuptias, (*eine Wiederlage*,) niſi quod (52.

illatae

illatae doti non eſſe ſoleat aequale; ſed vltra dotem mille imperialium, quingenti loco augmenti promitti conſueuerint. Mev. *Part. V. Deciſ. LXII. et Part. II. Dec. CCXXIIII.* (53. Ius hoc ex moribus cuiuſque prouinciae aeſtimandum eſſe, non ex iure communi, quod hoc augmentum, quale in Germania obtinet, plane ignorat. Mev. *Part. VII. Dec. CXXVIIII.*

TIT. XII.

DE POTESTATE AC TVTELA MARITALI, BONORVMQVE COMMVNIONE INTER CONIVGES IN GERM.

§. CCLXI.

Inſtituti ratio. Poteſtas maritalis quotuplex?

Vidimus, quo ritu nuptias apud Germanos inierint, hodieque ineant viri et feminae, quaeque dotium, ſimiliumque lucrorum nuptialium apud eoſdem ſit ratio. Proximum eſt, vt de poteſtate, qua maritus in vxorem, conſtante matrimonio, vtitur *, et ſtatu vtriuſque coniugis, paullo diſtinctius agamus. Quum vero ea mariti poteſtas vel ad PERSONAM vxoris, vel ad COMMVNIA BONA pertineat: de poſteriore nonnulla praemittenda videntur, ſine quibus prior ſatis intelligi non poſſe videtur.

* Adſuefieri nos oportet loquutionibus Germanicis. Eorum enim iure nihil intereſſe inter *poteſtatem*, *tutelam*, *mundium*, iam ſupra vidimus. (§. 132.) Et hinc promiſcue viro modo *poteſtatem* in vxorem tribui animaduertimus, veluti in LEGE Wisig. *Lib. IIII. tit.* 2. §. 15. LEGE Bvrg. *Additam. I. tit.* 13. LEG. Langob. *Lib. II. tit.* 10. §. 1. LEG. Normann. *Lib. II. tit.* 36. §. 3. *et* 4. apud Ill. a Lvdw. *Reliqu. MSS. Tom. VII. p.* 338. modo *mundium*, veluti in LEGE Alam. *tit.* 54. §. 1. *ſequ.* modo *tutelam*, veluti in IVRE Prov. Sax. *Lib. I. art.* 48. IVRE Prov. Svev. *cap.* 309. *edit. Schannati.* IVR. Hamb. *Part. I. tit.* 9. §. 1.

§. CCLXII.

Bonorum communio inter coniuges quotuplex?

Primum itaque, quod ad res et bona attinet, communionem rerum omnium inter Germanos coniuges paullatim inualuiſſe, hiſque moribus non modo Germanos, verum etiam Celtas vniuerſos, vixiſſe, ſatis conſtat. Id modo obſeruandum, communionem illam apud alias gentes VNIVERSALEM fuiſſe, et bona

bona omnia, quae alienari poſſent, comprehendiſſe, apud alias **PARTICVLAREM**, et certum tantum bonorum genus adieciſſe.

§. CCLXIII.

Ea obtinuit apud Gallos.

Apud Gallos coniuges communia habuiſſe bona videntur; tum ea, quae contulerant, tum quidquid inde communi induſtria reique familiaris cura adquiſiuerant. Quantum ergo ad maritum attuliſſet vxor, tantum in commune conferebat maritus, finitoque matrimonio, quidquid inde quaeſitum fuerat, aequa lance inter ſuperſtitem et defuncti heredes diuidebatur *. Teſtem eius rei laudare poſſumus CAESAREM, cuius locum ex *Lib. VI. de bell. Gall. cap.* 19. iam ſupra attulimus. (§. 233. *)

* Eius rei ratio non obſcura eſt. Nam iam a STRABONE *Lib. III. p.* 165. obſeruatum eſt, Celticas mulieres agros coluiſſe, et inter operas ipſas ſaepenumero infantes lauaſſe et inuoluiſſe; quin fuiſſe quemdam, qui viros et mulieres conduxerit ad foſſionem, ex his vero vnam, partus doloribus correptam, edidiſſe foetum, et ad opus extemplo rediiſſe, ne mercedem amitteret. Add. DIOD. SIC. *biblioth. Lib. IIII. cap.* 4. VARR. *de re ruſt. Lib. II. cap.* 10.

§. CCLXIIII.

An et apud vetuſtiſſimos Germanos?

Quid in Germania TACITI temporibus obtinuerit, ex eius deſcriptione non adeo perſpicuum eſt. Communionem tamen bonorum et illis placuiſſe coniugibus, ex eo colligunt, quod vxorem *laborum periculorumque ſociam veniſſe*, ſcribit *in libello de mor. Germ. cap.* 20. Ita ſane TACITI verba interpretantur GROT. *antiqu. reip. Batau. cap.* 2. et CHRIST. RODENBVRG. *de iure coniug. praelim. §.* 3. *ſequ. pag.* 6. Quamuis itaque non adeo certum ſit, quam late in Germania magna patuerit bonorum communio: tamen in eo vel maxime a Romanorum moribus diſcrepaſſe videntur eorum conſuetudines, quod coniuges nihil inter ſe diuiduum haberent, ſed commune putarent, quidquid alteruter ſiue labore, ſiue fortunae beneficio, adquiſiuiſſet *.

* Communionis ſane huiuſmodi legitimae in iuriſprudentia Iuſtinianea nec vola, nec veſtigium, exſtat: quamuis vtriuſque voluntate contrahi poſſet, modo non donationis cauſſa contraheretur. *l.* 16. §. 3. *D. de alim. et cib. leg. l.* 32. §. 24. *D. de donat. int. vir. et vxor.* Potius ſollicite Romanae leges diſcernebant maritorum vxorumque bona, ceu patet ex *l.* 31. *pr. D. ſolut. matrim.* Antiquo tamen iure Romanorum ita erat comparatum, vt vxor, ſimul ac farre in manum conueniſſet, fieret *κοινωνὸς ἱερῶν τε καὶ χρημάτων*, *conſors ſacrorum bonorumque.* DIONYS. HAL. *Antiqu. Rom. Lib. II. p.* 95. Et hinc COLVMELLA *de re ruſt. Lib. XII. praef.* vbi de coniugum Romanorum veterum ſo-

cietate agit: *Erat*, inquit, *olim ſumma reuerentia, cum concordia et diligentia mixta, flagrabatque mulier pulcherrima diligentiae aemulatione, ſtudens negotia viri cura ſua maiora, et meliora reddere. Nihil conſpiciebatur in domo* DIVIDVVM, *nihil, quod aut maritus, aut femina, proprium eſſe iuris ſui, diceret.*

§. CCLXV.

Maritis vtrobique ſumma in vxores poteſtas.

Neque tamen haec bonorum inter coniuges communio vel κοινοπραξία obſtabat, quo minus marito admodum ſtrictum in vxorem imperium, ſummaque poteſtas eſſet. Quemadmodum enim Romuli temporibus vxor, vti paullo ante oſtendimus, particeps ſacrorum bonorumque habebatur, et tamen non ſecus, ac filiafamilias, in manu ac poteſtate mariti erat: ita apud Gallos *viri*, quamuis bonorum, vti ſupra vidimus, communionem cum vxoribus contraherent, in has tamen, *ſicuti in liberos, vitae neciſque habebant poteſtatem*, teſte Caes. *de bell. Gall. Lib. VI. cap.* 10. idemque ius viris in vetere Germania fuiſſe, vel inde patet, quod *adulterii poenam*, eamque ſatis acrem, *praeſentem et maritis permiſſam fuiſſe*, ſcribit Tacit. *de mor. Germ. cap.* 18. vt dubitari nequeat, quin poteſtatem viris in vxores ampliſſimam dederint maiores noſtri, * illuceſcente demum Chriſtiana pietate, paullatim imminutam.

* Rigidior illa poteſtas non male cohaerere videtur cum Germanorum principiis. Quum enim hi ſibi vxores coemerent, communiſque hic ritus nuptialis eſſet Germanis omnibus: (§.178.) quid aequius videbatur, quam vxorem ſuo cuiuſque aere coemtam, in emtoris mariti poteſtate, ac veluti dominio eſſe? quum, vti ait Martialis *Lib. II. Epigr. XX.*

Id, quod emas, poſſis dicere iure TVVM?

Conf. Diſſ. *de marito tutore et curat. vxoris legit. cap.* 2. §. 4.

§. CCLXVI.

Tranſitio ad mores medii aeui.

Tenuere et poſtea haec principia quidam Germanorum populi, qui leges moreſque patrios in ſcripturam redigere coeperunt. Quare facturos nos ſperamus operae pretium, ſi, quam diuerſa medio hoc aeuo fuerit haec communio, ex ſingulorum populorum legibus paullo diſtinctius oſtenderimus. Id enim quum vulgo non animaduertant doctores: non mirum eſt, alios iſtam communionem plane in dubium vocare, alios eam communem putare Germanis omnibus, omniaque eodem modulo metiri, perinde ac ſi ab vnius gentis moribus ad omnium conſuetudines certiſſimum ducere liceret argumentum.

§. CCLXVII.

§. CCLXVII.

Primo itaque apud WISIGOTHOS adquaeſtus tantum communis erat vtrique coniugi. Ait enim legislator *Lib. IIII. tit.* 2. §. 16. *Dum cuiuſcumque dignitatis aut mediocritatis mariti perſona et vxoris fuerit nobiliter* * *et competenter adiuncta, et pariter viuentes aliquid augmentauerint, vel in quibuſcumque rebus quidpiam profligaſſe viſi fuerint, atque perueniat,* (leg. *per id eueniat*) *vt nunc ex his maioris rei et facultatis dominus ſit: de* OMNIBVS AVGMENTIS *aut* PROFLIGATIONIBVS, *pariter conquiſitis, tantam partem vnuſquiſque obtineat, quantam eius facultatem fuiſſe, omnibus modis ſibi debita vel habita poſſeſſio manifeſtat.*

Apud Wiſigothos communis erat adquaeſtus.

* At quid, quaeſo, eſt *nobiliter adiungi*? Quamuis hic variantem lectionem nullam notauerit LINDENBROGIVS: tamen ne dubitandum quidem videtur, quin legendum ſit: *notabiliter*, id eſt, palam, vt vnuſquiſque ſciat, eos coniuges eſſe, quod ſit, ſi vna cubuerint, (*wann die Decke beſchlagen iſt.*) Vt tamen concubina ab vxore diſcernatur; additur, et *competenter* factam eſſe oportere coniunctionem, id eſt, ritibus apud WISIGOTHOS receptis, per *ἱερολογίαν*, de qua iam ſupra actum eſt.

§. CCLXVIII.

Id vero notabile, apud WISIGOTHOS in diuidundo communi adquaeſtu non arithmeticam, ſed geometricam obſeruatam eſſe rationem, ita, vt pro rata alteruter, eiuſue heredes, tanto plus lucrarentur, quanto maiorem ille facultatum partem in commune contuliſſet. Minima tamen ne hic quidem curabat legislator, et ſi exiguum eſſet facultatum diſcrimen, id non impediebat, quo minus in aequales partes adquaeſtus ille diuideretur *.

Qui tamen non aequaliter, ſed pro rata bonorum, diuidebatur.

* Et hic quidem ſenſus eſt verborum, ſic ſatis obſcurorum, quae in LEGE WISIGOTHICA *ibidem* ſequuntur: *Ita vt ſi aequalis abundantiae domini ſunt, pro paruis rebus contentionis intemperantiam non adſumant, quia difficile eſt, vt in tanta aequitate facultas eorum poſſit aequari, ne in quocumque videatur vna pars alteri ſupereſſe. Nam ſi euidenter vnius facultas alterius poſſibilitatem tranſgredi videatur, vt ſuperius dictum eſt, iuxta quantitatem debitae poſſeſſionis erit et diuiſio portionis, quam ſibi poſt vniuſcuiuſque mortem vindicabit perſona ſuperſtes, et aut filiis ſuis, aut propriis relinquat heredibus, aut certe de ea facere, quod voluerit, licentiam obtinebit.*

§. CCLXVIIII.

Reliqua omnia, quae vel iure hereditario ad alterutrum coniugem peruenerant, vel alterutri fortunae beneficio obtigerant, non erant vtrique communia, ſed ad cuiuſque heredes tranſmitteban-

Non vero communia erant re-

liqua bona. mittebantur. * Nam paullo poſt additur: *Quod vero maritus aut de extraneorum lucris, aut in expeditione publica, adquiſiuit, aut de principis, aut patroni, atque amicorum, collatione promeruerit, filii vel heredes eius ad integrum vindicabunt, aut, quod exinde voluerit iudicare, licenter illi erit plenam poteſtatem habere. Similis et in mulieribus conditio erit, ſi quorumcumque munere videantur aliquid percepiſſe.*

* Quam legem Wiſigothicam neſcio an ob oculos habuerint arbitri, qui, diuortio facto inter Guilielmum Raimundi, Seneſchallum, eiuſque vxorem Beatricem, inter alia ſanxerunt, vt feudum ſingulis annis Beatrix per ſex menſes, tantumdemque tempus Guilielmus Raimundi poſſideret, donec illa alii marito nubat: feudum tamen illud poſt obitum Beatricis *maneret filiis vel filiabus de Guilielmo Raimundi in ſe procreatis.* Diploma, ſcriptum anno 1131. ex archiuo regio Barcinonenſi edidit Steph. Balvz. *in adpend. actor. vet. nu. 156. p. 1558. Tom. II. Capitular.*

§. CCLXX.

Communio bonorum apud Francos ex lege Ripuaria. In legibus Bvrgvndionvm nihil, quod ad illam bonorum communionem pertineat, occurrit, multa contra, quae illi non parum refragantur. At apud Francos iidem fere mores, quos apud Wiſigothos obſeruauimus, obtinuerunt. Nam et apud hos communis erat adquaeſtus, ita tamen, vt vidua non portionem pro rata illatorum, ſed ſemper tertiam bonorum adquiſitorum partem, caperet. Lex Ripvar. *tit.* 37. §. 2. *Si maritus vxori per ſeriem ſcripturarum nihil contulerit, ſi virum ſuperuixerit, L. ſolidos in dotem recipiat, et tertiam partem de omni re, quam ſimul conlaborauerint, ſibi ſtudeat euindicare.*

§. CCLXXI.

Ex capitularibus. At poſtea id quodammodo mutatum eſt, ſancitumque, vt ex adquaeſtu feudalium tantum rerum tertiam partem caperet vxor, reliquae res omnes inter viduam et heredes aequa lance diuiderentur. Capitvl. Caroli M. *et* Lvd. Pii. *Lib. IIII. §. 9. Volumus, vt vxores defunctorum poſt obitum maritorum* TERTIAM PARTEM *collaborationis* *, *quam ſimul* IN BENEFICIO *conlaborauerunt, capiant: et de* HIS REBVS, *quas is, qui illud beneficium habuit,* ALIVNDE *adduxit, vel comparauit, vel ei ab amicis ſuis collatum eſt, has volumus tam ad* ORPHANOS *defunctorum, quam ad* VXORES *eorum, peruenire.* Eadem repetuntur *Lib. V.* §. 295. ex iiſque patet, adquaeſtum ex feudis inaequaliter diuiſum eſſe, allodium ex aequis partibus commune vtrique coniugi fuiſſe.

*Haec

* Hanc tertiam conlaborationis partem et in Thuringia ceſſiſſe viduae ſuperſtiti, patet ex TRADIT. FVLD. *Lib. II. cap.* 2. *apud* PISTOR. Id vero notatu digniſſimum videtur, ipſas reginas tertiam illam theſauri, a regibus relicti, partem, tamquam portionem adquaeſtus coniugalis legitimam, ſibi vindicaſſe. AIMON. *de geſt. Franc. Lib. II. cap.* 36. *Ibi, procurante Ega, Chlodouaei, regis, palatium gubernante, omnis theſaurorum Dagoberti ſupellex in ſpeciebus variis, muneribuſque antea abditis prolata, ac inter fratres aequa eſt lance diuiſa:* TERTIA PARTE *tamen ex omnibus, quae Dagobertus* ADQVISIERAT, *poſtquam Nanthildem ſibi ſociauerat, ipſi Reginae ſeruata.* Gemina his ſunt in ADPEND. GREG. TVRON. *cap.* 85. *p.* 655. et in GESTIS DAGOB. *cap.* 47.

§. CCLXXII.

Ad SAXONES quod attinet, non parum diſcrepabant Weſtphalorum ac Oſtphalorum et Angriuariorum iura, quae ita deſcribit LEX SAXON. *tit.* 8. *De eo quod vir et mulier ſimul conquiſierint, mulier mediam portionem accipiat. Hoc apud Weſtphalaos: apud Oſtfalaos et Angrarios, nihil accipiat, ſed contenta ſit dote ſua.* Itaque apud Weſtphalos quoque communis erat adquaeſtus, ita tamen, vt vidua non tertiam partem, vti apud Francos, ſed ſemiſſem iſtius, caperet. Apud Oſtfalos vero et Angriuarios plane extra vſum erat coniugalis illa ſocietas.

Communio bonorum apud Saxones, ac Weſtphalos tantum.

§. CCLXXIII.

In legibus porro ALAMANNORVM, BOIOARIORVM, ANGLIORVM, FRISONVM, LANGOBARDORVM nullum me reperiſſe fateor huius communionis veſtigium. Omnes enim hae leges non niſi certam partem ex rebus mariti, iure vel vſusfructus, vel proprietatis, vxori deſtinant, vel dotem, morgengabam, metam, wittemon dari iubent, nulla facta ſocietatis aut communionis mentione, vt dici poſſit, toto illo tempore, quod a TACITI temporibus ad ſaeculum nonum vſque lapſum eſt, ſocietatem illam coniugalem apud quoſdam Germ. populos plane non obtinuiſſe, apud reliquos, vbi obtinuit, fere ad ſolum adquaeſtum pertinuiſſe.

Reliquae gentes eam communionem ignoraſſe videntur.

§. CCLXXIIII.

Neſcio itaque, qui factum ſit, vt poſterioribus ſaeculis paene communis Germanis omnibus eſſe coeperit illa communio, adeo, vt et ii populi eam receperint, quos antea illam ignoraſſe, diximus, et quibuſdam locis non modo adquaeſtus, ſed et bona ipſa pleraque, communia haberentur. Sane ea in re conueniunt iura omnia Germanorum, quorum paullo latius patuit vſus. IVS SAX. PROV. *Lib. I. art.* 31. *Mann vnd Weib haben nicht*

Sequentibus ſaeculis eam probant ius Saxonicum, Sueuicum et Lubecenſe.

liqua bona.

mittebantur. * Nam paullo poſt additur : *Quod vero maritus aut de extraneorum lucris, aut in expeditione publica, adquiſiuit, aut de principis, aut patroni, atque amicorum, collatione promeruerit, filii vel heredes eius ad integrum vindicabunt, aut, quod exinde voluerit iudicare, licenter illi erit plenam poteſtatem habere. Similis et in mulieribus conditio erit, ſi quorumcumque munere videantur aliquid percepiſſe.*

* Quam legem Wiſigothicam neſcio an ob oculos habuerint arbitri, qui, diuortio facto inter Guilielmum Raimundi, Seneſchallum, eiuſque vxorem Beatricem, inter alia ſanxerunt, vt feudum ſingulis annis Beatrix per ſex menſes, tantumdemque tempus Guilielmus Raimundi poſſideret, donec illa alii marito nubat: feudum tamen illud poſt obitum Beatricis *maneret filiis vel filiabus de Guilielmo Raimundi in ſe procreatis.* Diploma, ſcriptum anno 1131. ex archiuo regio Barcinonenſi edidit STEPH. BALVZ. *in adpend. actor. vet. nu.* 156. *p.* 1558. *Tom. II. Capitular.*

§. CCLXX.

Communio bonorum apud Francos ex lege Ripuaria.

In legibus BVRGVNDIONVM nihil, quod ad illam bonorum communionem pertineat, occurrit, multa contra, quae illi non parum refragantur. At apud FRANCOS iidem fere mores, quos apud Wiſigothos obſeruauimus, obtinuerunt. Nam et apud hos communis erat adquaeſtus, ita tamen, vt vidua non portionem pro rata illatorum, ſed ſemper tertiam bonorum adquiſitorum partem, caperet. LEX RIPVAR. *tit.* 37. §. 2. *Si maritus vxori per ſeriem ſcripturarum nihil contulerit, ſi virum ſuperuixerit, L. ſolidos in dotem recipiat, et tertiam partem de omni re, quam ſimul conlaborauerint, ſibi ſtudeat euindicare.*

§. CCLXXI.

Ex capitularibus.

At poſtea id quodammodo mutatum eſt, ſancitumque, vt ex adquaeſtu feudalium tantum rerum tertiam partem caperet vxor, reliquae res omnes inter viduam et heredes aequa lance diuiderentur. CAPITVL. CAROLI M. *et* LVD. PII. *Lib. IIII. §.* 9. *Volumus, vt vxores defunctorum poſt obitum maritorum* TERTIAM PARTEM *collaborationis* *, *quam ſimul* IN BENEFICIO *conlaborauerunt, capiant : et de* HIS REBVS, *quas is, qui illud beneficium habuit,* ALIVNDE *adduxit, vel comparauit, vel ei ab amicis ſuis collatum eſt, has volumus tam ad* ORPHANOS *defunctorum, quam ad* VXORES *eorum, peruenire.* Eadem repetuntur *Lib. V.* §. 295. ex iiſque patet, adquaeſtum ex feudis inaequaliter diuiſum eſſe, allodium ex aequis partibus commune vtrique coniugi fuiſſe.

*Haac

* Hanc tertiam conlaborationis partem et in Thuringia ceſſiſſe viduae ſuperſtiti, patet ex TRADIT. FVLD. *Lib. II. cap.* 2. *apud* PISTOR. Id vero notatu digniſſimum videtur, ipſas reginas tertiam illam theſauri, a regibus relicti, partem, tamquam portionem adquaeſtus coniugalis legitimam, ſibi vindicaſſe. AIMON. *de geſt. Franc. Lib. II. cap.* 36. *Ibi, procurante Ega, Chlodouaei, regis, palatium gubernante, omnis theſaurorum Dagoberti ſupellex in ſpeciebus variis, muneribuſque antea abditis prolata, ac inter fratres aequa eſt lance diuiſa:* TERTIA PARTE *tamen ex omnibus, quae Dagobertus* ADQVISIERAT, *poſtquam Nanthildem ſibi ſociauerat, ipſi Reginae ſeruata.* Gemina his ſunt in ADPEND. GREG. TVRON. *cap.* 85. *p.* 655. et in GESTIS DAGOB. *cap.* 47.

§. CCLXXII.

Communio bonorum apud Saxones, ac Weſtphalos tantum.

Ad SAXONES quod attinet, non parum diſcrepabant Weſtphalorum ac Oſtphalorum et Angriuariorum iura, quae ita deſcribit LEX SAXON. *tit.* 8. *De eo quod vir et mulier ſimul conquiſierint, mulier mediam portionem accipiat. Hoc apud Weſtphalaos: apud Oſtfalaos et Angrarios, nihil accipiat, ſed contenta ſit dote ſua.* Itaque apud Weſtphalos quoque communis erat adquaeſtus, ita tamen, vt vidua non tertiam partem, vti apud Francos, ſed ſemiſſem iſtius, caperet. Apud Oſtfalos vero et Angriuarios plane extra vſum erat coniugalis illa ſocietas.

§. CCLXXIII.

Reliquae gentes eam communionem ignoraſſe videntur.

In legibus porro ALAMANNORVM, BOIOARIORVM, ANGLIORVM, FRISONVM, LANGOBARDORVM nullum me reperiſſe fateor huius communionis veſtigium. Omnes enim hae leges non niſi certam partem ex rebus mariti, iure vel vſusfructus, vel proprietatis, vxori deſtinant, vel dotem, morgengabam, metam, wittemon dari iubent, nulla facta ſocietatis aut communionis mentione, vt dici poſſit, toto illo tempore, quod a TACITI temporibus ad ſaeculum nonum vſque lapſum eſt, ſocietatem illam coniugalem apud quoſdam Germ. populos plane non obtinuiſſe, apud reliquos, vbi obtinuit, fere ad ſolum adquaeſtum pertinuiſſe.

§. CCLXXIIII.

Sequentibus ſaeculis eam probant ius Saxonicum, Sueuicum et Lubecenſe.

Neſcio itaque, qui factum ſit, vt poſterioribus ſaeculis paene communis Germanis omnibus eſſe coeperit illa communio, adeo, vt et ii populi eam receperint, quos antea illam ignoraſſe, diximus, et quibuſdam locis non modo adquaeſtus, ſed et bona ipſa pleraque, communia haberentur. Sane ea in re conueniunt iura omnia Germanorum, quorum paullo latius patuit vſus. IVS SAX. PROV. *Lib. I. art.* 31. *Mann vnd Weib haben*

Digitized by Google

nicht gezweyet Gut zu ihrem Leben. * IVS PROV. SVEV. *cap.* 46. *Mann vnd Weib mögent nicht gehaben Gut gezwayet: et cap.* 34. *Stirbt einer Frauen ihr Mann: ſie bleibet in des Mannes Gut vngetheilet mit ihren Kindern.* IVS LVBEC. *Lib. II. tit.* 2. §. 12. non exſtantibus liberis, ſuperſtitem maritum ſemiſſem bonorum vxoris lucrari, alterum ſemiſſem cognatis vxoris reddi; viduam porro dimidiam illatorum bonorum recipere, et reliqua aequa lance cum cognatis mariti diuidere iubet. Liberis exſtantibus, ſuperſtes, in viduitate perſiſtens, vſumfructum retinet: *Lib. II. tit.* 2. *art.* 11. ad ſecunda vota tranſiturus maritus, arma et veſtes optimas, vidua iterum nuptura annulum pronubum iure praecipui capit: reliqua cum liberis aequa lance diuidit, adeoque, et hoc iure veram eſſe inter coniuges communionem, nemo negauerit. Addatur *Lib. I. tit.* 5. *art.* 6. vbi bona coniugum vocantur *geſamtes Gut*, et *Lib. II. tit.* 2. *art.* 26. 28. *et* 30. vbi dicuntur *gemeines Gut.* MEV. *ad Lib. I. tit.* 5. *art.* 5. *n.* 16. *ſequ.*

* In ZOBELIANIS legitur: *Zu ihrem Leibe*, nullo ſenſu. Sequuntur enim in BOXSTORFFIANA verba: *Stirbt aber das Weib bey des Mannes Leib*, ex eaque oppoſitione manifeſtum eſt, in vetere exemplari Saxonico fuiſſe *zu öhrem Liue: Liue* vero hic non eſt *der Leib*, ſed *das Leben.* Vid. HOFFM. *de comm. bonor. coniugal.* §. 2. *p.* 6. Talia multa in recentioribus ſpeculi iſtius editionibus, ad Miſnicam dialectum inflexis, occurrunt, quae ſatis oſtendunt, eius verſionis auctorem parum peritum fuiſſe dialecti Saxonicae.

§. CCLXXV.

Eadem viguit apud Sleſuicenſes et Holſatos.

Quum itaque tria haec iura, quae olim in Germania veluti communia fuerunt, conſpirent: non mirum eſt, et ſtatuta plerarumque Germaniae ciuitatum hanc communionem, ſiue VNIVERSALEM omnium bonorum, ſiue GENERALEM adquiſitorum, probaſſe. *Vniuerſalem* inculcant leges SLESVICENSIVM, apud quos obtinet paroemia iuris: *Wann die Decke über den Kopf iſt, ſind die Eheleute gleich reich.* CYPRAEVS *de ſponſ. cap.* 5. §. 35. De ſimili coniugum EIDERSTADENSIVM et HVSVMENSIVM communione agit celeberrimus VOGTIVS *in Diſſert. de iure coniug. in bona. proleg.* §. 13. De HAMBVRGENSIVM denique STATVTA HAMB. *Part. III. tit.* 3. §. 3. 4. *et* 8.

§. CCLXXVI.

In Weſtphalia.

In WESTPHALIA fere vbique obtinet vniuerſalis illa bonorum communio. Pertinet huc STATVTVM MIND. *Lib. I. tit.* 13. *art.* 6. quod omnia inter coniuges communia eſſe iubet, *es wäre dann*

dann Sach, daſs ſolche Eheleute vvieder dieſer Statt vhraltes Herkommen vnd Gebrauch in denen Ehepacten keine Gemeinſchafft ihrer Güter gemacht, oder von ihren Gütern ein gevviſſes ſich vorbehalten haben. De ſimili CLIVENSIVM et MARCANORVM * conſuetudine videndus ill. a LVDEWIG. *in diſſert. de ſucceſſ. coni. et diſſort. lib. cap.* 5. §. 3. de communione coniugum Rauenſpergenſium. HERT. *in Diſſert. de ſociet. fact. contr. Sect.* 1. §. 4.

* Vbi tamen §. 6. obſeruatur, eam bonorum communionem inter coniuges non obtinere inter nobiles, quod attinet ad bona, quae *Ritter-Sitze* vocantur, ſiue feudalia ſint, ſiue allodialia. Nam in reliquis praediis ac rebus ius commune ſeruari, docet FELTMANNVS *de Iure in re et ad rem cap.* 15. *n.* 29.

§. CCLXXVII.

Sed et in inferiore Saxonia hanc communionem religioſe ſeruarunt BREMENSES, quorum in STATVTIS *Part. III. tit.* 3. §. 1. *ordel* 86. legimus: *So vvoor tvvee teſamende kahmen an echtſchap, vvat de hebben, dat is ôbrer beyder na Stadt-Recht:* Conf. V. A. CASP. A RHEDEN *de Succeſſ. coni. ſecundum Statut. Brem.* MODESTIN. PIST. *Vol. II. Conſil.* 2. *pr.* De LVNEBVRGENSIVM ſocietate coniugali egit HARTW. A DASSEL *Conſuet. Luneb. Art. I. p.* 149.

In Saxonia inferiore.

§. CCLXXVIII.

Nec minus in ſuperiore Saxonia his moribus vixerunt THVRINGI, apud quos Arnſtadienſium ſtatutum huiusmodi laudat MODEST. PISTOR. *Part. IIII. quaeſt.* 164. *pag.* 417. nec non Salzenſium et Sangerhuſanorum CARPZ. *Part. III. Conſt.* 12. *Def.* 6. *n.* 5. Anhaltinorum ſimilia olim fuiſſe iura connubialia, ipſa eorum IVRA PROV. *tit.* 45. teſtantur, vbi referunt, *daſs in denen Fürſtl. Anhaltiſchen Landen viel vviedrige Gevvonheiten ſich enthalten, vnd die Frauen, die übergeblieben, an etlichen orten die Güter alle, an etlichen die Helffte genommen, vvie viel Kinder auch vorhanden gevveſen.* Vbi ſane prior ſuccedendi modus pertinet ad ius illud tritiſſimum: *Längſt am Leib, längſt am Gut: Huth bey Schleyer, Schleyer bey Huth* *; (§. 230. *) poſterior ad bonorum inter coniuges communionem.

In Thuringia et terris Anhaltinis.

* Quemadmodum hae paroemiae ad vniuerſalem coniugum ſucceſſionem pertinent: ita de communione bonorum aliae iactantur, veluti *Leib an Leib: Gut an Gut*, de qua HERT. *Paroem. Iur. Lib. I. par.* 69. WEHNER *Obſ. pract. voce Gut.* item: *Man ende Wijf hebben geen verſcheyden Goed*, quam interpretatur ANT. MATTH. *paroem. II.*

§. CCLXXVIIII.

§. CCLXXVIIII.

In Marchia, Pomerania et terris Mecklenburgicis.

In Marchia quoque olim obtinuiſſe communionem illam, fatentur Schepliz *Conſuet. March. Part. III. tit. 2. n. 2.* et Prvkmann. *Vol. I. Conſil.* 14. *n.* 7. Nec aliunde nata eſt conſtitutio celeberrima Ioachimi I. Electoris *de ſucceſſione coniugum*, quam poſt Kohlivm nuper illuſtrauit amicitiae noſtrae decus, Chr. Godofr. Hoffmannvs. At mira hic tropica inſtituit ius Romanum, poſtquam priſca iura patria deſeruerunt illuſtre iudicium camerale Marchiae electoralis, et ordo iuridicus Viadrinus, et vtrumque collegium communionis illius, tamquam iuri communi minus conuenientis, non diutius habendam eſſe rationem, ſtatuit. Mvller *Pract. rer. forenſ. Reſol.* 90. *n.* 10. De communione coniugum in terris Pomeranicis, inprimis in ciuitate Sedinenſi, recepta, teſtatur Mynsing. *Deciſ.* 6. *reſp.* 52. *n.* 13. de Roſtochienſium moribus Cothmann. *Vol.* 1. *Reſp.* 5. Io. Goedd. *conſil. Marp. Vol.* 1. *Conſ.* 26. *n.* 90.

* An in vtraque prouincia in vrbibus potius haec conſuetudo viget, quam ruri, et ne in illis quidem omnibus, ſed in iis, in quibus ius Lubecenſe receptum eſt. Simile quid in Pruſſia obtinet, in qua communio illa iis locis obtinet, vbi vel Lubecenſium, vel Culmenſium iure viuitur. Nam et hoc communionem bonorum tenet: ceu patet ex ivr. Cvlm. *Lib. IIII. tit.* 1. *ſequ.* vid. ivs Prvss. *Lib. V. tit.* 12. *art.* 5. §. 2. Add. Hartknoch. *de iure Pruſſ.* §. 5.

§. CCLXXX.

In Sueuia et Heluetia.

Vt ſuperiorem quoque Germaniam luſtremus, Svevos et Alamannos olim communia putaſſe coniugum bona, non modo ex speculo Svevico, verum etiam ex ivre Prov. Wvrtenbergico *Part. IIII. tit.* 1. colligi poteſt. At pleriſque locis communio illa vel plane exoleuit, vel ad adquaeſtum tantum reſtricta eſt. Quod et de Bavaris, Badensibvs, Palatinis, dicendum, quorum ius generalem tantum ſocietatem probare, oſtendit laudatus Hoffmannvs *de Commun. bonor. coniugal.* §. 3. *p.* 16. 21. *ſequ.* qui tamen apud Basileenses et Schafhvsanos vniuerſalem omnium bonorum communionem ſupereſſe, obſeruat *ibid.* §. 3. *p.* 2.

§. CCLXXXI.

In Franconia.

Denique et in Franconia ac vicinis prouinciis, nihil diuiduum habere coniuges, ſatis notum eſt, idque de Bambergenſibus diſerte adfirmat Ivst. Veracivs *in Conſuetud. Bamb. Part. II. qu.* 1. 2. *ſequ.* de reliquis Franconibus id liquet *aus der* Landger.

Ordn.

ORDN. *des Hertzogthums Francken Part. III. tit.* 88. §. 2. vbi eadem huius iuris ratio redditur, quam ſupra (§. 263. *) adduximus: *Dievveil beede Mann vnd Weib in vnſerm Stifft des Hertzogthums Francken faſt zugleich die Bürden der Ehe tragen, vnd mehrentheils hartiglich arbeiten müſſen.* Vid. Ill. A LVDEWIG *Opuſc. Tom. II. p.* 1302. De NORIBERGENSIBVS idem patet ex REFORM. NORIB. *tit.* 27. §. 1.

§. CCLXXXII.

Ceterum ne ea quidem, vel vniuerſalis, vel generalis, ſocietas impediuit, quo minus maritus in poteſtate haberet vxorem, eamue tutela regeret, ſed tali, quae cum vſufructu omnium bonorum vxoris, et alibi cum facultate, ea pro lubitu alienandi, coniuncta eſſet. LEGIS WISIGOTHICAE ſcitum erat, *virum vxorem ſuam habere in poteſtate.* Ita enim legimus *Lib. IIII. tit.* 2. §. 15. * Idemque ius viguiſſe oportet apud BVRGVNDOS, ceu patet ex LEG. BVRG. *Addit.* 1. *tit.* 13. vbi marito *poteſtas in vxorem eiuſque res*, diſerte attribuitur. Apud Alamannos porro maritus, ſoluendo pretium nuptiale, adquirebat *mundium in vxorem*, nec illi patria poteſtas prius erat in liberos, quam id mundium adquiſiuiſſet. LEX ALAM. *tit.* 54. §. 1. *tit.* 51. §. 2. Denique et IVS LANGOB. *Lib. II. tit.* 10. §. 1. vxorem non patiebatur *in ſuae poteſtatis arbitrio, id eſt, ſine mundio, viuere, ſed ſemper ſub poteſtate viri, aut curtis regiae, permanere*, iubebat. Addantur CAR. COTTVS SIC. et NIC. BOER. in *Gloſſ. ad Leg. Lang. II.* 10. 2. ANDR. DE BARVLO *Comment. ad Leg. Langob. cap. 9. p.* 351.

Marito competebat poteſtas in vxorem, quae et tutela.

* Eadem tamen lex in eo a principiis iuris Germanici vel maxime recedit, quod vxores pro ſe poſtulare patitur, nec maritos pro iis admittit, niſi illas rem ratam habituras, cauerint. *Lib. II. tit.* 3. §. 6. Quo ipſo verum eſſe, adparet, quod obſeruauit IAC. CVIAC. *Comment. ad II. Feud.* 2. in ea lege pleraque, (nec enim cum eo dixerim, omnia) ex iure ciuili petita eſſe.

§. CCLXXXIII.

Ceterum illa tutela vel poteſtas maritalis alibi tantum ad perſonam vxoris pertinebat, et ad res eatenus, vt non liceret iis de bonis communibus ſine conſenſu maritorum diſponere, et hi conſtante matrimonio vſumfructum etiam ex bonis vxorum perciperent, et inde ferrent matrimonii onera: alibi maritus abſciſſe diſponebat de rebus vxoris, etiam illa inſcia ac inuita: alibi, quidquid egerat geſſeratque maritus in negotiis ac rebus

Ea vel laxior, vel adſtrictior.

 vxoris,

vxoris, ratum quidem erat, conſtante matrimonio, at; eo ſo-luto, ob laeſionem, aliaſque iuſtas cauſſas, recte reſcindebatur.

§. CCLXXXIIII.

Ceu ex legibus oſtenditur.

Primi generis poteſtas vel tutela maritalis paene vbique in GERMANIA viguit, * nec alia eſt tutela, quam maritis tribuunt IVS PROV. SAXON. *Lib. I. art.* 48. IVS PROV. SVEV. *cap.* 309. IVS LVBEC. *Part. I. tit.* 10. *art.* 1. et ibi MEV. *n.* 17. *ſequ.* et HAMB. *Part. I. tit.* 9. *art.* 1. Secundi generis tutelam obtinere apud BELGAS, teſtantur VINN. *ad §.* 19. *Inſt. de excuſ. tut.* NEOSTAD. *Obſ. rer. iudic.* 9. GROTIVS *Introd. ad Ius Belg. Lib. I. cap.* 3. RODENB. *de iure coniug. IIII.* 4. 9. FRANC. ZYPAEVS *Notit. iur. Belg. p.* 172. NIC. BVRG. *Conſuet. Flandr. Tract. III. n.* 1. HERBAI. *Rer. Quotid.* XIII. 4. Tertii generis eſt tutela maritorum in Anglia et Normannia, de qua IO. COWELL. *Inſt. iur. Angl. Lib. I. cap.* 22. *p.* 40. LEG. NORMANN. *Lib. II. tit.* 36. *§.* 3. *et* 4. apud illuſtr. de LVDEWIG *Reliqu. MSSC. Tom. VII. p.* 338.

* Quin ſimilem tutelam et extra Germaniam, vbicumque originis Germanicae gentes nouas ſibi ſedes quaeſiuerunt, etiam hodie maritis ex lege competere, pluribus demonſtratum eſt in *diſſ. de marito tutore, et curat. vx. legit. cap.* 2. *§.* 12. *ſequ.* De vniuerſa Gallia id adfirmant IO. FABER *ad L.* 1. *C. de bon. matern.* CHOPPIN. *in leg. And. municip. Tom. I. p.* 41. 348. 349. *Tom. II. p.* 392. PYRRH. ENGLEBERM. *conſu. Aurelian. tit.* 9. §. 10. NIC. BOER. *conſu. Bituric. tit.* 1. *§.* 4. *p.* 6. IO. SAINSON *conſu. Turon. tit.* 24. *pag.* 151. BARTH. CHASSAN. *conſu. Burg. Rubr.* 4. *§.* 5. *n.* 45. *p.* 56. BERTR. ARGENTRAEVS *conſu. Britann. art.* 483. *pag.* 1859. De Hiſpanis idem obſeruat ALFONSVS DE AZEVEDO *ad Reg. Conſt. Hiſp. V.* 3. Denique et in Italia ſimilem conſuetudinem paſſim inoleuiſſe, veluti Ticini, Mediolani, Florentiae, Eugubii, teſtantur BALDVS *Vol. I. conſil.* 488. et PANCIROL. *Var. Lect. Lib. I. cap.* 92. *p.* 179.

§. CCLXXXV.

Definitiones communionis bonorum, et poteſtatis maritalis.

Iam ergo inde facile patet, COMMVNIONEM BONORVM in Germania eſſe ius, quo vel vniuerſa bona vtriuſque coniugis, vel ſaltim, quod ex illis adquiritur, conſummato matrimonio, ita communia ſunt, vt ea conſtante matrimonio pro indiuiſo poſſideantur, pro diuiſo vero communia ſint, ſimul ac ſolutum eſt matrimonium. POTESTAS vero vel TVTELA maritalis nihil aliud eſt, quam facultas, marito competens, tum perſonam vxoris regendi defendendique, tum eius bona ita adminiſtrandi, vt vel ipſe de illis ſuo arbitrio diſponere, vel ſaltim vxor in illis

illis nihil agere poſſit, ſine mariti praeſcitu et conſenſu.

§. CCLXXXVI.

Ex quibus definitionibus eruimus axiomata: I. Communio bonorum iis locis, vbi adhuc obtinet, matrimonio demum perfecte adimpleto, naſcitur. II. Ea alicubi bona omnia alienabilia; alicubi certum duntaxat bonorum genus; alicubi adquaeſtum tantum adficit. III. Effecta etiam eius communionis eadem ſunt, quae alias in communione vel ſocietate reperiuntur. IIII. Pactis tamen eam et euitari, et arctioribus limitibus circumſcribi poſſe, nullum eſt dubium: id quod in Germania vocant *eine bedungene Ehe*. V. Tutela maritalis paſſim adhuc obtinet, * et VI. quamuis interpretatione prudentum non parum reſtricta, effectus tamen ſatis notabiles pleriſque locis reliquit. De vtraque axiomata.

* Notum hoc eſt de Saxonia, vbi tamen tutela illa, inuecto iure Romano, in curam mutata, ac paene ad nihilum redacta eſt. Idemque dicendum de vrbibus, quae ius Lubecenſe receperunt, et de prouinciis Belgicis. Quin quamuis in Friſia ius Romanum mores patrios tantum non omnes in exſilium egerit: tamen et ibi mulier ipſo iure, et ſine magiſtratus confirmatione, eſt ſub cura mariti ſui, modo hic nec furioſus, nec prodigus, nec minor ſit. Vid. Io. A SANDE. *Deciſ. Lib. II. tit. 4. def. 1.* THO. HERBAI. *rer. quotid. XIII. 4.* HVBER. *Praelect. ad Pand. Lib. XXIIII. tit. 1. §. 4. et 5.*

§. CCLXXXVII.

Quemadmodum itaque communio bonorum iis locis, vbi adhuc obtinet, matrimonio demum perfecte adimpleto, naſcitur: (§. 286. 1.) ita (1. nuſquam ad eam conſtituendam ſufficit ἱερολογία, IVS PRVSS. *Lib. V. tit. 13. art. 5.* §. 7. ſed (2. plerumque requiritur, vt coniuges eodem lecto cubuerint: IVS PROV. SAX. *Lib. I. art. 45. Lib. III. art. 45.* WESEL. *de Connub. bonor. ſociet. Tract. I. n. 30. et* 44. pro qua conſcenſione tori (3. vix habendum eſt εὔνημα illud Saxonicum, quod alicubi ante prandium nuptiale ſponſum ſponſamque eodem lecto inſidere iubent, (*die Braut ſolle dem Bräutigam ins Bette beygeſetzet werden*,) idque ſufficere putant, ad lucra nuptialia capienda. * CARPZ. *Part. 3. Conſt. 19. def. 4. n. 7. ſequ.* BEVST. *de Connub. Part. 3. cap. 5.* Incipit demum conſcenſo toro.

* Saltim veteres legiſlatores, quoties conſcenſionem tori exegerunt, non imaginarium huiuſmodi congreſſum, ſed veram matrimonii conſummationem exegiſſe, elucet ex phraſibus ἐμφαινο-μένοις, quibus actum hunc deſcribunt, veluti *copulari mariti ſtrato*, GREG. TVRON. *Hiſt. Lib. IIII. cap. 9. ins Mannes Bette treten*, IVS PROV. SAX. *Lib. I. art. 45. zu ehelichem Beylager kommen, und*

S 2 die

die Decke beſchlagen. IVS PROV. WVRTEMB. *Part. IIII. tit. 2. ehelichen beyliegen, darauf einander beyvvohnung thun, vnd alſo rechte Eheleute vverden.* REF. FRANCOF. *Part. II. tit. 3.* §. 5. *byſlapen vel beyſchlaffen.* STATVT. VIANENS. *art.* 2. (§. 231. *) Add. ill. HOFFM. *de Commun. Bon. coniug.* §. 4. *p.* 27. *ſequ.*

§. CCLXXXVIII.

Alibi procreata ſobole, alibi conuictu annuo.

Quin tantum abeſt, vt ſufficere videatur ἱερολογία eccleſiaſtica, vt (4. alibi requiratur procreatio ſobolis, nec prius communionis iſtius effectus ſeſe plene exſerant, quam pepererit vxor, et foetus viuus prodierit in lucem, *wann das Kind die vier Wände beſchrieen.* * SCHIKFVS *Chron. Sileſ. Lib. III. cap.* 33. HENEL. *de comm. bon. inter coniug. in multis Sileſ. loc. recepta pag.* 496. HOFFM. *diſſ. cit.* §. 4. *p.* 29. *ſequ.* Quin (5. alicubi non naſcitur communio inter coniuges, niſi per annum et diem cohabitarint, et communi conuictu vſi ſint. WESEL. *de connub. bonor. ſociet. tract. I. p.* 10.

* IVRE ALAM. *tit.* 92. §. 1. vita ſobolis non ex clamore, ſed ex apertis oculis iudicabatur, ſi nimirum *infans viuus remanſerit aliquanto ſpatio, vel vnius horae, vt poſſet aperire oculos, et videre culmen domus, et quatuor parietes.* Vagitum tamen exigunt Germanorum ſtatuta pleraque: tamquam multo certius ſignum vitae, et quod non facile fallere praeſentes poſſit. Vid. IVS FEVD. SAX. *Art.* 20. COLER. *Deciſ.* 258. HOFFM. *Script. rer. Luſatic. Tom. II. p.* 153.

§. CCLXXXVIIII.

Quae bona communia ſint, ſi communio ſit vniuerſalis.

Quumque, vbi vniuerſalis inter coniuges communio eſt, bona alienabilia omnia communicentur: (§. 286. 2.) conſequens eſt, (6. vt illa communio nec ad feuda pertineat, LAMB. GORIS. *ad conſu. Velau. cap.* 10. *art.* 2. *gloſſ.* 1. *n.* 2. et *Aduerſ. Iur. Tract. I. cap.* 1. §. 33. *et cap.* 3. WESEL *ibid. p.* 18. niſi ſint alienabilia: NIC. BVRG. *ad Conſu. Flandr. Tract. III. n.* 19. VOET. *de Digeſt. Lib. XXIII. tit.* 2. *p.* 45. nec ſemper (7. ad bona auita, * LAMB. GORIS. *ibid. n.* 31. 32. nec vnquam (8. ad fideicommiſſaria, quippe quae quodammodo pro alienis habentur: WESEL *ibid. cap.* 1. §. 87. quamuis (9. fructus ex huiuſmodi bonis omnibus communes eſſe, nemo temere negaturus ſit, idque et iure Francorum cautum eſſe, iam ſupra oſtenderimus. (§. 271.)

* Attamen IVRE EYDEROSTADIENSIVM ſtatutario omnia bona etiam hereditaria, quantumuis inalienabilia, communia ſimiliaque eſſe ſtatuta Tonningenſium, Hutumenſium, Fridericoſtadienſium, pluribus oſtendit V. C. FRANC. ERN. VOGT. *de iure coniugum in bona, ſpeciatim de praecipuo, quod viduis nobil. in ducatu Sleſu. et Holſ. ex iure faſciae capillaris competit. prolegom.* §. 13. *ſequ.*

§. CCLXXXX.

§. CCLXXXX.

Aliquando certa tantum bona communia ſunt.

Quandoquidem porro alicubi certum duntaxat bonorum genus commune habetur: (§. 286. 2.) non mirum eſt, (10. iure Bauarico, Palatino, Badenſi, Wurtembergico, excipi bona, fortunae beneficio, vel iure hereditario, alterutri obuenientia. HOFFM. *diſſert. de commun. bonor. coniug.* §. 3. *p.* 21. *ſequ.* (11. Iure Luſtico eam communionem reſtringi ad bona mobilia et pecuniam, immobiliaque, conſtante matrimonio titulo ſingulari quaeſita, et prouentus ex immobilibus hereditariis, quae vel tempore nuptiarum habuerunt coniuges, vel conſtante matrimonio iiſdem obuenerunt. * FRANC. ERN. VOGT. *de iure coniug. in bona* §. 4. *ſequ.*

* Excipiuntur itaque bona immobilia, quae iam viri vel vxoris erant, quum in matrimonium conuenirent: bona mobilia et immobilia, iure hereditario ad alterutrum coniugem, conſtante matrimonio, deuoluta, quippe quae quod ad vſum tantum, poſſeſſionem et fructum ex iis prouenientem, non quod ad dominium, communia habentur, niſi forte mobilia ex linea collaterali prouenerint, et alter coniugum cognatis, a latere iunctis, itidem in huiuſmodi bonis, conſtante matrimonio, ſucceſſerit; ſiquidem tunc et haec bona communia et diuiſioni obnoxia ſunt, licet non ſint eiuſdem quantitatis, VOGT. *ibid.* §. 5. *p.* 5. *et* 6.

§. CCLXXXXI.

Aliquando adquiſita tantum.

Vbi porro ſolus adquaeſtus communis eſt: ibi ad bona adquiſita referuntur, (12. quaecumque communi opera et induſtria parta ſunt. GARS. *de adquaeſtu coniug. n.*1. (13. quidquid maritus ex officio publico adquiſiuit. HEESER. *de adquaeſtu coniug. Part. II. loc.* 18. *n.* 33. Diſſ. HARPRECHT *Volum. IIII. Conſ.* 63. (14. Fructus ex rebus dotalibus prouenientes, HEIG. *Part. I. qu.* 2. (15. lucrum ex mercatura, vel re cauponaria, aliaue negotiatione perceptum, HARPRECHT *Vol. V. Conſil. Tub.* 81. *q.* 27. (16. dona nuptialia, (§. 232.) et alia: quamuis de his omnibus mira ſint ſententiarum diuortia, et multas eius generis quaeſtiones pepererit diuerſorum iurium commixtio *.) Vid. LAVTERB. *de ſocietate bonor. coniugali. cap.* 4.

* Vocantur huiuſmodi bona *adquiſita* Germanis *die Errungenſchafft*, item *errungene* vel *wolgewonnene Güter*. Quum vero ea bona opponantur modo bonis hereditariis, *denen Erb-Gütern*, veluti, quando iura Hamburgenſia et Lubecenſia de bonis tantum adquiſitis diſponi patiuntur, modo hereditariis et aduentitiis omnibus, veluti quando IVRE PROV. BAV. *tit.* 1. *art.* 1. communia coniugibus eſſe iubentur adquiſita, *alles Vermögen, das beyde Eheleute von dem*

dem Einkommen ihrer Güter erſparet, oder ſonſt durch ihren eigenen Fleiſs erobert, aber nicht durch Erbſchafft, oder in andere Wege dem einem Ehegatten allein zugeſtanden iſt: modo plura alia excipiantur, veluti in conſtitutione Holſatica *vom Hutbenband vnd Fräulicher Gerechtigkeit* §. 3. *Was übrig aber von Hauſsrath, Tapezereyen vnd Decken, ſol ſie nicht zuſammen gezeuget, vnd dem Mann von ſeinen Eltern vnd Freunden angeerbet vnd gegeben, daſſelbe alles ſoll den Kindern allein bleiben vnd die Frauen darinnen nicht erben, ingleichen an den reiſigen Pferden, vvapen vnd vvehren, Büchſen, Geſchütz, Pulver, Becher, vnd vvas hiezu gehöret, ſolches folget billich den Erben, vvie auch ali baar Geld, ſo auf brieff vnd ſiegel gevveſen, damit ſoll die vvitvve nicht zu ſchaffen haben*: fieri non poteſt, quin, non accurate obſeruata vocabuli notione, *ὁμωνυμία* errores et diſſidia innumera pariat. Vid. Lvdovici *Diſſ. de diſcrim. bonorum hered. et adquiſit.* et Hoffm. *de commun. bon. coniug.* §. 3. *p.* 20. *ſequ.*

§. CCLXXXII.

Communionis effecta conſtante matrimonio.

Quumque huius communionis eadem ſint effecta, quae in alia ſocietate vel communione reperiuntur: conſequens eſt, (17. vt nulla opus ſit ſpeciali rerum traditione, Goris *Aduerſ. cap.* 1. *p.* 10. ſed (18. ſine ea res communes vterque coniux communiter poſſideat, ac proinde dicantur eſſe in compoſſeſſione, (*Mann vnd Weib ſitzen mit einander in gleicher Gevvehr.*) Spec. Sax. *Lib. I. art.* 45. Ivs Weichb. *art.* 24. Spec. Svev. *cap.* 309. Schilt. *Exerc.* 45. §. 52. Berger *de poſſeſſ. vxoris, inprimis Sax. Vol. Diſſ. p.* 1583. (19. Vt neutra pars alienare res immobiles poſſit ſine alterius conſenſu, atque (20. inde ſit, quod ſuper venditionibus, permutationibus, donationibus, nullum fere olim factum ſit inſtrumentum, in quo non ſpeciatim vxoris conſenſus fuerit expreſſus. Kress. *de aequit. ſucceſſ. coni. cap.* 5. Spener. *de vſufr. maritali Sect. I.* §. 33. Hoffm. *ibid.* §. 6. *p.* 35. *ſequ.* (21. Vt commune etiam ſit lucrum et damnum, ac proinde (22. communiter etiam ad expungenda nomina, ab alterutro contracta, obſtricti ſint coniuges, * ſaluo tamen vxori beneficio ceſſionis bonorum. Ivs Lvb. *Lib. III. tit.* 1. *art.* 10. Ivs Hamb. *Part. II. tit.* 11. *art.* 15.

* Hert. *Paroem. iur. Germ. Lib. I. par.* 70. profert paroemiam, quae huc pertinet, *Die den man trovvt, die trovvt ook de Schulden.* Sed haec obligatio, inuecto iure Romano, variis circumſcripta eſt limitibus, de quibus ill. Boehmer. *de aeris alieni inter coniuges communione ex iure Hamb.* In primis notatu dignum eſt, iure Lubecenſi eam obligationem naſci, ſi ſuperſtites ſint liberi. *Lib. I. tit.* 5. *art.* 7. Quod ius vnde ſit, ex iis, quae ſupra (§. 288.) diximus, facile intelligitur.

§. CCLXXXIII.

Nec non eodem ſoluto.

Ex eodem axiomate conſequitur, (23. vt haec communio, mortuo alterutro coniuge, continuetur vſque ad ſubſequentem diuiſio-

diuiſionem, et hinc (24. ſuperſtes bona ſibi cum defuncti liberis communia poſſideat et adminiſtret, quod iura Germanica vocant *den Beyſitz*. Ivs Bad. *Part. VI. tit. 6.* Ivs Prov. Palat. *Part. IIII. tit.* 13. (25. Vt, ſi liberi communes ſuperſint, ſuperſtes bonis communibus vtatur fruatur. Vid. *diſſert. noſtr. de vſufructu materno, in primis iur. Hamb.* (26. Vt quando bona diuidi placet, ſuperſtiti modo pars dimidia bonorum communium, modo pars tertia, modo virilis, prout eam leges definiunt, * quin aliquando, (27. deficientibus liberis et nepotibus, vniuerſa bona praemortui cedant. Hert. *Epidipn. paroem. iur. par.* 17.

* Et hanc veram eſſe originem portionis statvtariae, quam leges Germanicae omnes coniugi ſuperſtiti cedere iubent, praeclare obſeruauit ſaepe nobis laudatus Hoffmann. *de commun. bon. coniug.* §. 7. Quum enim nulla apud Romanos eſſet coniugum ſucceſſio, niſi vel deficientibus cognatis, ex edicto vnde vir et vxor, vel ob ſuperſtitis paupertatem, ex *auth. praeterea C. vnde vir. et vx.* aliter multo philoſophati ſunt Germani, qui vel ideo bonorum defuncti exſortem eſſe non patiebantur coniugem, quia conſtante matrimonio omnia cum coniuge communia habuerat. Itaque et iis locis, vbi ius Romanum illam communionem bonorum in exſilium egit, reliquiae tamen eius manſere ſatis notabiles, in primis vero portio illa statvtaria.

§. CCLXXXIIII.

Euitari illa et reſtringi poteſt pactis dotalibus.

Quum vero haec communio pactis conuentis et euitari, et arctioribus limitibus circumſcribi poſſit: (§. 286. 4.) facile eſt intellectu, (28. cur iis locis, vbi per leges omnia inter coniuges communia ſunt, ſaepiſſime fiant pacta dotalia, *Ehezärters*, *Eheliche* vel *Eheſtiſſtungen*, iiſque (29. in anteceſſum definiri ſoleat, quae conſtante matrimonio communia futura, et (30. quae, eodem ſoluto, ad ſuperſtitem peruentura ſint. Quae quidem pacta, (31. ſi talia vere ſint, teſtamentis mutari non poſſe, omnes omnino fatentur *. Neque monebimus, (32. nullam eſſe communionem, ſi matrimonium nullum ſit, eamdemque (33. ceſſare ob adulterium, (34. renunciationem, (35. et contrariam conſuetudinem. Id enim vel recta ratio ſatis vnumquemque docet.

* At rem non aeque certam exiſtimant, ſi per modum vltimae voluntatis concepta ſint: ſiquidem tunc et quinque teſtium praeſentia opus eſſe ſtatuunt, et huiuſmodi pacta, vti alias extremas voluntates, ambulatorias eſſe contendunt vſque ad mortem. Moller. *Part. II. Conſl. XXXXIII. n.2.* Carpz. *Part. II. Conſl. XXXXIII. def.* 10. Enimuero quum leue hic ſit verborum diſcrimen, et pactionem, communi vtriuſque conſenſu initam, vnius voluntate ſolui,

ſolui, rectae rationi aduerſetur: eam diſtinctionem non ſine iuſta ratione reiiciunt TITIVS *ad Lauterbach. Obſ.* 774. et FRANC. ERN. VOGT. *de iure coni. in bona prolegom.* §. 24. [illegible] *p.* 36.

§. CCLXXXXV.

Tutelae maritalis effectus varii.

Quum praeterea, non obſtante illa bonorum communione, poteſtas ac tutela maritalis paſſim adhuc obtineat: (§. 286. 5.) non obſcurum eſt, (36. vnde ſit loquutio, *in ehelicher vormundſchaffi*, vel *als ehevoigt*, qua in Germania vtuntur viri, quoties vel geſta ab vxoribus rata habent, vel pro iis ſeſe in foro ſiſtunt. (37. Cur paſſim nihil alienet vxor, ſine mariti conſenſu: IVS PROV. SAX. *Lib. I. art* 45. et (38. cur contra tanta marito alicubi poteſtas relicta ſit, vt is bona vxoris, ea inconſulta, et vendat et oppignoret *. VINN. *comm. ad* §. 19. *Inſt. de excuſ. tut.* Conf. *diſſ. de marito vxoris tut. et cur. legitimo cap.* 2. §. 17.

* Adeo diuerſi ea in re fuere mores gentium, etiamſi omnibus fere communio bonorum placuerit. Quum enim alibi marito ne res quidem proprias ſine vxoris conſenſu alienare liceat, (§. 292. 19. 20.) idque etiam naturae communionis conueniat accurate: alibi tamen marito in bona vxoris omnia indulſerunt leges. Sic in STATVTIS SILVAEDVCENS. *tit.* 14. maritus eſſe dicitur tutor vxoris, (*momboir van ſyne Huyſvrouvve,*) et additur, *dat he moghe alleen haere goedern, actien* ENDE *Schulden, als momboir vervolghen, heſchen ende beſchulden, ende daerenbouen haere goedern, als ſyne eghene goederen, ſonder conſent ende byvveſen van ſyne Huyſvrouvven verkoopen, verſetten, veralieneeren, belaſten, ende anderſins verbinden, eeghene of leengoedern vveſende:* quum contra de vxore eadem lege cautum ſit: *eene Vrovv met haeren Manne vvonende, en moghe haere erffelyke goederen niet verkoopen, verminderen, ofte belaſten, noch im Recht ſtaen, noch procuretur mechtigen, ſonder conſent van haeren Man.* Legem hanc inſolitam vocat HERTIVS, eamque inde natam refert, quod feminae Siluaeducenſes maritos captiuos aliquando redimere noluerint. Sed nihil inſoliti continere legem, et, quod non Silvaeducenſibus cum aliis Belgis commune ſit, iam alibi in *diſſ. de marito tutore et curat. vx. legit.* §. 17. docuimus: ac proinde in medio relinquimus, an vera ſit narratiuncula de feminis Siluaeducenſibus, lytron pro maritis captiuis ſoluere detrectantibus, maxime, quum huiuſmodi legum origines paſſim a plebe fingi, non ignoremus.

§. CCLXXXXVI.

Ea maxime corrupta, introducto iure Romano.

At paſſim hanc legitimam maritorum tutelam et poteſtatem vel corrupiſſe, vel plane in exſilium egiſſe ius Romanum, (§. 286. 6.) inde patet, (39. quod in tota Marchia, vbi feminae adhuc curatoribus indigebant temporibus SCHEPLIZII, (*conſu. March. pag.* 172.) et PRVCKMANNI (*Lib. I. conſ.* 48. *num.* 191.) ea cura feminarum plane exoleuerit, idemque et in terris Brunſuicenſibus

uicenſibus aliiſque Germaniae prouinciis contigerit. STRYK. *Not. ad Lauterb. p.* 105. (39. Quod in ipſa Saxonia maritum, niſi a magiſtratu confirmatum, curatorem eſſe negent, ac proinde (40. eum non admittant in foro pro vxore acturum, niſi vel curatorium produxerit, vel de rato cauerit. CARPZ. *Part. I. Conſt. I. Def.* 31. MOLLER. *Semeſtr. Lib. I. cap.* 18. 19. (41. Quod mariti conſenſum vxori ſufficere putent in negotiis tantum extra iudicium gerendis, modo non fiat auctor in rem ſuam. CARPZ. *de iure fem. ſing. Decad.* 3. *poſit.* 8. *n.* 8. *ſequ.* (42. Quod tutelam illam in curationem * conuerterint, cetera.

* Eam quoque corruptionem iuris patrii ex iuriſprudentia Romana eſſe, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt. Exiſtimabant enim iuriſperiti, ſolius iuris Germanici principiis veluti innutriti, tutelae ſubeſſe non poſſe puberes, et *qui quaeue per aetatem ſe ſponte defendere poſſint: l.* 1. *pr. D. de tutel.* quum eos meminiſſe oporteret, et Romanos antiquiſſimis temporibus feminis non curatores, ſed tutores dediſſe, EV. OTTO *de tutel. fem. cap.* 1. et Germanis ne notum quidem olim fuiſſe tutorum et curatorum diſcrimen, ceu ex inſtituto demonſtrauit GE. BEYER. *diſſ. de hodierna tut. ac curator. differ.* ac proinde iis, qui feminas tuebantur, non minus, quam illis, qui pupillos defendebant, nomen tribuebant *derer vormünder.*

§. CCLXXXVII.

Quaedam eius reliquiae.

Ad illas tamen, quae paſſim ſuperſunt, priſtinae illius poteſtatis ac tutelae reliquias (§. 286. 6.) merito (43. retuleris vſumfructum, marito in bonis paraphernalibus vxoris competentem, quem ex hac tutela recte repetunt BERGER *diſſ. de diſcrim. bon. vxor. §.* 17. GAERTN. *de diſtinct. inter dot. et paraphern.* §. 6. nec non (44. ius illud ſtrictiſſimum Lubecenſium, quod mulierem non patitur ſine conſenſu mariti contrahere, vltra binos numos et dimidium *, IVS LVBEC. *Lib. I. tit.* 10. *§.* 1. itemque (45. ſanctionem Hamburgenſem, quae de lino tantum eas, ſine conſenſu mariti vel curatoris, contrahere permittit, et (46. quod de contracto ab ea aere alieno diſponit: *Hätte ſie aber ohne conſent ihres Vormundes etvvas aufgeborget oder gekaufft, ſoll dem gläubiger verſtattet vverden, ihr das oberſte Kleid abzunehmen, bis das er bezahlet iſt.* IVS HAMB. *Part. II. tit.* 8. *art.* 2.

* Ita et legibus Athenienſium olim cautum legimus, ne mulieri ſine tutore contrahere liceret vltra certam frumenti menſuram. ISAEVS *Orat. de Ariſtarchi hered.* Ὁ γὰρ νόμος διαῤῥήδην κωλύει παιδὶ μὴ ἐξεῖναι συμβάλλειν, μηδὲ γυναικὶ πέρα μεδίμνου κριθῶν. *Lex enim expreſſe prohibet impuberem paciſci, aut feminam, vltra modium hordei.* Et DIO CHRYSOST. *Orat.* 75. Ὁ δὲ γυναικὶ νόμος

οὐκ ἐξῆ παρ' Ἀθηναίοις συναλλάττειν, πλὴν ἄχρι μεδίμνου κριθῶν, διὰ τὸ τῆς γνώμης ἀσθενές. *Neque mulieri lex permittit apud Athenienſes contrahere, niſi vſque ad modium hordei propter iudicii imbecillitatem.* Similia habes apud Svid. *in* ὅτι *ξένος*.

§. CCLXXXXVIII.

Effectus poteſtatis maritalis non vbique iidem.

Sed quouſque ſe porrigat illa maritalis poteſtas, ex ſingulorum locorum moribus et ſtatutis iudicandum eſt. Quum enim (47. in Saxonia teſtamenta a mulieribus ſine curatoris praeſcitu recte fiant: Carpz. *de iur. ſing. fem. Decad.* 3. *poſ.* 7. *nu.* 8. *ſequ.* (48. alibi et hic opus eſſe mariti; vel curatoris auctoritate, exiſtimant, veluti in Gallia, Tiraqvell. *ad leg. connub. gloſſ.* 5. *nu.* 93. *ſequ.* Chassan. *conſu. Burg. tit. de iur. coni. rub.* 4. *verb. ny auſſi par teſtament.* Hamburgi, ivs Hamb. *Part.* III. *tit.* II. §. 14. quin et Lubecae, vbi vxor plane non teſtatur, niſi mercatrix cum conſenſu curatoris, et vidua, cui maritus diſponendi facultatem teſtamento fecit. Ivs Lvbec. *Lib. II. tit.* I. §. 14. (49. Ius coercendi vxores parum morigeras vbique quidem in Germania, at magis tamen inter plebeios, quam honeſtiores, receptum eſt, et inter illos ſaepe abit in ſaeuitiam, ob quam quotidie fere fatigantur iudices, et matrimonia, tam male conciliata, non raro, quoad torum et conuictum, aliquamdiu dirimuntur.

TIT. XIII.

DE MATRIMONIO AD MORGANATICAM.

§. CCLXXXXVIIII.

Connexio tituli.

ACtum hactenus eſt de vero ac legitimo matrimonio, eiuſque natura, indole ac effectibus. Proximum eſt, vt quaedam ei vel adfinia, vel contraria, ſubiiciamus. Prioris generis eſt matrimonivm ad morganaticam, Germanicae originis gentibus proprium, quod et hodie inter illuſtres ſub nomine *der Trauung an die lincke Hand*, non extra vſum eſt; poſterioris pellicatvs et concvbinatvs. De primo hoc titulo quaedam adiicere viſum eſt; de poſtremis infra erit dicendi locus.

§. CCC.

§. CCC.

Doctrinae de matrimonio AD LEGEM MORGANATICAM ſedes eſt II. *Feud.* 29. vbi haec verba occurrunt: *Quidam habens filium ex nobili coniuge, poſt mortem eius non valens continere, aliam minus nobilem duxit, qui nolens exſiſtere in peccato, eam deſponſauit, ea lege, vt nec ipſa, nec filii eius amplius habeant de bonis patris, quam dixerit tempore ſponſaliorum: v. g. decem libras, vel quantum voluerit dare, quando eam deſponſauit: quod Mediolanenſes dicunt, accipere vxorem* AD MORGANATICAM *, *alibi*, LEGE SALICA. Sedes doctrinae de matrimonio ad morganaticam.

* Hic quoque ſubaudiendum LEGEM. Sed caue exiſtimes extitiſſe legem aliquam, eo nomine notatam. Lex enim hic eſt pactum, quod legem contractui dare cenſetur. Eodem ſenſu in iure noſtro dicitur LEX COMMISSORIA *l.* 4. *l.* 5. *D. de leg. commiſſ. rubr. C. de leg. comm. in pign. reprob.* LEX CONDVCTIONIS, *l.* 25., *l.* 55. §. *vlt. D. loc.* LEX DONATIONIS, *l.* 22. *D. de ſtat. hom.* TRADITIONIS, *l.* 17. *D. de ſeru. vrb. praed.* AEDIFICIORVM. *l.* 33. *D. eod.* PRAEDIORVM, *l.* 5. *D. de ſepulcr. viol.* SALTVI DATA, *l.* 2. *C. de noxal. act.* AGRORVM, *l.* 1. §. *vlt. D. de aqu. quotid.* Plura eius generis dabit BARN. BRISSON. *de Verb. ſignif.* voce LEX.

§. CCCI.

Satis antiquum ergo eſſe oportet hoc matrimonii genus, ſi LEGI SALICAE originem debet. Sed in lege illa nec vola eius, nec veſtigium occurrit: nec exemplo caret, iuris alicuius origines tribui LEGI SALICAE, cuius tamen lex illa celeberrima diſerte non meminit, ceu ſupra exemplo ſponſaliorum per ſolidum et denarium oſtendimus. Videntur ergo veteres legi Salicae tribuiſſe, quidquid moribus Francorum debebat originem *. An id matrimonium ſit ex lege Salica?

* Quemadmodum enim alibi obſeruauimus, Romanis et Senatuſconſulta, et principum conſtitutiones, quibus lex aliqua illuſtrabatur, ipſius legis vocabulo veniſſe: ita Germanicae originis gentes multa attribuiſſe videntur LEGI SALICAE, quae vel ex principum poſteriorum conſtitutionibus legi illi acceſſerant, vel conſuetudine paullatim inoleuerant. Sic in FORM. ALSATICIS *cap.* 4. Karolus, Imp. profitetur, *ſe manu propria ſua excutientem de manu ſupra dicti N. denarium, et numum, et argenteum, et aureum, et drachmam, et ſeſtertium, et minam,* SECVNDVM LEGEM SALICAM *eum liberum dimiſiſſe*: quum tamen LEX SALICA *tit.* 30. vnius tantum denarii excuſſionem requirat, nec alius ritus obtinuerit temporibus Caroli M. et Ludouici Pii. Sed paullatim inualuiſſe oportet conſuetudinem, varias numorum ſpecies cum in vſum adhibendi, eamque conſuetudinem hic ipſi LEGI SALICAE tribui manifeſtum eſt.

Digitized by Google

§. CCCII.

Tale matrimonium aliquoties contraxiſſe videtur Carolus M.

Huius ergo originis, et hoc matrimonium videtur. Nam iam Franci nobiliores ſub Carolingis aliquando ducebant imparis conditionis feminas, et eas aeque, ac natos ex iis liberos, nec dignitatis paternae, nec hereditatis, participes eſſe patiebantur. De ipſo enim Carolo M. auctor eſt Eginardvs *vit. Car. p.* 439. *edit.* Pith. eum poſt Faſtradam habuiſſe concubinam, cuius nomen non occurrat, ex qua filiam ſuſceperit: eumdemque poſt Luitgardis obitum, quatuor duxiſſe concubinas, Mathalgardim, Gerſuindam, Reginam, quae ei Drogonem et Hugum pepererit, et Adelluidam, ex qua Theodericus natus ſit. Vbi ſane conſtat, has feminas non fuiſſe concubinas, ſed vxores tenuioris ſortis, quibuſcum tamen tabulas dotales non ſignauerat Carolus. Himmeltrudem ſane, quam iuſtis vxoribus Caroli M. accenſere non audet Pavll. Warnefrid. *de epiſc. Metenſ. p.* 176. *edit.* Pith. * *legitimo coniugio Carolo copulatam fuiſſe*, teſtatur Stephanvs PP. III. *in codice Carolino epiſt.* 45. apud Dv Chesné *ſcript. rer. Franc. Tomo III.* Vid. Cointivs *annal. eccleſ. ad ann.* 773. *n.* 2. *ad ann.* 803. *n.* 49. *et ad ann.* 814. et P. Daniel *dans l'hiſtoire de France Tom. I. p.* 156. Filios quoque inde genitos nec regiorum filiorum dignitatem, nec vllam imperii partem ſortitos eſſe, ſatis conſtat.

* Verba Pavlli ſunt: *Hic ex Hildegarde*, CONIVGE, *quatuor filios et quinque filias procreauit. Habuit tamen* ANTE LEGALE CONNVBIVM *ex Himiltrude, nobili puella, filium, nomine Pippinum.* Eginardvs verò Himeltrudis illius plane non meminit, recenſens tantum concubinas, quas viduus in torum receperit. Quum itaque Himeltrudis *ante legale connubium* in Caroli M. amplexibus haeſerit, et tamen ea legitimo coniugio copulata dicatur Carolo: conſequens eſt, vt matrimonium illud ſaltim fuerit ſecundarium, vel ad morganaticam.

§. CCCIII.

Nec non ante eum Pippinus.

Iam ante Carolum M. ſimile matrimonium contraxiſſe videtur Pippinus cum Alpaide, quam ideo *ſcortum* vocat Flodoardvs *hiſt. Rem. Lib. II. cap.* 11. quum tamen, Plectrude priore coniuge dimiſſa, Alpaidem ſollemni more ductam, et iuſtae vxoris loco habitam fuiſſe, oſtenderit Dav. Blondell. *in praefat. apolog. geneal. Francicae praemiſſa, ternione* 33. *fol.* 3. Et ſane diſertis verbis ſcribit Fredegar. *cap.* 103. *Igitur praefatus Pippinus aliam* DVXIT VXOREM, *nobilem et elegantem, nomine Alpheidam, ex qua genuit filium, vocauitque nomen eius lingua propria*

pria Carolum. Et ANNAL. *incerti auctoris ad ann.* 714. *apud* PITH. *p.* 1. *Huius filius Carolus ex Albayde, quam, poſthabita priore coniuge, Waltrude* DVXIT VXOREM, *ſub honore maiordomatus tenuit regnum Francorum.* Fuerit ergo Alpais non concubina, ſed vxor ſollemni ritu ducta, ſed ex lege Salica, vt et ipſa, et liberi, non eſſent eiuſdem cum patre dignitatis. * Vid. HADR. VALES. *rer. Franc. Lib. XXIII. ad ann.* 697.

* Hinc quamuis nati ex Plectrude filii, Drogo, Grimoaldus et Siluinus, omnes turbato naturae ordine ante patrem deceſſiſſent, ſolique ſuperſtites eſſent ex Alpaide ſuſcepti Carolus Martellus et Childebrandus: Carolo tamen maioratum domus adfectanti negotium faceſſere non deſierunt Plectrudis, et qui eius cauſſae fauebant, Franci, non ob aliam, vt opinor, cauſſam, quam quod eum, ex impare matrimonio natum, paternae dignitatis exſortem eſſe, eique Theobaldum, Grimoaldi filium, praeferri oportere, contenderent, quamuis et hic ex impare huiusmodi matrimonio natus eſſet. Vid. GESTA FRANC. *cap.* 51.

§. CCCIIII.

Sunt et alia huiuſmodi nuptiarum exempla, quamuis eorum temporum ſcriptores feminis, hac lege ductis, plerumque concubinarum nomen tribuere ſoleant. Talis certe vxor fuiſſe videtur LVTOWIDA Carolomanni vxor, Arnulfi Imperatoris mater, *nobilis femina, ſed non legitima*, teſte OTTONE FRIS. *Chron. Lib. VI. cap.* 7. Eam enim *concubinam* vocant ANNALES BERTINIANI *ad ann.* 879. contra *vxorem* ANNALES FVLDENSES *ad eumd. ann.* Nec minus eiuſdem conditionis fuiſſe arbitramur feminam, quae in Caroli Craſſi contubernio fuit, et ex qua ille ſuſcepit Bernardum filium, cui pater regnum, ſed fruſtra, deſtinarat. ANNAL. LAMBEC. *ad ann.* 885. Sed et Carolomannus et Carolus Craſſus.

§. CCCV.

Inter vxores eiuſmodi ſecundarias et concubinas nihil fuit diſcriminis, quam quod cum iis quidem non fierent dotalia inſtrumenta, attamen ἱερολογία plerumque interceſſiſſet. Simul ac igitur dotem vir conſtituebat, vxor iuſta eſſe incipiebat, quae antea erat concubina, ceu probari poteſt exemplo Richildis, quam Carolus Caluus in torum receperat. De ea enim *fragmenta hiſtoriae Francicae* apud DVCHESNIVM *Tom. II. ſcript. hiſt. Franc. p.* 404. *Item Karolus, certo nuncio comperto, obiiſſe Ermentrudem, vxorem ſuam, ſororem Boſonis, nomine Richildem, mox ſibi adduci fecit, et in* CONCVBINAM *accepit. Idem in die feſtiuitatis* Differentia inter aequales coniuges et vxores ad morganaticam.

tatis ſeptuageſimae praedictam CONCVBINAM *ſuam*, *Richildem*, *deſponſatam*, *et* DOTATAM *in coniugem duxit*. Huius nouae coniunctionis, quam *ſecundum Dei voluntatem* factam eſſe ait, ipſe meminit CAROLVS CALVVS in praecepto pro Abbatia S. Eligii apud BALVZ. *in Adpend. Capitul. Tom. II. p.* 1492.

§. CCCVI.

Cur dictum ſit ad legem morganaticam?

Quum itaque dos nulla conſtitueretur huiuſmodi vxori: (*§.* 301.) hoc vno a concubina diſcrepaſſe videtur, quod ipſi daretur MORGENGABA, qua contenta eſſet in poſterum, nec vel dignitatem viri adfectaret, vel portionem ex eius theſauris, vel hereditate ſibi peteret. Et inde impar hoc matrimonium dictum videtur AD LEGEM MORGANATICAM *, quamuis ideo non exiſtimemus cum GROTIO *de iure belli et pac. Lib. II. cap.* 7. §. 8. STRAVCHIO *de iur. publ. tit.* 32. *§.* 5. et RITTERSH. *Paratitl. feud. Lib. I. cap.* 11. vocem hanc detortam eſſe ex Germanico *Morgengabe*, quippe quod Langobardis erat familiariſſimum, COCCEI. *de leg. morgan. Sect. I.* §. 3. vt non facile illud in morganaticum detorquere potuerint: ſed vocabulum iſtud ex ſynonymo *Morgen-gnad* ortum eſſe ſuſpicemur.

* Vir laude noſtra maior, HENR. COCCEI. *de lege morganat. Sect. I.* §. 4. *ſequ.* acute coniicit, legem morganaticam idem eſſe, quod hodie quoque in vrbibus inferioris Germaniae dicitur *Morgenſprach*, id eſt decretum, ſeu lex, publice vel in publico conuentu edita. Quin plane eiusdem eſſe notionis obſeruat legem *Morganaticam* et *Salicam*, ſiquidem et vocabulum *Saal*, palatium, curiam, vel conuentum ibi habitum, ſignificet. At propius ad vocabulum *morganaticum* accedere videtur noſtrum *Morgengnad*. *Gabe* enim et *Gnade* ſignificatu conueniunt, vti Graeca δῶρον καὶ χάρισμα. Praecipuum vero argumentum inde ducimus, quod *morganaticum* ſaepiſſime pro *morgengaba* vſurpatur, non modo apud ALB. ARGENT. *p.* 113. verum etiam in diplomatibus, ex quibus praecipue huc pertinent pacta dotalia apud GVICHENON *hiſt. geneal. gentis Sabaudicae p.* 159. vbi ſponſus Leopoldus Auſtriacus *Praeterea ſaepe dictae* CATERINAE MORGENATICVM *adſignare debemus ad noſtrum arbitrium, et prout nobis videbitur: de quo* MORGENATICO *ordinare et diſponere poteris*. Vbi *morganaticum* procul dubio eſt idem, ac *morgengabe*, vel *Morgen-Gnade*.

§. CCCVII.

Tale et poſt Francorum tempora ſaepe

Et quidem ſaeculis inſequentibus ea lege ſaepius contractae videntur nuptiae, quamuis extra Langobardiam et cis Alpes raro vterentur vocabulo *ad legem Salicam*, vel *morganaticam*, ſed id plerumque a ritu adhibito vocare mallent *eine trauung zur linken*

linken hand. FRITSCH *Supplem. Speidelio Beſoldian. ſub voce Vermählung.* Sane ex ſaeculo 13. vt iam alia praetermittamus exempla, huc pertinere videntur nuptiae Henrici, Marchionis Miſniae, cum Eliſabetha Maltitia, et Alberti, Landgrauii Thur. cum Cunigunda de Eiſenberg, quas deinde confirmauit Rudolphus I. Rex Germ. FABRIC. *Orig. Saxon. Lib. VI. p.* 594. * contractum.

* Tales vxores dictas eſſe *vxores concubinas*, ex charta quadam Ludouici VI. pro monaſterio S. Cornelii Compendienſi probat CAR. DV FRESNE *Gloſſ. Tom. I. p.* 1150. Et dum in CONCIL. TOLETANO I. *cap.* 17. decreuerunt patres: *Si quis habens vxorem fidelem, ſi* CONCVBINAM *habeat, non communicet. Ceterum, qui non habet vxorem, et pro vxore* CONCVBINAM *habet, a communione non repellatur, tantum vt vnius mulieris, aut vxoris, aut* CONCVBINAE, *vt ei placuerit: ſit coniunctione contentus*: non abſurde ex TVRRIANO obſeruat, non intelligi eo loco concubinas fornicarias, ſed, ſicut ſcriptura S. vocet concubinas patriarcharum, eas ſcilicet, quae ſecundum LEGEM MATRIMONII, infra dignitatem tamen vxoris, ducerentur.

§. CCCVIII.

Nec ignotum eſt, etiam ſine pactis morganaticis hanc conditionem fuiſſe mulierum imparis dignitatis, ab illuſtribus domum ductarum, natorumque ex iis liberorum. Ex impare enim matrimonio, quod et DISPARAGIVM vocabatur, non prodiiſſe liberos, dignitatis paternae capaces, iam ſupra oſtendimus. Multo minus ergo PELLICATVS vel CONCVBINATVS dici poterant legitimae coniunctiones, liberorumque inde natorum nullum in domo vel republica momentum erat, niſi forte ad dignitates eccleſiaſticas adſpirarent, vel virtute, et rebus praeclare geſtis ad maiora niterentur, quales erant Guilielmus, Archiep. Moguntinus, Ottonis M. ex nobili Slaua filius, DITM. MERSEB. *Lib. II. p.* 338. *edit.* LEIBN. Enzius, Fridrici II. Imp. ex Blanca filius, MONACH. PADVAN. *Lib. II. Chron. p.* 593. Manfredus et Fridricus, eiuſdem filii naturales, ille princeps Tarenti, hic Antiochiae, et alii complures. Eius differentia a diſparagio, pellicatu, et concubinatu.

§. CCCVIIII.

Nimirum quamuis leges eccleſiaſticae ſemper prohibuiſſent pellicatum, CONCIL. TOLET. I. *cap.* 17. CAPITVLAR. *Lib. VI. cap.* 230. *apud* BALVZ. *Tom. I. p.* 962. et *Addit. II. cap.* 23. *p.* 1145. CAPIT. PIPINI *Reg. Ital. cap.* 34. *p.* 540. et ne principes quidem, hiſce ſe amplexibus polluentes, clericorum cenſuram facile effugerent, ceu vel Lotharii II. Regis et Waldradae exemplo Pellicatus prohibitus, non olim concubinatus.

plo conſtat, de quorum inauſpicatis amoribus plura dabunt ANNAL. FVLD. REGINO et reliqui chronographi *ad ann.* 863. *ſequ.* aliud tamen dicendum de concubinatu, quem, licet pro legitimo matrimonio non habeant leges, nulla tamen ſingulari poenâ coercent, immo diſerte permittunt, ante initium ſaeculi 16. * Vid. CAPITVL. *Lib. VII. cap.* 59. 60. *et* 105. *Tom. I. pag.* 1039. CAR. DV FRESNE *Gloſſar. Lat. T. I. p.* 1150.

* Perſpicue hoc probatur ex iis, quae ex CAR. DV FRESNE *Gloſſ. Lat. ſub voce Concubina*, et ex SCHILTERI *de libert. eccl. Germ. Lib. VII. cap.* 2. p. 882. excerpſit THOMAS. *de concubinatu* §. 27. *p.* 52. *ſequ.* At initio demum ſaeculi XVI. concubinatui decreta quaedam oppoſuit CONCILIVM LATERANENSE ſub Leone Papa X. habitum, quae habentur in *ſeptimo Decretalium Lib. V. tit.* 16. *cap.* 1. et conſeſſus ordinum Imperii in ORD. POLITICA AVGVST. *anni* 1533. *tit.* 33. *von leichtfertiger Beyvvohnung.* vbi verba: *Dievveil auch viel leichtfertiger Perſonen auſſerhalb von Gott aufgeſezter Ehe zuſammen vvohnen: --- derhalben ordnen und vvollen vvir, daſs eine jede geiſtliche und vveltliche Obrigkeit, der ſolches ordentlich zugehöret, ein billig Einſehens haben ſoll, damit ſolche offentliche Laſter der Gebühr nach ernſtlich geſtraffet, und nicht geduldet vverden.* Sequutum eſt poſtea anno 1563. decretum CONC. TRIDENTINI, concubinatui oppoſitum, cuius hiſtoriam habes apud PAVLL. SARP. *in hiſt. conc. Trid. Lib. I. p.* 708. et PALLAVICIN. *in hiſt. conc. Trid. Lib. XXIII. cap.* 8. *ſequ.*

§. CCCX.

Definitiones matrimonii morganatici, pellicatus, et concubinatus.

Ceterum ex his omnibus, quae ex hiſtoria delibauimus; facile patet, MATRIMONIVM EX LEGE MORGANATICA eſſe viri illuſtris ſoluti et feminae inferioris vel plebeiae conditionis, ſolutae, legitimam et indiuiduam coniunctionem, ea lege initam, vt nec vxor, nec liberi, inde prodituri, vel dignitatis maritalis ac paternae, vel hereditatis participes, ſed certis bonis, ſibi per pactum morganaticum adſignatis, contenti ſint. * SCHWEDER *de matrim. ad morganat. poſ. I.* PELLICATVM vero eſſe illegitimam conſuetudinem viri, in iuſto matrimonio viuentis, cum muliere quacumque: CONCVBINATVM denique conſuetudinem illegitimam viri et mulieris, nulla lege connubiali obſtrictorum, legibus tum eccleſiaſticis, tum imperii, hodie prohibitam.

* Exſtat huiusmodi pactum morganaticum apud MYLER. AB EHRENBACH *in Gamologia cap.* 6. §. 1. *et* 2. atque inde repetitur ab ill. BOEHMERO *de ſecundis illuſtr. perſ. nupt. cap.* 2. §. 28. quo cauetur, (1. *vt inter virum illum illuſtrem et feminam imparis licet conditionis, ſit verum et Chriſtianum matrimonium, et tale ſemper maneat.* (2. *Vt liberi vtriusque ſexus, inde prognati, legitimi quidem ſint, at* (3. *a patris titulis et inſignibus totis abſtineant, et* (4. *cum*

cum prioris matrimonii liberis nec in prouinciis paternis, nec (5. in aliis eiusdem bonis et theſauris, ſuccedant, ſed (6. arcibus, praediis, aliisque rebus, pacto ſibi deſtinatis, contenti ſint. (7. Vt et mater non ad ſuperiorem nobilitatem adſpiret, ſed in conditione ſua vſque ad extremum vitae halitum perſeueret, et (8. nec titulum, inſignia ac honores mariti adfectet, nec (9. dotalitium, morgengabam, aliaque lucra exigat, ſed promiſſis praediis contenta viuat. Conf. SCHWEDER. *de matr. ad morgan. poſ. VIIII.*

§. CCCXI.

Quum itaque nec PELLICATVS, nec CONCVBINATVS iure Germanico ſit licita et legitima coniunctio: de iis potius inter crimina agendum erit. De matrimonio vero ex LEGE SALICA vel MORGANATICA obſeruanda ſunt axiomata; I. Nuptias huiuſmodi facere poſſunt ſoli illuſtres, quippe ad conſeruandas illuſtres dignitates comparatas. II. Eae fieri non poſſunt, niſi cum femina imparis conditionis. III. Natura ac indoles earum conſiſtit in pacto morganatico, quo, acceptis certis praediis, vel promiſſa certa pecuniae ſumma, tum vxor, tum liberi, inde nati, et dignitatis paternae, et ſuccedendi iuris exſortes fiunt. IIII. Hae nuptiae vix ferendae ſunt, niſi iuſta ac probabilis ſit ita paciſcendi cauſſa. COCCEI. *de lege morganat. Sect. 5. §. 2. ſequ.*

Axiomata de matrimonio ad morganaticam.

§. CCCXII.

Quia itaque ſoli illuſtres has nuptias licite ineunt: *(§. 311. 1.)* conſequens eſt, (1. vt nec ingenuis, nec plebeiis, ius ſit huiuſmodi pactis obſtringendi vxores, communeſque liberos, niſi (2. princeps id ſpeciatim permittat, cuius rei exemplum eſt apud BRVNNEM. *iur. eccleſiaſt. Lib. II. cap. 16. §. 6.* (3. Vt, ſi non indulgente principe, tale ineatur matrimonium, id quidem ſubſiſtat, ſed tamquam legitimum, et hinc (4. pacta illa pro nullis procul dubio habenda ſint. *

Id matrimonium tantum contrahunt viri illuſtres.

* Huc in Marchia pertinet D. FRIDERICI III. in *Elect. Brandenb. renovirte conſtitution von Verlöbniſſen vnd Ehe-Sachen* §. 13. *Nachdem auch zwiſchen adelichen und bürgerlichen Perſonen die Verlobung zuweilen lege Salica oder ſub pacto morganatico abgehandelt wird: ſo ſoll daſſelbe hinfüro anderer geſtalt, dann mit unſerm darob geſuchten vnd erhaltenen conſens nicht verſtattet, vnd zugelaſſen ſeyn, vnd in deſſen verbleibung dergleichen deſponſationes vnd matrimonia zwar beſtehen, ratione conditionum adiectarum ad morganaticam aber keinen effectum iuris haben.* Hinc vix publici ſaporis eſſe adparet philoſophiam NARVII, HORNII *iurispr. feud. cap. 6.* §. 2. et 10. GEORGII BEYERI *iur. Germ. Lib. I. cap. 24. §. 10. ſequ.* qui huiuſmodi matrimonium etiam equeſtris ciuicique ordinis hominibus indulgent, et his ne principis quidem conſenſu opus eſſe, putant.

§. CCCXIII.

Et quidem cum feminis inferioris conditionis.

Et quia matrimonium hac lege contrahi non poteſt, niſi cum imparis conditionis femina: (§. 311. 2.) facile intellectu eſt (5. non ita paciſci poſſe principem cum femina principe, * nec (6. principem cum comitis filia, quum id in ipſum nobilitatis dedecus procul dubio vergeret, ſi nobilis nobilem duceret ſub lege morganatica, nec is hanc pro impare vxore ſine iniuria haberet: ſed (7. illud matrimonium tantum ſubſiſtere poſſe inter virum illuſtrem et feminam ingenuam vel plebeiam. Exempla habes apud Coccei. in laudata *diſſert. Sect.* 5. §. 10. *ſeq.* et Boehmer. *de ſecund. illuſtr. perſ. nupt. cap.* 2. §. 30. *ſequ.*

* Et tamen exſtat exemplum Nicolai III. Marchionis Ferrarienſis, Ricardam, Saluzziarum Marchionem, ea lege in torum recipientis, vt filii ex ea nati in marchionem Ferrarienſi non ſuccederent. Linck. *diſſ. de matr. ad morgan. cap.* 2. *n.* 60. Sed hoc non fuit matrimonium, ex lege morganatica, ſed ex *II. Feud.* 26. §. *filii*, de quo ex inſtituto agit laudatus Coccei. *ibid. Sect. VIIII.*

§. CCCXIIII.

Liberi non ſunt participes tituli, feudorum, allodiorum illuſtrium.

Ex tertio axiomate (§. 311. 3.) patet, (8. verum quidem hoc eſſe matrimonium, et hinc (9. liberos inde natos omnino legitimos habendos: * *II. Feud.* 29. nec tamen (10. titulos integros, totaque inſignia, ſed partem eorum, niſi aliud placuerit paciſcentibus, retinere, e. g. *Ioannes de Auſtria*, *Fridricus de Bauaria*, *Raugraffen zu Pfaltz*, *Erneſtus von Luneburg*. Coccei. *ibid. Sect.* 6. §. 2. Schweder. *ibid. poſ.* 27. Multoque minus (11. eos in feudis ſuccedere, *II. F.* 29. etiamſi (12. illa ſint hereditaria, Zas. *de Feud. Part. VIII. circa fin. verſu denique.* Cocc. *ibid.* §. 4. immo (13. ne in allodiis quidem, quae tuendae familiae dignitati ſunt deſtinata. Knipsch. *de fideic. fam. cap.* 6. Coccei. *ibid.* §. 5. Nec (14. quidquam intereſſe, ſiue exſtent liberi illuſtres, ſiue non exſtent, vel deceſſerint, itemque (15. ſiue agnati ſint, quibus huiuſmodi bona debentur, ſiue nulli ſuperſint. Cocc. *ibid.* §. 7. Denique (16. nec agnatis ſuccedere poſſe huiuſmodi liberos, quippe non gaudentes iuribus familiae. Cocc. §. 8.

* At ſaepe tamen principum liberi comitum, vel ingenuorum dignitatem habent. Quod fieri non poſſe arbitramur, niſi vel princeps pater eius ſit conditionis, vt iura huius nobilitatis conferre poſſit, vel pacta, quibus huiuſmodi dignitas liberis deſtinata eſt, ab auguſtiſſimo Imperatore fuerint confirmata.

firmata: STRYK. *Vſ. hodiern. Pand. de ſecund. illuſtr. perſ. nupt. cap. 2. Lib. XXIII. tit.* 2. §. 27. et BOEHMER. §. 28.

§. CCCXV.

Ex eodem axiomate patet, (17. ne in priuato quidem patris allodio ſuccedere liberos, ex matrimonio ad morganaticam procreatos, quippe quos pacta contentos eſſe iubent portione, ſibi deſtinata, COCCEI. *ibid. Sect.* 7. §. 1. etiamſi (18. liberi illuſtres nulli amplius ſint ſuperſtites, niſi (19. aliud conſuetudine receptum ſit, qualis fuit MEDIOLANENSIS. *II. Feud.* 29. Ex eadem ratione (20. nec conſanguineis ſuccedunt in allodio priuato, COCCEI. *ibid.* §. 5. quamuis (21. nihil impediat, quo minus ſuccedant matri, tam in allodio, et bonis emphyteuticis, quam in feudo feminino, quippe quum ſint legitime nati, iiſque adeo non obſtet *II. Feud.* 26. §. *naturales.* Quamobrem multo magis (22. tum ſibi inuicem, tum (23. cognatis maternis iis in bonis, quae a non illuſtri recte poſſidentur, ſuccedere poſſunt. COCCEI. *ibid.* §. 6. *ſequ.* Immo ne quidem priuati allodii paterni, ſed materni tantum, et cognatorum.

§. CCCXVI.

Non minus ex eodem axiomate (§. 311. 3.) colligimus, (24. pactum hoc, ſemel initum, in favorem liberorum reuocari non poſſe: quod contra MYLERVM *Gamol. cap.* 6. §. 37. *ſequ.* ex inſtituto euicit COCCEI. *ibid. Sect.* 8. §. 2. *ſequ.* quamuis (25. quum extraneus etiam in allodio priuato heres recte ſcribatur, pater procul dubio et liberis, ex matrimonio morganatico natis, aliquid teſtamento recte relinquat. IDEM. *ibid.* §. 4. Ceterum (26. adeo verum eſt, contentos illos eſſe debere portione, ſibi a patre promiſſa, vt ne legitimam quidem exigere, aut (27. ſextantem, qui alioquin et illegitimis ab inteſtato debetur, petere poſſint. * COCCEI. *ibid.* §. 8. 9. Pactum morganaticum an reuocabile?

* Quae hactenus de liberis diximus, ea facile vxori quoque poſſunt adplicari. Nam et haec expers eſt tituli maritalis, nec dici ſolet *Ihro Hochfürſtl. Durchl.* ſed *Madame*, item *Ihro Gnaden.* Haec quoque nec dotem petit, nec morgengabam, nec portionem ſtatutariam, ſed contenta eſſe iubetur eo lucro, quod ipſi promiſſum eſt pactis dotalibus.

§. CCCXVII.

Denique quum vix ferendae ſint hae nuptiae, niſi iuſta ac probabilis ita paciſcendi cauſſa ſit: (§. 311. 4.) conſequens eſt, (28. vt iis plerumque conſulatur ſplendori familiae, et (29. ita impe- Iuſtae cauſſae huiuſmodi nuptiarum

Contrahendi. impediatur, quo minus prouinciae vel inter plures diuidantur, vel dotalitiis, paragiis, et apanagiis exhauriantur. (30. Vt adeo ordinarie quidem huiuſmodi nuptias ineant, qui iam filios ex pari matrimonio ſuſceperunt, ac proinde (31. ſecundae demum nuptiae plerumque ſub hac lege contrahantur: at (32. iuſta tamen cauſſa eſſe poſſit, cur et is, qui ex priore matrimonio nihil liberorum ſuſcepit, vel numquam antea taedas nuptiales accendit, hoc matrimonii genus eligat. * BITSCH. *ad II. F. 29. not.* 2. SCHWEDER. *ibid. poſ.* 15.

* Exemplum exſtat FRIDRICI *Victorioſi*, Electoris Palatini, qui quum nondum vxorem duxiſſet antea, matrimonium ad morganaticam iniit cum Clara de Tettingen, liberisque ex ea natis certas terras adſignauit, quibus poſtea ſurrogatus eſt comitatus Lôwenſteinenſis. Cauſſam eius conſilii habuit maxime probabilem. Quum enim, tutela Philippi Palatini ſuſcepta, pro tutela ipſam electoralem dignitatem cum conſenſu pupilli ſuſciperet: non potuit aequales nuptias facere citra praeiudicium vel pupilli, vel futurae prolis ſuae. Ita eleganter COCCEI. *ibid. Sect. V.* §. 5. *p.* 22.

TIT. XIIII.

DE DIVORTIIS ET REPVDIIS.

§. CCCXVIII.

Connexio et inſtituti ratio. IVrium connubialium, de quibus hactenus actum eſt pluribus, nihil iam fere ſupereſt, praeter tractatum, quibus modis diſſoluantur connubia. Sed quum modos pleroſque, quippe ex ipſa recta ratione profectos, Germani vetuſtiſſimi procul dubio cum reliquis gentibus habuerint communes, ea vero, quae hodie circa DIVORTIA et REPVDIA obtinent, non veteri iuri Germanico, ſed tum eccleſiaſtico, tum diuino, originem debeant: procul omnino diuertere videremur ab inſtituti ratione, ſi his, a iure Germanico alienis, hic immoraremur. Itaque, praetermiſſis concluſionibus, in foro hodie receptis, quippe ex alio principio profectis, ea tantum, quae olim maioribus noſtris iuſta viſa ſunt circa diuortia, paucis conſectabimur.

§. CCCXVIIII.

§. CCCXVIIII.

Primo itaque ſatis conſtat, priſcis Germanis etiam ante ſuſceptam Chriſti doctrinam indiſſolubilia viſa eſſe matrimonia. *Vxor enim*, teſte TACITO *de mor. Germ. cap.* 20. *ipſis incipientis matrimonii auſpiciis admonebatur, venire ſe laborum periculorumque ſociam, idem in pace, idem in praelio paſſuram auſuramque. Sic viuendum, ſic pereundum.* Itaque MORTE demum alterutrius coniugis finiebantur matrimonia, * nec Germanis vmquam innotuerunt ea, quae de nuptiis, CAPITIS DEMINVTIONE MAXIMA et MEDIA ſolutis, ſatis ſubtiliter philoſophabantur iuriſconſulti Romani. *l.* 1. *D. de diuort. et repud. l.* 6. *D. eod. l.* 1. *C. eod. l.* 8. *l.* 14. *§.* 1. *D. de capt. et poſtlim. l.* 56. *D. ſol. matr.*

Matrimonia Germanis tempore Taciti indiſſolubilia.

* Sed quum iure Romano ſuperſtes maritus ſtatim; vxor, ſimul ac eluxiſſet maritum, ad ſecunda vota tranſire poſſet: *l.* 9. *et l.* 11. §. 3. D. *de his qui not. infam. l.* 2. *C. de ſecund. nupt.* id non poterant viduae Germanae iis locis, vbi tantum virgines nubebant, et cum ſpe votoque vxoris ſemel tranſigebatur. TAC. *de mor. Germ. cap.* 19. (§. 179. *) Quin gentibus quibusdam indignum facinus viſum eſſe, vxorem marito, ſaltim qui in acie ceciderat, ſuperſtitem viuere, alibi docuimus.

§. CCCXX.

Enimuero vti pudicitiae ſtudioſiſſimi erant Germani: ita nulla venia erat impudicis, et adulterium, vel probrum ab vxore admiſſum, nuptias illico finiebat, parato ſupplicio, ipſiſque maritis permiſſo, TAC. *de morib. Germ. cap.* 19. *Pauciſſima in tam numeroſa gente adulteria, quorum poena praeſens, et maritis permiſſa. Accifis crinibus nudatam coram propinquis expellit domo maritus, ac per omnem vicum verbere agit.* * *Publicatae enim pudicitiae nulla venia: non forma, non aetate, non opibus, maritum inuenerit. Nemo enim illic vitia ridet, nec corrumpere et corrumpi ſaeculum vocatur.* Et de Varnis, gente Germanica, ſupra (§. 179.) vidimus teſtantem PROCOPIVM *de bell. Goth. Lib. IIII. barbaros illos ſponſas, niſi ob ſtuprum, non dimittere.*

Adulterae tamen domo expulſae.

* Poena itaque acciſio crinium, et fuſtigatio. Prior ad ignominiam, poſterior ad dolorem et caſtigationem pertinebat. Capilli, matronarum decus, reſecabantur, vt cuique pateſceret, mulierem, vulgato corpore, matronalia ornamenta perdidiſſe. Et ſane antiquiſſima poena eſt decaluatio, et plerumque cum ictu fuſtium, coniuncta, quae dicebatur pertingere *an Haut vnd Haar.* Henrici II. Imp. diploma de contentionibus inter Fuldenſem et Hersfeldenſem eccleſ. apud ECCARD. *ad Leg. Salic. p.* 102. *Illi, qui huius facti dux et princeps fuerit, tollatur* CORIVM *et* CAPILLI, - *reliqui eius*

eius ſequaces CVTE *et* CAPILLIS *priuentur.* FORM. ALSAT. XXII. *Et oua congrega, vt, quando ego venero, omnia parata inueniam, ſi* CVTEM *et* CAPILLVM *habere volueris.* Frequens loquutio, et in ipſo SPECVLO SAX. obuia, nec non in LEGE LANGOB. *Lib. I. tit.* 17. §. 5. vbi mulier iubetur DECALVARI *et* FVSTARI.

§. CCCXXI.

Etiam apud Saxones.

Manſit iſte mos domo exigendi adulteras, eaſque, acciſis crinibus, verberibus caedendi, etiam medio aeuo, apud gentes quaſdam Germanicae originis. De SAXONIBVS enim auctor eſt BONIFACIVS in epiſtola ad Aethebaldum apud BARON. *Annal. eccl. ad ann.* 745. *in antiqua Saxonia,* * *ſi mulier maritata, fracto foedere matrimonii, adulterium perpetrauerit, aliquando eam cogi propria manu per laqueum ſuſpenſam vitam finire, et ſuper buſtum illius incenſae et concrematae corruptorem eius ſuſpendi; aliquando, congregato exercitu femineo, flagellatam eam mulieres per pagos circumquaque ducere, virgis caedentes, et veſtimenta eius abſcindentes iuxta cingulum, et cultellis ſuis totum corpus eius ſecantes, et pungentes minutis vulneribus, cruentatam et laceratam de villa in villam mittere, et occurrere ſemper nouas flagellatrices, zelo pudicitiae adductas, eamque aut mortuam, aut vix viuam derelinquere, vt ceteri timorem adulterandi et luxuriandi habeant.*

* Per *antiquam Saxoniam (Old Saſſen)* Holſatiam potiſſimum intelligere Bonifacium, iam ab aliis eſt obſeruatum. Inter Cimbros vero potiſſimum Dithmarſos olim acerrime vindicaſſe adulteria, memoriae proditum eſt. Adulteram enim ibi, ab vniuerſa familia occiſam, et aliquando viuam defoſſam, aliquando in aquis ſuffocatam eſſe, ſcribit ANTON. VIETH. *in der Beſchreib. vnd Geſchichten des Landes Diethmarſ. Part. II. cap.* 1. *p.* 86. Probabile itaque eſt, Diethmarſos potiſſimum in animo habuiſſe Bonifacium, haec ſcribentem. Ceterum et alias gentes boreales ſeuerius animaduertiſſe, et etiamnum animaduertere in adulteros adulterasque, patet ex LOCCEN. *Antiqu. Sueo-Goth. Lib. II. cap.* 24. *p.* 110.

§. CCCXXII.

Medio aeuo non ſtatim iuris canonici principia recepta.

Id vero notatu dignius videtur, ſub Francorum imperio, atque inſequentibus temporibus, recepta iam Chriſti doctrina, non modo plures fuiſſe diuortii cauſſas, quam canones eccleſiaſtici admittunt, ſed et, facto diuortio, feminis aeque ac viris integrum fuiſſe, ad ſecunda vota tranſire, quum tamen eiuſmodi nuptias, viua moecha contractas, pro adulterio habeant iura canonica. Quod ex legibus probare exempliſque illuſtrare operae omnino pretium fuerit.

§. CCCXXIII.

§. CCCXXIII.

Quo ſenſu ob ſolum adulterium licitum viſum ſit diuortium?

Quod ad diuortii cauſſas attinet, legibus quidem Francorum cautum fuerat, vt diuortia non legitima eſſent, niſi propter fornicationem: Capitvl. *Lib. VI.* §. 191. idemque ſancitum legimus lege Wisig. *Lib. III. tit.* 6. §. 2. lege Langob. *Lib. II. tit.* 13. §. 6. Sed id non ita interpretandum eſt, ac ſi ob alias cauſſas vxores repudiare non licuerit, (id enim frequentiſſime factum eſſe, mox demonſtrabimus,) ſed quod id impune non ferret, qui **παρεκτὸς λόγου πορνείας**, et indicta cauſſa, iuſtam vxorem repudiaſſet. *

* Nuſquam ergo reperias, extra cauſſam adulterii fieri non potuiſſe diuortia: ſed tantum (1. ſecundum voluntatem domini legitimam cauſſam diuortii eſſe ſolam fornicationem, (2. legibus humanis ſufficere quidem alias cauſſas, et culpas grauiores, ſed eas probandas eſſe epiſcopis comprouincialibus, nec repudiandas vxores, priusquam ab illis damnatae ſint. (3. Si quis ſecus faxit, eum poenis, tum eccleſiaſticis, tum aliis forenſibus, eſſe coercendum. Patet hoc ex omnibus Germanicarum gentium legibus. Sic quamuis capit. *Lib. VI.* §. 191. presbyteri plebem docere iubeantur, *ſecundum domini mandatum legitimum coniugium nequaquam poſſe vlla occaſione ſeparari, excepta cauſſa fornicationis:* tamen *libro* 7. §. 305. legimus: *Hi vero ſaeculares, qui coniugale conſortium abſque* CVLPA GRAVIORE *dimittunt, vel etiam dimiſerunt, et* NVLLAS CAVSSAS *diſcidii probabiliter proponentes, propterea ſua matrimonia dimittunt, vt aut* INLICITA *aut* ALIENA *praeſumant, ſi antequam apud epiſcopos comprouinciales diſcidii* CAVSSAS *dixerint, et priusquam vxores iudicio damnentur, abiecerint, a communione eccleſiae, et ſancti populi coetu pro eo, quod fidem et coniugium maculant, excludantur.* Sic et lex baivvar. *tit.* 7. §. 14. in eum, *qui liber liberam vxorem ſuam* SINE ALIQVO VITIO, PER INVIDIAM *dimiſit*, nihil durius ſtatuit, quam vt poenam XXXX. ſolidorum parentibus ſoluere, ipſique repudiatae dotem congruam dare, ac bona denique omnia reddere cogatur. Qualis etiam eſt lex Wisigothica *Lib. III. tit.* 6. §. 2. quae eos, qui vxorem iniuſte relinquunt, *donationem tantum dotis, et quidquid de mulieris bonis habent*, amittere iubet.

§. CCCXXIIII.

Diſcindebantur matrimonia etiam bona vtriuſque gratia ob vitam monaſticam.

Sic ſane licita fuere diuortia, bona gratia vtriuſque coniugis facta, eum in finem, vt ſe vitae monaſticae conſecrarent. Capitvlar. *Lib. VI.* §. 191. *Secundum Domini mandatum legitimum coniugium nequaquam poteſt vlla occaſione ſeparari, excepta cauſſa fornicationis, niſi* CONSENSV AMBORVM, *et hoc propter ſeruitium Dei.* Idem exprimit lex Langob. *Lib. II. tit.* 13. §. 6. niſi quod et haec, id arbitrio epiſcopi fieri oportere, monet. Et exſtant ſane huiuſmodi diuortii exempla quam plurima, ſed quibus recenſendis

cenſendis eo minus immoramur, quo magis et canones hanc cauſſam probant *. BIGNON. *ad Marculf. p. 945. Tom. II. Capit.*

* Addere tamen licebit, aliquando et inuitos diuulſos eſſe coniuges, maxime illuſtres, ſi capitis damnati ſupplicium ingreſſu in monaſterium expiare vellent. Ita THASSILO, Bauariae dux, capitis damnatus vitam monaſticam vna cum filiis elegit. ANNAL. FRANCOR. *ad ann.* 788. Quum vero vxorem haberet Liutburgam, Deſiderii, Langobardorum regis, filiam: eam eodem tempore in exſilium miſſam, velum ſumſiſſe, et monialem factam eſſe, docent annales. Vid. IO. GE. ECCARD. *Stemm. Deſiderian.* §. 6.

§. CCCXXV.

Immo et ſine conſilio ingrediendi religionem.

Id vero deinde non praetermittendum videtur, bona vtriuſque gratia huiuſmodi diuortia frequenter fieri conſueuiſſe, etiam ab illis, quibus nihil minus, quam veſtis monaſtica placebat. Exſtant huiuſmodi libelli repudii non modo in FORMVLIS SIRMOND. *cap.* 19. verum etiam apud MARCVLF. *Lib. II. cap.* 30. vbi profitentur coniuges, *placuiſſe vtriuſque voluntati, vt ſe a conſortio ſeparare deberent, atque ita etiam feciſſe, ita, vt vnuſquiſque ex ipſis, ſiue ad ſeruitium Dei in monaſterio, aut ad* COPVLAM MATRIMONII *ſe ſociare voluerit, licentiam habeat, et nulla requiſitione ex hoc de parte proximi ſui, habere non debeat.* *

* Elegans eam in rem eſt obſeruatio HADR. VALESII, quam ex eius *rer. Franc. Lib. XXIII. ad ann.* 797. adduxit HERT. *notit. regni Franc. cap.* 3. §. 3. *p.* 281. vbi et exemplum profert Beppoleni, Francorum Ducis filii, qui tres vxores aliam poſt aliam intra breue ſpatium repudiaſſe fertur. *Multi igitur*, inquit, *praetexentes, ſe cum vxoribus concorditer, et mutuo amore viuere non poſſe, inuitas dimittebant, vt alias ducerent. Nec reges modo, qui quidquid libuerit, ſibi licere putant, ita faciebant, verum etiam priuati, quos vxorum ſuarum faſtidium ceperat, beneficio legis vtebantur.*

§. CCCXXVI.

Ob malitioſam deſertionem.

Praeterea et diuelli coniuges patiebantur Franci, ſi alteruter aufugiſſet, vel coniugem dolo malo deſeruiſſet, vel ſi vxor maritum, ex iuſta cauſſa migraturum, ſequi detrectaſſet. De quo poſtremo caſu CAPIT. PIPINI *anni* 752. *cap.* 9. *pag.* 164. *Tom. I. Si quis, neceſſitate ineuitabili cogente, in alium ducatum ſeu prouinciam fugerit, aut ſeniorem ſuum, cui fidem mentiri non poterat, ſecutus fuerit, et vxor eius, quum valet et poteſt, amore parentum aut rerum ſuarum, eum ſequi noluerit: ipſa omni tempore, quamdiu vir eius, quem ſequuta non fuit, viuit, ſemper innupta permaneat.*

neat. Nam ille vir eius, qui neceſſitate cogente in alium locum fugit, ſi numquam in ſuam patriam ſe reuerſurum ſperat, ſi ſe abſtinere non poteſt, aliam vxorem cum poenitentia poteſt accipere.

§. CCCXXVII.

Iuſta etiam cauſſa diuortii videbatur coniugis conditio, ſi quis in perſonae abiectae et viliſſimae amplexus ruiſſet, e. g. ſi ingenua nupſiſſet ſeruo, aut princeps plebeiam in torum recepiſſet. Huiuſmodi ſane coniugi, iubente lege, repudium dandum erat, niſi quis et ipſe ſeruitutem ſeruire mallet. LEX ALAM. *tit.* 17. CAPITVL. COMPEND. *ann.* 757. *§.* 5. *p.* 181. *Tom. I.* (§. 75. *) Quin et parentum diſſenſus ſufficere videbatur, ſaltim Carolo Caluo, Regi, qui Ludouici filii cum Anſgarde, puella nobili, nuptias, quum iam duo inde filii elegantioris formae prodiiſſent, diremit, eique Adelheidem tradidit, adacto prius in iusiurandum, ab Anſgardis conſortio ſe ſemper in poſterum abſtenturum. * REGINO *ad ann.* 838. Ob coniugis viliorem conditionem vel parentum diſſenſum.

* Multis poſt ſaeculis, circa annum 1365. Guilielmus, Bauariae dux, Agnetem quandam, quam filius eius Albertus iuſtae vxoris loco habebat, non modo ex mariti amplexibus abripuit, verum etiam, lata ſententia, mergi Danubio iuſſit. Hiſtoria ſatis nota eſt, de qua vid. SPENERI *ſylloge hiſt. genealog. p.* 272.

§. CCCXXVIII.

Exſtat porro CAROLI CALVI edictum Piſtenſe in CAPITVLAR. CAROLI CALV. *Tit.* 36. *apud* BALVZ. *p.* 189. *Tomo II.* ex quo adparet, etiam coniugium inter ſeruum ex regno Neuſtriae et mulierem Nortmannam initum, illegitimum habitum, dominiſque fas fuiſſe eiuſmodi matrimonium, tametſi iam liberi inde prodierint, diſſoluere, hominesque ſuos cum aliis nuptiali foedere coniungere. Additur in ea lege: *In illis autem regionibus, quae legem Romanam ſequuntur, ſecundum eamdem legem fieri exinde decreuimus.* * Sed multo ſeuerius matrimonia etiam ingenuorum cum peregrinis vetabant ipſi Germani, adeo vt quidam Franci vxores repudiarent Saxonicas, aliaſque ducerent, tantum quod non iiſdem legibus vterentur Franci et Saxones. Quale tamen diuortium poſtea irritum eſſe ſtatuit CONCILIVM TRIBVR. *C. I. X. de ſponſal.* quod capitulum nuper in nouellis publicis illuſtrauit praeclare illuſtris Cancellarius noſter A LVDEWIG. Ob peregrinitatem.

* Hoc vero petitum ex *l.* 1. *C. Theod. de nupt. gentil.* et *l.* 2. *eod.* quibus itidem dominis permittitur, vt ſeruorum nuptias, iis inconſultis atque inuitis contractas, diuellerent. Adeoque leges Romanae ea in re cum Francica illa vere conueniunt, vel potius haec ex illis manifeſto deſcripta eſt.

§. CCCXXVIIII.

Ob inſidias vitae ſtructas.

Quanta contentione patrum memoria diſceptatum ſit, poſſitne repudium dari vxori, quae vitae mariti inſidias ſtruxerit, nemo ignorat. Et tamen id permiſere leges Francicae. Sub Pippino enim in SYNODO VERMERIENSI *cap.* 5. anno 752. cautum eſt: *Si qua mulier mortem viri ſui cum aliis hominibus conciliauit, et ipſe vir ipſius hominem ſe defendendo occiderit, et hoc probare poteſt: ille vir poteſt ipſam vxorem dimittere, et, ſi voluerit, aliam accipiat. Ipſa autem inſidiatrix, poenitentiae ſubacta, abſque ſpe coniugii maneat.* BALVZ. *Capitul. Tom. I. p.* 163.

§. CCCXXX.

Plura diuortiorum exempla vſque ad ſaeculum 12.

Sed quantumcumque inualeſceret Pontificum et epiſcoporum auctoritas: ante ſaeculum tamen 12. nullatenus impedire illi potuerunt, quo minus ob quaſcumque alicuius momenti cauſſas, * matrimonia diuellerentur. Saeculo enim ſeptimo Plectrudim repudiauit, Alpaidemque duxit Carolus Martellus: ſaeculo ſequente Carolus M. vxorem, Deſiderii, Regis Langobardorum, filiam, incertum, qua de cauſſa, repudiauit. EGINARD. *vit. Caroli M. apud Freber. p.* 439. Saeculo decimo eadem fuere fata Hatheburgis, ab Henrico, Aucupe, repudiatae. DITM. *reſtit. Lib. I. p.* 324. *apud Leibnit.* Saeculo vndecimo Ecbertus, marchio, paucis diebus, ante quam vita excederet, repudium ſcribere cogitauerat vxori, et viduam Ottonis, Marchionis, matrimonio ſibi iungere, quod haec forma elegantior, et efferatis moribus ſuis opportunior videretur. MONACH. HERVELD. *ad ann.* 1068. *p.* 388. Et ſaeculo 12. nota ſunt exempla Henrici Leonis, Fridrici I. Imp. et aliorum, quae iam praetermittimus.

* Immo et graues aliquando dicebantur cauſſae, quae id nomen vix merebantur, veluti cognatio vel adfinitas ſpiritualis. Quum enim anno 757. in ſynodo Compendienſi decretum fuiſſet, vt ſi quis filiaſtrum aut filiaſtram ſuam ante Epiſcopum ad confirmationem tenuiſſet, ab vxore ſua ſepararetur, et alteram non acciperet: aliae maritos inſtigabant ad hoc facinus, vt ita poſſent ab iis diuertere, FRODOARD. *Lib. III. cap.* 21. aliae eo conſilio ipſae

patrinarum

patrinarum partibus fungebantur, in quas anno 813 inuehitur SYNODVS CABILONENSIS II. perpetuam hiſce mulieribus iniungens poenitentiam, et ad viros easdem inuitas retrahens.

§. CCCXXXI.

Ceterum ex his omnibus, quae haſtenus diximus, ſatis adparet, nondum eo tempore inualuiſſe ſententiam patrum, qui poſt diuortium locum eſſe negabant nuptiis. Omnes enim, quorum de repudiis diximus, ad nuptias denuo adpulerunt animum: quin, quum Guilielmus Raymundi ſaeculo 12. auctore archiepiſcopo Tarraconenſium ab vxore ſeparatus, et cum ea pactus eſſet, vt certis praediis ſex menſes ſingulis annis illa vteretur fruerur: conditionem adiecit, vt vſusfructus ille finiretur, *ſimul ac iſta* MARITVM *acciperet.* BALVZ. *Adpend. actor. vet. n.* 156. *Tom. II. Capitul. p.* 1558. Separati aliis iungebantur.

§. CCCXXXII.

Sed non leuem rerum conuerſionem factam eſſe obſeruamus, ex quo maior in Germania eſſe coepit iuris canonici auctoritas. Tunc enim non tam ad leges iſtas et mores patrios viuebatur, quam ad canones eccleſiae, et decreta pontificum. Quin etiamſi poſtea purior in Germania efflореſceret religio: tam altas tamen radices egerant illa principia, vt ne hodierno quidem die inter ipſos proteſtantes prorſus euelli potuerint. Quamobrem magno conatu maximas agere nugas videremur, ſi concluſiones, ex aliis plane fontibus, quam legibus Germanorum, promanantes, hic accumularemus. Iuris canonici vſus alia principia inuexit.

TIT. XV.

DE PERSONIS, QVAE SVB TVTELA VIVVNT, ET QVOTVPLEX GERMANIS TVTELA.

§. CCCXXXIII.

PRaeter liberos et vxores, de quibus hactenus actum eſt, in aliorum MVNDIO vel tutela erant MINORES et FEMINAE, de quibus iam porro erit ex inſtituti noſtri ratione diſſerendum. Connexio et tranſitio ad materiam de tutelis.

 Quamuis

Quamuis vero ipſa recta ratio, et, quod inde proficiſcitur, ius naturae et gentium eos, qui per aetatem aliamue iuſtam cauſſam ſponte ſe defendere nequeunt, in aliorum tutela eſſe velit: Germanorum tamen, vti aliarum gentium, mores ſingulares, et a iure ciuili Romanorum admodum diuerſi fuerunt, et ex parte hodie etiam a Romanorum inſtitutis quam maxime diſcrepant.

§. CCCXXXIIII.

Impubertas vel pueritia Germanis longiſſima.

Quod enim ad MINORES attinet, non, vti apud Romanos, ita feſtinabantur virgines, nec adoleſcentes tam praecoci incremento ad virilem illum vigorem perueniebant, vt illae anno aetatis 12. hi anno 14. iuſtam aetatem attigiſſe viderentur: ſed iam POMPONIVS MELA *de ſitu orb. Lib. III. cap. 3.* obſeruauit, *Germanos maximo frigore nudos agere, antequam* PVBERES *ſint, et* LONGISSIMAM *apud eos eſſe* PVERITIAM. *

* IS. VOSS. *in Commentar. p. 136.* haec non de longa minorennitate accipit, ſed de ἀναφροδισίᾳ ſiue abſtinentia a Venere, idemque ſcripſiſſe exiſtimat POMPONIVM, quod obſeruarit TACITVS *de mor. Germ. cap. 20. Sera iuuenum Venus, ideoque inexhauſta pubertas.* Sed quum pubertatis praecedat mentio: res ipſa docet, Pomponium vere de pueritia loqui. Deprehendit in Germania mores, quales et hodie inter ruſticos et plebeios obſeruamus. Animaduertit, adoleſcentes fere ad annum aetatis 20. vocari *Iungen* et *Buben*. Quin, eos, tanquam pueros, flagris et verberibus caſtigari a parentibus et dominis, audiuit, ſi extra officium viuerent. Quae alieniſſima fuerunt a moribus Romanorum, qui pueris ineunte anno 16. togam virilem dare non dubitabant. HENR. NORIS. *Cenotaph. Piſan. Diſſ. II. cap. 4. p. 114.*

§. CCCXXXV.

Etiam Illyriis et reliquis Celtis qui viceſimo aetatis anno impuberes habebantur.

Idem de Illyriis * refert VARRO *de re ruſtic. Lib. II. cap. 1.* miraturque, apud eos *feminam, viginti annos natam,* VIRGINEM *adpellari.* Ergo et apud hos erat ſera adoleſcentum mulierumque Venus, ac proinde inexhauſta pubertas, idemque apud eos contingebat, quod de Celtis obſeruauit CAESAR *de bello Gall. Lib. VI. cap. 21.* inter quos, *qui diutiſſime impuberes permanebant, maximam ferebant laudem; intra annum vero vigeſimum feminae notitiam habuiſſe in turpiſſimis rebus habebatur.*

* Non iam diſquiremus, an Illyrii fuerint Germanicae originis? Fuere ſane Norici, Vindelici, Pannones, qui et ipſi olim Illyriis accenſebantur, origine Germani vel Celtae, vti exiſtimat CELLAR. *Notit. orb. ant. Lib. II. cap. 8.* Quod adeo verum eſt, vt et SAM. BOCHARTVS *in Canaane Lib. I.*

cap.

cap. 23. quamuis alioquin ex Phoenicia arceſſat Illyriorum originem, Boios tamen, Scordiſcos, et Tauriſcos, gentes Gallicae, vel Celticae originis, partem Illyrici inſediſſe, fateatur, easque gentes omnes Illyriis accenſeant POSIDONIVS et STRABO.

§. CCCXXXVI.

An apud Wiſigothos impubertas ad viceſimum quintum aetatis annum durarit?

Ex quibus locis ſimul diſcimus, quis apud Germanos fuerit terminus pubertatis vel maiorennitatis, (haec enim vix diſtinguebantur a maioribus noſtris,) et quamdiu quis ſub aliorum tutela fuerit. Pleriſque enim Germanis placebat annus aetatis VIGESIMVS. Alii VIGINTI ET VNVM, alii OCTODECIM annos exigebant, nec vllam fere reperias gentem Germanicam, quae maſculos quatuordecim annorum, feminas duodecennes in ſua eſſe tutela crediderit: nec vllam, quae viceſimo quinto demum anno minorennitatem finiri, exiſtimarit, praeter WISIGOTHICAM. Vid. LEX WISIG. *Lib. IIII. tit.* 3. §. 1. *

* In editione enim Lindenbrogiana eſt, *filios infra* 25. *annos dicendos pupilios.* Sed tamen et hic locus dubius eſt, et in codice MSC. quem bibliotheca LVDEWIGIANA oſtentat, incomparabili, plenis litteris expreſſum eſt, *filios infra* QVINDECIM ANNOS *dicendos eſſe pupillos.* Ill. a LVDEWIG *de aetate legit. puber. et maiorenn. cap.* 3. §. 7. *p.* 53. Eamque lectionem firmat alter locus LEG. WISIG. *Lib. IIII. tit.* 3. §. 3. vbi *ad* PERFECTAM AETATEM *perueniſſe* dicitur, qui 20. annorum eſt. Vere itaque cum Germanis reliquis omnia conueniebant WISIGOTHIS, niſi quod minorennitatem, exemplo Romanorum diſcernerent a pubertate, et illam anno 20. hanc anno 15. finiri vellent.

§. CCCXXXVII.

Apud Francos maiores habebantur iuuenes annorum 21.

VIGINTI illis annis VNVM addidiſſe videntur FRANCI. Quamuis enim iſte terminus nec SALICA, nec RIPVARIA lege, nec CAPITVLARIBVS regum Francorum, figatur: CAROLVS tamen DV FRESNE *in Gloſſar. Lat. ſub voce aetas* protulit tabulas Ioannis, Regis Hieroſolymitani, anno 1214. ſcriptas, in quibus et haec habentur: *Scire vos volumus, quod* CONSVETVDO ANTIQVA, *et per* IVS *adprobata, talis eſt in regno Franciae, quod nullus ante* VICESIMVM PRIMVM ANNVM *poteſt vel debet trahi in cauſſam.* Vid. illuſtr. A LVDEWIG *ibid. cap.* 3. §. 9. *p.* 56.

§. CCCXXXVIII.

Itemque apud Normannos.

Eumdem annum 21. placuiſſe animaduertimus NORMANNIS. Quamuis enim eorum LEGE *tit.* 7. proditum ſit, *minorem aetatem habere, qui nondum ſpatium* 20. *annorum compleuerint*, et hinc adoleſ-

adoleſcentes *in* TVTELA *vſque ad* VICESIMVM ANNVM *completum tenendos eſſe*: ſtatim tamen addit legislator, VNVM *vltra* ANNVM *iiſdem concedi ex vſu Normanniae, quo clamorem de reuocatione ſaiſinae anteceſſorum per inquiſitionem debeant in curia proponere.* De muliere quoque eadem lege cautum eſt, *vt, niſi per matrimonium, cuſtodiam non egrediatur, quouſque 20. annos compleuerit.* *

* Illud ſingulare, quod ſi mulier, quae feudum habebat, minorenni nupſiſſet, feudum in cuſtodia, id eſt, adminiſtratione tutoris domini maneret, non quamdiu ipſa, ſed quamdiu maritus minorennis eſſet. *Sic enim* LEX NORM. *ibid. Si quis vero in* NON AETATE *conſtitutus duxerit in vxorem, habentem feodum: feodum in cuſtodia erit, quamdiu adoleſcens aetatem non habebit. Mulier enim conditionem viri ſui ſequitur, et legem.*

§. CCCXXXVIIII.

Et Langobardos.

Denique LANGOBARDI, ſiue eam conſuetudinem ſecum ex Germania aduexerint in Italiam, ſiue eam trans Alpes primum adſciuerint, duodeuiceſimum aetatis annum ſufficere exiſtimarunt, vt quis in tutelam ſuam perueniret. Hinc LVITPRANDVS in LEGE LANGOB. *Lib. II. tit.* 29. *§.* 1. *Hoc reſpeximus, vt infra* 10. *&* 8. *annos non ſit legitimus homo, ad res ſuas alienandas, excepto, ſi pater debitum dimiſerit. --- Et in nonodecimo anno homini Langobardo ſit* LEGITIMA AETAS, * *et quodcumque fecerit, vel iudicauerit de rebus ſuis, ſtabili ordine debeat permanere.*

* Equidem hoc iure, diuerſa admodum notione, LEGITIMAM AETATEM attigiſſe dicuntur adoleſcentes. *Lib. II. tit.* 14. §. 3. legimus: LEGITIMA AETAS *eſt, poſtquam filii XII. annos habuerint*: ſed hoc tantum de eo caſu intelligendum, ſi naturales liberi conſenſum accommodare velint patri, eos legitimaturo. Eadem aetas hoc iure LEGITIMA eſſe dicitur puellarum: quae nupturae eſſent. *Lib. II. tit.* 1. §. 10. *et tit.* 8. *§.* 2. Denique annus decimus quartus aetas LEGITIMA iure Langobardico fuit adoleſcentum, nuptias meditantium, teſte §. 8. *Lib. II. tit.* 8. At tutela non liberabatur, nec rerum ſuarum adminiſtrationem recipiebat, niſi qui duodeuiceſimum aetatis exegiſſet. Adeoque ratione tutelae haec demum aetas videbatur LEGITIMA.

§. CCCXXXX.

Minorennitas inſequentibus temporibus vel ad annum

Vnum ex his minorennitatis terminis, quoties de finienda tutela quaerebatur, et poſtea ſeruabant Germani, populique cognati, et ex parte etiamnum ſeruant, et paucae fuerunt gentes, quae inter pubertatem et minorennitatem diſcrimen aliquod ſtatuerent, ſed huc iuuenes vſque aliorum tutela regi voluerunt

tantum

tantum non omnes, adeoque recte ii ineunt rationes, qui tutorum curatorumque diſcrimen plane ignotum maioribus noſtris fuiſſe, eoſque ne vocabula quidem, quibus ea munera diſcernerent, habuiſſe, contendunt. Vid. GE. BEYERI et CAR. GVIL. GAERTNERI *diſſertationes de differentia tutorum et curatorum iure German.* 21. vel ad 20. vel ad 18. durauit.

§. CCCXXXXI.

Sic ſane, exacto viceſimo aetatis anno, iuuenes maiorennes habentur legibus et conſuetudinibus Britonum, BERT. ARGENTR. *in conſu. Brit. tit.* 21. *art.* 458. Pictauienſium, *art.* 316. Aurelianenſium, PYRRH. ANGLEB. *tit.* 1. *cap.* 30. *et* 35. Andegauenſium, CHOPPIN. *art.* 86. quamuis hae duae poſteriores hic inter maſculos et feminas diſcrimen aliquod ſtatuant, et illos quidem anno aetatis 20. has anno 14. maiorennes fieri ſtatuant. Eumdem minorennitatis terminum figunt Belgae, veluti Gelri, FRID. SAND. *de Feud. Gelr. tract.* 2. *tit.* 1. *cap.* 2. Vltraiectini, PAVLL. VOET. *ad pr. Inſt. de curat.* quamuis et ibi ſexus diſcrimen faciat *, nec non in Germania Argentoratenſes. STATVT. ARG. *Art.* 5. et alii. Quinam eam 20. annis finiuerint?

* Hoc etiam diſcrimen ratione ſexus admodum diuerſum eſt. Pleraque ſtatuta, quae annum demum 20. aut 22. maſculis ſufficere putant, citius feminas tutela ſoluunt. Sic iure Bohemico maſculus anno 20. femina anno 15. Gelrico maſculus anno 20. puella anno 18. Auſtriaco maſculus anno 22. femina anno 20. maiorennis habetur, rerumque ſuarum adminiſtrationem conſequitur. Soli fere Vltraiectini in alia omnia eunt, et maſculum citius, anno nimirum 18. feminam biennio tardius, in tutelam ſuam peruenire iubent: (Vid. ill. a LVDEWIG. *de aetate pub. et maiorenn. cap.* 3. §. 17. 25. 29.) ratione ſane vſi conſultiſſima, quod hic non quaeratur de aetate ad Venerem idonea, quam citius puellae, quam maſculi attingunt, ſed de facultate res ſuas prudenter adminiſtrandi, quam maſculis plerumque citius natura largitur, quam feminis, quibus *ὀλισθηρὸν καὶ εὐεξαπάτητον φρόνημα*, *labile ac deceptu facile ingenium*, non abs re tribuit THEOD. HERMOPOLIT. *ad l.* 2. *D. de reg. iur.* Conf. *l.* 2. §. 2. *D. et l.* 2. *C. ad SC. Velleian.*

§. CCCXXXXII.

Contra anno 21. aetatem minorem finiri voluerunt plures, in eumque annum conſenſerunt Saxones, IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 42. IVS FEVD. SAX. *Art.* 26. eorumque poſteri, Angli, * IO. COWELL. *inſt. iur. Angl. Lib. I. tit.* 22. Sueui, quod ad Quinam annis 21?

feuda

Digitized by Google

feuda attinet, ivs Fevd. Alam. *Art.* 50. Boioarii, ivs Bavar. *tit.* 5. *Art.* 5. Butiadingi, Bvtiad. Landr. *Art.* 7. et alii. Quod eo minus mirandum, quo magis per plures Germaniae prouincias olim inualuerat iuris Saxonici ac Sueuici auctoritas.

* Attamen et hi feminas ex ea ratione, quod in maritorum poteſtatem ac tutelam perueniunt, citius, anno puta aetatis decimo quarto, vel in cauſſa grauiore decimo ſexto, ad aetatem legitimam peruenire cenſent. Cowell. *ibid.* quum plerique alii, qui annum 21. receperunt, nullam inter maſculos feminasque admittant differentiam.

§. CCCXXXXIII.

Quinam annis 18.

Denique et annus 18. quo et plenam pubertatem olim finiebant Romani, permultis Germanis, tamquam extremus impubertatis, placuit. Hamburgenſes enim, quamuis alioquin inter impubertatis et minorennitatis annos diſtinguant, tamen hanc anno aetatis duodeuiceſimo exacto, terminari cenſent, ivs Mvnic. Hamb. *Part. III. tit.* 6. *Art.* 21. niſi quod hi nuper hoc ius ſingulari plebiſcito mutarint. Eamdem aetatem legibus etiam Bremenſium et Noribergenſium pro legitima haberi, pluribus docuit ill. a Lvdewig. *ibid. cap.* 4. §. 11. *ſequ.* His et Sueuos addere licebit, Spec. Svev. *art.* 321. §. *vlt.* et Brunſuicenſes. Vid. Leibnit. *Script. rer. Brunſu. Tom. III.*

§. CCCXXXXIIII.

Quibuſdam locis magiſtratibus permittitur arbitrium, quando quis maiorennis habendus.

Quid? quod fuerint, et etiamnum ſint, gentes ac ciuitates Germanicae, quae nullum certum minorennitatis terminum figunt, ſed iudicum et magiſtratuum relinquunt arbitrio, ſatiſne idoneum cenſeant adoleſcentem, cui rerum ſuarum adminiſtratio committatur, an eum diutius alterius tutela contineri oporteat. * Id ſane legibus Franconicis, Wurtenbergicis, Palatinis, Bipontinis cautum eſſe, idem oſtendit laudatiſſimus a Lvdewig. *ibidem cap.* 4. §. 14. *p.* 80. *ſequ.*

* Ita et iure Romano pubertatis tempus non ſatis definitum fuiſſe ante *l. vlt. C. quando tutor. vel cur. eſſe deſin.* exiſtimat Merill. *Obſeru. Lib. V. cap.* 16. Hinc teſtatores, qui tutores liberis dederint, certum annum expreſſiſſe obſeruat, quouſque in tutela eſſe deberent, eumque modo decimum quartum, *l.* 49. *D. de legat.* 1. *l.* 22. *D. quand. dies legat.* modo decimum octauum, vt in *l.* 101. §. 2. *D. de condit. et demonſtr.* modo decimum ſextum, vt in *l.* 34. §. 1. *D. de legat.* 3. *l.* 36. §. 1. *l.* 48. *D. de condit. et demonſtr. l.* 46. *D. ad SC. Trebell. l.* 41. §. 10. 12. 13. *D. de fideic. libert.* Quin ad eum morem adludere ipſi videtur Pavllvs, Apoſtolus, dum heredem infantem

infantem eſſe ait ὑπὸ ἐπιτρόπους καὶ οἰκονόμους ἄχρι τῆς προθεσμίας τοῦ πατρὸς, *ſub curatoribus et adminiſtratoribus ad tempus a patre definitum.* GALAT. IIII. 2. Sed vereor, ne MERILLIO obſtet ab ipſo adducta *l.* 101. §. 2. *D. de cond. et dem.*

§. CCCXXXXV.

Tutela ſuprema minorum pertinet ad principes et magiſtratus.

Omnes itaque impuberes vel minorennes erant ſub tutela; et quidem primario ipſorum PRINCIPVM et MAGISTRATVVM, quibus iure Germanico SVPREMA TVTELA competebat, *die obervormundſchafft*, WESENBEC. *Part. I. Conſil.* 3. *n.* 67. MEV. *ad ius Lubec. Part. II. tit.* 2. *art.* 21. *n.* 19. SCHILTER. *Exerc. XXXVII.* §. 62. quae nihil aliud eſt, quam vis ac poteſtas in pupillos, et, ſicubi in Germania et feminae adultiores ſub tutela vel cura viuere tenentur, etiam in feminas, primario atque eminenter ſummis imperantibus; ſecundario quibuſuis magiſtratibus competens, vt non modo tutores vel curatores ſua vice adminiſtraturos conſtituere *, ſed et geſtorum rationes ab iiſdem, tamquam vicariis ſuis, poſcere, ac denique parum diligentes, nulla etiam praeuia ſuſpectorum accuſatione, in ordinem cogere ac remouere poſſint. *Diſſ. noſtr. de ſupr. princ. et magiſtr. tut.* §. 15.

* Non ergo ob ſolam tutorum conſtitutionem, et competentem magiſtratibus ἐπιτροπὴν principes et magiſtratus vocantur *obervormünder*, (nam ideo nemo principem dixerit ſupremum conſiliarium, quia conſiliarios conſtituit, et geſtorum rationes ab iis exigit,) ſed quia vere tutores ſunt, et reliqui tutores et curatores, ab iis confirmati, eorum vice duntaxat funguntur. Ita recte CARPZOVIVS *Lib. V. tit.* 8. *reſp.* 86. *n.* 23. cuius ſententiam parum feliciter impugnauit SCHILTER. *Exerc. XXXVII.* §. 68. *p.* 623. Vid. *diſſertat. noſtr. ibid.* §. 14. *p.* 23.

§. CCCXXXXVI.

Ea iam in legibus antiquis praeſidium reperit.

Mentionem ſupremae huius tutelae iam fecerunt leges veteres. In CAPITVLARIBVS enim LVDOVICI PII *Lib. VI.* §. 223. cautum eſt, *vt* VIDVAE, ORPHANI, *et minus potentes, ſub Dei defenſione, et Regis* MVNDIBVRDE, *pacem habeant, et eorum iuſtitias adquirant.* Et in LEGE NORMANNICA apud ill. a LVDEWIG. *Reliqu. MSC. Tom. VII. p.* 149. Duci *ratione ducatus Normanniae* CVSTODIA MINORVM *vſque ad* 21. *annum completum competere* dicitur. Quin tum reges, tum principes, in ipſis inaugurationis ſacris, ſollemniter promittere ſolitos, ſe fore TVTORES VIDVARVM AC ORPHANORVM, ſatis patet ex WITTICHIND. *Annal. Lib. II. p.* 443. WIPPONE *vit. Conradi p.* 429. LEHM. *Chron.*

Spir. Lib. II. cap. 6. Megiser. *Annal. Carinth. Lib. VI. cap.* 11. Argentr. *hiſtoire de Bretagne Lib. XII. cap.* 21.

§. CCCXXXXVII.

Et in legibus nouis ſaepe memoratur.

Atque inde factum eſt, vt ſupremae huius tutelae, recepto etiam iure Romano, paſſim fiat mentio in legibus Germanicis recentioribus. De Wurtenbergiae Ducibus auctor eſt Besoldvs *Theſaur. pract. voce Burgemeiſter vnd Gericht. p.* 124. eos hoc ſibi munus libenter tribuiſſe, et in reſcriptis ſe frequenter vocaſſe *obriſte Vormundere.* Similia loca reperias apud Wvrffbain. *Different. iur. ciuil. et Norib. Claſſ. II. §.* 7. Lvdewig. *Opuſc. Tom. II. p.* 1177. in Ord. Pol. Magdeb. *cap.* 43. *§.* 1. const. tvtel. Prvss. *praefat. p.* 2. Willenb. *de iure perſ. ducat. Oppol. et Ratib. cap.* 4. *§.* 3. *p.* 41.

§. CCCXXXXVIII.

Tutela haec ſuprema in feudis fuit fructuaria.

Ceterum tutela illa ſuprema principum et magiſtratuum, quod ad allodialia bona attinet, non niſi in eo erat polita, quod reliqui tutores, ab iis confirmati, eorum vice fungerentur, et tum perſonas pupillorum defenderent, tum eorum bona adminiſtrarent. Si vero feudum haberet pupillus, principi ratione illius competebat tutela fructuaria, iſque praeter ea, quae educationi pupilli impendenda eſſent, fructus feudi omnes capiebat. Ivs Prov. Sax. *Lib. II. Art.* 58. *Vnd hat ſich das kind noch nicht bejahret, ſo nimmt der Lehen-Herr die frucht herab.* Ivs Svev. *cap.* 224. *§.* 2. *Vnd hat er das gut zu lehen von einem Herrn, ſo wird dem Herrn das geld, das gut behâlt er.* *

* Haec tutela in vaſallos fructuaria etiamnum obtinet in Normannia, vocaturque *la garde noble royale.* Car. dv Fresne *Gloſſar. Lat. voce cuſtodia*, nec non in Anglia, de qua Io. Cowell. *Iur. Angl. Lib. I. tit.* 17. *§.* 1. *p.* 34. Crag. *iur. feud. Lib. II. d.* 20. *p.* 284. Polyd. Vergil. *Hiſt. Angl. Lib. XVI. p.* 570. Exſtat diploma Henrici, Reg. Rom. ſcriptum anno 1221. apud Miraevm *Donat. Belg. Lib. I. cap.* 95. et Christoph. Bvtkens. *Troph. Brabant. in probat. p.* 68. primo Lotharingiae ac Brabantiae Duci datum, in quo et haec legimus: *Adhaec itidem per ſententiam fuit duci adiudicata* tvtela parvvlorvm, *vſque ad duodecimum annum, de feudis, quae ab ipſo tenentur.* Simile ius Archiepiſcopo Treuirenſi anno 1373. conceſſit Carolus IIII. Imp. in diplomate apud Limn. *iur. publ. Tom. I. Lib. III. cap.* 5. vbi Archiepiſcopo illi confirmatur *merum et mixtum imperium, cum attinentiis in iurisdictionibus, quae Freiengereide* (legendum videtur *Freyen-Gerichte*, vel *Freyengedinge*) *vocantur, pariterque* ivs tvtelae *exercendae vaſallorum ſuorum impuberum.* Electorem hoc iure etiamnum vti, docet auctor

ctor *des Europ. Herolds Part. I. p.* 280. *ibid. p.* 287. Rationes vero iuris huius reddit CRAG.

§. CCCXXXXVIIII.

Quum vero nec principes, nec magiſtratus ipſi, gerere ac adminiſtrare poſſent: ipſa ſane neceſſitas exigebat, vt alii tutores, qui eorum vice pupillos ac minores defenderent, eorumque bona curarent, conſtituerentur. Hi vero vetere iure vel LEGITIMI erant, vel DATIVI. *Teſtamentarii* eo magis erant veteribus Germanis ignoti, quo minus ipſa teſtamenta quotidiani vſus eſſent. * Sed eorum loco tamen tutores PACTITIOS, vel conuentione conſtitutos, vſu receptos fuiſſe, ſatis conſtat exemplo Dagoberti, Regis, qui, *quum vitae ſuae ſentiret periculum, Aeganem ſub celeritate ad ſe venire praecepit, et ſe iam diſceſſurum ſentiens, reginam, Nantildem, et filium ſuum, Chlodouaeum, eidem* IN MANV COMMENDANS, *conſilium Aeganae pergratum habuit, quod cum eius inſtantia regnum ſtrenue gubernare poſſit.* FREDEGAR. *Chron. cap.* 79. Tutores Germanorum reliqui vel pactitii.

* Hinc antiquiſſimum, quod in antiquitatibus Germanicis occurrat, tutelae teſtamentariae exemplum SCHILTERVS *Exerc.* 37. §. 39. eſſe exiſtimat illud Ludouici Barbati, Electoris Palatini, fato functi anno 1437. Sed exempla multo antiquiora, ex ipſo ſaeculo XI. collegit doctiſſimus HERT. *de ſpecial. Rom. Germ. imp. rebusp. earumque cauſſ. et ſig. Sect. II.* §. 17. faſſus tamen, haec et ſimilia exempla Principum receptionem vniuerſalem eo tempore non probare. Prius enim principes, quam priuatos, iure ciuili Romano viuere coepiſſe, iam alibi obſeruauimus.

§. CCCL.

Praecipua itaque in Germania fuiſſe videtur TVTELA PACTITIA, praeſumentibus legibus, parentes optimum pro liberis capere ſolere conſilium, nec vllis commendaturos pupillos ſuos, quam quorum fidem atque induſtriam exploratam perſpectiſſimamque haberent. Deficiente vero tutore pactitio, proximus agnatus id munus ex lege ſuſcipiebat, ac proinde verus vel legitimus tutor, (*der rechte Vormund*,) vocabatur. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 23. et IVS FEVD. SAX. *art.* 26. Vel legitimi.

§. CCCLI.

In hanc tutelam legitimam, et quidem agnatorum, leges Germanicae tantum non omnes conſenſerunt: niſi quod pleraeque matrem reliquis propinquis praeferrent, non quod id a Romanis didiciſſent, * ſed quod ex iuris Germanici principiis ma- Quibus praeferebatur mater.

tri non minor poteſtas eſſet in liberos, quam patri, vtriuſque vero poteſtas in *mundio*, ſeu tutela, conſiſteret. (§. 138. 4. 5.) Matrem ſane, ſi ad ſecunda vota non tranſiret, tutricem eſſe liberorum voluit Lex Bvrg. *tit.* 59. et 85. et Wisigoth. *Lib. IIII. tit.* 3. §. 3. Idem mos et poſtea in ipſa Germania viguit, ceu docet exemplum Agnetis, penes quam, Henrico III. Imp. marito mortuo, relictoque filio impubere, Henrico IIII. *ſumma rerum, et omnium, quibus facto opus erat, adminiſtratio remanebat*: Lamb. Schafnab. *ad ann.* 1056. nec non viduae Adolphi II. Comitis Holſatiae, quo anno 1164. a Slauis occiſo, *illa cometiam Holſatiae, Sturmariae et Wagriae adminiſtrabat cum filio adhuc tenello.* Helmold. *Chron. Slau. Lib. I. cap.* 7. Add. Eyben. *de tut. fem. Part. II. membro* 2. *n.* 7.

* Equidem haec tutela materna plane Romana vel ideo videri poſſet, quod tum Burgundica lex, tum Wiſigothica, matri, ſecundas nuptias adfectanti, tutelam abiudicat: idque accurate conuenit iuri Romano, *Nov. CXVI. cap.* 5. Sed hoc ipſa recta ratio docuit gentes Germanicas, ſatis edoctas experientia, non multum a nouerca differre matrem, quae in alterius mariti amplexus ruit, eamque vna cum prioris mariti memoria plerumque et amorem erga liberos deponere, quin, ſi vel maxime eos eadem, ac antea, pietate proſequeretur, non poſſe tamen eorum vtilitatibus ſuo arbitrio ſtudere, mariti mundio ac poteſtati ſubiectam.

§. CCCLII.

Ea deficiente, legitimi tutores erant agnati.

Poſt matrem proximi ad tutelam erant agnati, quos pleraeque leges praeferebant cognatis, et ita quidem, vt e pluribus eiuſdem gradus natu maiori prae reliquis id munus deferretur. Equidem lex Langob. *Lib. II. tit.* 25. §. 4. generatim ſtatuit, *vt, mortuo patre, legitimus propinquus paruulo iuſte tutor ac defenſor eſſet*, quae repetuntur etiam in capitvlar. *Addit. IIII.* §. 19. *p.* 1219. *Tom. I.* at lex Wisig. *Lib. IIII. tit.* 3. §. 3. tutelam legitimam primo decernit matri, deinde, ea iterum nubente, fratri pupillorum ſeniori, modo is annum aetatis viceſimum attigerit, hinc porro patruo, ac denique patrui filio, adeoque agnatis tantum. Denique ex lege Sax. *tit.* 7. §. 5. tutela filiarum fratri vel proximo paterni generis deferebatur. *Sin mater, filium habens, nupſiſſet, filiamque genuiſſet, tutela filiae non ad filium prius genitum, ſed ad fratrem patris vel ad proximum eius pertinebat.*

§. CCCLIII.

Haec quoque

Seruarunt id principium poſteri, et ita quidem, vt agnatus ille,

ille, qui legitimam pupillorum tutelam ſuſcipiebat, vel plane non redderet rationes, et alimenta tantum pupillis conſtitueret, vel vſumfructum partis ſaltim bonorum pupillarium perciperet. * Hinc quamuis LEX WISIGOTHICA *Lib. IIII., tit.* 3. §. 3. boni viri arbitratu adminiſtrari res pupillares, et damna, tutorum culpa data, reſarciri iubeat: ei tamen *de fructibus partem decimam praeſumendi* facultatem non negat. Id quod et hodie in Hiſpania obſeruari, ex ſcriptoribus Hiſpanicis probat ill. a LVDEWIG. *in diff. iur. Rom. et Germ. in fruct. attrib. tut. fruct. diff.* 1. *p.* 1206. *Tom. II. Opuſc.* tutela fructuaria apud Wiſigothos.

* Multo magis itaque tutela materna erat fructuaria, quippe quum matrem, tamquam matrem, etiam ex puberum liberorum bonis vſumfructum, mortuo patre, cepiſſe, ſupra probauerimus (§. 139. 4.) Conf. *differt. noſtr. de vſufructu materno iuris Germ. in primis Hamburgenſis.* et ill. a LVDEWIG. *diff. iur. Rom. et Germ. de tutela mat. diff.* 16. *p.* 1157. *ſequ.*

§. CCCLIIII.

Eodem iure in ipſa Germania vſi ſunt tutores legitimi. * Quod ſicuti ex ipſa LEGE SAXON. *tit.* 7. §. 4. quodammodo collegit GAERTNER. *in Notis p.* 75. ita IVRE PROV. SAX. id multo clarius expreſſum eſt *Lib. I. art.* 23. *Wo die Söhne binnen ihren Iahren ſeyn, ihr älteſter ebenbürtiger Schwerdmage nimmt das Heergewette, vnd iſt der Kinder Vormund daran, bis ſie zu ihren Iahren kommen. So ſoll ers ihnen darnach wiedergeben, dazu auch alles ihr gut.* Et paullo poſt: *Dem, ſo des Kindes erbe iſt, ſoll ſein Vormund von Iahr zu Iahr des Kindes gut berechnen. Wo aber der Vormund auch Erbe mit iſt, ſo darff er niemand des Kindes Gut berechnen.* Necnon apud reliquas gentes Germanicas.

* Similia ſunt ſtatuta ducatus Oppeliae et Ratiboriae in Sileſia, quae tutori tertiam fructuum partem adſignant. SCHIKFVS. *Chron. Sileſ. Lib. III. p.* 464. WILLENB. *de iure perſon. ducat. Oppol. et Ratibor. cap.* 4. §. 7. *p.* 44. Contra pleniſſimum vſumfructum bonorum pupillarium omnium tutoribus in Morauia competere, teſtatur BETSIVS apud ill. a LVDWIG. *ibid. p.* 1210. Quin Francos olim ſimili iure vſos eſſe, vel inde patet, quod eo et hodie in Gallia vtuntur Bituricenſes, Aurelianenſes, Andegauenſes, Burgundi, Pariſini, quorum conſuetudines recenſuit laudatus a LVDEWIG, *ibid., p.* 1206. *ſequ.*

§. CCCLV.

Non exſtante legitimo tutore, vel eo adminiſtrationi parum idoneo, et in Germania tutor a magiſtratu DABATVR. LEGE enim Tutor datiuus.

enim Wisig. *ibid.* cautum eſt primum, *vt ſi nec patruus, nec patrui filius, qui digne tutelam ſuſcipiat orphanorum, fuerit, tunc tutor ab aliis parentibus in praeſentia iudicis eligatur*, deinde, vt is repertorium conficiat bonorum pupillarium, a quinque teſtibus ſubſcribendum, omneque damnum, culpa ſua datum, reſarciat. Ex quo patet, hanc tutelam apud Wiſigothos, non fuiſſe fructuariam. Quod et de Francis videtur dicendum, apud quos tutorum datio ad comitum potiſſimum officium pertinere videbatur. Capitvl. *Lib. IIII. §.* 16.

§. CCCLVI.

Omnes tutores auctoritate magiſtratus adminiſtrabant.

Enimuero, quum hi tutores omnes, ſiue pacto, ſiue vltima parentum voluntate, ſiue lege; ſiue magiſtratus arbitrio, conſtituti, non tam ſuo quam magiſtratuum, nomine adminiſtrarent, (§. 341. *) facile patet, eos non fungi potuiſſe hoc munere, niſi publica auctoritate iis commiſſa fuiſſet adminiſtrandi facultas. Quem morem Germanorum antiquiſſimum eſſe, ſatis patet ex formvl. Sirmond. *cap.* 24. et Lindenbrogii *cap.* 74. vbi et legitimus tutor a magiſtratu confirmatur. *

* Vtraque formula eſt eadem, tantoque notatu dignior, quod ea agat de tutela legitima *ex lege Romana.* Sane enim, quum ius Romanum confirmationem ignoret, niſi tutorum teſtamento datorum, eamque ne tunc quidem ſemper exigat, ſed eo tantum caſu, ſi quis, cui non eſt ius dandi tutorem, vel ei, qui emancipatus eſt, vel codicillis, teſtamento non confirmatis, tutorem dediſſet: §. *vlt. Inſt. qui teſt. tut. dant.* Germani omnes, etiam legitimos, auctoritatem a magiſtratu tutelari habere, et ne illos quidem, quos lege Romana viuere patiebantur, exceptos voluerunt.

§. CCCLVII.

Feminae etiam in tutela viuebant.

Hactenus de tutela pupillari. Praeter pupillos in tutela etiam viuebant mvlieres, quantumuis adultae, et quidem vel maritorum, quorum de tutela iam ſupra diximus, (§. 282. ſequ.) vel propinquorum, vel extraneorum. Meminerunt huius tutelae mulierum diplomata. *Mundwaldus Gundae*, qui eam feminam Siſenando deſpondit, occurrit apud Mabillon. *de re dipl. Lib. VI. n.* 4. *Hilla cum ſuo electo mundiburdo, et ſibi iudicialiter dato*, apud Fridr. Sande *de effeſtucat. cap.* 2. Quin apud Goldastvm *ſcript. rer. Alam. Tom. II. p.* 26. 27. *edit. nou.* Engeltruda et Wolaliub manumittunt ſeruos, illa *cum Richaldo, aduocato ſuo*, haec *cum manu aduocati ſui Engilboldi.* *

* Idem

* Idem GOLDASTVS *ad Doſich. ſent. Hadr. p.* 862. *edit. Schulting.* producit chartam Cotawinae, ancillae Dei, quam ſignarunt plures, praeter Cotavvinam, veluti *Wichardus*, TVTO, *Wotabar*, et alii. Ibi illud TVTO accipit pro *tutore* Cotavvinae, miraturque, nomen illius non adſcriptum eſſe, quum id neceſſarium habeatur iure Alamannico nouo. Qualia etiam legas ap. EV. OTTONEM *de perp. fem. tut. cap.* 2. §. 6. p. 237. *ſequ.* Aſt TVTO ibi non eſt *tutor*, ſed *Tuto*, nomen proprium, Alamannis ſatis familiare, ceu patet ex catalogo veterum nominum propriorum, edito ab ipſo GOLDASTO *ſcript. rer. Alam. Tom. II. p.* 109. Vid. *diſſ. noſtr. de marito tut. vel curat. vxor. legit. cap.* 2. §. 7.

§. CCCLVIII.

IVRE SAXONICO vxor erat in tutela mariti, eo vero mortuo, agnatus proximus non mariti, ſed viduae, tutelam eius ſuſcipiebat, praeterquam ſi liberi exſtarent, ſiquidem tunc proximus liberorum agnatus et horum, et ſimul vxoris tutela fungebatur. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 48. *Wann der Mann ſtierbt, ſo iſt ſie ledig von ſeinen Rechten, vnd behält dann ihr ſelbſt Recht, nach ihrer Geburt. Vnd darum muſs auch ihr Vormund ſein ihr nächſter ebenbürtiger Schwerdmage, vnd nicht ihres Mannes. Et Art.* 23. *Der Kinder älteſter Schwerdmage nimmt das Heergewett alles zu ſich, vnd iſt der Kinder Vormund daran, bis ſie zu ihrem Iaren kommen --- Er iſt auch der Wittwe, oder des Kindes Mutter Vormund, bis daſs ſie einen Mann nimt, der ihr ebenbürtig iſt.* Similia ſunt in SPEC. SVEVICO *Art.* 106. *edit. Schannat.* Etiam inſequentibus temporibus.

§. CCCLVIIII.

At tutores iſti adultarum, ſecus ac mariti, tantum auctoritatem interponebant, non adminiſtrabant, adeoque nec vſumfructum percipiebant, niſi quod pretium nuptiale vel pecunia pro muliere data, nec non mulctae, pro rapta, ſtuprata, vel occiſa muliere praeſtandae, ex quarumdam Germanicarum legum praeſcripto tutoribus adultarum legitimis cederent. LEX SAX. *tit.* 7. §. 3. LEX FRIS. *tit.* 9. §. 9. *et* 11. LEX LANGOB. *Lib. II. tit.* 2. §. 2. *ſequ.* * An tutores feminarum vſum fructum perceperint.

* Attamen et mulierum tutores bona aliquando adminiſtraſſe, et inde fructus percepiſſe, patet ex SPEC. SVEV. *Art.* 276. *pr.* vbi feminae, cuius bona tutor interuerit, datur actio ſuſpecti, additurque, eum ſi ter citatus iudicio ſe non ſtiterit, remouendum eſſe a tutela. Vbi in editione BERGERIANA *p.* 71. *ſequ.* legimus: *Der Richter ſoll ihn mit vrtailen balmunden, das iſt alſo geſprochen, man ſoll im Vrtailen all Vormundſchafft, vnd all* PFLEG NVZZ. Pro quo in editionibus MEICHSNERI et SCHANNATI *Art.* 113. *p.* 231. eſt: *Vnd alle Voigtey.*

§. CCCLX.

§. CCCLX.

Definitiones vtriusque tutelae.

Itaque TVTELA IMPVBERVM et MINORVM iure Germanico eſt vis et poteſtas, competens propinquis vel mariti, vel iis, quibus princeps, aut magiſtratus, illam commiſit, in eum eamue, qui quaeue patre orbus, vel orba nondum iuſtae aetatis eſt, non ſolum cum officio defendendi eorum perſonas, adminiſtrandique facultates, ſed et ſaepe cum vſufructu omnium bonorum, et onere alendi pupillum pupillamue coniuncta, * TVTELA denique MVLIERVM innuptarum eſt poteſtas, auctoritatem interponendi rataque habendi acta geſtaque ab illis mulieribus, ex quibus damni quid ſentire poſſent.

* Idque volunt vocabula omnia, quibus tutores a Germanis notantur. Solent enim in medii aeui monimentis vocari *mundvvaldi*, *mundiburdes*, *aduocati*, *pfleger*, *ſicherboten*, *vormunde*, *vögte*, *behalter*: et hodie *momboirs*, *gerhabere*, *treuettraeger*, ill. a LVDVVIG. *diſſ. iur. Rom. et Germ. de tutelis. diſſ. I. p.* 1074. *Tom. II. opuſc.* et apud SPECVLATOREM SVEVVM *art.* 106. *edit. Schannati* VERCHANT, quamuis in *diſſ. de marito tut. vxor. legit. cap.* 2. §. 9. ſuſpicati ſimus, in mendo cubare illum locum, legendumque eſſe *gerhabens*. Codex ſane, ex quo ius illud ALAMANNICVM edidit ill. IO. AVG. NOB. DOM. a BERGER *p.* 39. non habet *verchant*, ſed *pfleger*, quemadmodum in MEICHSNERIANA editione *cap.* 262. §. 3. eſt *Vormunde*. Danis tamen et Norvvagis olim tutorem dictum eſſe *Verger*, docet OOSTERSON in *Gloſſ. iur. Dan. p.* 578. apud LVDEVV. *ibid. p.* 1075. Addimus, et BAIVLOS olim dictos eſſe tutores, non modo in Francia, et vicinis prouinciis, ex quorum ſtatutis plura, quae huc pertinent, loca iam adduxit CAR. DV FRESNE *Gloſſar. Tom. I. p.* 435. verum etiam in Germania: ſiquidem id ipſum vocabulum exprimit Germanicum *Treues-traeger*, quod alicubi obtinet.

§. CCCLXI.

Axiomata.

Quae quum ita ſint, facile patet, I. Germanos, recepto licet iure Romano, non omnino tamen ſe adſtrinxiſſe termino minorennitatis iuris Romani, ſeu legis quinaeuicennariae. II. Apud eos principes et magiſtratus et hodie eſſe tutores pupillorum pupillarumue ſupremos. III. Praeter tutelam TESTAMENTARIAM, (quam iuri Romano debent,) LEGITIMAM et DATIVAM, Germanos etiam PACTITIAM non ignorare. IIII. Maiorem eſſe tutorum in Germania poteſtatem, quam apud Romanos, * nec V. tutelam Germanis vbique eſſe gratuitam, quin VI. ne vſumfructum quidem tutorum legitimum vbique hodie exoleuiſſe.

* Rem

* Rem ipſam infra demonſtrabimus pluribus. Vt vnico iam exemplo hanc doctrinam illuſtremus: apud Romanos teſtamentarium tutorem repellere non poterat praetor: immo ne confirmatio quidem eius neceſſaria videbatur omnibus, ſed iis tantum teſtamentariis, qui non recte dati eſſent, ſiue is dediſſet, cui dandi ius non erat, ſiue ei, qui non eſſet in teſtatoris poteſtate; ſiue non teſtamento, vel codicillis teſtamento confirmatis, ſed codicillis inteſtati tutor datus eſſet. *l.* 1. §. 1. *ff. de conf. tut.* At Germani non patiuntur quemquam adminiſtrare tutelam, niſi confirmatum a magiſtratu, nec hunc abſciſſe cogunt ſine inquiſitione confirmare eum, quem pater teſtamento tutorem dederat: ſed cuiuis magiſtratui dant facultatem, teſtamento datos, at tutelae gerendae minus idoneos, repellendi, aliosque dandi huic obeundo muneri pares. Id quod ex ſuprema principum ac magiſtratuum tutela repetendum eſſe, alibi obſeruauimus. Vid. §. *ſequ.*

§. CCCLXII.

Ex primo itaque axiomate (§. 361. 1.) ratio poteſt reddi; (1. cur hodie in Saxonia, et vbi ius Saxonicum viget, annus 21. * CARPZ. *Part. II. Conſt.* 11. *def.* 9. (2. alibi, et maxime in ſuperiore Germania, annus 20. (3. alibi annus 18. completus ſit terminus minorennitatis. (4. Cur iure Germanico non alia minorennium ac impuberum, ſit conditio, et (5. quamuis ſtatuta quaedam hoc diſcrimen ex iure Romano adoptarint, quin (6. in Marchia, terris Brunſuicenſibus, aliiſque locis, iuuenes ex praeſcripto iuris Romani ad annum vſque viceſimum quintum minores habeantur: tamen (7. in eo omnes conſentiant, quod inter tutores et curatores nihil paene ſtatuant diſcriminis, ſed hi, finita tutela, eadem plerumque auctoritate, ac antea, adminiſtrationem ad legitimam vſque aetatem continuent. GAIL. *Obſeru. III.* 66. CHRISTIN. *Vol. III. dec.* 148. *n.* 14. GROT. *introd. in ius Belg. Lib. I. cap.* 7. *n.* 1. CARPZ. *Part. II. Conſt.* 11. *def.* 10. Anni minorennitatis moribus hodiernis.

* Exſtat locus ARISTOTELIS *Polit. Lib. VII. cap.* 17. vbi ſimilis fere aetatis diuiſio occurrit, annusque XXI. pro termino minorennitatis haberi videtur. Ait enim philoſophus: Δύο δ' εἰσὶν ἡλικίαι, πρὸς ἃς ἀναγκαῖον διῃρῆσθαι τὴν παιδείαν, μετὰ τὴν ἀπὸ τῶν ἑπτὰ μέχρι ἥβης, καὶ πάλιν μετὰ τὴν ἀφ' ἥβης μέχρι τῶν ἑνὸς καὶ εἴκοσιν ἐτῶν. *Duae autem ſunt aetates, ad quas neceſſe eſt diuiſam eſſe diſciplinam: poſt illam, quae incipit a ſeptem vſque ad pubertatem: et rurſus poſt eam, quae a pubertate vſque ad vnum et vigeſimum annum.* Enimuero non de annis impubertatis et minorennitatis loquitur ARISTOTELES, ſed de annis, diſciplinae ac inſtitutioni adoleſcentium aptis: et alienam ſententiam ibi recenſere videtur, quam tantum abeſt, vt ſuam faciat, vt ſtatim ſubiungat: Οἱ ταῖς ἑβδομάσι διαιροῦντες τὰς ἡλικίας, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, λέγουσιν οὐ καλῶς. Δεῖ δὲ τῇ διαιρέσει τῆς φύσεως ἐπακολουθεῖν. *Qui ſeptenario numero diuidunt aetates, fere non recte dicunt. Decet enim ſequi naturae diuiſionem.*

Quam-

Quamobrem ratio fugit HVLD. MVTIVM qui *Lib. XII. rer. Germ. p. 715.* ex his ſimilibusque colligit, Graecorum leges ab aliquo, qui philoſophiam in Graecia audiuerat, in Saxoniam illatas eſſe. Quaſi Saxonibus iis temporibus, quibus leges eorum vel conſuetudines inoleuerunt, quidquam cum Graecis commercii fuerit. Lirae, lirae, aedepol lirae!

§. CCCLXIII.

Tutorum omnium confirmatio.

Quumque et hodie apud Germanos principes et magiſtratus ſupremi pupillorum pupillarumque tutores ſint: (§. 361. 2.) facile patet, (8. cur in Germania omnes tutores, ſiue legitimi ſiue datiui, * ſiue teſtamentarii, ſiue pactitii ſint, confirmatione indigeant, REF. POLIT. *anni* 1548. *tit.* 31. *§.* 2. *et* 1577. *tit.* 32. *§.* 2. (9. nec prius cuiquam ſit ius adminiſtrandi tutelam, quam confirmatio illa ſequuta ſit, nec (10. ad legitimationem tutoris ſufficiat productum teſtamentum, quo tutor datus eſt, nec demonſtrata ſanguinis propinquitas, ſed opus ſit productione tutorii. STRYK. *vſ. hod. Digeſt. Lib. XXVI. tit.* 3. *§.* 6. BERGER. *Oeconom. Iur. Lib. I. tit.* 4. *p.* 160. (11. Cur tanta ſit magiſtratuum noſtrorum poteſtas, vt et teſtamento datos, et legitimos, ſi e re pupilli videatur, praeterire, alioſque magis idoneos poſſint conſtituere. THOMAS. *not. ad Inſt. Lib. I. tit.* 14. *p.* 78.

* In dubium id vocat laudatus STRYKIVS *ibid.* §. 4. quia magiſtratus iam eo ipſo, dum aliquem tutorem dedit, eumdem etiam confirmaſſe intelligatur. Sed RECESSVS IMPERII laudati confirmationem exigunt tutorum omnium, *ſie ſeyn gleich in teſtaments weiſe verordnet, oder durch das Recht, oder* RICHTER *gegeben.* Et quis ignorat, diuerſos actus eſſe tutoris dationem et confirmationem? Vid. *diſſ. noſtr. de ſupr. princ. et magiſtr. tut.* §. 21.

§. CCCLXIIII.

Tutores an in Germ. petendi?

Ex eodem axiomate intelligimus, (12. cur, quum apud Romanos petendi eſſent tutores, *tot. tit. ff. qui pet. tut. vel curat.* in Germania magiſtratus, etiam non rogati, ipſis officii legibus obſtricti ſint ad tutores pupillis conſtituendos. REC. IMP. *iidem ibid.* IVS TVTEL. PRVSS. *art.* 31. (13. Cur adoleſcentes apud nos vere etiam inuiti accipiant curatores, quippe inter quos et tutores iure Germanico nihil diſcriminis eſt, (§. 340.) nec (14. opus ſit colore iſto; * quo Romani vtebantur, vt adoleſcentibus, non niſi volentibus, petentibus, ac deſiderantibus, curatores conſtituere viderentur. *§.* 2. *Inſt. de cur. l.* 13. §. 2. *D. de tut. et cur. dat. l.* 2. *§. pen. D. qui pet. tut.*

* Ali-

* Alibi docuimus, curatores Romae adoleſcentes non accepiſſe inuitos; ſed petentes, ne forte furioſis vel prodigis, qui ſoli ex lege XII. Tab. curatores accipiebant, aequiparari viderentur. Enimuero vt curatores peterent adoleſcentes, obſeruauimus, Romanos *ante rerum ſuarum adminiſtrationem iis non commiſiſſe, quamuis* BENE REM SVAM GERENTIBVS, *l.* 1. §. *vlt. D. de minor. nec officium tutorum, niſi curatoribus conſlitutis, eos finem accipere voluiſſe*, *l.* 33. §. 1. *D. de adm. et per tut.* Sed haec omnia ceſſant apud Germanos, quibus idem eſt tutoris et curatoris officium, nec exiſtimationi minorennium vllum imminet periculum, maxime quum veluti tacite continuetur tutela, ac proinde qui tutor fuit, idem et curam ſine noua conſtitutione adminiſtret. (§. 340.)

§. CCCLXV.

Nec aliunde, quam ex ſuprema illa principum magiſtratuumque tutela explicare licet, (15. cur, quum iure Romano, finita demum adminiſtratione, rationes reddat tutor, et ſi ea in re ceſſet, actione tutelae ad id ſit compellendus: iure Germanico, et durante adhuc tutela, quin quotannis, rationes reddi oporteat: * IVS PROV. SAX. *Lib. I. Art.* 23. WEICHB. *Art.* 49. REFORM. POLIT. *ann.* 1548. *tit.* 33. §. 3. *et ann.* 1577. *tit.* 31. et (16. ſi moras nectat tutor, magiſtratus eum ex officii lege recte ad id compellat. Rationes reddendi officium.

* Qua in re omnium fere gentium Germanicae originis leges et ſtatuta conſentire, obſeruauit iam GISBERT, *Peric. II. Statut. Lib. I. tit.* 24. *n.* 30. In mores ſane id iuit etiam apud Belgas, teſtibus GROT. *Manuduct. Lib. I. cap.* 9. *n.* 18. SIM. VAN LEVVEN. *Cenſ. for. Lib. I. cap.* 18. *n.* 1. VINN. *ad* §. 7. *Inſt. de Atil. tut.* ſub finem. ZYP. *notit. iur. Belg. p.* 179.

§. CCCLXVI.

Ex tertio axiomate (§. 361. 3.) colligimus, (17. adoptata licet tutela TESTAMENTARIA, non tamen omnia, quae ius Romanum de illa tutela ſtatuit, eſſe in Germania recepta, et hinc, (18. quamuis tutor codicillis, teſtamento non confirmatis, ſeu ab inteſtato, iure Romano dari nequeat, aliter tamen ſe rem habere multis locis. Quod apud varias gentes frequenter fieri, teſtatur SIM. VAN LEVWEN *Cenſ. for. Lib. I. tit.* 16. *n.* 4. (19. Minime omnium magiſtratus Germanorum ſuſpendi paſſuros eſſe tutelam, furioſis, minoribus, ſurdis et mutis teſtamento deſtinatam, ſed mox alios daturos, qui non deponant tutelam, ſi vel maxime illi teſtamento dati iuſtam aetatem attigerint, vel adhuc furioſi reſipiſcant, vel ſurdi et muti auditum et loquelam recipiant. Tutelae teſtamentariae apud Germanos indoles.

piant. THOMAS. *not. ad tit. Inſt. qui teſt. tut. dar. poſſ. p.* 79. *ſequ.* (20. Analogiae etiam iuris Germanici non repugnare tutores, ad certam cauſſam datos. * SIM. VAN LEUW. *ibid. n.* 5. BEYER. *diſſ. de tut. et curat. diff.* §. 22. ſecus ac iure Romano. *l.* 12. *ſequ. D. de teſt. tutel.*

* Atque hinc eſt, quod et tutelas electorales diuidi in Germania poſſe, cenſent viri reip. patriae peritiſſimi, et maxime ill. HENR. DE COCCEIIS *diſſ. de tutelis illuſtr.* Quis enim dubitauerit, quin ſi forte ſacrorum diſcrimen, vel aliae iuſtae cauſſae impediant; quo minus agnato tutela pupilli ſine periculo credi poſſit, agnato ex praeſcripto aureae bullae relinqui poſſit tutela electoralis, id eſt ius ſuffragandi in ſplendidiſſimo electorum collegio, et tamen perſona electoris adhuc impuberis et prouinciarum electoralium adminiſtratio vel teſtamento vel pacto credi poſſit alii, ſiue agnato remotiori ſiue extraneo, ſiue ipſi matri? Magni ſane momenti ſunt, quibus hanc doctrinam ſuperſtruxit auctor illuſtris, isque qui tum ingenii vires periclitatus eſt, et futurae magnitudini praeluſit, vir illuſtriſſimus, MARQV. LVD. DE PRINZEN, cuius memoria his prouinciis, quoad fuerint homines, venerabilis erit ac ſacroſancta.

§. CCCLXVII.

Nec non pactitiae.

Quemadmodum porro rariora olim Germanorum teſtamenta erant, et hinc non infrequens tutela PACTITIA: (§. 357. 3.) ita facile reddetur ratio, (21. cur et nouiſſimis temporibus tutela pactitia analogiae iuris Germanici non minus conſentanea ſit, quam pacta ſucceſſoria, ac proinde (22. plura huiuſmodi exſtent exempla illuſtria, qualia recenſent illuſtr. a LVDEWIG *tom.* II. *Lib.* IIII. *opuſc.* 3. *diſſ.* 4. *litt. yy.* LEYSER. *medit. ad Pand. Tom.* V. *Spec.* 328. *p.* 449. Attamen, (23. et hos tutores confirmatione indigere, nemo dubitauerit, niſi quod per priuilegium eam aliquando remiſſam eſſe, legamus. * MVLLER. *annal. Sax. ad ann.* 1602. *p.* 231.

* Debemus et hanc obſeruationem laudatiſſimo LEYSERO *ibid. p.* 461. vbi ex MVLLERI *Annalibus Sax.* adducit exemplum Friderici Guilielmi, Ducis Saxoniae, qui morti proximus Chriſtianum II. Electorem literis humaniſſimis rogauerat, vt filiorum ſuorum tutelam ſuſciperet. Electorem etiam, multis fatigatum precibus, aegre id onus ſubiiſſe, fertur, at nunquam tamen eum de Caeſaris confirmatione fuiſſe ſollicitum, *weil dergleichen in dem Chur- und Fürſtlichen Hauſe Sachſen nicht bräuchlich ſey.*

§. CCCLXVIII.

Itemque maternas.

Sicuti porro tutela MATERNA olim apud Germanos maximum habebat fauorem, et plerumque mater reliquos agnatos, qui

qui alioquin a lege vocabantur, excludebat: (§. 351.) ita (24. hiſce moribus et hodie viuimus, adeo vt (25. et in feudis, et (26. in ipſis principatibus, mater ſaepe tutorio nomine adminiſtret. (Vid. illuſtre exemplum Alberti II. Elect. Sax. quem in matris Helenae Brunſuicenſis tutela fuiſſe ſaeculo XIII. ex diplomate, anno 1269. ſcripto, oſtendit illuſtris a LVDEWIG *diſſert. de diff. iur. Romani et Germ. in tutel. mat. diff. 1. not. b b.*) Quin (27. non modo auiae, ſed et (28. aliis feminis cognatis, quas ſpes eſt bene conſulturas pupillis, haec tutela defertur, ceu docent exempla, collecta a STRYK. *diſſ. de tutela materna principum imp. cap. 2. §. 7. et* LEYSERO *Meditat. Tom. V. Spec.* 331. *p.* 479. Quum vero praeterea (29. non vbique exigatur renunciatio SCi Velleiani: SIM. VAN LEVWEN *cenſ. for. Lib. I. cap.* 16. §. 12. THOMAS. *Not. ad Pand. Lib. XXVI. tit.* 4. *pag.* 252. facile patet, (30. tutelam hanc feminarum Germanos non ex iure Romano primum accepiſſe, ſed a maioribus, ſibi veluti per manus traditam, retinuiſſe. * SCHILT. *Exerc. XXXVII. theſ.* 56. *ſequ.*

* Id et inde patet, quod cum alias, nec qui ipſe in tutela eſt, nec minorennis, tutela recte fungatur: §. 5. *Inſt. qui teſt. tut.* mater tamen et minorennis, et iis locis viuens, vbi femina ſine curatore nihil recte agit, tutelam liberorum ſuſpiciat, dum ipſi adiungantur, quorum conſilio et auctoritate tutelam adminiſtret. Obtinet hoc ius apud Britones, ARGENTR. *art.* 480. *gl.* 3. *n.* 1. Bauaros, BALTHAS. *pract. reſol. tit.* 5. *reſol.* 3. Saxones, CARPZ. *Part. III. Conſt.* 11. *Def.* 12. Belgas, SIM. VAN LEVW. *Cenſ. for. Lib. I. tit.* 16. § 12. quin in vniuerſa Germania, iudicibus BRVNNEM. *ad l. vlt. C. de legit. tut. n.* 2. EYBENIO *de fem. tut. membr.* 4 §. 8. *p.* 339. ill. a LVDEVV. *diſſ. de differ. iur. Rom. et Germ. in tutela materna diff.* 7. *not. rr. p.* 1138. *Tom. II. Opuſc.*

§. CCCLXVIIII.

Et reliquarum legitimae tutelae ſpecierum.

Idem et generatim de tutela LEGITIMA obſeruandum, (31. eam nimirum Germanos non primum ex iure Romano didiciſſe, ſed ex iure potius vetere Germanico retinuiſſe, ac proinde (32. iis locis, vbi ius Saxonicum viget, etiamnum agnatos, *die Schwerdmagen*, praeferri cognatis, *denen Spillmagen*, et, (33. ex pluribus eiuſdem gradus maiori natu tutelam deferri, SCHILT. *Exerc. XXXVII.* §. 46. at (34. ſaluo tamen et hic magiſtratui iure, proximum vel confirmandi, ſi idoneus videatur, vel eumdem, ſi iuſta cauſſa viſa fuerit, praetereundi, ceu recte obſeruauit THOMAS. *Not. ad Inſtit. Lib. I. tit.* 15. *pag.* 83. Nuſquam

autem (35. obtinere tutelas legitimas patronorum, parentum, et fiduciariam, eo ſenſu, quo illae a Romanis inuentae ſunt, quin eas tutelae ſpecies moribus patriis plane non concinnas eſſe. * Thomas. *ibid. tit.* 17. *ſequ. p.* 89. *ſequ.*

* Patronus enim vetere iure liberto parentis, adeoque proximi agnati loco erat, quia illi debebat libertus, quod perſona eſſe coepiſſet. (*Inſtit.* §. 111.) Hinc proximus erat patronus ad ſucceſſionem, ſi liberos non ſuſtuliſſet libertus, adeoque et proximus ad tutelam. (*Inſt.* §. 231. *ſequ.*) Quumque et pater, emancipans impuberem, ob manumiſſionem iura patronatus retineret: et hic tutor emancipati impuberis erat, et hoc mortuo eius filius, tamquam patroni filius ad tutelam legitimam vocabatur. (*Inſt.* §. 234. *ſequ.*) Quia itaque et iura iſta patronatus, et emancipationem per venditiones et manumiſſiones imaginarias ſemper ignorarunt Germani: per ſe patet, eos et omnes has tutelae ſpecies non minus ignoraſſe.

§. CCCLXX.

Denique datiuae.

Sed et (36. DATIVAM tutelam apud Germanos plane diuerſam eſſe ab Atiliana, eaque, quae ex lege Iulia et Titia datur, res ipſa docet. Quum enim iure Romano certis tantum magiſtratibus ſpeciali lege facultas daretur, tutores dandi: (37. in Germania ſuprema tutela, *die obervormundſchafft*, competit omnibus, quibus in pupillum ſaltim inferior eſt iuriſdictio, ac proinde * (38. quilibet magiſtratus et iudex pupillis, in territorio ſuo, dat tutores, eaque (39. ratio eſt, cur doctores tutoris dationem hodie eſſe iuriſdictionis ordinariae, adfirment. Stryk. *vſ. hodiern. Lib. II. tit.* 1. §. 21. Quae ſane ſententia magis probanda, quam (40. illa Meieri *colleg. Argent. tit. de tut. et curat. dat.* §. 7. Zahnii *ichnogr. munic. cap.* 52. *n.* 2. et Rebhahnii *dec. ſel. quaeſt.* 1. *n.* 37. qui et hodie facultatem dandi tutores ex ſpeciali lege eſſe, contendunt.

* Vera haec eſt huius differentiae ratio, quam non peruidit Schilterus *Exerc. XXXVII.* §. 60. dum ius illud modo ex receſſibus imperii, modo ex iuris Germanici gloſſis, modo ex veterum ſcabinorum reſponſis deriuat. Cui ſententiae Thomas. *not. ad inſtit. Lib. I. tit.* 20. *p.* 92. recte obuertit auctoritatem Specvlatoris Svevi, qui *cap.* 315. §. 5. *et* 321. §. 1. facultatem dandi tutores magiſtratibus omnibus eſſe teſtatus eſt multo ante, quam vel receſſus, vel gloſſae, vel ſcabinorum reſponſa prodierunt. Genuina ergo ratio eſt ſuprema illa tutela, quae non modo Principi, ſed et omnibus magiſtratibus, diuerſa xdem competit, ceu iam obſeruauimus in diſſ. *de ſupr. princip. et magiſtr. tutel.* §. 17.

§. CCCLXXI.

An tutela hodie gratuita?

Quamuis praeterea fructuariam tutelam vbique paene in exſi-

ſilium egerit ius Romanum: tamen inde eſſe arbitramur, quod ne hodie quidem tutela vbique eſt gratuita, et quibuſdam locis ne vſusfructus quidem ille tutorum legitimus plane exoleuit. (§. 357. 4. 5.) Hinc facile reddideris rationem, (41. cur alicubi tutori ſalarium decernatur: ANDLER. *Lib. II. tit.* 5. *n.* 38. SCHILT. *Exerc. XXXVII.* 9. *et* 177. BERL. *Part. I. dec.* 134. (42. alicubi honorarium ſaltim attribuatur: IVS BAV. *tit.* 5. *art.* 14. WVRTENB. *tit.* 40. TIROL. *Lib. III. tit.* 5. MAGDEB. *cap.* 43. *§.* 22. illuſtr. a LVDEW. *Opuſc. Tom. II. p.* 1213. *ſequ.* (43. alicubi ipſe vſusfructus vel omnium bonorum, vti in Morauia, vel (44. partis alicuius, vti in ducatibus Oppolienſi et Ratiborienſi, tutori cedat. LVDEWIG *ibid. pag.* 1210. Denique (45. tutela iſta fructuaria vel maxime ſupereſt in tutelis illuſtrium, de quibus IDEM *p.* 1211.

§. CCCLXXII.

Denique (46. quamuis tutelam mulierum adultarum ius Romanum alibi plane in exſilium egerit, (47. alibi eamdem in curatelam, vti vocant, commutarit, veluti apud Saxones: ea tamen (48. adhuc supereſt Lubecae, Hamburgi, et in vniuerſo fere Belgio, ceu oſtendit SIM. A LEVWEN *Cenſur. for. Lib. I. cap.* 7. *n.* 8. EV. OTTO *de tutel. femin.* In eo tamen (49. non idem omnibus ius eſt, quod alibi innuptae tutoris auctoritate tantum indigent in cauſſis forenſibus, (50. alibi iſtae aeque, ac nuptae, etiam in negotiis extra iudicium peragendis: (51. alibi feminae negotia tantum inter viuos ſine curatore explicare nequeunt, * (52. alibi, veluti Hamburgi, ne teſtamenta quidem iure condunt, niſi tutorem curatoremue adhibuerint. Vid. *diſſert. de marito tut. vel curat. vx. legit. cap.* 2. §. 25. *et* 26. Tutela vel cura mulierum.

* Veluti in Saxonia. AVGVSTI *Elect. Sax. Conſt.* 15. §. *Gleichergeſtalt.* Et tamen de mortis cauſſa donatione dubitant MATTH. WESENB. *Paratitl. de mort. cauſſ. donat. n.* 4. et MODEST. PISTOR. *Tom. I. conſil.* 1. *n.* 23. *et* 24. an ſine curatoris conſenſu fieri poſſit a muliere: eo, quod huiuſmodi donatio pactis quodammodo ſimilis habeatur. Enimuero, quum ratio, cur curatoris conſenſum in teſtamentifactione minus neceſſarium exiſtimarit AVGVSTVS Elector, non alia ſit, quam quod teſtatrix nullum laeſionis periculum, condito teſtamento, incurrat, eademque ratio et donationi mortis cauſſa accurate quadret: dubitare profecto non licet, quin ſine curatore etiam mortis cauſſa recte donet mulier Saxonica.

TIT. XVI.

DE OFFICIO ET ADMINISTRATIONE TVTORVM, MODISQVE, QVIBVS TVTELA IVRE GERM. FINITVR.

§. CCCLXXIII.

Connexio. TVtorum Romanorum erat, AVCTORITATEM interponere; ſi pupillus, infantia maior, aliquid ageret, * quo deterior poſſet fieri eius conditio, et ADMINISTRARE, i. e. pupillum defendere, bonorumque eius perinde curam gerere, ac bonum patremfamilias decet. An ergo eadem omnia fuerint apud Germanos, iam paullo accuratius erit diſquirendum.

* Cur pupillo, aliquid huiuſmodi acturo, tutoris auctoritate fuerit opus, alibi iam diximus. (*Inſtit.* §. 248.) Quod vero pupillum interuenire oporteret infantia maiorem, nec ſufficeret tutoris voluntas, id inde eſt, quod nemo alii ſtipulari vel adquirere, multoque minus alium ſuo facto obligare, poſſet. §. 4. *Inſt. de inutil. ſtipul.* §. 5. *Inſt. per quas perſ. cuique adquir.* BEYER. *ad Pand. lib. XXVI. tit.* 8. *p.* 569. VINN. *ad* §. 15. *ſequ. de inutil. ſtip.* Eam vero ſubtilitatem, quum vmquam placuiſſe Germanis, vix probabile ſit: in anteceſſum ſuſpicari vnuſquiſque poteſt, etiam circa adminiſtrationem atque auctoritatem conſenſumque tutorum ac curatorum permulta aliter ſe omnino habuiſſe apud Germanos, et hodie quoque multo aliter ſeſe habere, ac Romae.

§. CCCLXXIIII.

An in Germania nota fuerit tutorum auctoritas? AVCTORITATEM, qualem ius Romanum exigit, ignoraſſe veteres Germanos, vel ex eo colligimus, quod fuerit actus legitimus, (*Inſtit.* §. 249.) tales vero actus, ex iure Romanorum ciuili formulario orti, ſimplicitati Germanorum parum conuenire videantur. * Itaque vel ſuo omnia arbitrio agebant tutores, nec ſaepe pupillum interuenire huiuſmodi negotiis patiebantur, vel, ſi pupillus quid ageret, ei ſufficiebat qualiſcumque tutoris conſenſus, ſiue expreſſus, ſiue tacitus, ſiue in ipſo negotio, ſiue eo iam pridem perfecto, ſine vlla ſollemnitate, interpoſitus.

* Equidem ſi per actiones legis et actus legitimos intelligas quoſuis actus, qui ſine ſollemnitate rituque legibus praeſcripto explicari non poſſunt: dubitare nefas eſt, quin tales permultos habuerint veteres Germani. Tales ſane

ex

ex LEGE SALICA *tit.* 30. ſunt manumiſſio per iactum denarii; ex *tit.* 40. ritus veſtigii minandi; ex *tit.* 47. deſponſatio viduae, ex *tit.* 49. laiſowerpum, ex *tit.* 61. chrenechuda, ex *tit.* 63. abdicatio familiae, et alii innumeri. Nec minus ingenioſi in excogitandis huiuſmodi ritibus fuerunt Langobardi, immo et reliquae gentes Germanicae. At certum tamen eſt, nuſquam Germanicis placuiſſe Romanorum de huiuſmodi actibus principia, veluti quod non niſi apud certos magiſtratus eſſet legis actio: quod huiuſmodi negotia non poſſent per procuratorem explicari: quod eadem nec diem admitterent, nec conditionem. *l. 77. D. de reg. iur.*

§. CCCLXXV.

Qualis tutorum Germanorum adminiſtratio?

Nec de ADMINISTRATIONE tutorum eſt, quod multa dicamus. Legitimi enim tutores, quum vſumfructum bonorum pupillarium perciperent, procul dubio tantum ad conficiendum inuentarium, edendumue indicem, iureiurando firmandum, tenebantur, non autem ad reddendas rationes. * Reliqui tamen ad vtrumque erant obſtricti, ſimulque damna, ſua culpa data, reſarcire cogebantur. Ita ſancitum LEG. WISIGOTH. *Lib. IIII. tit.* 3. §. 3. Ita et poſtea cautum IVRE SAX. *Lib. I. art.* 23. nec non aliis ſtatutis ciuitatum Germaniae, quibus et diplomata conſentiunt. Ill. a LVDEW. *Reliqu. MSSC. Tom. VII. p.* 114. Hinc iure Germanico tutores recte in ἐκλογίστους et ἀνεκλογίστους diuiduntur.

* In feudis ſaepe dominus alium tutela vaſalli impuberis inueſtiebat, ita vt fructus caperet, quin et ſpem, mortuo pupillo potiundi feudo, haberet: id quod vocabant *Angefälle.* IVS FEVD. SAX. *Art.* 16. et ALAM. *cap.* 49. *et* 55. Extat exemplum Fridrici II. Imp. qui anno 1235. Gothofredo de Hohenlohe conceſſit *mundoburdiam filii et bonorum quondam Rudolphi de Kyſelovv*, *tali conditione adiecta, vt ſi filium dicti quondam Rudolphi ſine legitimo herede decedere contingeret, idem Godofredus bona ſua ab imperio et imperatore in feuda, ſicut ea dictus Rudolphus noſcatur tenuiſſe, teneret:* apud Ill. a LVDEW. *Reliqu. MSS. Tom. II. pag.* 220. Cui geminum Ludouici Marchionis Brandeb. diploma reperies apud EVMDEM *Tom. VII. p.* 115.

§. CCCLXXVI.

Eorum officium.

Ceterum per ſe patet, idem fuiſſe tutoris, ac patris, officium, adeoque illum, non adhibito pupillo, omnia ſuo arbitrio geſſiſſe GREG. TVR. *Lib. V. cap.* 16. *Macliauus quondam et Bodiccus, Britannorum comites, ſacramentum inter ſe dederant, vt, qui ex eis ſuperuiueret, filios partis alterius, tamquam proprios, defenſaret.* Hinc tutor pro pupillo agebat in iudicio. LEG. WISIG. *Lib. IIII. tit.* 3. §. 3. LEG. LANGOB. *Lib. II. tit.* 25.

§. 4. IVR. PROV. SVEV. *cap.* 323. Idem contrahebat, * omniaque agebat ipſe, modo res pupilli non redderet deteriores. LEX WISIG. *Lib. I. tit.* 3. §. 3. Quin et pupillam vxorem ducere potuiſſe tutorem, illuſtri exemplo probare licet e diplomate apud illuſtr. a LVDEWIG. *Reliqu. MSSC. Tom. X. p.* 190.

* Et tamen ex LEGIBVS BVRG. *tit.* 87. libere contrahebat minor, modo quindecim annos haberet, ita tamen, vt ei ſaluum eſſet beneficium in integrum reſtitutionis. Nec illo loco mentio fit tutoris, cuius auctoritate vel conſenſu id fieri oportuerit. Quin LEX LANGOB. *Lib. II. tit.* 19. §. 1. minorem etiam alienare res ſuas patitur, ſed non niſi vrgente fame, et obſeruatis certis requiſitis. Per modum vero vltimae voluntatis de rebus ſuis diſponendi facultatem et impuberibus indulget LEX WISIG. *Lib. II. tit.* 5. §. 11. Ex quo colligimus, plus libertatis has gentes reliquiſſe minoribus, quam populos reliquos, apud quos longior erat adoleſcentum pueritia.

§. CCCLXXVII.

Finiebatur tutela maiorennitate.

Finiebatur tutela apud veteres MAIORENNITATE, ſed ita tamen, vt non ipſo iure ea exiret minor, ſed cauſſa cognita. Quemadmodum enim magiſtratus erat ſupremus pupillorum tutor: (§. 345.) ita aequum videbatur, non prius illos tutela liberari, quam tutores rationes reddidiſſent, adhibito magiſtratu, et hic inquiſiuiſſet diligentius, ſintne pupilli ſatis frugi, vt rebus ſuis ſoli ſupereſſe poſſint, an prodigi aeris, et rerum ſuarum incurioſi. * LEX WISIGOTH. *Lib. IIII. tit.* 3. §. 4.

* Saltim tutelam non priuatim deponi voluit legiſlator Wiſigothorum, ſed vel coram ſacerdote, vel coram iudice. En verba, quae *d.* §. 4. occurrunt: *Quum vero tempus illud aduenerit, quando eum, qui ſub tuitione fuit, rem in ſua poteſtate oporteat redigere: tunc ille tutor coram* SACERDOTE *vel* IVDICE *pupillo de cunctis rebus reddita ratione, ab eo, quem tuitus eſt, ſecuritatis ſcripturam procuret accipere.* Apud Romanos contra omnia intra priuatos parietes videntur tranſacta. Magiſtratus ſaltim non exigebat rationes vi officii, ſed tum demum, ſi pupillus tutelae iudicium inſtituiſſet, partes ſuas interponebat, tutoremque ad reddendas rationes, reſarcienda damna, reſtituendaque reliqua cogebat.

§. CCCLXXVIII.

Morte an et aliis modis, qui iure Rom. recenſentur.

Non dubitandum, quin et MORTE vel tutoris, vel pupilli, tutela finita fuerit. At tanto rariores in Germania erant arrogationes, aliaeque CAPITIS DEMINVTIONES: eaeque vel ideo non finiebant tutelam, quod non inuſitatum eſſet in Germania, patrem etiam habenti tutorem dari. Ceſſabant ergo fere apud maiores noſtros hi modi finiendi tutelam omnes, qui alioquin

quin apud Romanos erant frequentiſſimi: nec temere reperies exemplum tutoris, in CERTVM DIEM, vel ſub CERTA CONDITIONE dati, vt tutela hoc modo, teſtamentariae proprio, finiri potuerit *.

* Neque tamen ideo negauerim, Germanos vmquam hoc modo tutores dediſſe. Quin quum apud Romanos teſtatori tantum ius eſſet tutorem in diem vel ſub conditione dandi, *l.* 8. §. 2. *D. de teſt. tut.* §. 3. *Inſt. qui teſt. tut. dari poſſ.* non magiſtratui: *l.* 6. §. 1. *D. de tut. dat. ab his et* §. 2. *Inſt. de Atil. tut.* iure Germanico nihil vel parentibus, de tutela liberorum cum alio paciſcentibus, vel ipſis magiſtratibus obſtitiſſe videtur, quo minus et conditionem et diem, prout videretur, adderent, quum iam ſupra obſeruatum ſit, (§. 374. *) maiores noſtros et actus legitimos, a Romanis inuentos, ignoraſſe, *nec in ſuis, quos habebant, actibus ſollemnibus vmquam recepiſſe principium, quod actus legitimi nec conditionem admittant, nec diem.

§. CCCLXXVIIII.

Contra vt matrimonio finiatur tutela tum maſculorum, tum feminarum, quippe in mariti tutelam peruenientium, mos eſt non modo omnibus Franciae prouinciis et ciuitatibus communis, MONTAN. *de Tutel. cap.* 15. TIRAQVELL. *de leg. connub. gloſſ.* 1. *n.* 1. 3. *et* 4. *et gloſſ.* 3. *n.* 1. BOER. *deciſ.* 124. *n.* 7. verum etiam plurimarum Belgii ciuitatum legibus et ſtatutis firmatus, ceu de Dordracenis, Harlemenſibus, Amſtelodamenſibus, Brielenſibus, Alcmarienſibus, Edamenſibus, Moenikendamenſibus, Purmerendenſibus, Delphenſibus, Antuerpienſibus, Machlinenſibus, Syluaeducenſibus, Gandauenſibus, Brugenſibus, Sluſenſibus, Gelricis, probat SIM. van LEVWEN *cenſ. for. Lib. I. cap.* 18. *n.* 19. vt dubitare non liceat, quin hae conſuetudinum veterum Francorum ſint reliquiae. * Apud Germanos et matrimonium finiebat tutelam.

* Saltim de feminis res certiſſima eſt, quippe quas iuſtis nuptiis ob pretium, a ſponſo ſolutum, in mariti mundium ac tutelam perueniſſe, multis inter ſe comparatis gentium Germanicarum legibus, probauimus. Ceſſabat ergo prioris tutoris poteſtas in feminam nuptam, eaque in maritum, tutorem vxoris ſuae legitimum, transferebatur. Apud LANGOBARDOS ſingularis erat LEX ROTHARIS Regis *Lib. II. tit.* 55. §. 2. *Si quis dixeris de vxore aliena, quod mundium de ea ad ipſum pertineat, nam non ad maritum: tunc ille, qui eam habet vxorem, praebeat ſacramentum, cum legitimis ſacramentalibus ſuis XII. quod de certo domino mundium ipſius feciſſet, et non eum alteri per legem dimittere debeat. Si autem hoc fecerit, habeat et fruatur. Quia iniuſtum videtur eſſe, vt tam grandis cauſſa ſub vno ſcuto per pugnam dirimatur.*

§. CCCLXXX.

Excuſationes tutorum.

An proditae fuerint certae EXCVSANDI cauſſae voluntariae, ego quidem dubito. Saltim earum mihi nondum ſe vllum obtulit exemplum, * vt non abs re ſuſpicari mihi videar, hanc doctrinam ex iure Romano demum adoptaſſe Germanos. At neceſſarias et cis Alpes valuiſſe, eo minus quiſquam negauerit, quo magis conſtat, earum pleraſque ex ipſa recta ratione, ſeu iure naturae et gentium, promanare. (*Inſt.* §. 295.)

* Nec puto vel opus fuiſſe huiuſmodi excuſationibus, vel eas facile admiſſas eſſe. Primo enim ſi pactitia eſſet tutela, nulla valebat excuſatio, nec eam admiſiſſent Germani, qui iam pridem meruerant elogium: *nullos mortalium armis aut* FIDE *ante Germanos eſſe.* TACIT. *Annal. Lib. XIII. cap.* 54. Sin legitima; ne hanc quidem detrectaſſe videntur agnati, quippe non gratuitam, ſed cum vſufructu bonorum pupillarium coniunctam. Denique a magiſtratu non facile alii dabantur, quam idonei. Horum vero excuſationes illos eo difficilius admiſiſſe crediderim, quo maior erat eorum, tamquam ſuperiorum tutorum, in rebus tutelaribus auctoritas.

§. CCCLXXXI.

Suſpectorum tutorum remotio iure Langobardico.

Certius eſt, Germanos ſuſpectos tutores remouiſſe, idque tanto factum eſſe frequentius, quanto magis intererat magiſtratuum, tamquam tutorum ſuperiorum, ex fide tutelam gerere eos, qui ſua vice fungerentur. Hinc LEGI LANGOB. *Lib. III. tit.* 39. hoc caput adſtruxit Lotharius Imp. *Comperimus, quod ab his, qui ſecundum mundanam legem viduarum et orphanorum tutelam ſibi vindicant, non ſolum negliguntur, ſed etiam aliquoties opprimuntur, quibus eccleſiaſtica ſollicitudine ſuccurrendum eſſe, cenſemus. Et ſi huiuſmodi oppreſſores ab epiſcopali admonitione corrigi voluerint, gratulandum his eſt. Sin autem in obſtinationis impietate durauerint, ſuggerendum clementiſſimo Imperatori, quatenus ipſe* EFFICACEM TVTOREM * *tribuat.*

* EFFICACEM TVTOREM eumdem eſſe crediderim cum eo, quem *gerentem* adpellant leges Romanae *l.* 14. *D. de ſolut.* Quemadmodum enim Romani tutori legitimo, quantumuis ſuſpecto, non temere abrogabant tutelae officium, ne infamia eius in ipſum pupillum quodammodo redundaret, ſed ſanguini habebant honorem, et ſuſpecto adiungebant curatorem adminiſtratorum, inani tutoris nomine penes legitimum permanente: *l.* 9. *D. de ſuſp. tut.* ita idem feciſſe arbitror Lotharium, Imp. ac proinde tutorem illum, cui adminiſtrationem crediturus eſſet, vocaſſe TVTOREM EFFICACEM, quaſi ſolo tutoris nomine ſine re et efficacia penes legitimum permanente.

§. CCCLXXXII.

Itemque iure Sueuico.

Idem et inſequentibus ſaeculis obſeruarunt SVEVI, quorum in IVRE PROV. *cap.* 61. §. 2. verba in MEICHSNERIANA editione ita ſe habent: *Wer ſeine treu nicht behaltet an den kindern, oder an den frauen, der ihr pfleger iſt, den ſoll manſtraſſen, er ſoll auch dem Richter büſſen mit der hand, oder mit den pfennigen: vor die hand zehen pfund. Die wahl ſtehet an dem klâger vnd nit an dem richter.* Sed in BERGERIANA *pag.* 112. et SCHANNATIANA *cap.* 111. *pag.* 231. legitur: *Den ſoll man* BALMVNDEN vel PALMVNDEN *: idque paullo poſt *cap.* 321. (edit. MEICHSN.) et in BERGERIANA *p.* 71. in SCHANN. *cap.* 113. *p.* 231. ita explicatur: *Der Richter ſoll ihn* BALMVNDEN, *das iſt alſo geſprochen, man ſoll ihm vertheilen alle vormundſchafft, vnd alle voigtey* (BERGERIANA: *vnd all pflegnuzz*) *vnd daſs er niemands pfleger mehr môg geſein, ſo ſoll der richter der frauen vormund ſeyn, bis daſs er ihr einen andern gebe,* (BERGER: *pis daz ſie ihr ainen andern tze Vormund genem.* SCHANNAT. ſine ſenſu: *vnd daz ſie ihr ainen nem*) *vnd ſoll die Frau ihr gut gewaltig machen, das der erſt ihr vngewaltig hat gethan. Vnd kommt der frauen pfleger für, vnd wird er des überkommen, daſs er ein vngetreuer pfleger iſt gevveſen, mit zvveyen mannen, ſo richtet es der Richter, als das buch ſaget.*

* At quid eſt *balmunden*? Nihil aliud, quam falſum tutorem quem declarare, et tutela remouere. *Bal* enim eſt *falſus*. Ita BALLOMER, *falſus dominus vel princeps*, apud GREG. TVRON. *Hiſt. Lib. VII. cap.* 14. et *Lib. IX. cap.* 28. et AIMON. *Lib. III. cap.* 61. KILIANVS: BALMONDEN *et Baelmunden eſt male tueri rem pupilli.* Charta Caroli M. apud NAVCLER. *generat.* 27. *Eo tamen tenore, vt quandocumque fuit commiſſi praeuaricator, aut in rebus vel hominibus, quod vulgo* BALMVND *dicitur, exſiſtat, ſtatim ſine mora, ſine iudicio, aduocationem perdat.* Conf. DV FRESNE Gloſſ. Lat. ſub voce *Ballomer* et *Balmond*.

§. CCCLXXXIII.

Quomodo Germani ſuſpectum tutorem puniuerint?

Itaque SVEVI tutorem ſuſpectum non modo a tutela remouebant, et in poſterum indignum iudicabant, qui alterius tutela fungeretur: verum etiam poenam ei ſatis atrocem, puta amputationem manus, infligebant, data actori optione, ſuppliciumne illud amare exigere, an decem libras pro manu accipere mallet. Quae omnia, quin non ex iure Romano, ſed Germanico, ſint, nemo dubitauerit, maxime quum haec ordinaria fuiſſe videatur falſariorum poena, quod manu truncarentur *.

* Lex Langob. *Lib. II. tit.* 51. §. 10. *et* 11. *Ipſius, qui de ipſa falſitate conuictus fuerit, dextera manus amputetur.* Similis poena Lege Wisig. *Lib. VI. tit.* 5. §. 1. ſtatuitur in eos, qui diplomata regia falſare auſi ſint, *vt manum perdant, per quam tantum crimen admiſerint.* Lege Ripvaria *tit.* 59. §. 3. pollex dexter ei, qui teſtamentum falſauerit, auferri iubetur, niſi eum 50. ſolidis a cancellario redimere malit. Denique manum et notario, falſum conficienti inſtrumentum, non permiſſa ei redemtione, amputari iubet eadem lex Langob. *Lib. I. tit.* 29. §. 1. et *Lib. II. tit.* 55. §. 33.

§. CCCLXXXIIII.

Axiomata.

Itaque ex his ſatis manifeſtum videtur, I. tutorem apud Germanos omnia ſuo arbitrio, et, non adhibito pupillo vel minore, egiſſe. II. Eumdem boni patrisfamilias officio fungi, et, niſi tutela eſſet fructuaria, rationes quotannis reddere debuiſſe. III. Non iiſdem modis apud Germanos, ac apud Romanos, finitam eſſe tutelam, nec IIII. voluntarias excuſationes tutorum admodum frequentes; contra ea V. poenam tutorum, qui non ex fide gererent, tanto ſeueriorem fuiſſe.

§. CCCLXXXV.

An tutor hodie auctoritatem interponat?

Ex primo itaque axiomate (§. 384. 1.) reddimus rationem, (1. cur et hodie Germani, recepto licet iure Romano, nullum diſcrimen ſtatuant inter *auctoritatem* et *conſenſum*, adeoque (2. ſubtilitates iſtae, quod tutorem praeſentem in ipſo negotio auctorem fieri oporteat, ea vero ex interuallo, per epiſtolam, vel internuncium interpoſita nullius momenti ſit, in Germania plane exſulent. (3. Cur et hodie adulti quoque nihil fere agant, auctoribus tutoribus, ſed (4. tutores omnia fere ſoli gerant, et (5. ipſam etiam hereditatem pro pupillis et minoribus adeant. Beyer *ad Pandect. Lib. XXVI. tit.*8. Thomas. *Not. ad Inſt. Lib. I. tit.* 21. *p.* 95. (6. Cur iidem, memores, ſe magiſtratus vice fungi, nihil fere ſine eorum conſilio et conſenſu agant. *

* Sim. van Leuwen *Cenſur. For. Part. I. Lib. I. cap.* 16. *n.* 13. *Tutores*, inquit, *conſtituti nihil fere, niſi auctoritate et conſenſu magiſtratus pupillaris intercedente, gerunt.* Quum enim apud Romanos decreto praetoris opus tantum eſſe videretur, ſi res immobiles vel pretioſiores pupilli eſſent alienandae: *tit. D. de reb. eor. qui ſub tut.* apud nos tutores et in vendundis aliis rebus, pecuniis foenori locandis, vel otioſis obſignandis, acceptandis ſolutionibus, ſimilibuſque negotiis, conſenſum et auctoritatem magiſtratus requirere ſolent, tamquam tutoris ſupremi, adeo vt eius auctoritas in negotiis pupillaribus primum, ſecundum, vltimum eſſe videatur.

§. CCCLXXXVI.

§. CCCLXXXVI.

Quomodo adminiſtret?

Ex altero axiomate patet, (7. cur et iure Germanico, iam inde ab antiquiſſimis temporibus, adeoque multo ante receptam iuriſprudentiam Romanam, tutores ad conficiendum inuentarium fuerint obſtricti. (8. Cur apud nos omnes tutores cum inquiſitione dentur, ne ſcilicet pupillis obtrudantur minus idonei. Sim. van Levw. *Cenſ. forenſ. Lib. I. cap.* 16. §. 8. Thomas. *Not. ad Pand. Lib. XXV. tit.* 7. *p.* 255. (9. Cur, quamuis per ref. polit. *ann.* 1548. *et* 1577. *tit. von pupillen* praeter iuſiurandum exigantur fideiuſſores: id tamen nuſquam fere vſu receptum ſit, ſed (10. plerumque plus cautionis in re, quam in perſonis, eſſe apud nos cenſeatur, ac proinde, non niſi, qui immobilia poſſident, ad tutelam admittantur. * (11. Cur Germanorum iuriſprudentia non contenta ſit rationibus, finita tutela reddendis, ſed (12. eas quotannis exigat, ivs Prov. Sax. *Lib. I. art.* 23. et quidem, (13. non, vti olim, agnatis pupilli, ibid. ſed (14. ipſi magiſtratui, tamquam ſupremo tutori, reddendas, ref. polit. *ibid. tit. von pupill.* §. 3. niſi forte (15. tutor ſit heres pupilli proximus, Hopp. *ad* §. *vlt. Inſtit. de Atil. tut.* vel (16. tutela ſit fructuaria*, veluti pupillorum illuſtrium. Schilter *exerc. XXVII.* §. 16.

* Apud Germanos olim tutores legitimi vſumfructum ex rebus pupilli capiebant, (§. 353. ſequ.) adeoque tamquam vſufructuarii legitimi ad cautionem non erant obſtricti. Si extraneum dediſſet magiſtratus, non ipſe ab eo cautionem exigebat, ſed agnati, quorum, tamquam heredum futurum, vel maxime intererat, rem pupilli ſaluam eſſe. Ivs Prov. Sax. *Lib. I. Art.* 23. Magiſtratibus, tamquam tutoribus ſuperioribus, ſufficere videbatur cautio promiſſoria, quum neminem confirmarent tutorem, niſi poſſeſſorem rerum immobilium.

§. CCCLXXXVII.

Quomodo tutela finiatur?

Praeterea ex tertio axiomate (§. 384. 3.) diſcimus, (17. Germanos, quum paſſim hodienum habeant ſuos maiorennitatis terminos, non vbique pupillos anno 14. nec pupillas anno 12. tutela exire pati, ſed (18. eos ad maiorennitatem vſque tutela regi velle, *bis ſie zu ihren iahren kommen.* * ivs Prov. Sax. *Lib. I. art.* 42. (19. Rariora fere eſſe exempla datae veniae aetatis, niſi inter perſonas illuſtres. (20. Non modo, qui in ſeruitutem inciderunt, nec non proſcriptos et actos in exſilium tutelam amittere, ſed et relegatos, adeoque (21. eam non finiri

finiri capitis deminutione, ſed quocumque ſtatu, quocum tutelae munus commode conſiſtere non poteſt, eatenus, vt alius interim detur, locum facturus priori, ſi impedimentum ceſſet, qualem caſum capti ab hoſte, ſed demum reuerſi, habet IVS PROV. SVEV. *cap.* 316. §. 4. quamuis et hic SPECVLATOR antiquum obtinere, et ius Romanum expilare videatur.

* *Zu ſeinen Iahren kommen* eſt maiorennem fieri, *zu ſeinen Tagen gekommen ſeyn*, conſenuiſſe, et ſexageſimum aetatis annum ſuperaſſe. IVS PROV. SAX. *Lib. I. Art.* 42. SCHILT. *Exerc.* 37. §. 79. *ſequ.* Confundere haec SPECVLATOREM SVEVVM *cap.* 310. §. 1. *cap.* 323. §. 2. *et cap.* 381. §. 2. quin eumdem *cap.* 380. refellere Saxonem conari, obſeruat THOMAS. *Not. ad Inſt. Lib. I. tit.* 22. *p.* 103. ſimulque oſtendit, magis Germanicam eſſe notionem Saxonicam phraſeos, *zu ſeinen Tagen kommen*, quia ſenes vocare ſoleamus *Betagte Leute.*

§. CCCLXXXVIII.

An admittendae excuſationes tutorum?

Quamuis porro (22. nemo dubitet, quin Germani admittant EXCVSATIONES omnes, quae ex aequitate vel recta ratione proficiſcuntur, et proinde eos facile excuſent, qui (23. aliis tutelis iam onerantur, itemque (24. pauperes, (25. lectulo adfixos, (26. imperitos litterarum, (27. liti cum pupillo implicitos, vel (28. capitali inimicitia proſequutos parentes, (29. minorennes, (excepta matre,) (30. ſenes capulares, et ſimiles: non tamen (31. quemquam facile excuſabunt numerus liberorum, ſimiliaque priuilegia, niſi vel ius Romanum alicubi ſit pure receptum, vel priuilegia huiuſmodi in leges et ſtatuta prouincialia migrarint. Vid. THOMAS. *not. ad Inſt. Lib. I. tit.* 25. multoque minus (32. quiſquam ſibi perſuadebit, diſpoſitionem iuris Romani de tempore proferendae excuſationis, quod §. 16. *Inſt. de excuſ.* deſcribitur, moribus Germanorum quadrare. HOPP. *ad d.* §. 16. *Inſt. de excuſ. tut.*

§. CCCLXXXVIIII.

An accuſationes tutorum ſuſpectorum?

Denique ad vltimum axioma (§. 380. 5.) notamus (33. ignotam quidem hodie eſſe accuſationem SVSPECTORVM quaſi publicam, at (34. cuiuis tamen licere, praua tutorum facinora, vel eorum negligentiam ad magiſtratum deferre; quin (35. hunc, ea animaduerſa, ſua ſponte in tutoris acta inquirere, eique (36. dum feruet inquiſitio, adminiſtratione interdicere, quin et (37. eumdem, doli vel culpae conuictum, plane remouere, et, (38. ſi quid triſtius inciderit, poena adficere poſſe (39. Eſſe tamen

tamen rationes haud leues, cur haec inquiſitio in foro ſatis raro audiatur. BACHOV. *ad Weſenbec. tit. de ſuſp. tut. n.* 8.

TIT. XVII.

DE TERTIA HOMINVM DIVISIONE, IN EOS, QVI INTEGRAE EXISTIMATIONIS, ET QVI INFAMES SVNT.

§. CCCLXXXX.

SVb aliorum MVNDIO et TVTELA etiam erant eccleſiae, monaſteria et ciuitates, (§. 132. ſeq.) quippe iure etiam Romano minorennibus quodammodo aequiparatae. *arg. l. 3. C. de iure reip.* Sed de hac poteſtatis et tutelae ſpecie, quum ea magis ad ius publicum, quam priuatum, pertineat, et pauca eius ſuperſint veſtigia, hic agere ſuperuacuum videtur, * ac proinde ad TERTIAM potius HOMINVM DIVISIONEM, quae iure Germanico obtinuit, prouehimur. Tranſitio ad tertiam hominum diuiſionem.

* Vt pauca duntaxat de hac tutela delibemus, ex monimentis antiquiſſimis conſtat, I. Reges et imperatores eccleſias et monaſteria in tutelam ſuam ſuſcipere ſolitos, eamque tutelam vocatam eſſe *mundiburauom*. Docent hoc diplomata innumera, nec non veteres formulae, tum MARCVLFI, tum aliae, a LINDENBROGIO, SIRMONDO, BIGNONIO, MABILLONIO, GOLDASTO editae, quarum vel numerum hic inire taedioſum eſſet. II. Huius tutelae effecta fuiſſe luculenta, vt nulla alia poteſtas eccleſiae vel monaſterii fundos ingredi, ibi ius dicere, aut actum iudicialem exercere poſſet, et ſi quis iniuriam vllam eccleſiae faceret, Rex vel alius, cuius in tutela erat, iure et armis eccleſiam defenderet. III. Nec gratuitam fuiſſe hanc tutelam, ſed cum iuriſdictione, iure praeſidii, aliiſque commodis coniunctam. IV. Eam ſaepe a Regibus, quin et ab ipſis praelatis, aliis, veluti principibus ac comitibus, ſub nomine aduocatiae in feudum datam, ea lege, vt in omnes eorum ſucceſſores feudales tranſiret: vnde dici coepit *die Erbvoigtey*. V. Multas eccleſias et monaſteria poſtea, quum hi tutores iura pleraque ad ſe traherent, id egiſſe, vt ab aduocatorum illorum iuriſdictione et poteſtate, vel vi, vel pretio, ſeſe eximerent: at paſſim tamen aduocatos ſibi reſeruaſſe varia iura ac praeſtationes, veluti iuriſdictionem ſuperiorem, cenſum in auena conſiſtentem, *den voigts-haber*, obbligationem alendi canes venaticos, et quae ſunt huius generis alia. VI. Eamdem fere indolem fuiſſe aduocatiae vel *voigtiae*, cui vrbes vel imperiales, vel municipales, ad libertatem paullo ma-

iorem adſpirantes, ſuberant. Sed de his omnibus accuratiſſime actum ab aliis, veluti CASP. MAGERO *de Aduocatia armata*, DAN. HEIDERO *von Reichſvoigteien*. CHRIST. FRANC. PAVLLINI *de Aduoc. monaſt.* reliquis.

§. CCCLXXXXI.

Alii integrae famae, alii infames.

Quemadmodum nimirum omnes gentes reip. ciues, vel ad omne ſcelus profligatos, vel parum honeſte et decore vitae inſtituentes rationes, infamia notabant: ita idem feciſſe animaduertimus Germanos, honeſtatis ac virtutis ſtudioſiſſimos. Hinc noua perſonarum diuiſio in eas, quae INTEGRAE FAMAE, et quae INFAMIA NOTATAE eſſent, quarum poſteriores EHRLOSE, itemque RECHT-vel ECHTLOSE * LEVTE dictas eſſe comperio. De his accurate egit V. C. PHIL. LVD. HVTH *in ſpecim. iur. Germ. de his qui not. infam.* Altorfi 1723. edito, cui me hic permulta debere, ingenue fateor.

* Diploma, Goſlarienſibus anno 1219. conceſſum a Fridrico II. Imp. apud fratrem τοῦ μακαρίτου in *Antiqu. Goſl. Lib. II. p. 219. Quod ſi falſarius manum redemerit, exlex vel infamis erit, quod vulgariter* ECHTLOS *dicitur, ac ſi pro falſo manum perdidiſſet*: vbi laudatus frater meus *p.* 222. notat, in codice iuris municipalis Goſlarienſis huiuſmodi infames vocari, *Recht-loſs, an Ehren los, vnd an Tugenden verletzt*, totamque illam periocham diplomatis Fridriciani ita verti in illo codice: *Es löſſt der Felſcher ſyne Hand, er iſt doch recht vnd ehrenloſs, vnd han nicht zeugen. Lib. IIII. tit. von Zeugniſſen* §. 13. Nimirum eodem recidunt haec vocabula. Lex enim veteribus erat *evva, ehe, echt*, vnde *chehaffi* legitimum impedimentum, *echte* vel *eheliche Kinder*, legitimi liberi *echtlos*, iuris communis exſors, ſeu, vt FRIDRICVS II. Imp. loquitur, *exlex*, quamuis huius vocabuli alias plane alia notio ſit.

§. CCCLXXXXII.

Infamia quae maior?

Praecipuae virtutes, quibus Germani ſtudebant, erant FORTITVDO bellica, FIDES, CASTITAS, et, ſi ea laus in homines a veri Numinis cultu alienos cadit, PIETAS *. Quicumque igitur inſigne aliquod facinus contra has virtutes admiſerant, ii, poena atrociore adfecti, famae atque exiſtimationis ſuae iacturam feciſſe videbantur, et horum infamiam ex principiis iuris Germanici MAIOREM non inconcinne vocat laudatus HVTHIVS, *ſpecim. iur. Germ.* §. 17.

* Sunt ſane hae virtutes, quas in Germanis praecipue admirati ſunt veteres, Graeci aeque, ac Romani, quibuſque ipſi Germani ſibi vel maxime placebant. *Nullos mortalium* ARMIS *aut* FIDE *ante Germanos eſſe*, gloriabantur legati apud TAC. *Annal. XIII.* 55. nec minus magnifice fortitudinem ſuorum laudant Germani apud IVL. CAES. *de bell. Gall. Lib. I. cap.* 36. *et* 39. Et apud

TAC.

TAC. *Hiſt.* IIII. 64. *ad arma nati* dicuntur: quale teſtimonium illis etiam perhibent SENECA *de ira Lib. I. cap.* 11. *natural. Quaeſt. Lib. VI. cap.* 7. et IOSEPH. *ant. Iud. Lib.* XVIIII. *cap.* 1. et *de bello Iudaico Lib. II. cap.* 16. De CASTITATE eorum ex inſtituto agit TACIT. *de mor. Germ. cap.* 18. et 19. de eorumdem PIETATE IDEM *cap.* 9.

§. CCCLXXXXIII.

Aſt quum praeterea et quaedam vitae genera, quamuis in ſe nihil flagitii habentia, virtutibus tamen illis, quas maximi feciſſe Germanos diximus, parum conuenire viderentur, ipſique parentum dedecora et liberis haerere crederent: * factum inde eſt, vt et alii homines, qui ſe certo vitae generi mancipauerant, vel vulgo concepti fuerant, parum integrae famae haberentur, quorum infamiam MINOREM vocat idem HVTHIVS *ibid.* §. 16. Quaeque minor?

* Quemadmodum enim *inſignis nobilitas aut magna patrum merita principum dignationem et adoleſcentibus adſignabant*: TACIT. *de mor. Germ. cap.* 7. ita et parentum flagitia notam inurere cenſebantur liberis, et vti hodie etiam inſignis laus habetur, parentibus honeſtis natum eſſe, *wann einer von ehrlichen Eltern gebohren iſt*: ita neſcio quid labis haerere creditur iis, quorum parentes ob maiora flagitia in crucem iuerunt, vel alio capitali ſupplicio adfecti ſunt. Qua in re quantum differant Germanorum aliarumque gentium, veluti Britannorum, mores, nemo ignorat.

§. CCCLXXXXIIII.

Quandoquidem itaque virtuti bellicae in primis ſtudebant maiores noſtri, quorum vniuerſa inſtituta ad potentiam bellicam comparata fuiſſe, docet HERM. CONRING. *diſſert. de antiqua vet. Germ. republ.* nemo mirabitur, infames iam ab antiquiſſimis temporibus viſos eſſe eos, qui hoſtibus terga dederant, vel ARMA perdiderant in acie. TACIT. *de mor. Germ. cap.* 6. *Scutum reliquiſſe praecipuum flagitium: nec aut ſacris adeſſe, aut concilium inire ignominioſo fas: multique ſuperſtites bellorum infamiam laqueo finiuerunt.* Nec magis mirum eſt, et poſteros huius moris fuiſſe tenaciſſimos, apud quos grauiſſimis iniuriis accenſebatur, *ſi quis ingenuo exprobrauiſſet, quod ſcutum ſuum iactaſſet.* * LEX SAL. *tit.* 33. §. 5. *edit.* ECCARDI. Infames, qui arma reliquerant.

* Quod ne facile contingeret, et inſequentibus ſaeculis operam dabant homines nobiles et ingenui, qui non modo ſcuta, ne ſibi viuis eriperentur, loro adſtringebant humeris, verum etiam gladium catena prolixiore adligabant thoraci, ceu adlatis ex OLIVARII VREDII *libro de ſigill. Comit. Flandr.* exemplis demonſtrauit frater deſideratiſſimus, IO. MICH. HEINECCIVS *de vet. Germ. ſigill. Vid. Tab. XI. n.* 1. *et* 2.

§. CCCLXXXXV.

Omnesque ignaui, imbelles, deſertores, ex praelio fugientes.

Eiuſdem commatis erant, qui alio quocumque ignauiae genere, veluti deſertione, fuga, proditione, indignos ſe praebuiſſent virorum fortium nomine, at infami ſupplicio digniſſimos. Hinc, eodem teſte TACITO *ibid. cap.* 12. *proditores et transfugas arboribus ſuſpendebant, ignauos imbelles et corpore infames* *, *coeno ac palude, iniecta inſuper crate, mergebant, diuerſitaſque ſupplicii illuc reſpiciebat, tamquam* SCELERA *oſtendi oporteat, dum puniuntur*, FLAGITIA *abſcondi*. Add. LEX WISIG. *Lib. VIIII. tit.* 2. §. 9.

* Notum eſt, LIPSIVM hic legiſſe *corpore infames*, alios, veluti ALTHAMERVM, retinuiſſe *corpore infames*, ſed illud explicaſſe de *mancis et corruptis*. Quumque abſurdum ſit, credere, maiores noſtros homines monſtroſos, mancos et mutilos, quibus quodam naturae errore ea deformitas obtigiſſet, ſupplicio tam horrendo adfeciſſe: ingenioſe HVTHIVS *ibid.* §. 5. diuinauit, intelligi poſſe *murcos*, quo vel Romano vel Gallico nomine vocabantur, qui, vt militiam ſubterfugerent, pollicem ſibi ipſi praeciderant, de quibus plura AEG. MENAG. *Amoen. iur. civ. cap.* 3. Sed recte hanc coniecturam miſſam facit vir doctus, quia nec vlli alii ſcriptori caſtigatae Latinitatis, nec TACITO, *corpore infames* vocantur mutili et monſtroſi, ſed muliebria paſſi. Ignotum quidem Germanis hoc vitium eſſe, dixit QVINCTILIANVS: ſed tanto maiore poena coercendi erant, qui, fortaſſis a Romanis corrupti, in naturam hoc modo peccauerant.

§. CCCLXXXXVI.

Etiam apud Francos, Saxones, Alamannos.

Sed et apud Francos, qui vel militiam ſubterfugerant, vel ab exercitu, non impetrata venia, diſceſſerant, (quod delictum vocabatur HERESLITZ,) capite et bonorum publicatione puniebantur. CAPIT. CAR. M. *Lib. III. cap.* 70. ANNAL. LOISEL. *ad ann.* 788. Similis ſeueritas et poſterorum erat, niſi quod hi vitae deſertoris parcerent. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 11. *Wer treuloſs beredet vvird, oder heerflüchtig aus des Reichs dienſte, dem vertheilet man ſein ehr, vnd ſein leben-Recht, aber nicht ſeinen Leib.* Add. IVS PROV. SVEV. *cap.* 86. vbi deſertores, et hoſti terga obuertentes, non modo feuda, ſed et allodia, *erbe vnd leben-Recht*, amittere, docetur, addita tamen exceptione: *Ob der Herr ſelber nicht fleuhet, fleuhet der Herr ſelber, nach des flucht bricht niemand ſeine treue* *.

* Clar. HVTHIVS *ibid.* §. 14. erroris arguit SPECVLATOREM SVEVVM, quippe qui male exſcripſerit ſpeculatorem Saxonem, et eos, qui ex praelio aufugiunt, confuderit cum iis, qui ab exercitu recedant. Sed mihi culpa vacare videtur

videtur Speculator, nec vltima verba intelligo de iis, qui, domino ab exercitu recedente, et ipſi recedant, (quis enim hos impune exercitum deſerere dixerit?) ſed de illo caſu, ſi iam victoria ad hoſtes inclinante, vel rebus plane deſperatis, dominus ſignum det receptui, et reliquias exercitus ſeruare cupiens, ipſe fuga ſe ſubducat. Tunc enim dubium non eſt, quin vnusquiſque ſibi conſulere poſſit, et, ſalua fide et exiſtimatione, quaelibet ipſi honeſta ratio ſit expediendae ſalutis. Ita Darius, fugiens Alexandrum, tantum abeſt, vt fugientibus militibus ſuis indignaretur, vt et pontes diſſolui vetaret, profeſſus, *malle ſe inſequentibus iter dare, quam auferre fugientibus.* CVRT. *Lib. IIII. cap.* 16.

§. CCCLXXXXVII.

Infames etiam perfidi.

Deinde et infamia merito notabant omnes, qui quid contra FIDEM admiſerant, quum gloriae ſibi ducerent, *neminem ante ſe armis et fide eſſe.* Vidimus, quam abhorruerint a proditoribus et transfugis: de iis vero comitibus, qui clientelarem fidem fefellerant, TACITVS *ibid. cap.* 14. *Iam vero*, inquit, INFAME *in omnem vitam ac* PROBROSVM, *ſuperſtitem principi ſuo ex acie receſſiſſe.* Infamia etiam notatos videmus *periuros*, *fallaces*, *pecuniarum acceptores*, LEG. ALAM. *cap.* 42. §. 1. item perfidos, *die treulos beredet vverden.* * IVR. PROV. SAX. *Lib. I. art.* 40.

* Et hi in primis vocari Germanis ſolent SCHELMEN, item *ehren-vnd treuvergeſſene Leute.* Vnde prius ſit vocabulum, quod hodie quoque plebi in ore eſt, non ſatis expeditum videtur, niſi quod IO. GE. ECCARDVS *ad Leg. Salic. Tit.*33. §.5. illud deriuat a *Schelen* excorticare, vt *Schelm* idem ſit, ac cadauer, ſeu homo, cadaueris inſtar abominandus.

§. CCCLXXXXVIII.

Itemque impudici, adulterae, ſtupratae, meretrices.

Quod ad CASTITATEM Germanorum attinet, iam ſupra vidimus, adulteras apud Germanos acciſis crinibus verberibus domo ac vico exactas eſſe, ac deinde non aetate, non forma, non opibus, maritum inueniſſe. TAC. *de mor. Germ. cap.* 19. Vbi ſane vel ipſam *decaluationem*, vti medio aeuo vocabatur, cum ictu fuſtium coniunctam, argumento eſſe diximus, mulieres, vulgata ſemel pudicitia, infames habitas eſſe per omnem vitam. (§. 320.) Sed et ſtuprum vltro paſſas, *facinoris ſui dehoneſtatas flagitio*, *amiſſi pudoris* INFAMIAM *ſuſtinere*, ait LEX BVRG, *tit.* 44. Et ſemper poſtea in Germania infame viſum eſt conuicium, ſi quis feminam meretricem vel ſcortum vocaret, quum tamen Romae et in Graecia ab eo vocabulo non adeo abhorrerent mulierculae, quae turpiſſimum quaeſtum profitebantur *.

 * Audi

* Audi enim, quaeſo, Adelphaſium apud PLAVT. *Poenul. Act. I. Scen. II, v. 87.* ita philoſophantem:

decet, quam purpuram.
Magiſque meretricem pudorem, quam aurum, gerere condecet.

Inuidia in me numquam innata' ſt, neque malitia, mea ſoror.
Bono ingenio me eſſe ornatam, quam auro multo, mauolo.
Aurum in fortuna inuenitur; natura ingenium bonum.
Bonam ego, quam beatam me eſſe, nimio dici mauolo.
Meretricem pudorem gerere magis

Suntne haec mulieris, quam quaeſtus illius turpiſſimi pudeat? Putatne eam abhorruiſſe a meretricis vocabulo, quae et ipſa ſibi illud tribuit, et pudorem pro dote meretrici eſſe iactat? At talia plura ſunt apud comicos, ex quibus intelligimus, non adeo turpem hunc quaeſtum exiſtimaſſe mulierculas, vt meretricum nomen abominarentur.

§. CCCLXXXXVIIII.

Poenae addicti a ſacerdotibus.

PIETATIS laudem vel ſic ſatis tueri ſe exiſtimabant Germani, ſi ſacerdotibus, tamquam Deorum internunciis, obſequium praeſtarent caecum, eorumque iuſſa pro oraculis; animaduerſiones pro diuinitus inflictis haberent *. Id quicumque non faciebant, infamia notabantur. Memoriae ſane prodidit CAES. *de bello Gall. Lib. VI. cap.* 13. ſacerdotes Druidas in Gallia abſtentos reddidiſſe maleficos, eamque poenam apud eos grauiſſimam fuiſſe. *Quibus ita fuerit interdictum, eos numero impiorum ac ſceleratorum habitos, ab iis omnes deceſſiſſe, aditum eorum ſermonemque defugiſſe, ne quid ex contagione incommodi acciperent, neque iis petentibus ius redditum, honorem vllum communicatum.*

* Hinc de Gallis CAESAR *ibidem: Druides fere de omnibus controuerſiis publicis priuatiſque conſtituunt, et, ſi quod eſt admiſſum facinus, ſi caedes facta, ſi de hereditate, ſi de finibus, controuerſia eſt, iidem decernunt, praemia poenaſque conſtituunt.* Similia fere de Germanis, talium militantibus, tradit TACIT. *de morib. Germ. cap.* 7. *Ceterum neque animaduertere, neque vincire, neque verberare quidem, niſi ſacerdotibus, permiſſum: non quaſi in poenam, nec ducis iuſſu, ſed velut Deo imperante.* Sed et in comitiis, ſi quid aduerſus bonos mores fieret, ſacerdotibus coercendi ius fuiſſe, idem obſeruat *cap.* 11.

§. CCCC.

Excommunicati.

Quare eo minus mirandum videtur, Germanos, quum nuntium mitterent ſuperſtitioni patriae, et Chriſto nomen darent, ſacerdotibus eamdem attribuiſſe auctoritatem, eorumque cenſuram, ſi quem diris deuouiſſent, tanti feciſſe, vt illum infamem, hominumque conſortio indignum putarent, qui non daret operam, vt ab iis quam primum reſecaretur. Sic ſane CAPITVLARI INGELHEIM *anni* 836. cautum obſeruamus, vt, qui rerum eccle-

eccleſiaſticarum quidquam ſurripuerit, *is* INFAMIS, *donec eccleſiae, quam laeſit, ſatisfecerit, habeatur.* Et de excommunicatis SYNODVS VERNENS. *cap.* 9. decernit, *eum in eccleſiam non debere ingredi, nec cum vllo Chriſtiano cibum et potum ſumere, nec eius munera quemquam accipere debere, vel oſculum porrigere, nec in oratione ſe iungere, nec ſalutare, antequam ab epiſcopo fuerit reconciliatus.*

§. CCCCI.

Omnes capitali vel corporis adflictiua poena adfecti.

Quum vero pleraſque POENAS capitales, et corpus adfligentes, ſacerdotes Germani, quaſi Deo imperante, irrogarent: (§. 399. *) in promtu eſt ratio, cur et iſtae infamia notare exiſtimarentur. De omnibus in vniuerſum capitis damnatis ſancitum eſt CAPITVLARI I. anni 809. §. 28. *Vt, poſtquam quiſque ad mortem fuerit iudicatus, neque iudex fieret, neque ſcabinus, neque teſtis, nec ad ſacramentum reciperetur, ſed vnde alii iurare deberent, ipſe ſemper ad iudicium Dei examinandus accederet.* Nec minus infamia haerebat illis, qui verberabantur publice, accifis crinibus: * de qua flagelatione turpique decaluatione vid. LEX WISIGOTH. *Lib. VI. tit.* 2. §. 1. *tit.* 4. §. 5. *Lib. VIIII. tit.* 2. §. 9. LEX LANGOB. *Lib. I. tit.* 17. §. 5. illuſtr. a LVDEWIG. *reliquiar. MSC. Tom. II. p.* 192.

* Delibauimus quaedam de hac poena fuſtigationis cum decaluatione ſupra, (§. 320. *) monuimusque, ſimilia reperiri IN IVRE SAXONICO. Huic adde SVEVICVM *cap.* 148. *Mann ſoll ihm haut vnd hahre abſchlagen.* Et *cap.* 163. *Wer ſein leib, oder hand, haut, oder hahr lediget.* Sed quid eſt *das hahr abſchlagen?* GLOSSA IVR. PROV. SAX. *Lib. II. Art.* 13. *Zu haut vnd zu hahre, das iſt, daſs man einen zur ſtaupen ſchlagt, vnd windet ihm das hahr mit kolben aus dem haupte.* Quis non exclamet:

> *Gerrae germanae, aedepol, lirae, lirae!*

Nec magis crediderim, veteres hic in animo habuiſſe terga ſetoſa Germanorum, ceu viſum THOMASIO *de occaſ. concept. et increm. conſt. crim.* §. 9. *lit. e.* Vera enim intelligitur tonſura capillorum, forcipe ignominiae cauſſa facta, ceu ſaepe nobis laudatus HVTHIVS §. 12. probat ex IVRE PROV. SAX. *Lib. III. Art.* 45. *Zween beſen vnd eine ſcheer iſt derer buſſe, die ihr recht mit dieberey oder mit raub verwürcket.* Quin ipſe gloſſator, cuius paullo ante ſomnia audiuimus, ſaniora ſtatim addit: *Auch ſagen etliche leute, da das recht gegeben ward, da trugen die Sachſen lange hahre, ſo beſchur man dieſen, daſs man ihn kennete, vnd ſich für ihm hütete.* Immo quam magni criſtem prolixum et fluentem per humeros comam fecerint Germani, vel inde patet, quod non ſolum antiquiſſimis temporibus hoc habitu ſeſe a reliquis gentibus diſtinxerint: Vnde LVCANVS *Pharſal. Lib. I. v.* 468.

Et

Et vos CRINIGEROS *bellis arcere Chaycos*,

Et IVVENAL. *ſat.* 13. *v.* 164.

Caerula quis ſtupuit Germani lumina, flauam
CAESARIEM; *et madido torquentis cornua cirro?*

Verum etiam Franci id decus ſolis regibus ſuis proprium eſſe voluerint. Vnde CLAVDIANO *laud. Stilich. Lib. I. v.* 203. hi vocantur:

crinigero flauentes vertice reges.

Et GREG. TVRON. *Lib. II. cap.* 9. *reges criniti.* Ac proinde ii, quibus ſpem imperii omnem ereptum vellent, capillis ſolebant priuari. Gothos etiam pro magno accepiſſe, quod capillati dicerentur, patet ex CASSIOD. *Lib. IIII. cap.* 49.

§. CCCCII.

Manu truncati vel eam redimentes.

Non dubito, quin ſimili infamia et illi fuerint notati, qui manu truncati fuerant, quia haec fere ordinaria erat poena falſi admiſſi, * (§. 383.) turpiſſimi criminis, maxime apud Germanos, fidei ſtudioſiſſimos. Id adeo verum eſt, vt et ii, qui, data pecuniae ſumma, manum redemiſſent, infames haberentur. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 65. IVS PROV. SVEV. *cap.* 163. Simile etiam iam ſupra vidimus ſtatutum Goſlarienſe, (§. 391.*) vt iam alia veterum loca non accumulemus.

* Quin quum poena grauiſſima eorum, qui aliquid aduerſus remp. admiſerant, eſſet propſcriptio, *des Reichs acht vnd ober-acht*: hos quoque infamiae notam effugere non putabant, qui vertente anno in eo ſtatu perſeuerarent. IVS PROV. SAX. *Lib. I. Art.* 38. *Die iahr vnd tag in des Reichs-acht ſind, die vrtheidet man alle rechtloſs, vnd vertheilet ihnen eigen vnd lehen.* Add. IVS WEICHB. *art.* 5. et IVS PROV. SVEV. *art.* 178. Sed ſi dicendum, quod res eſt, ipſa proſcriptio, ob crimen perduellionis inflicta, iam per ſe infamia notabat, non perſeueratio demum annua. Teſtis eſt formula proſcriptionis, qua anno 1376. aduerſus *Hertwitten, den Kuchler*, vſus eſt Carolus IIII. Imp. apud LVDEWIG. *Reliqu. MSSC. Tom. IIII. p.* 304. *Wir Carl, cet. bekennen, daſs wir verurtheilt vnd verzahlt haben Hertwitten, den Kuchler, vnd haben ihm genommen ehr vnd recht, eigen vnd lehen, das eigen dem kläger, das lehn dem herrn ledig, von dem ſie rühren.*

§. CCCCIII.

Tranſigentes ſuper crimine famoſo.

Quin tantum abeſt, vt vlla poena huiuſmodi infamia vacaret, vt et, qui illam, inita tranſactione, a ſe amoliri conabantur, infames haberentur. IVS PROV. SAX. *Lib. I. Art.* 37. *Die dieberey oder raub ſühnen, oder auch wiedergeben, vnd des vor gericht überwunden werden, oder die ihren leib oder haut vnd hahre ledigen mit gelde, die ſeyn alle rechtloſs.* IVS PROV. SVEV.

cap.

cap. 410. *Die diebheit, oder den ſtraaſsraub vorgolten habent, vnd des mit gericht bezwungen ſint, oder haut vnd haar erlediget habent vor gericht, die ſint alle rechtloſs.*

§. CCCCIIII.

Hactenus de iis, qui, admiſſo aliquo crimine, infamiam maiorem contraxerunt. MINORE, quae vel ex vitae genere viliore, vel ex natalium turpitudine oriebatur, notabantur, quicumque mercede conducti pro aliis deſcendebant in arenam, et ſingulare certamen, tamquam iudicium Dei, ſubibant. Sic enim claudus vel caecus, prouocatus ad huiuſmodi certamen, alium numis ſuis conducebat, qui illum inſontem eſſe, gladiatorio certamine probaret. IVS PROV. SAX. *Lib. I. Art.* 48. IVS PROV. SVEV. *cap.* 174. Hic medio aeuo CAMPIO vocabatur, atque EX LEGE FRISICA *tit.* 5. et IVRE NORMANNICO, SAXONICO, SVEVICOque erat infamis: *Kâmpſſer vnd ihre kinder ſint alle recht-loſs.* SPEC. SAX. *Lib. I. Art.* 37. SPEC. SVEV. *cap.* 410. Minor infamia haerebat campionibus.

* Errare itaque videntur, qui hic intelligunt pugiles, et qui gladiatoriam artem facturi, pro certa mercede in arenam prodeunt. Quales ſunt *die St. Marx-Brüder.* Videntur tamen et loca quaedam eſſe, quae et campiones, tametſi conductitios, integrae famae fuiſſe, innuunt, veluti in IVRE PROV. SVEV. *cap.* 174. et WEICHB. SAX. *art.* 80. Sed priore loco verba: *des frey vnd vnb. ſprochen iſt an ſeinen rechten* non pertinere ad campionem, ſed ad eum, qui hunc conduxit, perſpicuum eſt. In poſteriore quoque traiecta eſſe verba, docet ſaepe laudatus HVTH. *Specim. iur. Germ.* §. 9.

§. CCCCV.

Proximi his erant LVDIONES, qui in SPECVLO vtroque SPIELLEVTE vocantur. Hos non Germani minus, quippe a ludicris omnibus alieniſſimi, infamia notabant, quam olim praetor Romanus. *l.* 1. *D. de his qui not. infam.* IVS PROV. SAX. *Lib. I. Art.* 37. IVS PROV. SVEV. *cap.* 397. Attamen nec fidicines ac tibicines, qui vel vicatim circumeunt, vel in cauponis operas locant combibonibus, et ipſi quoque *Spielleute* vocantur, hanc notam effugerunt apud maiores noſtros, ceu vel ipſi docent RECESSVS IMPERII AVGVSTANVS 1600. *tit.* 24. *ſequ.* REFORM. POLIT. AVGVST. 1530. *tit.* 24. *ſequ.* et REFORM. POLIT. FRANCOF. 1577. *tit.* 29. *ſequ.* vbi iunguntur *Schalkſnarren, Pfeiffer, Spielleute, Landfahrer, Singer vnd Reimenſprecher* *. Artem ludicram facientibus.

* Eſt hoc, ceu nemo ignorat, antiquiſſimum muſices genus apud Celtas genteſque ſeptentrionales. In conuiuiis enim maiorum res geſtas aliaque etiam

ridicula carmina canebant. Prius inſtitutum laude digniſſimum eſt, hiſque gentibus cum Hebraeis, Graecis, Romanis commune fuit, ceu ex inſtituto oſtendit PERIZON. *Animadu. Hiſt. cap. 6. p.* 202. *ſequ.* de eoque poeſeos Germanicae genere agit MORHOFF. *im Vnterricht von der Teutſchen ſprache cap. 6.* Sed medio aeuo poſterius carminum ludicrorum genus magis inualuit, vt nullum temere conuiuium ſine hoc condimento tranſigeretur. Neſcio an eius generis fuerit chorus ille poetarum, quem in aula ſua aluiſſe ferunt Hermannum, Thuringiae Landgrauium. Quamuis enim et hunc fortia veterum Germanorum facta rhythmis comprehendiſſe exiſtimet CHR. FR. PAVLLINI *Annal. Iſenac. p.* 30. aliud tamen innuere videtur vocabulum *das Spiel von Wartburg*, quod nihil ſerium notat. Similia carmina ludicra olim apud Diethmarſos ſuos in nuptialibus ſimilibuſque epulis audita eſſe, obſeruat ANT. VIETH *in der beſchreib. des landes. Diethmarſen Part. II. cap. 5. p.* 107. *ſequ.* vbi et ſpecimina quaedam edidit. Et quis ignorat, ſaepe in principum illuſtriumque virorum conuiuiis, et noſtris temporibus, naenias ſuas cantillare homines metallifoſſorum habitu indutos, dictoſque *die Berg-Sänger*?

§. CCCCVI.

Illegitime natis. De macula, quae SPVRIIS in Germania haerebat, iam ſupra diximus: nam et hos huic ordini adſcribunt iura prouincialia, tum SAXONVM, *Lib. I. art.* 39. tum SVEVORVM *cap.* 410. verbis: *Vnd alle, die vnehelich gebohren ſind.* Quae loquutio ſatis late patet, quum alioquin ex inceſtu tantum natos notaſſet olim LEX SALICA *tit.* 14. *§.* 12. Sed inſequentibus temporibus nulli fere fuere illegitime nati, quorum famae pepercerint leges Germanicae *.

* Sic enim infamibus accenſentur nati ex congreſſu adulteri cum adultera; IVS PROV. SAX. *Lib. I. cap.* 38. IVS PROV. SVEV. *cap.* 410. item partus praecoces, IVR. PROV. SAX. *Lib. I. art.* 36. WEICHB. *art.* 4. IVR. PROV. SVEV, *art.* 277. liberi clericorum, *die Pfaffen-Kinder*; IVR. PROV. SAX. *Lib. III. art.* 45. IVR. SVEV. *cap.* 397. §. 3. OTTO M. *conſt. poſt leges Langob. tit.* 7. vbi imperator: *Diaconorum, Epiſcoporum, presbyterorum filios, notarios, ſculdaſios, comites, iudices fieri, omnibus modis prohibemus.*

§. CCCCVII.

Effectus infamiae minoris. Ceterum diuerſas fuiſſe *maioris* ac MINORIS infamiae effectus, facile intelligitur. Quod enim ad hanc poſteriorem attinet, infames arcebantur a teſtimonii dictione, LEG. ALAM. *cap.* 42. §. 1. IVR. PROV. SAX. *Lib. II. art.* 36. a poſtulando, IVR. PROV. SAX. *Lib. I. art.* 61. IVR. PROV. SVEV. *cap.* 89. §. 2. ab honoribus, tum ſacris, (quale exemplum habes in CHRON. MONT. SERENI *ad annum MCCI.*) tum ciuilibus, veluti ab officio iudicis, IVR. FEVD. SAX. *Art.* 61. et PROV. SVEV. *cap.* 73. *§.* 1. quin et ab ipſis feu-

dis.

dis. IVS FEVD. SAX. *art.* I. Praeterea nec aduocatorum praeſidio vti poterant, SPEC. SAX. *Lib. III. Art.* 16. nec delicto aliquo laeſi, ipſi heredeſue eorum petere poterant mulctam, quam *weregeldum* vocabant, ſeu compoſitionem *. LEX FRIS. *Tit.* 5. IVS PROV. SAX. *Lib. III. art.* 45.

* WEICHB. SAX. *art.* 127. eos, qui huiuſmodi homines percuſſerunt, dimidium Wergeldum praeſtare iubet. PROVINCIALE l. c. *Pfaffen-Kinder vnd den, die vnehelich geboren ſind, giebt man zur buſſe ein fuder heues, als zween jährige ochſen zuhen mögen. Spielleuten, vnd allen denen, die ſich zu eigen geben, giebt man zur buſſe den ſchatten eines mannes.* En vmbram viri, qua pro mulcta contentus eſſe iubetur homo infamis, veluti qui artem ludicram facit. Id quod ita explicat IVS PROV. SVEV. *cap.* 397. *Das iſt alſo viel geſagt, wer ihm icht leides thut, das ſoll man ihm alſo beſſern, daſs der ienen beleydiget hat, an einer Wand ſtand, da die Sonn anſcheinet, vnd ſoll der Spielman dar gan, vnd ſoll an den Schatten der Wand ſchlan mit der Fuſt, damit ſoll ihm gebüſſet ſeyn, vnd gebeſſert.* Addit SPECVLATOR de campionibus: *Kampffern vnd ihren Kindern, den giebt man zur Buſs den Schatten von einem Kampff-Schilde gegen der Sonnen.* Erat ergo haec ſatisfactio perluſoria, et dicis cauſſa ideo decernebatur, vt iudex exigere poſſet mulctam, quae vocabatur *die wette.* Hanc enim exigere non poterat, niſi et actori ſatisfactum eſſet. Vbi locus non erat poenae priuatae, (*der buſſe,*) ibi ceſſabat et publica, (*die wette.*) Hanc enim rationem ipſe reddit SPECVLATOR SVEVVS, dum addit: *Vnehrlicher leut buſs giebt wenig frommen, vnd iſt doch geſatzt darum, daſs nach der buſs des Richters gewette folge.* Et quamuis haec omnia SPECVLATOR obſeruet olim tantum obtinuiſſe: (*die buſſe was hievor in der alten ehe,*) tamen et de ſuis temporibus addit: *Vnrechter leute buſs geben biederleut ſelten.* Add. HVTH. *ſpecim. iur. Germ.* §. 16.

§. CCCCVIII.

Infamia MAIOR non modo cum his effectibus omnibus erat coniuncta: LEG. FRIS. *tit.* 5. ALAMANN. *tit.* 42. §. I. verum etiam priuabat facultate ſeſe purgandi iureiurando, ita vt de crimine ſuſpectus ipſe ſemper ad iudicium Dei, quod vocant, remitteretur. CAPIT. *I. anni* 809. §. 28. id eſt ad examen per ferrum candens, aquam calidam vel frigidam, duellum, et ſi qua erant eiuſdem generis alia. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 39. WEICHB. *art.* 90. SPEC. SVEV. *cap.* 172. §. 5. et *cap.* 208. Quin ſi proſcriptio decreta erat, ne iuris quidem communis ita particeps erat, vt iudicis auxilium aduerſus aliorum iniurias iure poſſet efflagitare *. IVS PROV. SAX. *Lib. III. art.* 17. SVEV. *cap.* 125. §. 3. Et maioris.

* Et ob hanc praecipue cauſſam infames vocabantur *Recht*- vel *Echtloſe* Leute. Exemplo eſſe poteſt is, quem ſupra ad partes vocauimus *Hertwvine der Kuenler*, de quo inter alia CAROLVS IV. in diplomate apud LVDEWIG. *Reliqu.*

Reliqu. MSSC. Tom. IIII. p. 364. Vnd haben ihn von allen rechten in das vnrechs geſetzt, vnd haben ihn erlaubt allermennigiich, daſs niemand an ihm freveln noch vnrechs thun ſoll, vnd wer ihn angreifft, der ſoll des keine entgeltung haben.

§. CCCCVIIII.

Axiomata de infamia.

Quae quum ita ſint: adfirmare non dubitamus, I. doctrinam de infamia et hodie permultis locis non ex iuris Romani, ſed Germanici, principiis eſſe profectam. II. Hodie quoque famae iacturam potiſſimum facere imbelles, perfidos, incaſtos, et poena famoſa adfectos. III. Nec hodie infamiae minoris nota vacare certa vitae genera, quae Romanis numquam turpia viſa ſunt. IV. Quin et naſcendi ſortem exiſtimationem quodammodo minuere. Denique V. diros illos infamiae effectus, quos paullo ante deſcripſimus, ne hodie quidem penitus exoleuiſſe.

§. CCCCX.

De infamia hominum ex iure Germanico iudicandum.

Quum itaque doctrina de infamia in foris noſtris non ex iure Romano, ſed Germanico proficiſcatur: (§. 409. 1.) conſequens eſt, (1. vt fallantur, qui apud Germanos ex cauſſis ciuilibus neminem; ex cauſſis criminalibus eos tantum, quibus infamia per ſententiam irrogatur, notari, quin (2. infamiam iuris antiqui patrii principiis plane refragari, contendunt. GROENEWEG *ad §. 2. Inſt. de poen. tem. litig.* SCHILT. *Exerc. X.* §. 35. *ſequ.* (3. Vt potius multi apud Germanos integrae famae ſint, quos vel edicto praetoris, vel legibus Romanorum notatos nouimus *: (4. multi contra apud nos infames habeantur, quos Romani numquam notauerant. THOMAS. *Not. ad Pand. Lib. III. tit. 2. p. 76. ſequ.*

* Sic plerique fatentur, apud nos infamia haud notari eos, qui mercede conducti in ſcenam prodeunt, feminas intra annum luctus nubentes, milites praedia conducentes, et tutores pupillas ducentes domum. STRYK. *Vſ. hodiern. Lib. III. tit. 2.* Contra tortis, fuſtibus ictis, excoriatoribus, lictoribus, caſtratoribus ſuum, quos Romani numquam notarunt infamia, maculam aliquam haerere, vulgo creditur, eaque opinio tam altas in hominum animis radices egit, vt tot ſeueris imperii legibus euelli vix potuerit.

§. CCCCXI.

Imbelles et ignauos infames haberi.

Quumque Germani in primis notent imbelles et ignauos: (§. 409. 2.) facile reddideris rationes, (5. cur infames hodienum habeantur ii, qui hoſtem fugiunt, nec in praeliis ſe praeſtant viros. (6. Cur, quamuis conſuetudinem armis finiendi lites leges publicae damnent, iiſque, qui certamina ſingularia ſubeunt,

eunt, grauе ſupplicium comminentur: milites tamen et nobiles vix eos integrae famae eſſe cenſeant, qui prouocati ad arma, non adſunt. (7. Cur contra expeditiſſima videatur famam atque exiſtimationem inſtaurandi ratio, ſi quis expediat arma, et, iniuriis ferro vindicandis promtum ac paratum ſeſe eſſe, oſtendat *.

* Poſteriora haec eſſe ex antiquis Germanorum moribus, nemo dubitauerit, qui iam apud VELLEIVM PATERC. *Lib. II. cap.* 118. legerit, apud maiores noſtros, *ſolita eſſe armis diſcerni, quae* apud Romanos *iure terminabantur.* Manſit iſte mos et poſteris, adeo, vt etiamſi quis in ius vocaſſet aduerſarium, tamen, vbi aliae liquidae deeſſent probationes, plerumque res ad arma rediret. His moribus et hodie viuere malunt plerique, quam lites ſequi, nec ſeueriſſimae leges adhuc pares fuere inueterato malo, quod ſe iampridem pleriſque, tamquam inſignis virtus ac fortitudo, commendauit. Vid. Is. CASAVB. *ad Athen. Deipnoſ. IIII.* 13.

§. CCCCXII.

Quumque maiores noſtri et a perfidia maxime abhorruerint, perfidoſque infamia notarint: (§. 409. 2.) non mirabitur quiſquam, (8. non modo proditores, periuros, praeuaricatores, ſed et (9. qui promiſſis *bey ehrlichen Nahmen*, *Cavalliers-parole*, et ſimilibus non ſteterunt, (TEXTOR *diſſert. de clauſula fidei equeſtris.* ZOLLM. *diſſert. de promiſſionibus generoſa fide vallatis*,) quin (10. omnes mendaces, infames haberi, adeo vt (11. Germani ſibi in eos et ius alapae infligendae eſſe credant, et (12. vix vllam iniuriam magis infamem putent, quam ſi quis virum honeſtum mendacii coarguat *. Nec non perfidos.

* Omnia haec experientia ſatis confirmat. Obſeruauit ſane BEYERVS *ſpec. iur. Germ. Lib. III. cap.* 5. §. 10. Germanos olim et famam oppignorari poſſe crediſiſſe, idque ſibi velle formulas, quae et hodie ſatis frequenter audiantur: *bey Adelichen Ehren*, *bey Treu vnd Ehren*, *bey Schelmen-ſchelten.* Dolet praeterea vir doctus, ab antiqua fide adeo deſciuiſſe ſaeculum, vt haec obligatio fere inſuper habeatur, niſi quod milites, ſub hac promiſſione ex captiuitate dimiſſi, illi pretii quid ſtatuere ſoleant. Quin nihil et hodie obſtare exiſtimat, quo minus aduerſus eum, qui fidem ſub hac clauſula datam feſellerit, agi poſſit ad id, *vt infamis et virorum honeſtorum conſuetudine indignus iudicetur, et ad praeſtandum, quod promiſit, vna cum vſuris ob moram commiſſam, et impenſis litis condemnetur.* Quam turpe porro Germanis omne mendacium viſum ſit, quantamque iniuriam eos pati exiſtimarint, quibus aliquis mendaciis illuſerit: ſatis probat vetus paroemia: *Auf eine lügen gehöret eine maulſchelle.* Egerunt de hac paroemia CARPZ. *Pract. crim. Quaeſt.* 97. *n.* 40. STRVV. *de vindicta priu. cap.* 10. *aph.* 10. *n.* 9. STRYK. *Diſſ. de ala-*

pa, et HERT. *paroem. iur. Lib. I. paroem.* C. et, ius hoc iniuſtum eſſe, recte docuerunt. Attamen inde patet, vel veteres ſaltim exiſtimaſſe, licere cuiuis et obiectum et obtruſum mendacium manu refutare.

§. CCCCXIII.

Itemque impudicos et impudicas.

Quum praeterea et caſtitatem maximi ſemper fecerint Germani: (§. 409. 2.) inde eſſe arbitramur, (13. quod et adulteri, et ſtupratores, et conſtupratae, et (14. mulieres vulgares, vix integrae famae habeantur, ideoque (15. eius ignominiae metus non paucis mulierculis improbis perſuadeat, vt vel abigere foetum ſtudeant, vel eum, vix in lucem editum, occidant. Quare (16. optandum videretur, vt defloratae probrum illud et crimen poena quacumque, ſalua tantum exiſtimatione, expiare poſſent.

§. CCCCXIIII.

Omnesque poena a carnifice adfectos.

Id quoque moribus antiquis ſatis conuenire arbitramur, quod certae quaedam poenae infamare creduntur. (§. 409. 2.) Hinc enim fit, (17. vt ob idem delictum alter, militari diſciplina, quamuis ſatis acerba, emendatus, integrae famae ſit, alter, fuſtibus, vel virgis publice caeſus, infamia notatus exiſtimetur. (18. Vt in primis famam conſumere cenſeantur virgidemia publica, *der ſtaupbeſen*, et (19. reliquae poenae omnes, a carnifice inflictae, * quin et (20. dirae quaeſtiones, quamuis hae poenis adnumerari nequeant, adeoque (21. non ſatis concinnum ſit moribus noſtris, quod inculcat ius ciuile: *non ictum fuſtium infamare, ſed cauſſam. l. 22. D. de his qui not. infam.*

* Hinc πολυθρύλλητον illud: *Es ſey der menſch vnter ſcharffrichters oder henckers händen geweſen.* Sed haec opinio de infamia carnificum ſero admodum in Germania inualuit. Eas enim operas olim praeſtabant viri honeſti, *die Frohnboten*, quibus et quaedam iuriſdictio competebat. THOMAS. *de Iuriſd. differ. ſecundum mores Germ.* §. 81. Anno adhuc 1470. Budſtadii in Thuringia homicidam capitis damnatum gladio percuſſit ſenior interemti agnatus. MVLLER. *annal. Sax. ad ann.* 1470. Quin et quibuſdam Germaniae vrbibus olim infimos ſenatores, vel alios honeſtos ciues, hoc officio functos eſſe referunt. Vid. BESOLD. *Theſaur. pract. voce Scharffrichter.* In cauſſas, cur poſtea infames viſi ſint carnifices, inquirit RITTERSHVS. *de iure aſyl. p.* 66.

§. CCCCXV.

De infamia minore opificum, qui in rebus

Quumque et hodie certa vitae genera cum infamia minore coniuncta eſſe credantur: (§. 409. 3.) talia praecipue ſunt, (22. quae in ſordidiſſimis operis verſantur, veluti excoriatorum, caſtrantium ſues, non autem (23. balneatorum, aliorumque, quos olim

olim notauit vulgus, ab omni vero infamia immunes, et iuris collegiorum capaces eſſe voluerunt leges imperii *. REC. IMP. *anni* 1577. *tit.* 38. *§.* 1. ſordidis verſantur.

* Recenſentur ibi textores, tonſores, opiliones, publicani, et molitores, quorum liberos, ne ſuo quidem aeuo ad vllam dignitatem eccleſiaſticam adſpirare potuiſſe, obſeruat MONACH. S. GALLI *in vita Caroli M. Lib. I. cap.* 8. *apud* CANISIVM. Sed iam alibi obſeruaui, non omnes ſtatim artifices opificeſque initio in certas tribus ac collegia coaluiſſe, ſed quaſdam artes et a faece plebis ac ſeruilis conditionis hominibus exercitas, ac proinde, quum ſola opificia, quae iure corporis, vel collegii in vrbibus gaudebant, honeſta dicerentur (*ehrliche vnd zünfftige Handwercker*,) inualuiſſe paullatim, vt reliqua pro inhoneſtis et cum ignominia quadam coniunctis venditarentur, aut ſaltim haberentur deſpicatui. Vid. *diſſ. noſtra de letis not. mac.* §. 30. Hinc CONR. DE FABARIA *de Caſib. Monaſt. S. Galli cap.* 14. vbi recenſet ſcurras, qui Dithelmum Comitem, fratricidam, publice laceſſiuerint conuiciis, in eum numerum refert pelliparios, (*Gärber vnd Kürſchner*,) *paniſices*, *coriarios*, *textores*, *veſpillones*, *immotores*, per quos qui intelligendi ſint, niſi legendum videatur *molitores*, ego quidem me fateor ſcire cum ignariſſimis. Vid. GOLDAST. *Tom. I. Script. rer. Alam. p.* 88. *et* 142.

§. CCCCXVI.

Quemadmodum porro olim et naſcendi ſors exiſtimationem quodammodo minuit: (*§.* 409. 4.) ita (24. et hodie antiquum obtinere animaduertimus Germanos, et hinc (25. natos extra matrimonium alibi ab honoribus, alibi (26. a collegiis opificum, alibi, (27. vbi a fiſco vindicantur in ſeruitutem, ex ipſo numero ciuium excludi. Sed quum miſeranda potius, quam odio proſequenda ſit ſors eorum, quos parentum improbitas ſine ſua culpa peſſumdedit: merito hanc iuris antiqui iniquitatem damnarunt poſteri, maxime ab eo tempore, quo, efflorescentibus in Germania optimarum artium ſtudiis, experiundo didicerunt, poſſe et hanc maculam doctrina et virtute elui, quae miſeris parentum culpa haeſiſſet *. Et natorum extra matrimonium.

* Neſcio, annon inter primos opinionem hanc veterem abſurdiſſimam re ipſa refutarit DESIDERIVS ERASMVS ROTERODAMVS, qui e furtiuis amoribus natus, ſolo ingenio eam ſibi gloriam peperit, quam, quoad homines erunt, nulla vmquam delebit obliuio, quin et ad ſummos honores, ipſamque purpuram adſpirare facile potuiſſet, niſi ei quouis honore potius fuiſſet otium litterarium.

§. CCCCXVII.

Denique quum veteres illi infamiae effectus, quos ſupra deſcripſimus, ne hodie quidem plane exoleuerint: (§. 409. 5.) rationem Effectus infamiae.

by Google

tionem inde reddideris, (28. cur infamia notati nec ad honores, nec (29. ad noſtra vſque tempora in opificum collegia, nec (30. ad teſtimonii dictionem admitti ſoliti ſint: quamuis (30. fatendum ſit, hunc rigorem fere inter opifices duntaxat duraſſe, et (31. permulta hic mutaſſe leges recentiores; ipſumque ſaeculum noſtrum, quod ad quemuis ingenii cultum humanitatemque magis magiſque quotidie enititur. Vid. Thomas. *not. ad pand. tit. de his qui not. infam.*

TIT. XVIII.

DE QVARTA HOMINVM DIVISIONE, ET STATV PEREGRINORVM.

§. CCCCXVIII.

Diuiſio quarta hominum in ciues originarios, aduentitios et peregrinos.

QVamuis non paucae adhuc ſupereſſent hominum diuiſiones: vel ipſa tamen promiſſae breuitatis fides, quanto omnia tranſcurſu dicenda ſint, admonet. Quare ſub finem libri huius primi quaedam tantum ſubiicere iuuat de differentia CIVIVM ORIGINARIORVM et ADVENTITIORVM, nec non PEREGRINORVM, ne diuiſionem illam, in omnium fere gentium iuriſprudentia obuiam, at in Germania parum hodie vtilem *, penitus praetermiſiſſe videamur.

* Scripſit *de iure peregrinorum* pereruditam diſſertationem Io. Schilterus, quam quiſquis euoluerit, illico animaduertet, in Germania parum intereſſe inter ciues et peregrinos, et durioris illius conditionis, in quam hos detruſerat Romanorum ſuperbia, ne vmbram quidem in Germania noſtra adparere. Quare et hic antiquos Germanorum mores cum iure hodierno comparare nec iniucundum futurum exiſtimo, nec infructuoſum.

§. CCCCXVIIII.

Germani veteres hoſpitales.

Primo itaque tenendum, non fuiſſe vllam nationem magis in peregrinos humanam ac hoſpitalem, quam Germanos, adeo, vt ipſi ſcriptores Romani hanc eorum φιλοξενίαν mirarentur. Ivl. Caes. *de bell. Gall. Lib. VI. cap.* 21. *Hoſpites violare fas non putant. Qui quaque de cauſſa ad eos venerint, ab iniuria prohibent, ſanctoſque habent: iis omnium domus patent, victuſque communicatur.* Et Tacit. *de mor. Germ. cap.* 21. *Hoſpitiis non alia gens effuſius*

fuſius indulget. Quemcumque mortalium arcere tecto, nefas habetur; pro fortuna quiſque adparatis epulis excipit. Quum defecere, qui modo hoſpes fuerat, monſtrator hoſpitii et comes, proximam domum non inuitati adeunt; nec intereſt, pari humanitate excipiuntur. Notum ignotumque, quantum ad ius hoſpitii, nemo diſcernit. Abeunti, ſi quid popoſcerit, concedere moris, et poſcendi inuicem eadem facilitas. Denique paucis interiectis: *Victus inter hoſpites comis.*

§. CCCCXX.

Id et de medio aeuo dicendum.

Eadem et poſtea humanitas fuit gentium Germanicarum * et borealium. Saltim de Suionibus in libello *de Daniae ſitu* refert ADAMVS BREMENSIS, *iis omni probro grauius videri, hoſpitium denegare tranſeunti, ita, vt certamen habeant inter ſe, quis dignus ſit hoſpitem recipere. Ei illos omnia exhibere humanitatis iura, quot illic commorari velit diebus, ad amicos ſuos illum certatim per ſingulas dirigere manſiones.* Quibus ſimilia ſunt, quae de gentibus borealibus referunt IO. MAGNVS *hiſt. Goth. Lib. IIII. cap.* 1. et LOCCEN. *antiqu. Sueogoth. Lib. II. cap.* 22. *p.* 99. *ſequ.* ANT. VIETH *Beſchreib. des Landes Diethmarſ. Part. II. cap.* 4. *p.* 102. *ſequ.*

* Argumento eſſe poteſt LEX BVRG. *tit.* 33. §. 1. *Quicumque hoſpiti venienti tectum aut forum negauerit, trium ſolidorum inlatione mulctetur*, eique ſimilis ſanctio in CAPITVLAR. *Lib. I.* §. 75. Conf. LVP. FERRAR. *Epiſt.* 11. 42. 45. 71. Ex quibus locis patet, non ſoli cuiuſuis virtuti relictum fuiſſe hoc officium, vti ſolent alia, quae officii magis et voluntatis ſunt, quam neceſſitatis: ſed mulcta coercitos eſſe illos, qui minus hoſpitales eſſent. Aſt ſeueriores multo Gothi, apud quos aedes eorum, qui viatores tecto ter arcuiſſe comperti eſſent, ex legis praeſcripto incenſas eſſe, tradit IO. MAGNVS *ibid.*

§. CCCCXXI.

Victos ciuitate donabant.

Eiuſdem humanitatis erga peregrinos id quoque haud leue argumentum eſt, quod victores non vltra praelium ſaeuirent, ſed victos non modo ſeruarent, verum etiam plerumque in ciuitatis ſuae ſocietatem reciperent. Sic Arborichos, (fortean Armoricos,) a Francis ciuitate donatos, refert PROCOP. *de bell. Goth. Lib. I.* idemque beneficium hi poſtea praeſtitere Saxonibus, quos *Francis coadunatos, vnum cum illis populum factum eſſe*, ſcribunt EGINARD. *vit. Caroli M. cap.* 7. et POETA SAXO *ad ann.* 803. nec non Friſiis, Burgundionibus, Thuringis, Bauaris, quos ſeruitute oppreſſos eſſe a victoribus, nemo veterum tradidit *. In Venedos tamen vel Slauos, qui implacabili odio non modo Germanum, ſed ipſum Chriſtianum nomen, perſequebantur, paullo inclementius conſuluiſſe Germanos, non inficiamur, eoſque in ſer-

ſeruitutem redactos eſſe, iam ſupra nos obſeruare, meminimus.

* Solos ergo, vti videtur, Alamannos hoc fatum manſit, vt perdomiti praelio Tolbiacenſi, a Chlodouaeo in ſeruitutem redigerentur, quamuis poſtea, comperta eorum fide, paullatim benignius habiti fuiſſe videantur. Saltim ſub Carolingis eandem Alamanniae, ac reliquarum prouinciarum, fuiſſe conditionem, ex ſcriptoribus antiquis, qui de caſibus monaſterii S. Galli commentati, et a MELCH. GOLDASTO *in ſcript. rer. Alam. Tom. I.* editi ſunt, ſatis conſtat.

§. CCCCXXII.

Partem tantum agri ſibi vindicantes.

Nec mos erat gentibus Germanicis, agro mulctare victos, ſed partem tantum ſibi poſcere, reliqua dominis relinquere ſub lege annui vectigalis. Sic tributarios Thuringos fecit Chlodouaeus. GEST. REG. FRANC. *cap.* 10. Et Burgundos agrum, quem in Gallia occupauerant, cum Gallis ſenatoribus diuiſiſſe, refert MARIVS AVENTICENSIS *in Chron.* apud DV CHESNE *Tom. I.* Et exſtat ſane de hac diuiſione teſtimonium in LEGE BVRG. *tit.* 57. Simile fuiſſe inſtitutum Viſigothorum et Oſtrogothorum, obſeruat HERT. *notit. veter. Germ. popul. Part. III. cap.* 7. §. 5. De Langobardis IDEM *ibid. cap.* 9. §. 3. Nec dubito, quin idem fecerint Franci, quando in Gallia ſibi nouas ſedes quaeſiuerunt, adeoque et hi parte agri ſibi vindicata, parte Gallis relicta, illis immunitatem dederint *, his tributa, imperarint.

* Et haec vera origo eſſe videtur TERRAE SALICAE, id eſt, Francis ſub lege immunitatis datae. Nec dubium eſt, Francos idem inſtitutum ſeruaſſe poſtea, quum Alamannos, Thuringos, Burgundos, Friſios, Saxones deuiciſſent. Et hinc factum arbitramur, vt *terrae Salicae* et in his prouinciis, mediaque Germania mentionem fieri videamus, et quidem ſaeculis etiam inſequentibus, quum pridem euanuiſſe crediderimus Saliorum memoriam. Adferri ſane poſſunt chartae non modo antiquiores, quales ſunt apud BROWER *Annal. Treu. Lib. VIIII. ad ann.* 1409. CAR. DV FRESNE *in Gloſſar. voce Lex Salica* TRADIT. FVLD. *apud Piſtor. Lib. III. n.* 28. verum etiam recentiores, apud ZYLLES. *Def. Maxim. pag.* 31. TOELN. *Cod. dipl. p.* 17. *et* 22. GOLDAST. *Tom. II. Script. Alam. n.* 28.

§. CCCCXXIII.

Populum quemque ſuis legibus viuere patiebantur.

Multo minus ergo Germanicae originis gentes victos populos patria expellebant, niſi quod Saxones perfidia ſua aliquando eiuſmodi deportationem mererentur. ANNAL. LAMBEC. *ad ann.* 799. FVLD. *ad ann.* 804. Potius vnicuique genti deuictae ſuae leges, ſuique mores patrii relinquebantur, adeo, vt apud Gothos, Francos, Burgundiones et Langobardos, vnus lege Romana,

mana, alter Salica, alii Langobardica, Gothica, Burgundica, Alamannica vel Boica viuerent *. Vid. HIST. IVR. CIV. *Lib. II.* §. 15. *ſequ.* nec vllus cogeretur legibus gentis victricis ſeſe ſubiicere, dumne aliquid, quod Chriſtianae pietati repugnare videbatur, admitteret. Quod in primis probatur ex CAPITVLAR. *de partib. Saxon.* apud BALVZ. *Capitular. Tom. I. p.* 250.

* Sic WISIGOTHI prouincialibus reliquerunt vſum iuris Romani: eumque in finem corpus Alaricianum compilatum nouimus. IAC. GOTHOFR. *proleg. Cod. Theod. cap.* 10. quamuis eius iuris vſum poſtea aboleret Childiſvvindus Rex, LEX WISIG. *Lib. II. tit.* 1. §. 9. Idem et OSTROGOTHOS feciſſe, ex CASSIODOR. *Var. Lib. I. cap.* 1. *Lib. II. cap.* 4. et GREG. TVRON. *Hiſt. Lib. II. cap.* 33. patet. Similis fuit humanitas BVRGVNDIONVM. Vid. LEX BVRG. *praefat. p.* 167. FRANCORVM, teſte AGATH. *Lib. I. p.* 7. et aliarum gentium: eiuſque moris diu poſt eos fuiſſe tenaciſſimos, ſatis oſtendunt exempla apud GVICHENON. *Biblioth. Sebuſ. Cent. II. n.* 3. *p.* 168. *Cent. I. n.* 99. *p.* 170.

§. CCCCXXIIII.

Illa quoque mira Germanicarum nationum humanitas eſt, quod nemini temere ad ſe confugienti iura ciuitatis, honorum, militiae, negarent, homineſque non tam natali ſolo, quam ingenio ac virtute, aeſtimarent. SALV. MASSIL. *Lib. VI. de gubern. Dei pag.* 90. *Inter haec vaſtantur pauperes, viduae gemunt, orphani proculcantur, in tantum, vt multi eorum, et non obſcuris natalibus editi, et liberaliter inſtituti, ad hoſtes fugiant, ne perſequutionis publicae adflictione moriantur: quaerentes ſcilicet apud barbaros Romanam humanitatem, quia apud Romanos barbaram inhumanitatem ferre non poſſunt. Et quamuis ab his, ad quos confugiunt, diſcrepent ritu, diſcrepent lingua, ipſo etiam, vt ita dicam, corporum atque induuiarum barbaricarum foetore diſſentiant: malunt tamen in barbaris pati cultum diſſimilem, quam in Romanis iniuſtitiam ſaeuientem. Itaque paſſim vel ad* GOTHOS, *vel ad* BACAVDAS, *vel ad alios vbique dominantes barbaros, migrant, et migraſſe non poenitet.* Add. CAPITVL. CAR. CALVI *tit.* 14. §. 9. *p.* 66. *Tom. II. edit. Baluz.* et chartam eiuſdem apud *eumd. Tom. II. pag.* 1444. * **Peregrinos facile ſuſcipiebant.**

* Similes chartae exſtant Ludouici Pii, Imp. quibus anno Imperii II. et III. Hiſpanis quibuſdam, ad ſe confugientibus non modo ſedes, quas occupauerant, ſed et varias immunitates et priuilegia indulget. Eas tamquam praeclarum humanitatis erga peregrinos, Sarracenorum iniuriis patria extorres, exemplum ex metropolitanae eccleſiae Narbonenſis tabulariis edidit PETR. PITHOEVS *inter annal. et hiſt. Franc. ſcript. coaetan.* 12. *p.* 427. *ſequ.*

§. CCCCXXV.

Hinc aduenas ciuitate donabant.

Fieri non potuit, quin fama humanitatis inuſitatae, qua peregrinos omnes ad ſe fugientes excipiebant, plures pelliceret, vt inter Germanos, quam in patria, fortunam experiri mallent. Hiſtoria enim ſatis docet, eos peregrinos bene meritos ciuitate donaſſe, veluti Euſpicium et Maximinum, ad quos Chlodouaeus M. in charta apud DACHER. *Tom. V. ſpicileg.*: *Vos ergo*, inquit, *Euſpici et Maximine*, *deſinite inter Francos eſſe peregrini.* Multi quoque peregrini ad ſummas non modo in eccleſia, ſed et in republica, dignitates adſpirabant *, quales in Francia fuerunt, Theodorus et Proculus, Epiſcopi Turonenſes, *qui de partibus Burgundiae aduenerant*, *Francilius*, *Epiſcopus ibidem ex ſenatoribus*, GREG. TVRON. *Hiſt. Lib. III. cap.* 17. Chrumelinus, genere Romanus, Willibadus, natione Burgundio, patricii et duces, et alii innumeri, quos paſſim celebrant priſci annales. Vnde et *Romanos*, *conuiuas regis*, memorat LEX SAL. *tit.* 44. §. 6.

* Exceptis tamen Iudaeis, qui religionis odio nec ad militiam, nec ad conſilium publicum, nec ad iudicum dignitatem admittebantur, immo ne vectigalia quidem conducere poterant. Vid. SYNOD. PARIS. V. *cap.* 15. ARVERN. *cap.* 9. MATISCON. I. *cap.* 13. De *eorum* tamen *inſolentia* ſingularem libellum ſcripſit AGOBARDVS *Tom. I. Op. p.* 62. *edit.* BALVZ. Quum enim anno 828. edictum ab Imperatore impetraſſent, quo cauebatur, ne mancipium Iudaicum, inuito domino, baptiſmo imbueretur, iique hoc praeſidio tuti, paullo inſolentius ſeſe gerere coepiſſent aduerſus Chriſtianos, Agobardus non modo eorum audaciam hoc libello, alioque, quem *de Iudaicis ſuperſtitionibus* inſcripſit, nec non *epiſtola ad Nebridium*, *Narbonnenſem epiſcopum de cauendo conuictu et ſocietate Iudaica* maſcule repreſſit, verum etiam inſequente anno 829. habita Lugduni ſynodo, vniuerſis epiſcopis, qui eo confluxerant, perſuaſit, vt ſcripta ad Imperatorem epiſtola eum ad coercendam Iudaeorum inſolentiam cohortarentur. Quae omnia pluribus illuſtrauit laudatus BALVZIVS.

§. CCCCXXVI.

Peregrini tamen minore ſumma componebantur, quam ciues.

At quamuis ſatis humani aduerſus aduentitios et peregrinos eſſent Franci et Germani reliqui: negari tamen non poteſt, prae peregrinis aliquam praerogatiuam fuiſſe ciuium. Primo enim hi maiore pecuniae ſumma componebantur, (vti loqui ſolebant,) quam peregrini. Qui *ingenuum Franconem aut barbarum, aut hominem, qui lege Salica viuebat, occiderat*, 8000. *denariis*, *id eſt*, *ſolidis* 200. *culpabilis iudicabatur.* LEX SAL. *tit.* 45. §. 1. Qui Romanum tributarium, 1800. denariis, id eſt ſol. 45. *ibid.* §. 7. Qui aliquem *in truſte dominica occiderat*, exſoluere tenebatur 24000. de-

denarios, ſeu ſolidos 600. qui *Romanum hominem*, *conuiuam Regis*, 12000. denarios, id eſt ſolidos 300. *ibid.* §. 4. *et* 6. Quale diſcrimen perſaepe in aliis veterum Germanorum legibus reperies *.

* Vnde ex WENDELINI *gloſſ. Salico, voce Romanus* obſeruat HERT. *Notit. Regn. Franc. cap.* 3. §. 1. *p.* 277. Francos ſeduplo nobiliores putaſſe Romanis. Sane et in LEGE RIPVARIORVM maior ſemper poena ei irrogatur, qui Ripuarium occidit, vel percuſſit, vel alia quacumque iniuria adfecit. Paullo humaniores reliquis fuere Burgundiones, quorum LEGE *tit.* 10. §. 1. legimus: *Burgundio et Romanus vna conditione teneantur.*

§. CCCCXXVII.

Deinde peregrinos, vagabundos ſaltim, et nullos certos lares ac penates ſibi conſtituere volentes, quos *mangones* et *cotiones* * vocabant, legibus ſeueris coercebant Franci. CAPIT. CAROLI M. *anni* 789. §. 77. Quin eos in ſeruitutem videntur redegiſſe, niſi ob barbarorum crudelitatem e patria fugiſſent. Ita enim intelligo loca CAPITVLAR. *Lib. III.* §. 18. et *Lib. IIII. Adpend.* §. 2. vbi accuratum aduenarum indicem facere iubentur miſſi dominici: nec non praeceptum CAROLI CALVI *Capitular. tit.* 14. §. 9. *p.* 66. *De aduenis, qui oppreſſione* NORMANNORVM *vel* BRITANNORVM *in partes iſtorum regnorum confugerant, ſtatuerunt ſeniores noſtri, vt a nullo reip. miniſtro quamcumque violentiam vel oppreſſionem, aut exactionem patiantur, ſed liceat eis conductum ſuum quaerere et habere, donec aut ipſi redeant ad loca ſua, aut ſeniores illorum eos recipiant. Nullus autem eos* INSERVIRE *praeſumat, eo quod loco mercenarii apud aliquem manſerint, nec cenſum aut tributum exigere.* (Conf. §. 36.) Multo clarius de huiuſmodi conſuetudine terrae Ghiſnenſis et *iure Coluelrerlii* ibi recepto, ſcripſit LAMB. ARDENS. *hiſtor. Com. Ardenſ. et Guiſnenſium. cap.* 36. apud LVDEWIG. *Reliqu. MSS. Tom. VIII. p.* 419. *ſequ.*

Et quibuſdam locis in ſeruitutem redigebantur.

* *Mangonum* vocabulum Germanicum eſſe putat B. RHENANVS *Rer. Germ. Lib. II.* Mangonum, inquit, adhuc nomen et res manet, apud Germanos *die Mengen.* Sed *mangones* aeque ac *cociones* (ita enim ſcribendum erat,) ſunt circumforanei, qui res minoris pretii vicatim circumferunt. FESTVS: *Arillator, cocio.* Conf. DV FRESNE *Gloſſar. Lat. voce Cocio. Coluelrerli* denique nihili vocabulum videtur, dicendi potius Colueckerli. Ait enim LAMBERTVS: *Qui clauati ſeu clauigeri a claua dicebantur, agnominati ab eo, quod non licebat eis aliud genus armorum, niſi clauam tantum, baiulare. Colve* autem vel *Kolbe* eſt claua. Vnde *Coluekerl*, clauiger. Hos quoque aduenas in ſeruitutem redactos,

dactos, et clauam ferre, ſimulque *penſionem opprobrioſam incurrere, et quaſi de iure perſoluere* coactos eſſe, ſcribit Lambert. *ibid. p.* 419.

§. CCCCXXVIII.

Bona eorum iure albinagii fiſco vindicata.

Denique iam olim, ſaltim apud Francos, peregrinis extra patriam fato functis, valuit IVS ALBINAGII, vt de rebus ſuis, quas relinquerent, diſponere non poſſent, ſed eas omnes fiſcus regius vindicaret. Agit de hoc iure Francorum prolixe Car. dv Fresne *in Gloſſ. Lat. ſub voce Albanus*, ſed nullum adducens teſtimonium vetuſtius. At nos iam alibi adduximus tabulas Caroli M. monaſterio Hohenaugienſi conceſſas apud Mabillon. *Annal. Benedictin. Tom. II. p.* 697. in quibus *res* PEREGRINORVM *propriae eſſe dicuntur regis, ſecundum legem Francorum*, excipiunturque ſoli peregrini Scoti, *quibus omnibus reges Francorum libertatem dederint*, vt *nullus raperet aliquid de rebus eorum* *. Qui locus eo eſt notatu dignior, quo clarius ex eo intelligitur, ius illud odioſiſſimum et antiquum, et ex ipſis Francorum legibus profectum eſſe.

* Car. dv Fresne *in Gloſſ. Lat. Tom. I. p.* 124. obſeruat, ex quorumdam opinione Albanos primum dictos Scotos, *quibus conſuetudo peregrinandi paene in naturam verſa fuerit*, vt ait Walafr. Strab. *Lib. II. de vita S. Galli cap.* 47. Hos enim *Albanos* vel *Albanicos* olim dictos eſſe, pluribus teſtimoniis probat. Sed hoc ipſum Caroli M. diploma Hohenaugienſe oſtendit, Scotos exemtos fuiſſe ab illa lege, adeoque vix veroſimile eſt, ab iis eſſe *iuri* illi *Albinagii* vocabulum arceſſendum.

§. CCCCXXVIIII.

Peregrini hodie iiſdem fere iuribus, ac ciues, fruuntur.

Enimuero haec Germanis innata et a natura ipſa impreſſa humanitas facile ſubegit poſteros, vt paucos hos peregrinitatis effectus tollerent. Sic enim (1. quibuſuis fere peregrinis aditum non modo ad iura ciuitatum ſpecialium, ſed et (2. ad militiam et honores patere, animaduertimus, quamuis (3. non ſine praerogatiua aliqua ciuium, ſi eiuſdem ſint meriti. Sed et (4. iiſdem illos frui connubii et contractuum iuribus, res ipſa docet, niſi quod in nundinis quibuſdam praerogatiuis donari municipes, iam ſupra vidimus. (§. 117. et 118.)

§. CCCCXXX.

Pauciſſimis locis rediguntur in ſeruitutem.

Praeterea (5. diram illam conſuetudinem in ſeruitutem redigendi peregrinos et aduenas, pleriſque locis abolitam eſſe, certum eſt. Apud Ghiſenſes ſaltim ſaeculo XI. hanc conſuetudinem ſuſtuliſſe Manaſſen, Comitem, tradit Lambert. *ibid. p.* 421. Et (6.

Digitized by Google

(6. alibi quoque paucae eius reliquiae manent, veluti in tractu Algouiae, vbi aër ſeruos reddere dicitur, (§. 36. 3.) nec non in Palatinatu, viciniſque tractibus, vbi ab antiquiſſimis temporibus obtinet *ius vvildfangiatus*, ſed arctis admodum limitibus circumſcriptum laudo Heilbrunnenſi *.

* Attamen nuper admodum ex actis Paderborna ad nos tranſmiſſis didicimus, et ibi aerem alicubi ſeruos facere, eiuſque conditionis eſſe, quicumque certa praedia intra certum tractum poſſident, niſi libertatem domini clementia impetrarint, quorum codicillorum exemplum in ipſis actis exſtabat.

§. CCCCXXXI.

Denique (7. et ius albinagii adhuc in ſola Gallia ſupereſſe nouimus, * Greg. Tholos. *Lib. III. Syntagm. cap.* 12. *n.* 8. *ſequ.* quippe (8. in Germania ac reliquis imperii prouinciis abrogatum a Fridrico II. Imp. anno CIↃ CC XX. *Auth. omnes peregrini C. comm. de ſucceſſ.* Hanc enim legem non ad ſolos Italos, vti vulgo putant, pertinuiſſe, ſed ad vniuerſum imperium, cum ſubiuncta illi diplomati Honorii Papae confirmatio docet, in qua leges eo diplomate comprehenſas *pro vtilitate omnium Chriſtianorum editas eſſe*, ſcribit Goldast. *Conſt. Imp. Tom. I. p.* 376. tum ipſius Fridrici Imp. praefatio, qua *illas leges in die, qua de manu ſummi Pontificis recepit imperii diadema, editas, per totum imperium ſuum, cunctoſque populos, quae clementiae ſuae regat imperium*, publicari iubet. Ius albinagii in Germania vbique ceſſat.

* Recte itaque obſeruauit Bodinvs *de republ. Lib. VI. n.* 62. iuris albinagii in Germania nullum ſupereſſe veſtigium, niſi quod Hanonios vicinae Galliae mores, veluti quadam contagione infeciſſe videantur. Sane apud eos ſeruari hunc moris antiqui rigorem, teſtantur Franc. Zypaevs *Not. Iur. Belg. p.* 187. Petr. Gvdelin. *Iur. nouiſſ. Lib. V. cap.* 10. Nic. Bvrgvnd. *ad Conſu. Flandr. tract.* 14. quamuis primus obſeruet, eos hoc acerbo iure vti non aduerſus Brabantos, Leodienſes, Germanos, ſed aduerſus Francos, alioſque, qui vltra Scaldim habitent, et apud Hanonios diem obierint ſupremum. Sed de ſtatu peregrinorum, et vniuerſo perſonarum iure haec delibaſſe ſuffecerit. Itaque ex inſtituti noſtri ratione iam ad alteram ivris Germanici partem, quae eſt de ivre rervm, prouehimur.

* * * * * * * * * *

LIBRI II.
DE
IVRE RERVM.
PARS I.

TIT. I.

DE VARIIS RERVM SECVNDVM IVS GERMANICVM DIVISIONIBVS.

§. I.

Quid intelligamus per res?

RES nobis hic ſunt omnia, quae exſiſtunt, ſolis exceptis *perſonis*. Nam et *actiones*, quatenus in bonis noſtris ſunt, et ſi conſiderantur tamquam iura, quae nobis competunt, ſunt RES incorporales, quamuis conſideratae tamquam medium ius noſtrum perſequendi, pro tertio, et diuerſo a rebus, iuris obiecto recte habeantur.

§. II.

Germanorum qualis religio?

Prima rerum diuiſio iure Romano eſt, quod quaedam DIVINI, quaedam HVMANI IVRIS eſſe cenſeantur. *l. 1. pr. D. de rer. diuiſ.* Germani vetuſtiſſimi templis carebant, *nec*, teſte TACITO *de mor. Germ. cap. 9. cohibebant parietibus Deos, neque in vllam humani oris ſpeciem adſimilare eos, ex magnitudine coeleſtium arbitrabantur. Lucos ac nemora conſecrabant, deorumque nominibus adpellabant ſecretum illud, quod ſola reuerentia videbant.* Itaque et aras, quales apud Romanos aliaſque gentes memorantur, eos non putares habuiſſe, multoque minus ſimulacra et vaſorum ſacrorum, ex auro argentoque confectorum, adparatum, quem potiſſimum rerum ſacrarum nomine Romanis veniſſe, nouimus.

Sed,

Sed, ſi dicendum quod res eſt, maioribus noſtris, profanorum Deorum cultui adhuc deditis, nec templa *, nec alia loca ſacra, nec arae, nec ſimulacra, nec aliae huiuſmodi res ſacrae defuiſſe videntur.

* Sane enim TANFANAE templum, a Germanico Caeſare euerſum, apud Marſos exſtitiſſe, teſtatur TACITVS *Annal. Lib. I. cap.* 51. IDEM *de morib. German. cap.* 40. mentionem facit *templi* HERTHI, id eſt, Terrae matris, cuius et *penetrale* in caſto nemore, et *vehiculum veſte tectum* deſcribit. Sed et *barbaras aras, apud quas Germani tribunos et primorum ordinum centuriones mactauerint*, commemorat IDEM *Lib. I. Annal. cap.* 61. At fuerint haec fortaſſis caſae potius ac tuguria, quam templa magnifica et ſplendida, et arae non niſi caeſpitum vel ſaxorum congeries, quales paſſim ob ſaxorum ſibi inuicem impoſitorum molem non ſine ſtupore ſpectamus, veluti prope Helmſtadium, CONRING. *de antiqu. ſtatu Helmſt. p.* 51. in Holſatia prope Wedeliam, ARNKIEL. *Cimbr. Heydenth. Lib. I. cap.* 30. §. 4. in Dania WORM. *monim. Dan. Lib. I. cap.* 3. denique in Drentia: VBB. EMM. *Hiſt. Friſ. Lib. I.* et alibi.

§. III.

Habebant templa, aras, ſimulacra, lucos, colles, arbores, fontes ſacros.

Habebant ergo Germani templa, ſed pauciora, quibus medio aeuo quaedam alia, veluti apud Saxones Irminſulae, apud Slauos Radegaſti, apud alios alia acceſſiſſe arbitramur, de quibus Slauorum fanis conſuli meretur HELMOLD. *chron. Slau. Lib. I. cap.* 52. *et ibi* BANGERTVS *pag.* 125. *ſequ.* Habebant et ſimulacra ſua, quae lucis detracta ſecum in praelium ferebant, TAC. *de mor. Germ. cap.* 7. quibus poſtea refertiſſima etiam Slauorum fana fuiſſe, teſtantur DITM. *Chron. Lib. VI. p.* 381. et HELMOLD. *Chron. Slau. Lib. I. cap.* 52. Habebant denique aras, ſacros fontes, ADAM. BREM. *Lib. I. cap.* 6. WILLIBALD. *Vit. S. Bonif. cap.* 8. ſacras arbores, et in primis quercus, de quibus AVENTIN. *Lib. III. Ann. Boic. cap.* 1. CAPITVL. *Lib. VII.* §. 3. *et* 6. ſacros colles, de quibus AVENTIN. *Lib. III. cap.* 1. ſed in primis lucos et ſiluas, auguriis patrum et priſca formidine ſacras, * quale caſtum illud nemus apud TACIT. *de mor. Germ. cap.* 40. lucus Semnonum apud EVMD. *cap.* 39. aliique, quos deſcribunt IDEM *Lib. IIII. annal. cap.* 63. *annal. Lib. II. cap.* 12. *et hiſt. Lib. IIII. cap.* 14. HELMOLD. *chron. Slau. Lib. I. cap.* 83.

* Quanta has religione coluerint, vel inde patet, quod arborem in iis caedere ſacrilegium videretur. Ad quam Germanorum ſuperſtitionem adludens CLAVDIANVS *de laudibus Stilich. Lib. I. v.* 228.

Vt procul Hercyniae per vaſta ſilentia ſiluae
Venari tuto liceat, lucosque vetuſta
Relligione truces, et robora numinis inſtar
Barbarici, noſtrae feriant impune bipennes.

Conf. INDICVL. SVPERST. PAGAN. *cap.* 6. apud BALVZ. *Capitul. Reg. Franc. Tom. I. p.* 150. CAPITVL. *de part. Sax. ibid. p.* 254. et quae obſeruauit SAGITTAR. *in antiqu. gentil. Thur. Lib. I. cap.* 3.

§. IIII.

Ergo et apud Germanos res vel diuini vel humani iuris.

Itaque procul dubio res DIVINI aeque, ac HVMANI IVRIS, habuere Germani, et vtrasque iis diſerte tribui animaduertimus a TACITO *Lib. I. annal. cap.* 51. dum de Germanico ſcribit: PROFANA *ſimul et* SACRA, *et celeberrimum illis gentibus templum, quod Tanfanae vocabant, ſolo aequantur.* An vero res diuini iuris in *ſacras*, *ſanctas*, *religioſas* que diſtinxerint, ignorare me quidem fateor, quamuis res non modo ſacras, ſed et alias multas, quibus religio deberetur, et ipſa fortaſſis conditoria, ſanctione poenali muniuiſſe videantur. *

* Tantum enim abeſt, vt impune violare licuerit rem vllam ſacram, vt et iis, qui vidiſſent eam, vel iuſſi, et ſine irreuerentia attigiſſent, pereundum eſſet. TAC. *de mor. Germ. cap.* 40. *Dicatum in eo vehiculum, veſte contectum, attingere vni ſacerdoti conceſſum.* Et paucis interiectis: *Mox vehiculum, et veſtes, et, ſi credere velis, numen ipſum ſecreto lacu abluitur. Serui miniſtrant, quos ſtatim idem lacus haurit. Arcanus hinc terror, ſanctaque ignorantia, quid ſit illud, quod tantum perituri vident.*

§. V.

An et diuiſio in ſacras, ſanctas et religioſas nota fuerit Germanis iam Chriſtianis?

Ceterum iis temporibus, quibus Chriſto nomen dabant Germani, Chriſtiani etiam adſumſerant notionem illam rerum SACRARVM, SANCTARVM et RELIGIOSARVM, quam in iure Romano deprehendimus, ac proinde dubitari nequit, quin Gothi, Franci, Burgundiones, Langobardi, et reliquae originis Germanicae gentes, vna cum religione Chriſtiana hanc ipſam opinionem imbiberint, illaque eo facilius radices egerit, quo magis ei iam olim, quum adhuc ſimulacra colerent, fuiſſent adſueti.

§. VI.

Quae illis res ſacrae, ſanctae, religioſae?

SACRAE ergo iſtis erant res conſecratae per chriſma, vti eccleſiae, altaria, vaſa ſacra, quin et oratoria priuata, quorum vſus ſaeculo 8. et 9. inualeſcere coeperat, quamuis deinde in ſyno-

ſynodis quam plurimis damnatus. ZIEGL. *not. ad Lancellot. Inſt. iur. can. Lib. II. tit.* 18. §. 2. DN. BOEHMER. *diſſert. de ſacris legatorum priuatis.* Eaedem res illis etiam SANCTAE erant, quippe inuiolabiles, et aduerſus omnem iniuriam ſanctione ſeuera munitae, et a profanis vſibus ſecretae, CAPIT. *Lib. I.* §. 31. et iure aſyli donatae. * RELIGIOSAE denique non modo ſepulcra, quippe in locis ſacris et religioſis quaerenda, partim quod ibi animae minus vexari ſpiritibus immundis, partim quod ſanctorum commendari patrocinio crederentur, ceu plane ex mente pontificiorum loquitur LANCELLOT. *Inſt. iur. can. Lib. II. tit.* 24. §. 1. verum etiam xenodochia, orphanotrophea, ptochotrophea, noſocomia, gerontocomia, et ſimilia. LEX LANGOB. *Lib. I. tit.* 2. §. 9. CAPITVL. *Libro VI. n.* 107.

* De origine, progreſſu, et inſigni abuſu iuris aſyli ex inſtituto egerunt plures, inter quos praecipue conſulendi SELDEN. *de iur. nat. et gent. Lib. IIII. cap.* 2. GEORG. RITTERSH. PETR. SARPIVS et OSIANDER *de iure aſyli*, HOSPINIAN. *de Templ. Lib. I. cap. vlt.* Attamen non omnes gentes ſtatim ius hoc aſyli videntur admiſiſſe. Saltim in LEGE SAX. *tit.* 3. §. 4. *ſeq.* legimus: *Qui hominem propter faidam in propria domo occiderit, capite puniatur. Capitis damnatus nuſquam habeat pacem: ſi in eccleſia confugerit, reddetur.* Sed haec vel ad ſpecialem caſum pertinent, vel ad tempus apud Saxones valuerunt. Poſtea enim per vniuerſam Germaniam valuit illud ius aſyli, quoad eccleſiae Romanae ſua vbique conſtitit auctoritas.

§. VII.

Enimuero quum hic nihil ſingulare habuerint Germani, ipſaque iura rerum ſacrarum ac religioſarum illis non alia fuerint, ac quae inculcat ius canonicum, et quae reliquae etiam gentes Chriſtianae receperant: iis non immorabimur, ſed quaedam tantum adiiciemus de rebus HVMANI IVRIS, quae apud Romanos in COMMVNES, PVBLICAS, VNIVERSITATIS et SINGVLORVM diuidebantur. COMMVNES Germanis etiam fuiſſe aerem et aquam profluentem, nemo negauerit: LEX LANG. *Lib. I. tit.* 19. §. 12. quamuis et *ius venti* intra tractum ſuum ſibi vindicaſſe principes, ex ANT. MATTH. *not. ad Chron. Egmond. cap.* 68. et SCHREVELII *Harlemo Lib. IIII. pag.* 181. diſcamus: an mare quoque et littora maris, communia putarint, non aeque expeditum eſt. * Quae communes?

* Maris ſaltim ſeptentrionalis dominium adfectaſſe videntur variae gentes Germanicae, quae illud paſſim claſſibus ſuis occupabant, et non modo piraticam faciebant, et in littoribus ſacra profanaque diripiebant, verum etiam alios

alios vſu maris prohibebant. In Germania antiqua claſſibus valuiſſe Suionas, ſcribit TACIT. *de mor. Germ. cap.* 44. vbi et eorum naues deſcribit. De Saxonum potentia nautica SIDON. APOLLINARIS *Lib. VIII. Epiſt. 6. et 9.* Sed et de Francis EVMENIVS *in panegyr. Conſtantino Caeſ. dicto, nihil clauſum eſſe* ait *Francis, quo nauigiis pateat acceſſus.* Quantum mari a ſaeculo nono dominati ſint Normanni, et quantam ſui formidinem per vniuerſam paene Europam circumtulerint, ex hiſtoria eorum temporum notiſſimum eſt.

§. VIII.

Quae publicae?

Certius eſt, pleraſque res, quas PVBLICAS vocabant Romani, Germanos noſtros vel principibus, vel reipublicae, attribuiſſe, ita, vt vſus non pateret ſingulis, niſi quibus eum conceſſiſſent principes, iiue, qui praeerant reipublicae. Id ſane verum eſſe de fluminibus, portibus, iisque omnibus, quae *ἀδέσποτα* vocari ſolent, facile probatur. Reges ſane Francorum * ſibi vindicabant ius piſcandi in fluminibus, idque *ſuam foreſtem* vocabant, (vid. *charta Childeberti apud* CAR. DV FRESNE *ſub voce Foreſte p.* 486.) ſiluas maiores ſeu foreſtas, (CAPITVL. REG. FRANC. *Lib. IIII. cap.* 42.) metallifodinas, (vid. *charta diuiſionis a Ludouico Pio anno* 817. *factae* apud BALVZ. *Tom. I. Capitul. p.* 375.) quin et ipſos theſauros. CAPITVLAR. III. *ann.* 789. *in adpend.* COD. CAROLIN. *Epiſt.* 561. apud DV CHESNE *Tom. IIII.*

* Eadem iura et reliquos Germanicarum gentium reges et principes ſibi adrogaſſe, nouimus. De fluminibus eorumque incrementis vid. HERT. *de ſuperior. territ.* §. 47. de ſiluis §. 48. de metallifodinis §. 46. de theſauris §. 45. vbi erudite ex antiquitatibus Germanicis demonſtrat, has res omnes ſibi vindicaſſe principes, et hinc ea iuribus maieſtatis vel regalibus a plerisque iuris publici ſcriptoribus accenſeri. Flumina tamen maiora LEX WISIGOTHICA *Lib. VIII. tit.* 4. §. 29. integra ab vllo piſcando occupari contra communem vtilitatem, vetat.

§. VIIII.

Quae vniuerſitatis?

Res VNIVERSITATVM etiam habuiſſe Germanos, certiſſimum videtur. Habuere enim comitatus vicique ſua praetoria, mallos, curias, fora, quamuis contra ſtadiis, theatris, aliisque huiusmodi aedificiis publicis aequo animo caruerint. Acceſſerunt poſtea, quum vrbes exſtruerentur, cauponae publicae, aquaeductus, balnea, triclinia publica: *hochzeit-vnd tanz-häuſer.* Singuli quoque pagi hodienum habent ſua paſcua communia, ſiluas communes, ſimiliaque, quae ad totam vniuerſitatem pertinent.

nent. Id vero notatu dignum, agrum ipſum antiquiſſimis temporibus non ſingulorum, ſed totius alicuius vniuerſitatis fuiſſe videri, eumque deinde publice quotannis diuidi conſueuiſſe, non ſingulis, ſed totis familiis. Id ſane colligimus ex Caes. *de bello Gall. Lib. VI. cap.* 22. et Tacit. *de mor. Germ. cap.* 26. quamuis iſta loca paullo obſcuriora ſint, et Oedipum adhuc deſiderent haec aenigmata. *

* Caesar rem ita deſcribit: *Agriculturae non ſtudent, maiorque pars victus eorum lacte et caſeo et carne conſiſtit; neque quiſquam agri modum certum aut fines proprios habet, ſed magiſtratus ac principes in annos ſingulos gentibus cognationibusque hominum, qui vna coierunt, quantum eis, et quo loco viſum eſt, attribuunt agri, atque anno poſt alio tranſire cogunt.* Idem *Lib. IIII. cap.* 1. *apud Sueuos priuati ac ſeparati agri nihil fuiſſe*, ſcribit. Denique Tacitvs: *Agri*, inquit, *pro numero cultorum ab vniuerſis per vices*, (plerique malunt *vicos*,) *occupantur, mox inter ſe iuxta dignationem partiuntur, facilitatem partiendi camporum ſpatia praeſtant. Arua per annos mutant, et ſupereſt ager.* Nos haec ita accipimus: Cuiuis vniuerſitati, e. g. pago, erat ager communis: *Die gemeine Fluhr.* Illum magiſtratus quotannis diſtribuebant ſecundum familias, ita tamen vt et dignitatis haberent rationem et illuſtribus ac ingenuis plus, quam plebeiis, adſignarent. Poſſeſſores illi, vertente anno, cedere cogebantur agro, aliumque accipere, quem magiſtratus attribuebat, ſorti fortaſſis ac fortunae rem committens. *Sortem*, ſane partem agri multo poſt vocare ſolitos eſſe Gothos et Burgundos, ex eorum legibus ſatis conſtat. Quin et Vandalis, ipſisque Francis non ignotum fuiſſe hoc vocabulum, patet ex Vict. Tvnvn. *de perſequ. Vand. Lib. III.* et Greg. Tvron. *Lib. IIII. hiſt. cap.* 49.

§. X.

Enimuero ſicuti illa agrorum communio non multo poſt Taciti tempora paene deſiiſſe videtur: ita et agri, et pleraeque res aliae, singvlorvm eſſe coeperunt: nec fieri potuit, gliſcentibus paullatim opibus, quin plura occuparentur a potentioribus, quae antea ad totam vniuerſitatem pertinuerant. Quin multa poſſidere coeperunt, quae maiores ignorarant, quo in primis referas hortos, vineas, * et pomaria, quibus caruiſſe maiores noſtros, teſtatur Tacit. *de mor. Germ. cap.* 26. Quae ſingulorum?

* Vino caruiſſe Germanos, *humore, ex hordeo aut frumento, in quamdam ſimilitudinem vini corrupto*, contentos, ſcribit Tac. *de mor. Germ. cap.* 23. addens tamen, *proximos ripae et vinum mercatos.* Quo ipſo hi ſeſe diſtinguebant a Neruiis et Sueuis, nihil ad ſe vini importari ſinentibus, teſte Caes. *Lib. II. cap.* 15. et *Lib. IIII. cap.* 2. In Gallia Probum Imp. vites ſeri permiſiſſe, tradit Vopiscvs *in Probo cap.* 18. At Germaniam magnam ſaeculo adhuc

adhuc VIII. nondum habuiſſe vineas, vel inde patet, quod Ludouico Germanico ob vini copiam adſignarentur vrbes quaedam trans Rhenum, veluti Moguntia, Spira Nemetum, et Auguſta Vangionum. ANNAL. BERTINIAN. *ad ann.* 843.

§. XI.

Res corporales, incorporales, mobiles et immobiles.

Non iam immorabimur alteri rerum diuiſioni, quam nobis ius Romanum ſufficit. Nam et Germanos diſtinxiſſe res CORPORALES et INCORPORALES, quas *iura* et *iuſtitias*, *gerechtigkeiten* adpellari in diplomatibus, videmus: et corporales porro diuiſiſſe in MOBILES, (*fahrniſs* vel *fahrende habe*,) et IMMOBILES, (*grundſtücke*,) tam notum ac peruulgatum eſt, vt eas diuiſiones vtramque paginam facere in legibus Germanicis, nemo ignoret.

§. XII.

Diuiſio vere Germanica in proprias et fiſcales.

Potius progredimur ad primam ac praecipuam rerum diuiſionem in PROPRIAS et FISCALES, * quam ita pulcre explicat HIER. BIGNON. *ad Marculf. Lib. I. cap. 2. p.* 857. PROPRIETATE *et* FISCO *duae notantur bonorum ſpecies, et velut maxima rerum diuiſio, quae eo ſaeculo recepta erat, quod et ex cap.* 33. (Marculfi) infra *colligi poteſt. Omnia namque praedia aut* PROPRIA *erant, aut* FISCALIA. PROPRIA *ſeu proprietates dicebantur, quae nullius iuri obnoxia erant, ſed optimo maximo iure poſſidebantur, ideoque ad heredes tranſibant.* FISCALIA *vero* BENEFICIA *ſiue* FISCI *vocabantur, quae a rege vt plurimum, poſteaque ab aliis, ita concedebantur, vt certis legibus ſeruitiisque obnoxia cum vita accipientis finirentur.*

* Equidem CAR. DV FRESNE *Gloſſar.* Tom. II. p. 454. *Fiſcus feudum, beneficium, praeſertim vetuſtioribus ſcriptoribus, quia in primaeua feudorum inſtitutione principes terras fiſcales ſeu patrimoniales fidelibus ſuis ſeu ſubditis concedebant in beneficium et feudum, idque ad vitam. Vnde fiſci nomen retinebant, quia non omnino alienatae erant, ſed cenſebantur eſſe de dominio donatoris et feofatoris.* Sed in eo fallitur vir doctiſſimus, quod fiſcos, vti vocabant, tantum in feudum datos exiſtimat, quum et terras Salicas fiſci fuiſſe, vel ſaltim a fiſco eſſe profectas, ex iis, quae §. 14. monebimus, ſatis ſuperque intelligatur. Fiſci huiusmodi *villae de* MVNERE REGIO poſſeſſae dicuntur apud MARCVLF. *form. Lib. I. cap.* 12. *et* 33.

§. XIII.

Propriarum aliae allodia, aliae he-

Rurſus PROPRIVM, (ita pergit BIGNONIVS,) ſeu PROPRIETAS *duplex. Alia quippe* ALODE *ſeu hereditas, proprium paternum aut maternum, erat. Alia non a parentibus accepta, ſed labore et*

Digitized by

et parſimonia cuiusque comparata, EX COMPARATO *aut* EX CONQVISITV *dicebatur*. * *Sed poſtea et res comparatas* ALODII *nomine vocauerunt, eoque peruentum, vt allodia liberi iuris praedia, quae nec fidem, nec penſitationem haberent, generaliter dicta ſint, ad feudi differentiam, quo ſenſu alodii vocabulum adhuc hodie iure noſtro vſurpatur.* Similia habent idem BIGNON. *ad Marculfi Libr. I. cap.* 13. *pag.* 895. et SIRMOND. *not. ad capitular. tit.* 7. *pag.* 761.

reditariae vel auitae, aliae ex comparato vel conquiſitae.

* Multis veterum teſtimoniis haec probat HIER. BIGNON. *p.* 875. *et p.* 805. Nos iam addimus quaedam loca ex CAPITVL. *Caroli Calui Tit.* 32. *p.* 145. *et* 147. *apud* BALVZ. *Tom. II.* vbi horum omnium bonorum fit mentio: *Vt miſſi noſtri eis* ALODES *illorum, quos de* HEREDITATE, *et de tali* CONQVISITV, *qui de* NOSTRA DONATIONE *non venit, habuerunt, reddant.* Et paullo poſt: *et ſicut praeſcriptum eſt*, ALODES *illorum de* HEREDITATE, *et* DE CONQVISITV, *quod tamen de* DONATIONE *ſua non venit, eis concedit.* Conf. M. ANT. DE DOMINICY *de praerogat. allod. cap.* 10. *p.* 65. *ſequ.* STRVV. *de allod. Imperii* §. 2. 3.

§. XIIII.

Neque tamen omnia bona FISCALIA erant feudalia; ſed in BENEFICIA et BONA SALICA diſtinguebantur. Illa et HONORES dicta, CAPIT. *Lib. IIII.* §. 30. *Lib. III.* §. 71. CAPITVL. *Caroli Calui tit.* 32. eaque cum fidelitate et ſeruitiis, in primis militaribus, coniuncta fuiſſe, nouimus. Haec inter feudum et alodium veluti media, nec ad ſeruitia militaria, nec ad fidem clientelarem, poſſeſſores obſtringebant, attamen et ipſa a beneficio principum proficiſcebantur, et ad ſolos maſculos tranſmittebantur ex LEGE SALICA *tit.* 62. §. 6. * Conf. DOMINICY *de praerog. allod. cap.* 7. §. 4. *ſequ. p.* 43. STRVV. *de allod. imp.* §. 7.

Fiſcalium aliae feudales, aliae Salicae.

* Ex quo facile patet, non omnino acu rem tetigiſſe ECCARDVM *ad Leg. Sal. p.* 107. dum terram Salicam non aliam fuiſſe putat, quam quae ad ſalam, vel domum curtis praecipuam, pertineret. Ita enim vix ratio reddi poteſt idonea, cur a ſucceſſione in terram Salicam filiae excluſae ſint, nec ſatis probabiles ſunt illae, quas reddit ipſe ECCARDVS, *quod nimirum, qui aedes paternas receperint, debuerint etiam habere, vnde eas ſuſtentarent: quod ſeruitiorum militarium onus non filiabus, ſed filiis, incubuerit: et filiae praeterea, quum per matrimonia in alienas familias deferrentur, ibi, vnde viuerent, inuenerint.* Prima enim ratio non ſatis vrget, quum et hodie domos paternas ſaepe quis adquirat ſine terris ſalicis, et eae tamen ideo non facile corruant. Altera non tam ad terram Salicam, quam ad feudalem, pertinet: tertia iuſto plus probat, nempe filias ne proprietatis quidem vllam partem conſequi debuiſſe, ſed exſortes eſſe potuiſſe hereditatis paternae. Quod tamen nemo dixerit.

§. XV.

§. XV.

Eaedem rerum diuiſiones et poſt Francorum tempora vſu ſeruatae.

Nullum eſt dubium, quin et poſtea hae rerum diuiſiones Germanis diutiſſime in vſu fuerint. * Hinc ſaeculo adhuc 13. ſaepe diſtinguuntur PROPRIETATES et FEVDA, illaeque etiam ALLODIA vocantur, cuius rei vel bina exempla adferre iuuabit, chartam Philippi Comitis Flandriae ann. 1180. apud MIRAEVM *dipl. Belg. Lib. II. cap.* 56. *p.* 285. et alteram Theoderici, Thuringiae Landgrauii et Orientalis et Luſatiae marchionis, ann. 1299. apud illuſtr. a LVDEWIG. *Reliqu. MSS. Tom. I. p.* 209. *ſequ.* Similiter Fulquinus quidam, circa annum 950. monaſterio Gemblacenſi donans IVRIS SVI PRAEDIVM, *in pago Braivibant, in loco, qui dicitur Dorp,* addit, *ſe donare rem exquiſitam et inexquiſitam, totum et ad integrum, et quod tam de* ALLODIO, *quam de* COMPARATO, *ſeu de quolibet* ATTRACTV, *ad ſe ibidem dignoſcatur perueniſſe.* MIRAEVS *dipl. Belg. Lib. I. cap.* 19. *p.* 141. Denique diuiſionis *feudorum* et *terrae Salicae* exempla ex hoc aeuo iam ſupra nos dare, meminimus. (Lib. I. §. 422. *)

* Huc etiam merito referas, quae iure Saxonico, Alamannico, nec non ſtatutis cum aliis, tum maxime Lubecenſibus et Hamburgenſibus, paſſim dicuntur *von eigen und lehen, erbe und errungenen* vel *wohlgewonnen Gütern.* Inter quae ratione alienationum, ſucceſſionum; et iuris retrahendi non leue diſcrimen ſtatuitur, de quo iam nonnulla ex his ſimilibusque ſtatutis diſſeruit IAC. FRIDR. LVDOVICI *diſſ. de diſtinct. bonorum hereditar. et adquiſitorum.*

§. XVI.

Axiomata quaedam de rerum diuiſionibus.

Enimuero, vti, quod de rebus *diuini iuris*, ſacris, eccleſiaſticis, religioſis, in Germania obtinet, ex alio fere fonte, quam vetere iure Germanico, promanat: ita I. hodie quoque pleraque aedificia publica, quin II. ipſas quoque aedes priuatas quodammodo ſanctione poenali munitas eſſe, animaduertimus. III. Res vero pleraeque *communes*, quatenus occupari ac poſſideri poſſunt, et *publicae* omnes iure Germanico etiamnum ad principem pertinent. * IIII. Rerum *vniuerſitatis* conditio ex ipſa natura collegii fluit, ac proinde a iure Romano Germanicum hic vix diſcrepat. Contra V. veteris diuiſionis in res *proprias* vel *allodiales* et *fiſcales*, *hereditarias* et *adquiſitas*, *feuda* et *allodia auita*, (*altväterliche Stamm-Güter*) veſtigia non pauca, eaque expreſſiſſima, ſuperſunt.

* Quum enim principibus adſignandae eſſent res, vnde ipſi cum familiis viuerent; conſultiſſimum viſum eſt, ea concedere, quae communia vel publica eſſent, ne ſinguli eo onere premerentur. Eleganter GROT. *de iure belli*

belli et pac. Lib. II. cap. 8. §. 5. Germaniae autem populi, quum principibus ac regibus quaedam eſſent adſignanda, vnde dignitatem ſuam ſuſtinerent, ſapienter exiſtimarunt ab illis rebus incipiendum, quae ſine damno cuiusquam tribui poſſint, cuiusmodi ſunt res omnes, quae in dominium nullius peruenerint. Quo iure vſos et Aegyptios video. Nam et ibi regum procurator, quem ἴδιον λόγον *vocabant, vindicabat res eius generis.* Vbi, quae de ſimili Aegyptiorum inſtituto refert, auctoritate Strabonis *Lib. 17. p. 797.* nituntur.

§. XVII.

Quandoquidem itaque pleraque aedificia publica ſanctione poenali munita eſſe videmus: (§. 16. 1.) facile explicare licebit, cur (1. principum palatia ita ſancta habeantur, vt nec principes ipſos, nec (2. eos, qui ex illorum familia ſunt, iniuria aliqua adficere, Rittersh. *de iure aſyl. cap. 3. n. 23.* nec (3. imagines aliasque res, ibi repertas, dolo malo vel culpa corrumpere, Stryk. *de ſanctit. reſident. cap. 3. n. 14.* nec (4. alios ibi adgredi, aut vlli mortalium vim facere, aut gladium ſaltim ſtringere, vel manum verberandi cauſſa tollere liceat, niſi vt vis iniuſta repellatur. Richt. *Part. V. Conſil. XX.* (5. Cur in pleriſque principum palatiis publice pendeat tabula, cum manu et ſecuri, vel alio ſigno, quod vocatur *der Burgfrieden.* * Myler. *de ſtat. Imp. Part. II. cap. 52.* §. 1. Fritsch. *ad l. vn. C. de palat. et dom. domin. cap. 12. n. 3.*

Sancta habentur palatia principum.

* Quamuis enim et ſine huiusmodi ſigno propoſito ſancta ſint principum palatia, Myler. *ibid.* §. 5. quum recte oſtenderit Stryk. *ibid. cap. 2. n. 4. ſequ.* ſanctimoniae iſtius fundamentum non aliud eſſe, quam ipſam Principis ſanctimoniam; plerumque tamen ſigna huiusmodi [illegible] adfigi ſolent in ipſo atrio vel propylaeo, ne imprudentiores in legem, tamquam in laqueum, incidant. Speidel. *voce Burgfried.* In muro palatii Caeſarei Viennae depicta eſt manus, ſtrictum vibrans gladium, cum verbis: *Der Römiſchen Kayſerl. Maieſtät Befehl, vnd ernſtliche Meinung iſt, vvelcher in dieſem Gezirk der Rom. Käyſerl. Burg. vnd Freyung mit Zanken vnd Schlagen verfält, der vvird mit Vngnad an Leib vnd Leben ſchvver geſtraffet vverden.* Pfeffing. *ad Vitriar. Lib. III. cap. 17. §. 76. p. 1251. Tom. III.* Alibi ſola adſcribuntur verba: *Furſtlicher Sächſisl. Burgfrieden.*

§. XVIII.

Eodem pertinet, (6. quod Principum palatia vbique immunia habentur ab omni metatorum onere. Tabor. *de metat. Part. I. cap. 7. n. 10.* (7. Quod ibi ius aſyli obtinet, ac proinde neminem inde vi extrahere licet ſine iniuria principis. Mager. *de*

Hinc et immunitas eorum et ius azyli.

de Aduoc. arm. cap. 15. *n.* 87. *ſequ.* FRITSCH. *ibid. cap.* 12. *n.* 10. MYLER. *ibid. cap.* 6. *§.* 29. (8. Quod ſimile ſibi ius vindicarunt Regum Principumque primi ordinis legati, in exterorum principum aulis commorantes. Qua de re inter Innocentium Papam XI. et Lauardinum acriter diſceptatum eſſe nemo ignorat. * KVLPIS, *de Legat. Stat. imper. cap.* 19. *§.* 3. HAHN. *de Legation.* §. 139. *ſequ.* WICQVEF. *l'Ambaſſadeur. P. I. Sect.* 28.

* Vocabatur *ius quarteriorum* vel *franchiſiarum*, idque in eo conſiſtere volebat Lauardinus, quod non modo iurisdictionem in familiam exercere poſſent legati, verum etiam iure aſyli gauderent eorum palatia, quin et vici, quos habitarent, adeo vt adparitores et viatores magiſtratuum, (*die Shirren*,) nec quemquam ibi prehendere, nec eo venire poſſent. De lite iſta, quam in neruum erupiſſe nouimus, accurate egerunt THOMAS. *diſſert. de iure aſyli legatorum aedibus non competente*, et V. A CORN. VAN BYNKERSH. *de foro legat. cap.* 20. *ſequ. Opuſc. min. p.* 550.

§. XVIIII.

Poenae eorum, qui palatia haec violant.

Hinc etiam ſunt (9. acriores poenae, quae iis, qui intra principum palatia deliquerunt, ſolent irrogari, veluti (10. quod, qui vel gladium duntaxat ſtrinxerint, vel manum ad verberandum ſuſtulerint, manu truncati in perpetuum, vel ad tempus relegantur: CARPZ. *prax. crim. Lib. I. qu.* 40. *n.* 33. *ſequ.* (11. quod furta etiam minus atrocia, in principum palatiis admiſſa, fracta laqueo gula expiantur. STRYK. *de reſident. princip. cap.* 4. *n.* 24. *ſequ.* (12. quod denique et in eos, qui feneſtras palatii dolo malo confregerunt, vel qui ſupellectilem ibi repertam corruperunt, huiusmodi exempla facta eſſe, legimus. IO. CHANVT. *adpend. ad Papon. Lib. XXIII. tit.* 6. *arreſt.* 1. *n.* 2.

§. XX.

Sanctimonia aliorum aedificiorum publicorum.

Quumque omnium fere aedificiorum publicorum ſimilis in Germania ſanctimonia eſſe exiſtimetur: (*§.* 16. 1.) facile reddideris rationem, (13. cur ſimile ius paſſim obtineat in dicaſteriis, * (14. eccleſiis, (15. coemeteriis, (16. curiis, (17. foris, (18. cauponis, (19. macellis, vbi caro venditur, (20. vel merces publice expenduntur, (21. in portibus et littoribus, quin et in molis, vineis, pomariis quibusdam. DATT. *de Pace publ. Lib. I. cap.* 6. Saltim ita cautum IVRE LVBEC. *Lib. IIII.*

IIII. tit. 15. art. 2. Verbricht einer vor dem Rath, oder dem Gerichte, mit Worten vnd Wercken, desgleichen in der Kirchen, vnd Kirchhöffen, auf dem Rath-Hauſse, Gericht-Buden, in der Marckte-Zeit, Weinkeller, Marckt, Fleiſch-Schrangen, Waagen, auf dem Stade bey der Trauen, der ſoll nach Gelegenheit der Verbrechung mit mehrer Straff, dann ſonſt gebräuchlichen, beleget werden. Dann dieſe Oerter haben BVRGFRIEDEN.

* Vrſit hoc vel maximo Matthias Imp. quum Ordines Boemiae quosdam in arce Pragenſi ex feneſtris proieciſſent, *vveil ſolches, vvieder dieſelbe in Dero Prage Schloſs vnd Königcher Reſidenz, in der Böhmiſchen Cantzley, vvo die gröſte Sicherheit vnd Reſpect ſeyn ſoll, furgenommen vvordem*, itemque, *vveil die Stande in Dero Prager Schloſs vnd Koniglicher Reſidentz, in der Böhmiſchen Cantzley, vnd zvvar in der Rats-Stuben, als an einem vornehmſten Ort, dahin aller recurs, ſo vvohl in Juſtitien- als des gantzen Landes angelegenen Sachen iſt, auch billig daſelbſt der gröſte Reſpect gehalten vverden, vnd iederman vor Gevvalt geſichert ſeyn ſoll, mit gevvpneter Hand kohmen, allada zvven aus dero Stadthaltern, vnd einen Secretarium, ohne alle vorgebende Anklag vnd verhohr, gevvalthätiger Weiſse angefallen, auch zum Fenſter hinaus in die Tieffe des des Schloſs-Grabens geſtürtzet.* Vid. GEORG. RITTERSHVS. *de Iur. aſylor. cap. 3. n. 22.*

§. XXI.

Multo magis ergo (22. ipſae vrbes, non modo intra moenia, ſed et extra illa, intra agrum ſuburbanum, gaudebant iure aſyli, quod vocabatur *der Weichfriede*, (*Lib. I. §. 113.* *) BEYER. *de violat. ſecurit. domeſt. §. 21.* quamuis (23. ea pax hodie, ſancita pace publica, non maioris momenti ſit, quam (24. priuilegia, quae ciues ad ſingularia certamina auocari prohibebant, qualia olim data eſſe legimus Noribergenſibus, WAGENSEIL. *de Ciuit. Norib. cap. 27. pag. 253.* Viennenſibus, LAMBEC. *de Biblioth. Vindob. Lib. II. cap. 5. p. 81.* Fridbergenſibus et Gelenhuſanis, LVNIG. *Part. Spec. Cont. 4. tit. Friedb. p. 729. et tit. Gelnh. p. 787.* immo et Francofurtenſibus, Tremonienſibus et aliis, de quibus idem LVNIGIVS *p. 561. 442. ſequ.* Et vrbium earumque territoriorum.

§. XXII.

Quum vero et aedes priuatae quodammodo ſanctae Germanis viderentur: * (§. 16. 2.) non obſcurum erit, (25. quid in legibus Germanicis ſibi velit vocabulum PACIS DOMESTICAE, *des hauſs-* Necnon aedium priuatarum.

hauſs-friedens. BEYER. *diſſ. de viol. ſecur. domeſt.* §. 22. *et* 27. (26. Cur eam violaſſe dicantur, qui aedes alterius oppugnarunt, vi introierunt, dominum vel inquilinum verberarunt vel vulnerarunt, intra eius parietes, (*binnen ſeinen vier pfählen.*) (27. Cur ea violatio ſecuritatis domeſticae capitalis ſit Coloniae, STATVT. COLON. *art.* 84. *et* 88. Vltraiecti, VOET. *ad* §. 8. *Inſt. de publ. iud. n.* 1. Lubaecae, IVR. LVBEC. *Lib. IIII. tit.* 8. *art.* 5. (28. alibi relegatione perpetua digna videatur, vti Hamburgi, IVS HAMB. *Part.* IIII. *art.* 51. §. *vlt.* alibi, veluti Suſati, Spirae, et in Ruſtringia, grauiore mulcta puniatur. ESBACH *ad Carpz. P. IIII. Conſt.* 13. *def.* 4. LEHMANN. *Chron. Spir. Lib.* IIII. *cap.* 16. *n.* 36. GRYPHIAND. *de Weichb. Sax. cap.* 76. *n.* 10.

* Iure etiam Romano domibus tribuebatur ſanctitas, ſed ob religionem Deorum penatium. CIC. *pro Domo cap.* 41. *Vid. Antiqu. Rom. Lib. IIII. tit.* 6. §. 16. *Tom. II.* Vnde neminem domo ſuo extrahere et in ius vocare licebat, *l.* 21. *D. de in ius voc. l.* 4. §. 5. *D. de damn. infect. l.* 103. *D. de regulis iuris.* Et atrociore iniuria videbatur adſectus, cuius domus vi introita eſſet *l.* 5. *pr.* §. 2. 5. *l.* 23. *D. de iniur.* Alia ratio erat Germanis, ſanctione poenali muniendi aedes priuatorum, nimirum turbae et bella priuata, ſub quibus tota fere Germania medio aeuo congemuit. Inde ortae omnes ſanctiones de pace publica, *Landfrieden*, canonica, *Gottes-frieden*, vrbana, *Weichfrieden*, aedificiorum publicorum, *Burgfrieden*, et priuatorum, *Hauſsfrieden.* Ceterum initio vrbes quasdam potentiores huiusmodi praeſidium circumpoſuiſſe ciuium ſuorum aedibus; poſtea vero id exemplum imitatas eſſe alias, quae αὐτονομίας gaudebant, coniicit BEYERVS *de violat. ſecurit. domeſt.* §. 24. *ſequ.*

§. XXIII.

Res communes et publicae fere ad principes pertinent.

Res *communes*, quatenus occupari et poſſideri poſſunt, et *publicas* omnes iure Germanico ad principem et hodie pertinere, (§. 16. 3.) argumento eſt (29. ius concedendi vſum venti molis pneumaticis, et aquam aquaticis: SCHILT. *Inſt. iur. publ. Lib.* II. *tit.* 1. §. 9. HERT. *de ſuperiorit. territor.* §. 47. (30. ius, ex aqua profluente colligendi aurum, MARQV. FREH. *orig. Palat. Lib.* II. *cap.* 17. (31. ius vindicandi nouas inſulas, GRYPHYAND. *de inſul. cap.* 11. *n.* 61. (32. alueos derelictos, GRYPH. *ibid. n.* 45. GROT. *de iure bell. et pac. Lib.* II. *cap.* 8. §. 9. (33. alluuiones, GRYPHIAND. *ibid. n.* 9. STYPM. *de iure marit.*

Part.

Part. II. *cap.* 5. *n.* 50. *ſequ.* (34. metalla, mineralia, ſalinas, HERT. *de ſuper. territ.* §. 45. *ſequ.* (35. gemmas, et alia a mari eiecta, vnde et (36. ius colligendi bona naufragorum ne hodie quidem vbique plane exoleuit. HERT. *ibid.* §. 56. *p.* 323. *ſequ.* *

* Vbi poſt SCHOTTEL. *cap.* 20. erudite docet HERTIVS *p.* 314. *ſequ.* id ius in Germania non modo circa littora maris, verum etiam circa ripas fluminum nauigabilium exercuiſſe principes, et quidem non modo ante *authent. Nauigia C. de furt.* ſed et multo poſt illa tempora, adeo vt adhuc ſaeculo XVI. ERASMVS *de inſtit. princ. Chriſt. p.* 178. effuderit hanc querelam: *At hodie quibusdam in locis, quidquid quocumque modo perit in mari, id veluti ſuum occupat praefectus, ipſo mari immitior: nam quod tempeſtas reliquum fecit miſeris, id ille, veluti altera tempeſtas, eripit.* Ex quo intelligi poterit, cur noua ſanctione opus eſſe viſum ſit CAROLO V. *in conſt. crim. art.* 218.

§. XXIIII.

Cur circa res vniuerſitatum non adeo diſcrepet a iure Romano Germanicum, in promtu cauſſa eſt, quia nimirum earum conditio ex ipſa collegiorum natura et indole fluit. (§. 16. 4.) Cui addere licebit et alteram, quod vniuerſitatum regimen, quale in ciuitatibus, et corporibus opificum, occurrit, Germani ab Italis, hi a Romanis accepiſſe videntur. Vid. *diſſ. de colleg. et corp. opific. cap.* 2. Ceterum pauca tantum addo, veluti (37. in pagis ruſticos non modo communiter pro indiuiſo vti rebus vniuerſitatis, veluti paſcuis communibus, verum etiam (38. pro diuiſo, veluti ſiluis communibus, eoque (39. pertinere diuiſiones rerum communium, quas vocant *Kabeln.* (40. Priſci iſtius moris agros toti vniuerſitati relinquendi (§. 9. *) veſtigium hodie quoque ſupereſſe inueſtituris immobilium allodialium, * de quibus DECHERVS *diſſert. ſing.* et BEYER. *ſpec. iur. Germ. Lib.* I. *cap.* 19. Iura rerum vniuerſitatis in Germania.

* Antiquiſſima, et hodie quoque frequentiſſima eſt illa immobilium agrorum aeque ac domorum inueſtitura, quam ante receptum ius Saxonicum in vniuerſa Germania viguiſſe, recte colligas ex IVRE PROV. SAX. *Lib.* I. *Art.* 8. et 52. *Lib.* II. *art.* 24. WEICHB. *Art.* 20. 60. *ſequ.* IVR. PROV. SVEV. *cap.* 308. et 311. Veram quoque eſſe hanc inueſtituram, non nudam confirmationem iudicis, recte vidit BEYERVS *ibid.* §. 10. qui etiam §. 13. *ſequ.* obſeruat, inueſtituram eam non dare iudicem, ſed magiſtratum. Ex quo recte colligere mihi videor, morem hunc non ex ſeruili municipum conditione repetendum eſſe, ceu ſibi perſuaſiſſe videtur BEYERVS *ibid.* §. 20. *ſequ.* ſed ex dominio illo vniuerſitatis in agrum vniuerſum, ex quo collegerunt,

runt, vniuerſitati, eamque repraeſentanti magiſtratui dominium directum in fundos omnes competere, adeoque nouos poſſeſſores obſtrictos eſſe ad petendam inueſtituram.

§. XXV.

Diuiſio rerum in allodiales et feudales.

Diuiſionis rerum PROPRIARVM, ſeu ALLODIALIVM, et FEVDALIVM, hodienum vſum eſſe quotidianum, docet experientia. Eam vero doctrinam, tot voluminibus explicatam hic enarrare, et ſuperuacuum, et ab inſtituti noſtri ratione alieniſſimum videretur. Itaque magis facturi nobis videbimur operae pretium, ſi reliquarum diuiſionum in bona HEREDITARIA et ADQVISITA, nec non in FEVDA et ALLODIA AVITA vſum, hodie ſuperſtitem, paucis oſtenderimus.

§. XXVI.

In hereditarias et adquiſitas.

Ad priorem quod attinet diuiſionem, de ea anno 1714. ſingularem diſſertationem ſcripſit IAC. FRID. LVDOVICI, in qua §. 3. *ſequ.* oſtendit, (41. HEREDITARIA bona IVRE HAMB. *Part. III. tit.* 1. *art.* 7. et LVBEC. *Lib. I. tit.* 10. *art.* 6. dici, quaecumque iure hereditario ſiue ab adſcendentibus, ſiue a deſcendentibus, ſiue a collateralibus, * ad aliquem peruenerunt, (42. iure MVNIC. LVNEB. *part.* 6. *tit. fin.* quae a patre vel maioribus; denique (43. ex CONSTIT. *D. Auguſti*, *Elect. Sax. Part. II. Conſt.* 12. quaecumque ſaltim ab auo profecta ſint: (44. ADQVISITA autem dici reliqua omnia, quae non ſint hereditaria, IVR. LVB. *Lib. I. tit.* 10. *Art.* 6. veluti donata, labore et arte parta, et quae quis ex ipſis hereditariis bonis comparſit. IVS HAMB. *Part. III. tit.* 1. §. 7. *et* 9. Vnde et alibi vocantur *die errungenſchafft*. (45. Hanc diuiſionem fere tantum ad fundos ſeu immobilia pertinere. LVDOV. *ibid.* §. 18. *ſequ.*

* Non ergo, quae coniux coniugi dedit, quia coniuges nec parentum, nec cognatorum nomine veniunt. Id quod iure Lubecenſi et Luneburgenſi dubio caret. Attamen IVS HAMB. *Part. III. tit.* 1. *art.* 8. bonis hereditariis adnumerat etiam, *vvas von demjenigen, ſo einem manne von vvegen der fravven, vnd der fravven vvegen des mannes von erbgut mitgegeben, oder bey ihrer beyder leben mit angeerbet vvird, vnd vvas nach abſterben des einen ehegatten bey dem überlebenden verbleibet.* LVDOVICI *ibid.* §. 13.

§. XXVII.

Eius effecta.

Ad effectus huius diuiſionis ſuperſtites referimus, (46. quod iure Saxonico bonorum hereditariorum alienatio illicita olim eſſet, niſi ea conſentientibus heredibus fieret. IVS PROV. SAX. *Lib.*

Lib. I. art. 52. Quod quidem ius hodie admodum reſtrictum, ac paene vſu ſublatum eſt, ſaluo tamen plerisque locis iure retractus. STRYK. *de ſucceſſ. ab int. Diſſ. VI. cap.* 1. §. 23. Nec aliunde eſt, (47. quod quum adquiſita alienari vbique poſſint, de hereditariis alicubi nemo ſine heredum conſenſu vel teſtamento diſponere, vel (48. illa inter viuos alienare poſſit. IVS LVB. *Lib. I. tit.* 10. *art.* 6. HAMB. *Part. III. tit.* 1. *art.* 4. et *Part. II. tit.* 8. §. 3. STAT. LVNEB. *art.* 10. Quamuis (49. non deſint variae exceptiones, quas diligenter expoſuit LVDOVICI *ibid.* §. 58. *ſequ.*

§. XXVIII.

Natura allodiorum auitorum illuſtrium.

Denique et auitorum bonorum, ad familias illuſtres pertinentium, qualia olim et terrae Salicae erant, veſtigia hodie quoque ſupereſſe, (§. 16. 5.) nemo negabit, qui (50. conſiderauerit naturam allodiorum, quae paſſim et ordines imperii, (ceu erudite docuit STRVV. *de allod. imp.* §. 10. *ſequ.*) et nobiles in Germania poſſident: ſiquidem (51. et ius primogeniturae illa adficit, MAVRIT. *conſil. Kilon. I. adp. n.* 65. TIRAQV. *de iure primog. Part. IIII. n.* 31. et (52. filiae illuſtrium, ſuperſtitibus maſculis, in illa non ſuccedunt, STRVV. *ibid.* §. 55. quamuis (53. is effectus, inuectis iuribus peregrinis, potius filiarum illuſtrium renunciationibus, quam ipſi naturae horum bonorum, tribui vulgo ſoleat.

§. XXVIIII.

An iis priuentur, qui deliquerint.

Ceterum de allodiis his (54. id quoque notatu dignum eſt, quod quemadmodum olim, qui feloniam, quin et aliud crimen atrocius, admiſerant, feudis tantum, non item allodiis priuabantur, vti luculenter probari poteſt exemplis Sunegiſili et Gallomanni, apud GREG. TVR. *hiſt. Lib. VIIII. cap.* 38. nec non Henrici Leonis apud ARN. LVB. *Chron. Slau. Lib. II. cap.* 36. ALBERIC. *ad ann.* 1193. contra (55. ob crimen laeſae maieſtatis et allodia huiuſmodi in fiſcum redigebantur: LEX BAIVVAR. *tit.* 2. *cap.* 1. §. 3. MABILL. *de re dipl. Lib. VI. n.* 59. ita (56. idem hodie quoque obtineat, et generatim proſcripti bonis omnibus, allodialibus aeque ac feudalibus, priuentur, ſiue coniuratione aduerſus remp. ſiue crimine fractae pacis, eam animaduerſionem commeruiſſent. ORD. WORM. *ann.* 1521. *tit.* 2.

TIT.

TIT. II.

DE DOMINIO, EIVSQVE DIVERSIS GENERIBVS.

§. XXX.

Ius vel in re, vel ad rem.

VTi iure Romano ius circa res vel REM IPSAM adficere, vel PERSONAM deuincire cenſetur: ita quin eadem differentia iurium IN RE et AD REM, vel IN REM et IN PERSONAM, iure etiam Germanico cognita fuerit, nemo, credo, dubitauerit. Et IVRIS quidem IN RE eaedem ſpecies fuiſſe videntur, quae Romanis, puta DOMINIVM, SERVITVS, IVS HEREDITARIVM et PIGNVS.

§. XXXI.

Dominium Germanis et in rebus incorporalibus conſtitit.

DOMINIVM Germanis quoque praecipue erat ius in re corporali: attamen et res incorporales ſeu iura cuiuſcumque generis, ſiue cum corporalibus coniuncta, ſiue ſeiuncta ab iiſdem, tamquam feuda vel allodia haberi poterant, nec tam ſubtiliter ea, quae in dominio ſunt, ab iis, quae in bonis ſunt, vmquam diſtinxerunt Germani, vti Romani. Hinc exſtant exempla, quod principes ipſi et comites ſola regalia in feudum acceperunt, terris iure allodii ad eos iam tum pertinentibus. * STRVV. *de allod. Imp.* §. 38. De iuribus vero aeque, ac de rebus corporalibus, vtebantur phraſi: *in* PROPRIVM *tradere.* Vid. HEDAM *hiſt. Vltraiect. p.* 95.

* De Hohenzollerano Comitatu VLR. PREGIZERVS *im Teutſchen Regir-und Ehren Spiegel p.* 27. *Das Schloſs und Stamm-Hauſs Hohenzollern neben dem darum liegenden Land iſt der alten Graffen und Furſten zu Hohenzollern rechtes freyes eigenthum, und tragen dieſe von dem Römiſchen Reich nichts zu Lehn, als den blut-bann, und eine gewiſse ſteuer von dem Schultheiſſen Ambt in der Reichs Stadt zu Reutlingen.* Similia de Comitatu Solmenſi tradit HERT. *de ſuper. territ.* §. 58. *ſequ.* de Saarwerdenſi IO. GOEDDEVS *Conſil. Marp. Vol. IIII. Conſ.* 57. de dynaſtia Homburgenſi ITTER. *de feud. imp. cap.* 5. *p.* 182. Quin ſaepe ipſa regalia iura, tamquam allodia, poſſideri, pluribus exemplis ac teſtimoniis probarunt GOEDD. *Conſil. Marp. Vol. IIII. conſ.* 37. ITTERVS *de feud. Imp. cap.* 8. *p.* 424. STRVV. *de allod. Imperii* §. 48. Itaque et plenum et minus plenum dominium ex Germanorum ſententia cadere poterat etiam

Digitized by Google

etiam in res incorporales, nec vllum diſcrimen agnouere Germani inter *veram et quaſi traditionem, veram et quaſi poſſeſſionem, verum et quaſi dominium.*

§. XXXII.

Itaque DOMINIVM Germanis fuit ius de re pro lubitu diſponendi, omnem vtilitatem inde capiendi, alioſque vſu iſtius excludendi, quin et eamdem ab alio quocumque vindicandi, niſi ea facultas vel lege, vel conuentione, reſtringeretur. * Ex qua definitione patet, Germanis etiam dominium vel PLENVM, vel MINVS PLENVM, id eſt, lege vel conuentione inaequaliter inter duos diuiſum fuiſſe. Dominium quid? et quotuplex.

* Ita aliquando reſtrictam videmus facultatem de re diſponendi, veluti in bonis mulierum, feudis, bonis auitis: aliquando facultatem vtilitatem omnem inde capiendi, vti in bonis pupillorum, quorum tutelam legitimam plerumque fructuariam fuiſſe, ſupra vidimus: (*Lib. I.* §. 353. *ſequ.*) aliquando facultatem vſu rerum ſuarum alios excludendi, veluti in agris ruſticorum, in quibus domino venari paſſim licet: (*Lib. I.* §. 77. 2.) aliquando facultatem vindicandi res commodatas et depoſitas, quae in alterius poſſeſſionem peruenerint, vti Lubecae, Hamburgi, aliisque locis, in quibus obtinet paroemia iuris: *Hand muſs hand vvahren*: de qua infra ſuo loco. Minime omnium tamen adimi poteſt ius, alios vſu rei excludendi. Quamuis enim plures quoque vti ſpoſſint re vna: tamen plures vti re nequeunt eodem modo, niſi ſit communis. Vnde hunc effectum ſolum dominii eſſentiam ingredi, non inſcite obſeruat BEYER. *ſpec. iur. Germ. Lib. II. cap.* 10. §. 6. *p.* 171.

§. XXXIII.

Dominii MINVS PLENI ſpecies in Germania potiores ſunt FEVDVM, ius vere Germanicum, CENSITICVM, quatenus cum inueſtitura coniunctum eſt, et, quod vocabulum aliquando reliquas ſpecies omnes complectebatur, VSVSFRVCTVS. * *Emphyteuſin* enim gentes Germanicae originis ignorabant, niſi quod Langobardi et Wiſigothi illam ex Romanorum legibus adſciuerant. LEX LANGOB. *Lib. III. tit.* 8. §. 2. LEX WISIG. *Lib. X. tit.* 1. §. 11. SCHILT. *Exerc. XVI.* §. 83. Nec *ſuperficiei* ego quidem in antiquitatibus Germanicis vel volam vel veſtigium deprehendi. ** Generatim vero, qui vtile dominium habebat apud maiores noſtros, is VSVMFRVCTVM habere dicebatur, ceu obſeruauit BEYER. *Spec. iur. Germ. Lib. II. cap.* 10. SCHILT. *Exerc. XVI.* §. 19. 20. THOMAS. *not. ad Inſt. Lib. II. tit.* 4. *p.* 157. Species dominii minus pleni.

* Nimirum Romanis vſusfructus erat ſeruitus, id eſt, ius in re aliena; Germanis dominium vtile. Quod adeo verum eſt, vt et feudum *vſusfructus* nomine veniat: *II. Feud.* 23. *fin.* et vſusfructus, qualis in *praeſtaria* eſt, vocetur dominium, veluti in FORM. LINDENBROG. *cap.* 23. *Propterea has litteras in te adfirmauimus, vt, dum aduiuis, vſualiter ipſam rem, tenere, et* DOMINARE *debeas.*

** Niſi quis huc referendum putet exemplum Ludouici II. Thuringiae Landgrauii, quem arcem Wartburgenſem in monte ad Frankenſteinios pertinente aedificaturum terram, prope Schawenburgum clam effoſſam, eo auehendam curaſſe, ac deinde, ſe in terra ſua aedificare, iuraſſe ferunt. Quamuis et hic plus iniuriae ac fraudis, quam iuris, deprehendamus, et ipſa hiſtoria non niſi a DRESSERO, BANGIO, BINHARTO aliisque eiusdem farinae ſcriptoribus referatur, merito exploſa a PAVLLIN. *Annal. Iſenac.* §. 19. *p.* 15.

§. XXXIIII.

Bona cenſitica quotuplicia.

De FEVDO iam dicere nos non patitur inſtituti ratio. BONA CENSITICA * duorum generum erant. *Aliis* enim cenſiti inueſtiebantur: *alia* iſti ſine inueſtitura poſſidebant, quamuis cenſum inde ſoluere tenerentur. GLOSSA ad IVS PROV. SAX. *Lib. II. art.* 21. Priore caſu dominium directum erat penes dominum inueſtientem, ceu docuerunt FRANZK. *de laudem. cap.* 11. §. 55. et SCHILTER. *Exerc. XVI.* §. 84. poſteriore ipſe cenſitus plenum dominium habebat rei, is, qui cenſum inde capiebat, iuris tantum, ſeu reditus annui dominio gaudebat. FRANZK. *ibid. cap.* 11. §. 30. SCHILT. *Exerc. XVI.* §. 85. Prioris generis fuiſſe videntur cenſiti, quos deſcribit TACIT. *de morib. Germ. cap.* 25.

* Loquimur de praediis cenſiticis: alioquin *cenſus* praeſtatio non ſemper erat ſignum dominii directi. Saepe enim cenſus ſoluebatur etiam in ſignum protectionis, qualem monaſterium S. Emmerani Ratiſponenſe praeſtabat Pontifici Max. HVND. *metrop. Salisb. Tom. I. p.* 149. *et p.* 157. cuiusmodi exempla, plura collegit ill. BOEHMER. *diſſ. de vario cenſ. ſignif. et iure* §. 10. *ſequ.* Aliquando et in ſignum exemtionis cenſus pendebatur: qualia exempla ſunt apud eumdem virum doctiſſimum §. 12. aliquando in ſignum ſubiectionis: *ibid.* §. 13. *ſequ.* quo et cenſus aduocatiae referas, *ibid.* §. 21. aliosque principibus, epiſcopis, nobilibus, patronis eccleſiarum, praeſtitos, de quibus *ib.* §. 24. *ſequ.* Sed de his cenſibus omnibus in praeſenti quaeſtionem non eſſe, facile vnusquisque animaduertit.

§. XXXV.

Laudemialia.

Inueſtitura itaque colono cenſito dabat vtile dominium, quod ſiue in perpetuum, ſiue ad dies vitae, ſiue vſque ad domini reuocationem, renunciationemue coloni durabat. IVS PROV. SAX. *Lib. II. art.* 59. IVS PROV. SVEV. *cap.* 48. §. 6. Hinc et laude-

laudemium ſoluebat, IVR. PROV. SAX. *Lib. III. tit.* 77. quod LAIVNECHILD, quaſi *Lehn-Geld* vocatur in LEGE LANGOB. *Lib. II. tit.* 1. §. 6. et iure gaudebat mutandi fundi faciem, nec, canone non ſoluto, expelli poterat, vti emphyteuta, ſed duplum in poenam praeſtare tenebatur in dies ſingulos, qui quidem eſt cenſus ille, quem doctores *promobilem*, iura Germanica *den rutſcher-zinſs* vocant, de quo IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 54. et SPEC. SVEV. *cap.* 71.

§. XXXVI.

Et quae ſine inueſtitura et laudemio poſſidentur.

Poſterioris generis cenſus varias ob cauſſas imponebantur praediis, veluti in ſignum iuriſdictionis, vel quia in venditione eorum reſeruatus, vel denique, quia certa pecuniae ſumma emtus fuerat. Cuius generis ſunt REDITVS ANNVI, *renthen*, vel *jährliche gülden*, medio aeuo tanto frequentiores, quanto magis ſanctionum, foenebri malo a Pontificibus oppoſitarum, ſeueritas homines ad excogitanda huiuſmodi [illegible], quibus legibus illis fraus fieret, reddebat ingenioſos. STRYK. *cautel. contr. ſect. II. cap.* 8. §. 13. *ſequ.*

§. XXXVII.

Vſusfructus iuris Germ. verum dominium vtile.

Latius patet VSVSFRVCTVS vocabulum, quo plerumque omne dominium vtile a Germanis notabatur. In LEGE LANGOBARDICA *Lib. II. tit.* 15. §. 2. ille vocatur LIDOLEIP, quaſi *Leibe zu Leib*, quemadmodum et in SPEC. SVEV. *cap.* 48. iiſque nominibus et precariae, ab eccleſiis conceſſae, et ius cenſiticum, et dotalitium, mulieri viduae conſtitutum, veniebant. Hunc vero non in ſeruitute aliqua, vti iure Romano, ſed et in dominio vtili conſtitiſſe, vel inde patet, quod et inueſtiri ſolerent vſufructuarii, IVR. PROV. SAX. *Lib. III. art.* 77. *art.* 21. §. 3. IVR. PROV. SVEV. *cap.* 196. et rem iure alienarent, niſi ea facultas illis pacto aliquo ademta eſſet. * IVS PROV. SVEV. *cap.* 49. §. 4.

* Rem ergo alienare nefas erat, ſi contrarium pactum acceſſiſſet, quale tamen admodum frequens eſt in formulis MARCVLFI *Lib. II. cap.* 5. 8. *et in adpend. cap.* 27. 41. 42. qui talibus praeſtariis ſemper inſeruit formulam: *Et aliubi res ipſas alienare pontificium non habeam*: (vbi *pontificium* eſt poteſtas, quemadmodum apud GELL. *Noct. Lib. I. cap.* 13. *et l.* 1. *C. Theod. de mat. bon. l.* 3. *C. Th. de fid. cath.*) De huiusmodi pacto SPECVLATOR SVEVVS, *cap.* 49. §. 3. *Habent aber die Laib* (ita ibi vocan-

tur vſufructuarii,) *ihr gut daran geben, vnd habent alſo gedinget, daſs er des guts ane ihrem VVillen nicht an vverd, oder hingeb. Habent ſie des gezeugen zvveen mann zu ihn, oder ſteht es an ihr hantveſt*, (in inſtrumento,) *ſo mag er des guts nicht an vverden an ihren VVillen. Seinen laib*, vſumfructum, *vvird er vvol an.* Pacto huiusmodi non adiecto, licita erat alienatio, ſed ſaluo domino directo iure protimiſeos, de quo §. *ſequ.* 4. *VVill er das gut, ane vverden, er ſoll es dann dem herrn ee ambieten, ee andern Leuten, vnd vvill er als viel darum geben, als ein ander mann, ſo ſoll man ihm es geben. VVill er des nicht, ſo gebe er ſein recht, vvem er vvill, vnd vvem er es geit, der ſoll auch dem herrn zinſs geben.* Ex quibus patet, Germanis ignotam fuiſſe regulam iuris Romani: vſufructuarium cedendo vſumfructum alii, quam proprietario, nihil agere. §. 3. *Inſt. de vſufr.*

§. XXXVIII.

Veluti dotalitium.

Operae autem pretium fuerit, praecipuas huius vſusfructus Germanici ſpecies hic recenſere paullo accuratius. In his prima ac veluti praecipua eſt DOTALITIVM, de quo ſupra plura diximus. (*Lib. I.* §. 245. *ſequ.*) Iam id addimus, viduas vetere iure non ſeruitutem tantum in praedio dotalitio eſſe conſequutas, ſed ipſum vtile dominium, idque vel inde patere, quod et alienandi iure quodammodo gauderent, SCHILT. *Exerc. XVII.* §. 31. et, quidquid vſufructuario iure illis promittebatur in pactis dotalibus, id iis *proprium* eſſe diceretur. *

* Ita Henricus I. Rex Germ. in diplomate ſaepe laudato apud GVNDL. *in hiſt. Henr. Aucup. p.* 313. dotis loco Mechthildi ſuae tradit vrbes Quitilingaburg, Palithi, Northuſam, Gronau, Duderſtede, cum ciuitatibus et omnibus, ad praedicta loca pertinentibus, et quidem non perpetuo poſſidendas, ſed ita, vt illis, *ſi ſuperſtes marito fuerit, et in ſanctae viduitatis pudicitia permanſerit, temporibus ſuis feliciter perfrueretur*: id eſt, vt vſumfructum perciperet ad dies vitae. Et tamen idem Henricus fatetur, *ſed huic omnia poteſtatiua manu tradidiſſe et* DONASSE, *quidquid* PROPRIAE HEREDITATIS *in praeſenti in locis iſtis videatur habere*: additque: *ſe illa Mathildae in* IVS PROPRIVM *conceſſiſſe.* Quae quidem non ſeruitutem in re aliena, ſed dominium exprimere, nemo credo negauerit. Et talia in aliis quoque inſtrumentis dotalibus paſſim occurrunt.

§. XXXVIIII.

Nec non precaria.

Idem dicendum de altera vſusfructus Germanici ſpecie, puta de PRECARIA. Quamuis enim precariarum, quae et *praeſtariae* dicebantur, alia plane origo ſit, quam pluribus deſcripſerunt THOMAS. *diſſert. de nat. prec. iurid.* §. 25. *ſequ.* et BOEHM. *iur. eccleſ. Lib. III. tit.* 14. eae tamen ſemel receptae a Germanis vere

Digitized by Google

vere induerunt naturam vſusfructus Germanici. Nam et renouatio earum, ſoluto laudemio, erat petenda ſingulis quinquenniis, CAPIT. CAROL. *ann.* 800. *apud* BALVZ. *Tom. I. p.* 332. *et ann.* 803. *ibid. p.* 411. et cenſus exigebatur annuus in agnitionem dominii directi: et alienatio permiſſa erat, niſi ſpeciatim ademta eſſet. *

* Omnia haec diſcimus ex formulis praeſtariarum variis apud BALVZ. *Capitul. Tom. II. p.* 406. 428. 450. 472. 506. 585. et MABILL. *Analect. Tom. III. p.* 84. vbi fere ſemper eccleſia ſibi ſtipulatur cenſum annuum ad lumina, et alienationi obicem ponit formula tali vel ſimili: *vt alibi nec vendere nec donare nec alienare pontificium habeam, niſi ſub iure et poteſtate ac dominatione eccleſiae permaneat.* Ceterum de precariis huiusmodi agunt etiam LEX ALAMANN. *tit.* 2. IVS PROV. SVEV. *cap.* 311. §. 2. *ſequ. et cap.* 48. vbi et inueſtiturae, et cenſus annui fit mentio.

§. XXXX.

Non vero vſusfructus maritalis et tutorius.

Talis etiam fuiſſe nonnullis videtur vſusfructus rerum omnium vxoris, marito competens, tamquam tutori vxoris legitimo. Vti enim vxor nihil earum rerum alienare, conſtante matrimonio, potuerit ſine mariti conſenſu: ita inde adparere putant, ſuſpenſum fuiſſe vxoris dominium vtile, illudque in maritum tranſiiſſe. BEYER. *ſpecim. iur. Germ. Lib. II. cap.* 10. §. 14. Sed, ſi fatendum, quod res eſt, vſusfructus tutorius, adeoque et marito competens, nihil commune habuit cum dominio vtili. *

* Dominium enim vtile dicitur in relatione ad directum. Niſi ergo dicere velis, mulieri vel pupillo competiiſſe dominium directum, fieri vix poteſt, vt marito vel tutori recte tribuatur vtile. Accedit, quod, vt recte obſeruauit THOMAS. *not. ad Inſt. Lib. II. tit.* 4. *p.* 157. vſusfructus tutori et marito non conceditur ad dies vitae, ſed quoad tutela durat. Itaque exiſtimo, illum vſumfructum plane diuerſae indolis eſſe, veram nimirum ſeruitutem perſonalem, quamuis leges Germanicae vocabula artis negligant, et quum vere Germanis duplex eſſet vſusfructus, alterque in dominio vtili, alter in ſeruitute conſiſteret, has tamen ſpecies vix diſtinxiſſe videantur.

§. XXXXI.

An et maioratus ſit vſusfructus Germ. vel dominium.

Idem BEYERVS *ibid.* §. 32. huc refert MAIORATVM, cuius poſſeſſoribus alii vſumfructum tantum; alii dominium plenum; BEYERVS vero cum PINELLO *l.* 1. *C. de bon. matern. p.* 2. *n.* 6. et LVD. MOLINA *de Hiſp. primog. Lib. I. cap.* 19. dominium vtile iuris Germanici tribuit. Enimuero quum et peregrinae ori-

ginis videantur maioratus, et in iis quoque vix oſtendi poſſit, cui dominium directum competat: * nolim ego quidem huic doctrinae ſuffragari.

* Equidem laudatus BEYERVS *ibid.* §. 36. hunc nodum ita diſſoluit, *quod dominium directum ſi non ſucceſſor futurus in maioratu, certe tamen integra familia ſuſtineat, quae poſſeſſorem, in bonis maioratus non recte ſe gerentem, iis priuare poſſit.* Verum ſucceſſoris dominium directum poſſeſſor nunquam agnoſcit: nec ſequitur, vt familia propterea eo dominio gaudeat, quia bonis maioratus priuare poſſit poſſeſſorem non vtentem fruentem boni viri arbitratu. Siquidem et Electores Imperii ſibi vindicarunt ius imperium abrogandi Wenceslao Imperatori, quibus tamen ideo non magis competere dixeris dominium directum, quam imperatoribus vtile.

§. XXXXII.

Axiomata de dominio vtili.

Hinc pauca elicimus axiomata: I. Ius emphyteuticum non eſt originis Germanicae, ſed cenſiticum. II. Cenſitis prout ad inueſtituram et laudemium obſtricti vel non obſtricti ſunt, eatenus vel vtile, vel plenum, dominium competit. III. Dotalitium non minus vere coniunctum eſt cum dominio vtili, quam IIII. precaria. V. Reliquae ſpecies vſusfructus Germanici potius ad ſeruitutes, quam ad dominium vtile, pertinent.

§. XXXXIII.

Ius emphyteuſeos.

Quum ergo ius emphyteuticum non ſit Germanicae originis: (§. 42. 1.) facile intelliges, (1. cur praedia ruſtica hodie in dubio magis cenſitica praeſumantur, quam emphyteutica. SCHILT. *Exerc. XVI.* §. 84. MENOCH. *de praeſumt. Lib. III. cap.* 106. *n.* 3. MOLL. *ad P. II. conſt.* 39. (2. Cur tamen, iure emphyteutico ſenſim a clero in Germaniam introducto, ea bona ex regulis iuris Romani aeſtimentur, ac proinde (3. et laudemium domino emphyteuſeos debeatur, et (4. canon, adeo, vt, (5. eo intra biennium vel triennium non ſoluto, emphyteuta priuari poſſit praedio. (6. Cur vocabulum *erben zinſs-güter*, quod vulgo tribuitur praediis emphyteuticis, iis perperam tribui exiſtiment THOMAS. *not. ad Pand. Lib. VI. tit.* 3. *p.* 110. et BEYER. *poſit. pand. Lib. VI. tit.* 3. §. 24. *

* Bona enim cenſitica vocabantur *Erb-Zinſs-Güter*, antequam Germanis innotuerat ius emphyteuticum. Deinde in huiusmodi bonis dominis in Germania non competebat ius protimiſeos, BEYER. *ibid.* §. 21. quod tamen denegari nequit domino emphyteuſeos. *l.* 3. *C. de iure emphyteut.* Enimuero vti doctores ſaepe confuderunt bona cenſitica et emphyteutica: ita non mirum eſt,

Digitized by Google

eſt, ICtos Ienenſes, ducto a bonis emphyteuticis argumento, domino etiam in bonis cenſiticis vindicaſſe ius protimiſeos apud Richt. *Deciſ. LXXVI.* §. 60. iisque ea in re ſuffragari Schilt. *Exerc. XVI.* §. 84.

§. XXXXIIII.

Ius bonorum cenſiticorum laudemialium.

Quumque in praediis cenſiticis dominium vtile competat cenſito, ſi inueſtitura interueniat: (§. 42. 2.) commode inde explicari poterit, (7. cur vocentur *zinſs-lehn*, dominuſque, qui cenſum accipit, *lehn-vnd zinſs-herr* dici ſoleat. (8. Cur mutato poſſeſſore petenda ſit renouatio inueſtiturae, ſoluendumque laudemium, *der wein-kauff.* Richt. *Part. II. Dec.* 83. *n.* 23. non autem (9. mutato domino directo, Franzk. *de laudem. cap.* 4. *n.* 22. Carpz. *Part. II. Conſt.* 39. *def.* 28. nec (10. praedio ad liberos defuncti poſſeſſoris deuoluto, qui ordinarie tantum ſoluunt honorarium, *den ſchreib-ſchilling.* Franzk. *ibid. cap.* 8. *n.* 119. (11. Cur cenſus augeri quidem nequeat, at (12. ſtato tamen die ſoluendus ſit promte, eoque (13. non ſoluto, non quidem priuationi locus ſit, ſed tamen (14. ipſe cenſus ſingulis diebus alicubi et hodie duplicetur. *

* Moribus hodiernis id ius fere abrogatum eſſe ſcripſerunt Carpz. *Part. II. Conſt.* 38. *def.* 25. Schottel. *de ſing. Germ. iurib. cap.* 19. §. 6. Sed eum tamen rigorem paſſim adhuc obſeruarunt viri docti, Bechm. *ad Pandect. Vol. I. P. I. Ex.* 13. *n.* 33.

§. XXXXV.

Et non laudemialium.

Quum contra in cenſiticis bonis, cum inueſtitura et laudemio non coniunctis, ei, cui cenſus debetur, non competat dominium directum: * (§. 42. 2.) facile patet, (15. cur bona iſta, etiam nulla praeuia denunciatione, poſſint alienari, et (16. is, qui cenſum exigit, ne ius quidem protimiſeos habeat. (17. Cur, cenſu non ſoluto, nec priuationi locus ſit, Carpz. *P. II. Conſt.* 39. *def.* 2. nec dupli exactioni, quamuis (18. non iniquum quibuſdam videatur, ei, cui cenſus debetur, in praedio competere tacitam hypothecam. Lvdov. *doctr. pand. Lib. VI. tit.* 3. §. 12.

* Equidem huic indiſtincte nullum ius, niſi cenſum et laudemium exigendi, relinquunt, et plenum ſemper dominium ad cenſitum tranſire exiſtimant doctores, veluti Coler. *de proceſſ. exſequut. Part. I. cap.* 10. *n.* 161. Linkivs *de bon. cenſit. cap.* 4. §. 1. Contra hoc dominium plenum doctorum errore inuectum, et bona omnia cenſitica ſine diſcrimine in vtili tantum dominio eſſe, exiſtimat Beyer. *ſpecim. iur. Germ. Lib. III. cap.* 23. §. 15. Alii

nobiſcum

nobiſcum diſtinguunt bona *laudemialia* et *non laudemialia*, et in illis domino dominium directum; in his tacitam hypothecam tribuunt. Lvdov. *doctr. pand. Lib VI. tit.* 3. §. 12. Alii ne id quidem concedunt. Tantam caliginem ICtis praeſtantiſſimis offudit emphyteuticos cum iure cenſitico confuſio; quam intempeſtiua iuris Romani ad res Germanicas adplicatio peperit. At ſi inter bona cenſitica laudemialia et non laudemialia diſtinguas, facile ac ſine pulueris iactu has lites omnes compones.

§. XXXXVI.

Ius dotalitii.

Quemadmodum porro dotalitium procul dubio coniunctum eſt cum dominio vtili: (§. 142. 2.) ita non mirum eſt, (19. illud a ICtis Germanicis vocatum eſſe vſumfructum, Coler. *Part. I. Dec.* 60. *n.* 14. Tab. *de dotalit.* §. 25. quippe quem cum dominio vtili pari paſſu ambulare, diximus. (§. 33.) Nec minus inde ratio reddetur, (20. cur vtilem dotalitii vindicationem vxori concedant Ravchb. *Part. I. quaeſt.* 30. *n.* 21. Henel. *de dotalit. cap.* 12. §. 18. Beyer. *ſpec. iur. Germ. Lib. II. cap.* 20. (21. Cur et ex lacu terram arabilem fieri poſſe a vidua, exiſtimet Nic. Everard. *conſ.* 217. *n.* 17. (22. Cur laudemia, cenſus, aliaeque praeſtationes, non defuncti heredibus, ſed viduae, debeantur. Henel. *de dotalit. cap.* 8. §. 8.

§. XXXXVII.

Ius precariae.

Quia praeterea idem dicendum erat de precaria: (§. 42. 4.) conſequi videbatur, (23. vt et precariam alienare liceret, niſi id, ſpeciali adiecto pacto, prohiberetur: (24. Vt et ad heredes deuolui poſſet ius precariae. (25. Vt non minus, ac in aliis bonis, quae quis iure vſusfructus poſſidebat, et inueſtitura exigeretur, et (26. laudemium. Beyer. *ſpec. iur. Germ. Lib.* II. *cap.* 10. §. 29. Quae omnia (27. tam euidenter ex dominii vtilis, vel vſusfructus Germanici, indole fluunt, vt in precaria dominium vtile agnoſcant doctores plurimi, ex quibus Alvarottvm, Schradervm, Blvmblachervm, Velascvm, Molinam, * et Boekelmannvm laudat Beyer. *ibid. pag.* 174. Immo hic *tract.* 2. *de iuſtit. et iure diſp.* 371. *n.* 4. *pag.* 528. *Tom. II. ipſum* quoque *vſufructuarium habere, ait, dominium vtile rei, qua fruitur, ſed quod cum ipſius morte ſit finiendum conſolidandumque cum proprietate, deficiatque multum ab vtili dominio ſimpliciter, quale ſit emphyteutae, feudatarii, aut ſuperficiarii.* Ex quo colligas, in ipſam quoque Hiſpaniam penetraſſe veteris iuris Germanici principium, quod vſusfructus non in ſeruitute,

Digitized by Google

ſeruitute, ſed in dominio vtili, poſitus ſit, at in eo tamen falli doctores etiam Hiſpanicos, quod illud ex iure Romano, et quidem ex *l.* 4. *D. de vſufr.* explicare non dubitant.

§. XXXXVIII.

Non omnis vſusfructus Germ. eſt dominium vtile.

Reliquae vſusfructus Germanici ſpecies magis ad ſeruitutes, quam ad dominium vtile pertinent. * (§. 42. 5.) Vnde patet, (28. quod nec dominium directum in iis vlli tribui poſſit, et (29. inueſtitura pariter ac (30. laudemium in iis plane ceſſet, immo (31. alienandi facultas vſufructuario vel plane ademta, vel (32. admodum reſtricta ſit. Quo (33. in primis referimus vſumfructum paternum, maternum, maritalem, tutorium, de quibus omnibus iam ſupra fuſius actum eſſe, meminimus.

* Saltim, inuecto iure Romano, pleraeque vſusfructus ſpecies naturam vſusfructus Romani induere, precariae autem permultum cum precario Romano commune habere coeperunt. Itaque concluſiones pleraeque, hactenus explicatae, non vbique obtinent, ſed veluti reliquiae iuris veteris, paſſim ſuperſtites, et tamquam nantes in gurgite vaſto tabulae obſeruandae ſunt.

TIT. III.

DE MODIS ADQVIRENDI DOMINIVM NATVRALIBVS.

§. XXXXVIIII.

Modi adquirendi vel naturales, vel ciuiles.

QVemadmodum Romana iuriſprudentia adquirendi modos in NATVRALES vel IVRIS GENTIVM, et CIVILES diuidit: ita eamdem diuiſionem Germanis quoque ſollemnem fuiſſe, extra omnem dubitationis aleam poſitum videtur *.

* Quum enim naturales ex iure naturae et gentium proficiſcantur, hoc vero ius recta ratio inter omnes gentes conſtituerit, et apud omnes peraeque cuſtodiatur: §. 1. *Inſt. de iur. nat. gent. et ciu.* fieri non poteſt, quin Germanis hi adquirendi modi aeque noti, atque vſu quotidiano recepti, fuerint, ac Romanis. Nec dubitari poteſt, quin et ſuos ſibi adquirendi modos habuerint, ab iis, quos leges Romanorum ciuiles inuexerant, admodum diuerſos, quum et ſuum ſibi ius ciuile habuerint. (*Lib. I.* §. 1.) Sic e. g.

praeſcriptio Germanica diuerſiſſima eſt a Romana, quia vtraque legibus ciuilibus, illa Germanorum, haec Romanorum, inuecta eſt.

§. L.

Itemque vel originarii, vel deriuatiui.

Natvrales adquirendi modos, de quibus hoc titulo agere conſilium eſt, in originarios et derivativos; illos in simpliciter et secvndvm qvid originarios, recte diuidunt Grotivs et Pvffendorffivs. Ex quo ſimul patet, non plures, quam tres fingi poſſe modos adquirendi, ex iure gentium deriuandos, occvpationem, accessionem et traditionem, adeoque nec in Germania plures quaerendos eſſe.

§. LI.

Occupatio eiuſque prima ſpecies venatio.

Occvpationis quae ſit natura et indoles, quotque eiuſdem ſpecies ſint, iam alibi ſatis explicauimus. Itaque, omiſſis illis generalibus, ea, quae ſingularia circa eam habuerunt Germani, paucis conſectabimur. Venationis cupidiſſimos fuiſſe Germanos, eamque praecipuam principum atque ingenuorum occupationem pacis temporibus fuiſſe, iam ſupra, vbi de iuribus nobilium atque ingenuorum actum eſt, perſpicue oſtendimus. *

* Exiſtimat equidem doctiſſimus Beyervs, *ſpecim. iur. Germ. Lib. II. cap.* 1. §. 3. *ſequ.* non vno argumento probari poſſe, olim apud Germanos hoc ius omnibus patuiſſe. Nam (1. ivre Prov. Sax. *Lib. II. art.* 61. et Svevico *cap.* 351. cautum eſſe, neminem ideo puniri, quod feram ſit venatus, auemue aut piſcem ceperit, *daſs niemand ſeinen Leib, oder ſeinen Geſund, an dieſen dreyen verrwürcken möge.* (2. Paſſim adhuc in Germania ſupereſſe libertatem venandi, *die freye pürſtgerechtigekit*, Ott. *von der freyen purſt. Vlm.* 1725. quam priſci ſtatus Germanici reliquiis accenſere non dubitat. (3. Ivre illo sax. *ibid.* trium duntaxat foreſtorum bannorumue ferinorum fieri mentionem. (4. Rariſſimum ad Fridrici I. Imp. tempora vſque fuiſſe iuris foreſtalis vſum: deinde ſub finem demum ſaeculi XII. in feudum dari coepiſſe. Steph. Christ. Harpr. *ſciograph. libert. venationis German.* §. 3. *ſequ.* Quibus argumentis quid ſolidi inſit, paucis erit diſpiciendum.

§. LII.

An libertas venandi probetur ex iure Sax. et Alamannico?

Quamuis enim vtroque iure, Saxonico et Alamannico, proditum ſit, *daſs niemand ſeinen leib oder geſund an fiſchen, vögeln vnd wilden thieren verwürcken möge*, idque ius ſpeculator Saxo ex iure, a Deo, conditore huius vniuerſi, generi humano in haec animalia conceſſo; Svevvs ex conſtitutionibus Regum Germanorum deriuet: non ſequitur tamen inde, vt libera

bera fuerit in Germania venatio, ſed vt mitiore poena coercendos putarint eos, qui feras, aues et piſces interceperint, quam reliquos fures, qui aliorum inuaſerint cuſtodiam. *

* Et tamen non deſunt exempla, quae olim in eos, qui furtim venari auſi erant, ſatis acriter animaduerſum eſſe, docent. Memoriae enim prodidit Greg. Tvron. *Hiſt. Lib. X. cap.* 10. Guntchranum Regem, quum Vogeſum pererrans venandi cauſſa, veſtigia quaedam occiſi bubali deprehendiſſet, et a comite iſtius ſiluae comperiſſet, Chandonem cubicularium ibi furtim venatum, eum prehendi, vinctumque obrui lapidibus iuſſiſſe. Sed et ſaeculo XII. circiter medio *viri cuiusdam, propter furtiuam venationem adiudicati patibulo*, mentio fit in diplomate apud illuſtrem Io. Petr. de Lvdevv. *Reliqu. MSS. Tom. VI. p.* 51. Tantum itaque abeſt, vt libera fuerit venatio, vt poenis atrociſſimis iam tum coercerentur, qui aduerſus bannum ferinum feras cepiſſent, occidiſſentue. In quam principum ſeueritatem grauiter inuehitur Io. Sarisber. *Policrat. Lib. I. cap.* 4.

§. LIII.

Nec adeo certum eſt, libertatem illam venandi, qua alicubi gaudent ciues, quaeque vocabulo *der freyen pürſt-gerechtigkeit* venire ſolet, priſtinae libertatis Germanicae reliquiis accenſendam eſſe, quum nuſquam fere eam libertatem vſurpent plebeii, quam vbi vel procax libertas ciuitatem miſcuit, veluti olim in Friſia, Vbb. Emm. *rer. Friſ. Lib. II. pag.* 74. vel, exſtinctis familiis regnatricibus, plebs ad maiorem libertatem adſpirauit, veluti in Sueuia: * vel vbi tanta eſt ferarum multitudo, tantaque ſiluarum vaſtitas, vt non adeo neceſſarium videretur, eas ſanctionibus ſeuerioribus muniri.

An ex iure quod vocatur *die freye Pürſt?*

* De iure venandi promiſcue omnibus paſſim permiſſo conferri meretur Knipsch. *de ciuit. imper. Lib. II. cap.* 7. *n.* 20. Alioquin paucis illis tractibus exceptis, in Germania quoque vbique obtinet, quod ſcripſit Ivl. Pollvx *in prooem. Lib. V.* onomaſtici: ἡρωϊκὸν καὶ βασιλικὸν eſſe venandi ſtudium, id eſt *heroicum et regium*, a quo priuatos ipſum vitae inſtitutum deterrere debeat.

§. LIIII.

Negari porro nequit, a speculatore Saxone tres tantum ſiluas, banno ferino regali munitas, recenſeri, quas vocat *die heyde zu Kôbne*, in Thuringia; *den Hartz*, in inferiore Saxonia; et *die meydeheyde oder Prettiniſche heyde*, quas ipſe pro eadem habuit, illuſtris Lvdewigivs vero in *diſſert. de venatu eiuſque regali diſſ. V. pag.* 39. alteram in ducatu Magdeburgico, alteram in Saxonia quaerendam eſſe, exiſtimat. At tanto plures

An ex paucitate ſiluarum regiarum, quas memorat ius Saxonicum?

res huiuſmodi *ſiluas regales*, vti vocat GREG. TVR. *ibid.* vel *foreſtes*, ſolis regibus patentes, enumerant CAPITVL. CAROLI M. *anni* 805. *cap.* 39. LVDOVICI PII *anni* 819. *cap.* 39. CAPITVL. *Lib. IIII. cap.* 42. CAPIT. CAROLI CALVI *tit.* 52. §. 32. Ceterum ad pauciſſimas redactas eſſe ſiluas regias, non magis mirum eſt, quam reliqua bona regum fiſcalia fere ex hominum memoria euanuiſſe *.

* Tot enim diplomata, quae paſſim ſuperſunt, ſatis oſtendunt, Reges ampliſſimos ſiluarum tractus cum banno ferino epiſcopis, principibus, eccleſiisque donaſſe. Sic Carolus M. anno 798. Epiſcopo Wormatienſi contulit omnem ſiluaticum in Otenvvalt, qui olim ad fiſcum pertinuerat. SCHANNAT. *hiſt. epiſc. Wormat. in cod. probat.* p. 1. Arnulfus Rex anno 889. eccleſiae Eyſtetenſi donat *quemdam locum, Sezzi nominatum, cum quadam parte ſiluae et* FORESTI *de curte Vveiſenburg.* FALCKENSTEIN. *cod. dipl. antiqu. Nordg.* p. 14. Sed et Otto III. anno 988. Epiſcopo Wormatienſi concedit regium BANNVM in ſiluis circa Wimpinam ciuitatem, et villam Biſcouesheim, ſitis, *quam ille cum imperatoris licentia et auctoritate, nec non et voluntate et adſenſu bonorum militum in circuitu habitantium, noniter inforeſtarit, vt nulla dehinc perſona parua ſiue magna, aliquam feram vel beſtiam ibi venari vel capere, vel inſequi praeſumat, ſine licentia ſuperius iam dicti epiſcopi, ſiue ſucceſſorum eius.* cetera. SCHANNAT. *ibid.* p. 28. Tale etiam diploma Henrici II. eidem eccleſiae Wormatienſi datum, habet SCHANNAT. p. 34. aliaque Ottonis I. et Henrici II. quibus Epiſcopo Vltraiectino datur facultas venatu prohibendi alios quorcumque, *ceruos, vrſos, capras, apros, beſtias inſuper, quae Teutonica lingua Elo et Schelo adpellantur, capreolos.* HEDA *de epiſc. Vltraiect.* p. 83. *et* 101. Similia Ottonis IIII. Conradi IIII. Rudolphi I. collegit HERT. *de ſuper. territ.* §. 48. p. 302. Quis ergo miretur, bannum regale vbique paullatim ad principes perueniſſe, adeoque paucas ſaeculo XIII. ſuperfuiſſe ſiluas regias?

§. LV.

An iuris foreſtalis rarior ante Fridricum I. vſus?

Denique vel ex his, quae adduximus, exemplis ſatis intelligitur, contra annalium fidem referri vel ab HARPRECHTO, vel a BEYERO, rariſſimum vſque ad tempora Fridrici I. Imp. fuiſſe iuris foreſtalis vſum. Neque enim id quiſquam dixerit, qui res veterum Francorum, ipſaque regum Germaniae diplomata, vel ſaltim, quae CAROLVS DV FRESNE *in Gloſſario Lat. voce Foreſte* collegit, paullo accuratius vmquam expenderit *.

* Quin ipſae leges veteres argumento ſunt, banni ferini multo maiorem vſum fuiſſe ante Fridricum I. Imp. quam poſt illa tempora, quibus principes et regias ſiluas intra ſua territoria fiſco ſuo paullatim vindicarunt. Attulimus ſupra nonnulla huius generis teſtimonia ex CAPITVLARIBVS. Iam addo, quae occurrunt in LEGE LANGOB. *Lib. I. tit.* 23. *et Lib. III. tit.* 35.

§. LVI.

Digitized by Google

§. LVI.

Venandi ius quale medio aeuo?

Quare certiſſimum eſt, venationem in Germania propriam fuiſſe regibus, nobilibus, et ingenuis, et hos illam in praediis; illos in territoriis ſuis; iſtos in ſiluis regiis ſeu foreſtis maioribus exercuiſſe, ita, vt nemini vel ſubdito, vel extraneo, id ius permitterent, ſed grauiſſimis poenis tamquam fures coercerent, qui intra fines banni alieni venari non dubitaſſent, niſi extraneus ius illud intra alterius fines iure ſeruitutis vel praeſcriptione * quaeſiuiſſet: qualia exempla etiam hodie ſupereſſe, obſeruauit HERT. *de ſuperior. territ.* §. 49. *pag.* 504.

* Attamen ORDIN. PROV. SAX. anni 1555. *tit. daſs keiner auf des andern grund vnd boden etc.* poenam 100. florenorum interminatur iis, qui in fundo alieno (*auſſer ihrer vnd ihrer leute eigenthum*) venentur, nec ratio haberi iubetur praeſcriptionis, (*vngeachtet eines fürvvendens, daſs es anders hergebracht, vnd im Brauch gehalten.*) Prodeſſe tamen et hic poſſeſſori praeſcriptionem immemorialem, poſt CARPZ. *Part. II. Conſt.* 3. *def.* 25. obſeruat ZIEGLER. *de iur. maieſt. Lib. II. cap.* 14. §. 45. qui et inſequente §. 46. exemplis probat, extra Saxoniam electoralem quaſi poſſeſſionem in poſſeſſorio profuiſſe et iis, qui in alieno fundo iure venandi quiete vſi eſſent.

§. LVII.

Nec non iuris piſcandi et aucupii.

Nec alia ratio fuit iuris AVCVPII, et PISCATIONIS, quod ipſum quoque reges, principes, nobiles ac ingenui ſibi ſolis vindicarunt, excluſis aliis. Saltim certum aucupii genus, quod per falcones et accipitres, per laqueos et retia exercebatur, principes et nobiles ſibi, tamquam praecipuum, ſeruarant. Teſtes ſunt non ſolum HINCMARVS, qui ſingulari epiſtola, quam de officiis domus regiae Francorum ſcripſit, *capite* 5. inter praecipuos miniſtros Carolomanni refert etiam *venatores principales quatuor et falconarium vnum:* ſed et HERTIVS, qui *ibid. pag.* 502. meminit chartae Rudolphi I. Regis, qua Comiti Cattimelibocenſi cedit *villam Tribure cum* CAPTVRIS FALCONVM *et foreſto Schlichter.* Nec piſcandi ius cum omnibus promiſcue communicatum eſſe, ſed reges et principes in fluminibus quoque ſua *foreſta*, id eſt, loca, ſanctione poenali munita, habuiſſe, iam ſupra ex charta Dagoberti, regis, oſtendimus. (§. 8.) Iam adde diploma Ottonis I. anno 944. ſcriptum, apud HEDAM de *epiſc. Vltraiect. pag.* 84. quo eccleſiae Vltraiectinae *totam* PISCATIONEM, *quam hucuſque in Amuſon et in Almere ad ſuum*

REGALE IVS *habere viſus ſit, in proprium concedit.* Facilius tamen haec iura cum aliis communicata eſſe ſiue per inueſtituram, ſiue per priuilegium, facile eſt ad intelligendum *.

* Hinc in diplomatibus vetuſtioribus, tantum non omnibus, quoties praedia quocumque titulo in alios transferunt reges et principes, ea ſe cedere profitentur *cum adpendiciis ſuis, mancipiis, aedificiis, campis, agris, pratis, ſiluis, aquis, aquarum decurſibus, molendinis,* PISCATIONIBVS, *terris cultis et incultis, exitibus et reditibus, quaeſitis et inquirendis, mobilibus et immobilibus, ſeu quidquid legitime et iuſte adſpicere et permanere videtur.* Exemplum vide apud FALCKENSTEIN *ibid. p.* 17. 27. Qualis formula tam frequens eſt in Imperatorum chartis, vt Henricus IIII. in diplomate, quod frater, ὁ μακαρίτης, *in Antiqu. Goſl. Lib. I. p.* 82. edidit, ei praemittat verba: *Idem autem, vt mos eſt dare regibus vel imperatoribus, ſic dedimus, cum omnibus adpendiciis.* cet. Sed et *aucupiorum* mentionem fieri, ſaepe animaduertimus.

§. LVIII.

Occupatio rerum hoſtilium per latrocinia.

Itaque venationem Germanis non fuiſſe ſpeciem occupationis, ſatis luculenter, vt opinor, oſtendi. Contra frequentiſſima maioribus noſtris fuit OCCVPATIO BELLICA, quippe qui latrociniis, excurſionibus in vicinas prouincias, et piratica * rem facere, pulcrum ſibi ac glorioſum ducebant. CAES. *de bello Gall. Lib. VI. cap.* 23. *Latrocinia nullam habent infamiam, quae extra fines cuiuſque ciuitatis fiunt, atque ea iuuentutis exercendae ac deſidiae minuendae cauſſa fieri, praedicant.* Et POMPON. MELA *de ſitu orb. Lib. III. cap.* 3. *Ius in viribus habent, adeo, vt ne latrocinii quidem pudeat.* Add. TACIT. *annal. Lib. XII. cap.* 27. AMMIAN. MARCELL. *Lib. XVII. cap.* 10. *Lib. XXI. cap.* 3.

* De Saxonum piratica res nota eſt ex SIDONIO *Lib. VIII. Ep.* 6. *Lib. VIII. Ep.* 9. aliiſque vetuſtis auctoribus, ex quibus excerpta dedit LEIBNIT. *ſcript. rer. Brunſu. Tom. I.* De Francis ſimilia memoriae prodidit LIBANIVS, qui *in Baſilico:* τὸ γὰρ μὴ ἔχειν ἑτέρους λῄζεσθαι, τοῦτ' ἐκείνοις δουλεία. *Haec illis ſeruitus eſt, nullos habere, quos depraedentur.* Quod paullo ante de piratica explicauerat, dum dixerat: Τούτοις πέλαγος μὲν θάλαττα οὐδὲν ἠπείρου φοβερωτέρα. *His maris procelloſi aeſtus non magis terrori eſt, quam continens terra.* Similia paſſim occurrunt apud NAZARIVM, ZOSIMVM, OROSIVM, et in primis EVMENIVM *in paneg. Valerio Conſtantio dicto,* vbi Francos ait *ipſo temeritatis euentu docuiſſe, nihil eſſe clauſum piraticae deſperationi, quo nauigiis pateret acceſſus.*

§. LVIIII.

An etiam per iuſta bella?

Quidquid ergo huiuſmodi latrociniis captum fuerat, id procul dubio cedebat occupantibus. An vero et in ſollemni bello praeda

praeda ſingulis capientibus ceſſerit, non facile dixerim. Ex TACITI tamen *de mor. Germ. cap.* 14. colligere mihi poſſe videor, praedam non militibus gregariis, ſed principibus, quorum auſpiciis clientes et comites militabant, ceſſiſſe. *Ab huius enim liberalitate exigebant illum bellatorem equum, illam cruentam victricemque frameam, et materia munificentiae per bella et raptus.* *

* Sunt quoque teſtimonia, ex quibus colligas, Germanis et inſequentibus temporibus huius moris manſiſſe cuſtodiam. Auctor enim eſt GREGORIVS TVRON. *Lib. II. cap.* 37. Chlodouaeum M. victorem victi Alarici Viſigothorum Regis theſauros omnes ſibi vindicaſſe. Aliquando tamen reges duceſque praedam vel totam, vel pro parte conceſſiſſe militibus, aliquando illam inter bene meritos diſtribuiſſe, aut partem elargitos eſſe eccléſiis, ex eorumdem temporum annalibus conſtat. Saltim ſancto Martino Turonenſi victorem Chlodouaeum permulta munera ex praeda illa dedicaſſe, teſtis eſt GREG. TVRON. *ibid.*

§. LX.

Res inuentae pleraeque fiſco vindicatae.

Denique quod ad INVENTIONEM rerum nullius et pro derelicto habitarum attinet, quum ipſa recta ratio doceat, eas cedere occupantibus, dubitari non poteſt, quin idem principium et Germanorum fuerit. Id modo hic repetimus, quod iam antea obſeruare nos meminimus, (§. 8.) ἀδέσποτα pleraque inſignioris pretii non inuentori, ſed principi, ceſſiſſe. Hinc CASSIODOR. *Lib. VI. Var. cap.* 8. *Depoſitiuae quoque pecuniae, quae longa vetuſtate competentes dominos amiſerunt, inquiſitione tua noſtris adplicentur aerariis, vt, qui ſua cunctos patimur poſſidere, aliena nobis libenter debeant offerre. Sine* DAMNO *ſiquidem inuenta perdit, qui propria non amittit.* Conf. *Lib. VI. var. cap.* 34.

§. LXI.

Inuentio rerum amiſſarum.

Res, amiſſas ab alio, inuentor ſibi non adquirebat, ſed furti ſe crimine adligabat, qui rem inuentam non detuliſſet ad iudicem. LEX BAIVVAR. *tit.* 2. *cap.* 13. §. 2. LEX LANGOB. *Lib. I. tit.* 25. §. 1. Indici tamen, quem *vegium* * vocabant, praemium ſeu εὕρετρον decernit LEX BVRG. *addit.* 1. *tit.* 8. et quidem ſolidos V. ſi mancipium; ſolidos III. ſi equum; ſol. II. ſi equam vel bouem optimum; ſol. I. ſi vaccam, veruecem, porcum; tremiſſem, ſi capram repertam domino indicarit reſtitueritque.

* Fuiſſe

Digitized by Google

* Fuiſſe videtur haec vox Burgundis propria, quippe quae et *tit.* 16. §. 3. occurrit, quemadmodum eodem loco VEGIATVRA vocatur hoc ἰσπτροπ LINDENBROG. *in Gloſſ. p.* 1493. addit interpretationem: VEGII *ſunt*, *quos Latini diuinos aut vates vocant*, *Germani Wickers*, et locum addit ex LEG. ALFREDI *cap.* 11. vbi vates vocantur *vvicum.* Sed inter varias lectiones *ad* LEG. BVRG. *tit.* 16. §. 3. obſeruat, MSS. habere *veraturas*, quemadmodum HEROLDI codex praefert *vigaturas*, quod illi *vvickers* propius eſt. Alias coniicere liceret, *veraturam* eſſe ipſum Germ. *verraeterey.* Solemus enim de illis, qui res occultatas indicant, dicere: *ſie haben etvvas verrathen.* Sed quum *vegius* et vegiatura eiuſdem procul dubio originis vocabula ſint, malim LINDENBROGIO adſentiri.

§. LXII.

Acceſſio naturalis nouae inſulae.

Alter modus adquirendi dominium iuris naturalis vel gentium eſt ACCESSIO, quae, quod ad *naturalem* attinet, itidem ſe paullo aliter habuit apud Germanos, quam vel Romanorum, vel aliarum gentium iure ciuili proditum legimus. Quamuis enim et apud Germanos foetus animalium ad ventris dominum pertinuiſſe videatur: de fluuialibus tamen incrementis, veluti NOVA INSVLA, alueo derelicto, alluuione et vi fluminis, multo aliter philoſophabantur. Si enim ipſum flumen erat publicum vel principis: inſulas quoque, tamquam eius acceſſiones, reip. vel principi attribuebant. Ita ſane anno 1263. in comitiis Noribergenſibus ſanxit Adolphus, Rex Rom. quum de nouis inſulis cum nobili quodam dynaſta contenderet Reinoldus, Gelriae Comes. * Vid. SCHILT. *Exerc. IIII.* §. 19. HERT. *de ſuperior. territ.* §. 47.

* At vulgo in alia omnia eunt iuris interpretes, moti loco SPECVLATORIS SAXONICI *Lib. II. art.* 56. *Welcher vverder ſich erhebet binnen einem fluſs, vvelchem geſtade er näher iſt, zu dem gehöret der vverder. Iſt er aber zu mittler maaſs des vvaſſers, ſo gehöret er beyden geſtaden.* Haec enim plane Romana, et ex §. 22. *Inſt. de rer. diuiſ.* depromta eſſe pleriſque videntur. SCHILT. *Exerc. IIII.* §. 19. *b.* Sed agere illum locum de inſula in flumine, quod bina territoria adluit, nata, res ipſa docet. Vid. THOMAS. *not. ad Inſt. p.* 132.

§. LXIII.

Aluei derelicti.

Idem dicendum de ALVEO DERELICTO, qui et ipſe apud Germanos ab iis, quorum flumen fuerat, vindicabatur. Diſerte enim IVS PROV. SAX. *ibid. Daſſelbe thut auch der ſtrom, oder der übergang, wenn er wieder vertrocknet.* Innuit enim, hunc alueum pertinere ad dominum territorii, vel ad vtrumque, ſi flumen

Digitized by Google

flumen duo territoria diuidat. * Et ita ſequentia etiam verba: *Bricht es aber wiederum einen neuen abgang*, *damit verleurt er ſeines Landes nicht*, intelligit THOMAS. *ibid. p.* 133. quia *Land.* hic non agrum priuatum, ſed territorium ſignificet.

* Attamen haec verba laudatus THOMAS. *ibid.* non de alueo derelicto, ſed de inundatione interpretatur, quamuis vix me intelligere fatear, quomodo tunc haec verba cohaereant antecedentibus.

§. LXIIII.

ALLVVIONES ne iure quidem ciuili adcreſcebant agrorum dominis, ſi illi eſſent limitati. Quales quum plerique priuatorum ſint in Germania: conſequens eſt, vt raro priuatis ceſſerit illud agrorum incrementum. In IVRE PROV. SAX. *Lib.* II. *Art.* 56. nihil ea de re monemur, quam particulas terrae, agro noſtro auulſas, noſtras eſſe deſinere. *Was das waſſer abnimt dem lande, das hat der verlohren, des das land iſt.* Attamen et hoc incrementum, ſi alicuius momenti eſſet, principi ceſſiſſe, ſatis probabiliter ſuſpicantur SCHILTERVS, et THOMASIVS. Vid. *huius not. ad Inſt. p.* 130. Id quod de VI FLVMINIS, quia ea pars auulſa non eſt inter *ἀδέσποτα*, vix dici poſſe videtur. Per alluuionem et vim fluminis.

§. LXV.

Acceſſionis *induſtrialis* ſpecies ſunt complures, quas iura Germanica vetera aeque, ac medii aeui, fere praeteruehuntur. Fruſtra enim hodie diuinaueris, quid maiores noſtri de *adiunctione*, *adferruminatione*, *intextura*, *adplumbatura*, *ſpecificatione*, *commixtione*, *confuſione*, *ſcriptura* ac *pictura* iuſtum putarint. Et fortaſſis apud ipſos Romanos rarius accidit, vt ſubtilioris illius iuriſconſultorum philoſophiae aliquis vſus eſſet: multoque magis ex Germania illam exſulaſſe probabile eſt, in qua ſimplex aequitas omnibus huiusmodi argutiis praeferebatur. * Per adiunctionem, ſpecificationem, commixtionem, ſcripturam, et picturam.

* Ea vero ſimplex aequitas facile vnicuique perſuadebit, iuſtiſſimum eſſe, (1. vt res, quae ſalua ſeparari ab altera poſſit, ſeparetur, ſuoque reſtituatur domino; (2. vt ſi res commode ſeparari non poſſint, res minoris pretii in acceſſionem cedat pretioſioris. Itemque (3. vt res fungibilis, et quae pretium adfectionis non admittit, cedat alteri, in quam cadit huiuſmodi adfectio, eiuſque dominus ei, cuius eſt res altera, aeſtimationem praeſtet. Rem accuratius exequutus eſt THOMAS. *in diſſ. de pretio adfectionis in res fungibiles non cadente cap.* 3. §. 12. *ſeqq.*

§. LXVI.

Per inaedificationem.

Siue quis ſua materia in alieno ſolo, ſiue in ſuo ſolo aliena materia AEDIFICASSET: licebat aedificanti domum deſtruere ac tollere, niſi vtroque caſu dominus ſoli pretium materiae reddere mallet. Numquam enim Germani exiſtimarunt, pertinere ad rempublicam, ne tignum iunctum vindicetur, multoque minus in duplum condemnabant eum, qui tignum alienum bona fide iunxiſſet. Potius diſtinguebant, vtile et neceſſarium eſſet, quod quis alieno ſolo inaedificaſſet, an domino ſoli illud non conducere videretur. Priore caſu aedificium tolli vetabant, niſi dominus aeſtimationem ferre nollet, poſteriore ſemper tolli illud patiebantur. * Vid. IVS PROV. SAX. *Lib.* II. *Art.* 53. LEX LANGOBARD. *I.* 27. 1.

* Merentur ipſa verba adſcribi, et breuiter explicari: *Was ein Mann*, (e. g. colonus,) *bauet auf fremden gut*, (non ergo in area vacua cuius aeſtimatio facilius praeſtari poteſt, quam aedificii, illi impoſiti,) *das mag er vvohl vvieder abbrechen, ob er von dannen zeucht, und ſeine erben nach ſeinem todte mögen es auch thun.* (adeoque non nouum in Germania fuit, tignum iunctum eximi, ſi aedificium domino ſoli parum vtilitatis adferre videretur,) *ohne das thor, vnd ohne den zaun fornen vnd hinden, vnd das haus, ob er das gebauet hätte. Dann dieſes ſoll der herr löſen nach der gebauer hökr*, (quanti ab architecturae peritis, fabriſue aeſtimatur eo tempore,) *thut er das nicht, dieſer mag vvohl eines mit dem andern vvegfahren.* Quod eo facilius fieri poterat apud veteres Germanos, quo rarius aedes ex ſolido lapide exſtruerent, contenti aedibus ex trabibus ac tabulatis ligneis compoſitis, quales paſſim adhuc non modo in Polonia, verum etiam in ipſa Germania, in regionibus ſilueſtribus conſpiciuntur. Diu ſane in Germania manſit ſimplex illa aedificandi ratio, quam deſcribunt CAESAR *de bello Gall. Lib. V. cap.* 2. TAC. *de morib. Germ. cap.* 16. et HERODIAN. *Lib. VII. cap.* 2.

§. LXVII.

Per plantationem et ſationem.

Denique vt ad *acceſſiones mixtas* perueniamus, agrum colere et arbores ſerere, parum ſollemne erat Germanis. *Nec arare terram*, inquit TAC. *cap.* 14. *aut exſpectare annum, tam facile perſuaſeris, quam vocare hoſtes, et vulnera mereri.* Idemque *cap.* 26. refert, eos nec hortos coluiſſe, nec pomaria ſeuiſſe. Attamen quum iam animaduertere coepiſſent inſequentibus temporibus, quanto cum detrimento reip. coniuncta ſit haec deſidia: principes nihil ſecerunt reliqui, vt calcaria veluti admouerent ſegnibus, eosque ad agrum hortosque diligentius colendos incitarent.

§. LXVIII.

§. LXVIII.

Quid de ſatione ſanxerint iura Germ.

Quamuis vero, qui mala fide conſeuiſſet alterius agrum, et ſementem perderet, et iudici mulctam deberet: Ivr. Prov. Svev. *cap.* 219. *§.* 1. *et* 2. et *cap.* 223. Ivr. Prov. Sax. *Lib.* II. *Art.* 46. ei tamen, qui id bona fide feciſſet, meſſem putabant relinquendam, ſi mercedem pro agri vſu ſoluerit, niſi eodem tempore, quo per errorem colebat agrum, alii locatum, actione ab aliquo pulſaretur. Tunc enim oleum et operam perdidiſſe videbatur, et a locatore ſuo impenſas tantum percipiebat. * Ivs Prov. Sax. *ibid.* et Svev. *ibid.*

* Verba specvli Sax. paullo obſcuriora ita ſe habent: *Wer eines andern mannes land vnvviſſentlich eeret, oder das ihm ein ander vermiethet hat, vvird er darum beſchuldiget, dievveil er es eeret, ſeine arbeit verleurt er daran, ob es jener darnach mit recht behält: der es ihm aber vermiethet hat, der ſoll ihm erſtatten ſeinen Schaden.* Hinc ergo eſt primus caſus, quem ita exprimimus Latine: *Qui bona fide alterius agrum, quaſi ſibi ab aliquo locatum, conſerit, et interea dum id facit, conuenitur: aduerſario vincente, ipſe operam perdit, at a locatore tamen indemnitatem iure petit.* Sequitur caſus alter, quando quis agrum, qui in lite eſt, mala fide conſeuerit: *Wer auch alſo ein land ſäet unter rechtlicher klagen, der verleuret ſeine arbeit, vnd ſeinen ſaamen daran.* Denique tertius caſus ad eum pertinet, qui bona fide ante motam litem agrum conſeuit: *Was er aber ſäet vnverböthen, vor der klage, da behält er auch die ſaat an, vnd giebt ſeinen zinſs darvon jenem, der das land darnach behält.* Subiicitur aliquid de eo, qui agrum alienum conſitum mala fide iterum arauerit, quod et ad reſarciendum damnum, et ad mulctam ſoluendam obſtrictus ſit.

§. LXVIIII.

Quid de plantatione?

Quemadmodum ergo ex his intelligitur, Germanis non in vniuerſum placuiſſe principium, frumenta, quae ſata ſunt, ſolo cedere: §. 32. *Inſt. de rer. diuiſ.* ita et de arboribus multo aliter, quam Romani, philoſophabantur. Eas enim eius eſſe exiſtimabant, cuius in fundo earum origo fuerit, quamuis ramos, adeoque et fructus, qui in illis reperiebantur, illius eſſe cenſerent, cuius fundo imminebant, adeoque huic et arborem ſublucandi, et fructus inde colligendi, ius eſſe ſtatuerent. *

* Huc pertinent verba ivr. Prov. Sax. *Lib. II. cap.* 51. *Seine baumzvveige ſollen auch über den zaun nicht gehen noch hangen, ſeinem nachbarn zum ſchaden.* Quae explicatius traduntur in ivre Weichb. *Art.* 125. *Wo auch ein baum zvviſchen zvveyen reinen ſtehet, vnd breitet die zelgen in eines andern mannes hoff, der herr mag ihn vvol verbauen, ob er vvill, vnd hanget obſt in ſeinen hoff, das iſt zu recht ſein.* Quod principium et ex ICtis

Romanis ſequutus videtur Pomponivs *l. 6. §. vlt. D. arb. furt. caeſ.* Singulare eſt quod de lupulo ſancit ivs Provinc. Saxonicvm *ibid. Flicht ſich der hoppe über den zaun, vver die vvurtzel in dem hoffe hat, der greiff über den zaun, ſo er allernächſt möge; vnd ziehe den hoppen. Was ihm folget, das iſt ſein, vvas aber an der andern ſeiten bleibet, das iſt ſeines nachbarn.*

§. LXX.

Et dominio arborum fructuumque.

Parum ergo de radicibus arborum et plantarum ſollicitae erant gentes Germanicae, etiam quando de fructuum dominio quaerebatur, ſed cuius fundo rami imminebant, ei et fructus veluti offerri videbantur. Hvber. *praelect. ad tit. Inſt. de rer. diuiſ. §.* 25. Hinc recte putat Thomas. *not. ad Inſt. pag.* 146. ceſſaſſe apud Germanos interdictum de glande legenda, nec dubitat, quin moribus Germaniae ſemper licuerit plantam vel arborem ſuam vindicare, et eximere ex alterius ſolo, ſi in eam caderet adfectio.

§. LXXI.

Necnon de fructibus a b. f. poſſeſſore perceptis.

Ad acceſſiones mixtas etiam pertinet perceptio frvctvvm. Hos enim bonae fidei poſſeſſori tunc adiudicat ius Romanum, ſi iam percepti, vel a fundo ſint ſeparati, ac proinde pendentes nec ad vſufructuarii, nec ad coloni heredes pertinere, nec, ſuperueniente vero domino, agrumque vindicante, poſſeſſori adquiri, ſtatuit. At iure Germanico fructus ſemper cepiſſe eum, qui agrum bona fide conſeuit, iam ſupra (§. 69.) diximus. Et notum eſt Germanorum principium: *Des mannes ſaat, die er mit ſeinem pflug würcket, die iſt verdient, als die egde darüber gehet, vnd des gartens, als er gerodet, geſäet, vnd gehacket iſt.* Ivs Prov. Sax. *Lib. II. art.* 58. Fructus quoque ciuiles et cenſus, quorum dies iam venerat, ad heredem pertinebant. *

* In ivre Prov. Sax. *ibid.* vocantur *verſeſſene oder verdiente Zinſen.* Plerorumque autem cenſuum diem venire ait Repkovivs die S. Martini, (al. Bartholomaei,) decimae ouium, (*des lämmer-zehendens*) die S. Walpurgis: decimae anſerum die adſumtionis Mariae (*zu vnſer lieben frauen tag vvürtzvveihe*,) decimae carnis (*des fleiſch-zehendens*) ſi pecunia redimitur, die S. Ioannis Baptiſtae, ſi non redimitur, ſimul ac pecora naſcuntur. Decimarum frumenti (*aller korn-zehenden*) die Margarethae, *vvas aber ehe geſchockt iſt, davon iſt der zehende eher verfallen:* decimarum ex vineis et hortis (*des vvein-garten-vnd baumgarten-zehenden*) die S. Vrbani. Penſionum denique, ex molis, vectigalibus, monetis et vineis ſoluendarum, diem venire, quando de eius ſolutione conuenerit, oſtendit idem Repkovivs. Quae omnia fere ruri hodie quoque obſeruari, nemo ignorat.

§. LXXII.

§. LXXII.

Modus adquirendi deriuatiuus traditio, facta praeſentibus teſtibus.

Vt iam porro ad modum adquirendi *deriuatiuum*, puta TRADITIONEM, progrediamur: ea apud veteres Germanos ſollemniſſime fiebat, ſi bona immobilia, aliaeque res pretioſae, tradendae eſſent. *Primo* enim non temere id nudis verbis, vel remotis arbitris, fiebat, ſed confectis inſtrumentis, veluti apud Wiſigothos, (vid. LEG. WISIG. *Lib. V. tit.* 2. *§.* 6. LEG. BVRG. *tit.* 60. *§.* 1. *ſequ.*) vel adhibitiſque teſtibus, non modo iuſtae aetatis, verum etiam pueris, quos pugnis caedebant, etiam nihil mali meritos, vt rei eo magis eſſent memores. * LEX RIPVAR. *Tit.* 60. *§.* 1. *Si quis villam vel vineam, vel quamlibet poſſeſſiunculam, ab alio comparauerit, et teſtamentum accipere non potuerit, ſi mediocris res eſt, cum ſex teſtibus; et ſi parua, cum tribus; quod ſi magna, cum duodecim ad locum traditionis cum totidem numero pueris accedat, et ſic eis praeſentibus pretium tradat, et poſſeſſionem accipiat, et vnicuique de paruulis alapas donet, et torqueat auriculas, vt ei poſtmodum teſtimonium praebeant. Si autem teſtes non potuerit congregare, vt ei teſtimonium praebeant, tunc rem ſuam cum ſex ſiue cum ſeptem cum ſacramenti interpoſitione ſibi ſtudeat euindicare.*

* Ritus vellendi eorum aures, quos memores eſſe rei vellent, Romanis quoque fuit frequentiſſimus, de eoque cum nos diximus alibi, tum LINDENBR. *in Gloſſar. p.* 1360. et alii viri docti, explicantes phraſes: *anteſtari*, *aurem vellere*, et ſimiles. Aures teſtium non modo vellebant, verum etiam torquebant, quin ipſos teſtes auribus trahebant Germani, in primis Boii, quibus veluti proprius hic ritus fuit. Vid. LEX BAIVVAR. *Tit.* 15. *§.* 2. *tit.* 16. *cap.* 2. §. 1. et *cap.* 3. §. 5. LEX ALAM. *Tit.* 94. nec non diplomata in CHRON. REICHERSB. *ad ann.* 1152. *et ſequ. pag.* 193. 212. Eadem erat alaparum pueris inflictarum ratio, cuius moris veſtigia in Gallia quoque ſua deprehendit STEPH. BALVZ *ad Leg. Ripuar. tit.* 60. *p.* 997. *Tom. II. Capitul.* In Germania ipſi ruri vidimus pueros in luſtrationibus finium a parentibus alapis et flagris caedi, etiam nullius facinoris reos, vt eo minus rei geſtae memoriam deleret obliuio. Et hinc originem phraſeos Germanicae *einem einen denckzettel geben* eleganter deriuat ECCARD. *ad leg. Salic. p.* 224.

§. LXXIII.

In iudicio.

Deinde non omnes traditiones priuatim fiebant, ſed pleraeque in iudicio, vel mallo publico, quod a *tungino* i. e. *decano* vel *centenario* indicebatur ſub ſcuto, adhibitis tribus hominibus, procul dubio ſcabinis, vel ſaltim ingenuis: *ſchoeppenbar freyen Leuten.* Bonorum ſaltim traditionem hoc modo ad acta fieri iubet LEX SAL. *tit.* 49. *edit.* HEROLDI.

§. LXXIIII.

Per caeſpitem, ramum, cultellum.

Tum porro Germanis ſollemne erat res tradere, adhibitis quibuſdam ſymbolis, ritibuſque in ſenſus incurrentibus, quorum plurimi paſſim in veteris aeui monimentis occurrunt. Ita ſolebant veteres, fundum tradituri, glebam cum ramuſculo eruere cultello, eaque omnia alteri, cui rem traditam vellent, offerre, vel, ſi eccleſiae quid tradituri eſſent, altari imponere *. Quae ipſa eſt Danorum SCOTATIO, cuius meminit Pontifex *c.* 2. *X. de conſuetud.* Vid. STRAVCH. *amoenit. iur. canon. eclog. V.* et GVNDLINGIANA *part. VII. diſſ.* 4.

* VITA S. BERLENDIS *n.* 5. *Quidquid habebat in praediis cum omni familia ſeruorum ancillarumque cum* CAESPITE *et* RAMO CVLTELLO*que cum manubrio albo, tradidit.* Eadem formula exſtat apud BOLLAND. *in Vit. S. Gertrudis p.* 600. et aliis locis, quorum indicium fecit CAR. DV FRESNE *in Gloſſ. Lat. voce Inueſtitura.* Iis iam addo exemplum Ezonis, Comitis palatini, qui teſte MONACHO BRAVVILERENSI *in vita Ezon. et Mathild. apud* LEIBNIT. *Script. rer. Brunſu. Tom. I. p.* 315. Mathildae, ſponſae, RAMVSCVLVM *arboris eiusdem terrae, inuolutum* CAESPITE, *accepit, et cum eodem Brunvvilerenſe praedium, et alia proprii iuris plura, in dotem tradidit.* Quibus addit monachus: *eumdem ramuſculum in doni teſtimonium facti longa viroris gratia iucundum permanſiſſe.*

§. LXXV.

Per feſtucam vel laiſowerpum.

Nec minus notus erat ritus FESTVCAM, vel, vti eſt in TRADIT. FVLD. *Lib. I. n.* 5. *et* 10. *apud* PIST. *Tom. III. p.* 489. *et* 490. CVLMVM in alterius ſinum proiiciendi in ſignum factae rei traditionis. Quum vero ſinus maioribus noſtris eſſet LAISA: hinc actus ille traditionis vocabatur *laiſowerpum*, et, qui tradebat, is *guerpire, werpire* (*werffen*) vel *laiſowerpire* * dicebatur. MARCVLF. *form. Lib. I. cap.* 13. *Villas nuncupatas - - per feſtucam viſus eſt* WERPISSE *vel condonaſſe.* Et LEX SALICA *tit.* 49. *Feſtucam in laiſum iactet,* vbi plura ECCARDVS *in not. p.* 91. Add. FORM. LINDENBROG. *cap.* 43. et quae ad Marculfum notauit BIGNON. *pag.* 273. *ſequ.* Et hinc EFFESTVCATIO illa, in donationibus, venditionibus et ceſſionibus frequentiſſima, de qua ex inſtituto egit FRIDRICVS A SANDE.

* Inde ECCARDVS *ad Legem Salic.* p. 91. ingenioſe, ſed parum probabiliter, arceſſit verbum Germanicum *leiſten*, quod idem eſſe putat, ac *inſinuare* vel *praeſtare.* Enimuero et contorta videtur etymologia, et prior illa, quam verbo Germanico attribuit, notio non minus ignota, quam exemplis ab ipſo adlatis inconueniens eſt. Eius generis ſunt permulta, quae ingenium iſtud illuſtre peperit.

§. LXXVI.

§. LXXVI.

Feſtucae FORMVLA LINDENBROG. *cap.* 153. iungit ANDELANGVM, de quo nos quaedam iam ſupra dicere meminimus, (*Lib. I.* §. 183. *) vbi oſtendimus, eſſe vocem vere vernaculam, *hand-langen*, ſiue res e manu in manum tradita, ſiue oblata feſtuca, ſtipula vel culmus, ſiue, quod magis veroſimile arbitramur, traditio firmata ſit ſtipulata manu, *vermittelſt handſchlages*, quem ritum maiores noſtri in nullo temere negotio ciuili praetermiſerunt. * Per andelangum.

* Inde verbum *handeln* deriuat ECCARD. *ad Leg. Salic.* p. 73. quia ab antiquo contractus manuum datione inibantur. Itemque *p.* 59. ANDELAGVM interpretatur *handſchlag*. Sane traditionibus quoque acceſſiſſe hunc ritum, patet ex hac charta Matiſconenſi apud CAR. DV FRESNE *Tom. II. Gloſſ. p.* 414. *Miſit autem manum ſuper manum domini Hugonis, Dienſis epiſcopi, et Romani, legati, quaſi in loco ſacramenti, ne aliquis filiorum vel ſucceſſorum ſuorum hanc vverpitionem praeſumeret infringere.*

§. LXXVII.

Enimuero, vti haec veluti legitima erant traditionis ſymbola: ita non pauciora plane a tradentium arbitrio pendebant. Hinc paſſim occurrunt traditiones, factae per *gladium*, *baculum*, *herbam*, *chirothecam*, *viridem ſcirpum*, *glebam vel waſionem*, *cultellum*, *annulum*, *bibliothecam*, *candelabrum*, *canes venaticos*, *capillos*, *coronam*, *folium nucis*, *funes*, *haſtam*, *lapidem*, *lignum*, *linteum vel lini portiunculam*, *nodum*, *notulas*, *oſtium*, *pallam*, *piſces*, *pileum*, *panem*, *ſpathae capulum*, *veru*, *vexillum*, *virgam*, *zonam*. Quae omnia, petitis ex antiquitate exemplis, illuſtrat CAR. DV FRESNE *in gloſſ. Lat. Tom. II. pag.* 105. *ſequ.* Quamuis quaedam horum ſymbolorum ad ritus paullo ante deſcriptos pertinere videantur. * Per perfectas alias res quaſcumque.

* Sic eiuſdem naturae videntur traditiones per *gladium*, *cultellum*, *ſpathae capuum*, *veru*. Easdem quoque cenſemus traditiones per *feſtucam*, *baculum*, *viridem ſcirpum*, *lignum*, *virgam*. Denique nec differre arbitramur traditiones per *caeſpitem et ramuſculum*, *herbam*, *glebam*, *vvaſionem vel guaſionem* (Saxones enim et hodie glebam vel caeſpitem vocant *einen Waſen*,) *folium nucis*. Ceterum videtur quisque adhibuiſſe ſymbolum, quod rei conuenire videbatur, adeoque innumera illa fuiſſe exiſtimamus.

§. LXXVIII.

Id vero maiorum moribus vel maxime conuenit, quod ne hunc quidem traditionis actum ſine ſympoſio, vel certe ſine vini Propinatio loco traditionis.

Digitized by Google

ni vel potus patrii hauſtu, explicarent. Nam quando etiam eccleſiis res ſuas tradebant, exhauſto cornu, * vino repleto, res illas caeliti alicui ſe propinare dicebant. Charta apud CAMBDEN. *in Britann. topogr. Indilato Eboracum diuertit, et cornu, quo bibere conſueuit, vino repleuit, et coram altari Deo et beato Petro, apoſtolorum principi, omnes terras et reditus, flexis genibus, propinauit.*

* Et haec eſt traditio PETR. CORNV, de qua idem CAR. DV FRESNE *ſub voce Cornu. T. I. p.* 1222. EV. OTTO *in iurispr. ſymb. Exerc. I. cap.* 11. *p.* 67. Solebant enim Germani cornibus biſontum pro poculis vti, ceu probant CLVVER. *Germ. ant. Lib. I. cap.* 17. OL. WORM. *de cornu aureo p.* 23. et STEPHANIVS ad *Sax. gramm. p.* 117. Hinc inter S. Euerardi legata apud MIR. *donat. Belg. cap.* 21. eſt *ſcyphus cum* CORNV *et argento.*

§. LXXVIIII.

Symbola traditionis adſeruata, vel diplomatibus adſuta.

Ne vero exoleſceret traditionis tam ſollemnis memoria: ſolebant Germani huiuſmodi traditionis ſymbola in templis, archiuis, aliisque publicis locis adſeruare, * ceu exemplis demonſtrarunt SIRMOND. *ad Goffred. Vindoc. Lib. I. Epiſt. 6.* et CAR. DV FRESNE *Gloſſar. Lat. Tom. II. p.* 104. qui etiam obſeruat, exſtare chartas et diplomata, quibus adſutae fuerint tales traditionis rite factae teſſerae, veluti feſtucae, ligni fruſtula, numi, baculi, corrigiae. Cuius antiqui moris exempla attulit etiam MABILLONIVS *Act. SS. ord. Benedict. Tom. IIII. in vita Fulradi Abb. n.* 19.

* At idem tamen etiam obſeruat, Anglos et Francos huiusmodi ſymbola ſaepe corrupiſſe, fregiſſe et inutilia feciſſe, ne in aliorum inciderent manus, aut occaſionem darent calumniae forenſi. Praeter exempla ex tabulariis Pictauienſi, Vindocinenſi et Bellouacenſi eruta, in primis huc pertinet illud Eadgeri Regis, quod deſcribit GVIL. MALMESB. *de geſt. Angl. Lib. II. cap.* 8.

§. LXXX.

Veſtigia huius moris et ſaeculis inſequentibus ſuperfuerunt.

Quamuis autem ſymbola huiuſmodi, quae rudioribus gentibus in vſu eſſe ſolent, paullatim exoleſcerent in Germania: manſere tamen variae priſci moris reliquiae, veluti traditionis per caeſpitem et ramum, cuius exemplum ex Ottonis tertii ſaeculo paullo ante attulimus, (§. 74. *) feſtucae iactus vel effeſtucationis, quae non modo in diplomatibus, a MIRAEO editis, ſaepenumero memoratur, ſed et hodie in vſu eſt in Geldria ac vicinis prouinciis, ibique vocari ſolet *opdracht* vel *tranſport.* *

Denique

Denique rerum immobilium traditionem et inſequentibus ſaeculis in Germania non aliter, quam ad acta, et adhibito ſollemni reſignationis et inueſtiturae ritu, fieri potuiſſe, ſatis notum eſt ex IVRE WEICHB. *Art.* 20. et IVRE PROV. SAX. *Lib. I. art.* 34. *et* 52. *et Lib. II. art.* 30.

* FRID. A. SANDE *de effeſtucat. in prooemio* n. 2. *Circa immobilium*, inquit, *alienationes, atque adquiſitiones multa in hac ditione in dies vſu veniunt, quae non tam iuris Romani decìſionibus, quam receptis quibusdam morum ſollemnibus eorumque rationibus decidi conſueuerunt.* Adeoque recte obſeruat, Germanicam eſſe effeſtucationis originem. Ipſum vero ritum prolixius deſcribit SANDIVS *cap.* 2. et *in additionibus* ad hoc caput LAMB. GORISIVS, qui et alibi de eo accurate agit *in aduerſar. ad conſu. Gelr. tract.* 3. *pars. I. cap.* 1. *n.* 4. §. 13. *ſequ.* Vterque etiam auctor eruditiſſimus plures huiusmodi chartas et formulas antiquas aeque, ac recentiores, quae hunc ritum mirifice illuſtrant, collegit.

§. LXXXI.

Ex his ergo, quae adhuc ex antiquitatibus Germanicis expoſuimus, colligimus, I. iure Germanico pleraque ἀδέσποτα alicuius momenti eſſe in dominio reipublicae vel principis. II. Acceſſiones naturales eatenus tantum ſequi principale, quatenus e re ipſa proueniunt, vel quoties prioris domini ius illiquidum eſt. III. In induſtriali acceſſione praecipuam eſſe diſpectionem, pretiumne adfectionis res inſeparabilis admittat, nec ne. IIII. Idemque fere in acceſſionibus mixtis expendendum eſſe. V. Traditionem rerum immobilium pleriſque locis, vbi ius Romanum iuris patrii luminibus nondum offecit, ſollemniter, et non niſi apud acta, fieri ſolere.

Axiomata de adquirendi modis iuris gentium.

§. LXXXII.

Quum ergo iure patrio pleraque ἀδέσποτα alicuius momenti ſint in dominio reip. vel principis: (§. 81. I.) fieri non poteſt, (1. quin et ius venandi ſit penes ſolos principes, vel (2. eos, quibuſcum illud communicatum eſt. * HEIG. *Part.* I. *quaeſt.* 15. *n.* 33. CARPZ. *Part. III. conſt.* 32. *defin.* 17. GROT. *Introd. Lib. I. cap.* 14. Et quamuis (3. non abs re exiſtimemus, ingenuis omnibus olim venari licuiſſe in praediis ſuis ſubditorumque, tum feudalibus, tum allodialibus: res ipſa tamen docet, (4. fiſcum illis negotium faceſſere, qui eo iure ſpeciatim non ſunt inueſtiti, et (5. ſaltim venationes maiorum ferarum principi vindicare, niſi inſtrumenta inueſtiturae diſerte memine-

Venatio an in Germania modus occupandi?

rint *der hohen vnd niederen iagden.* Vid. Schilter. Schvlz. Hopp. *ad Inſt. Lib. II. tit.* 1. *§.* 12.

* Nec tamen Germani omnia animalia referunt ad feras beſtias, quae Romani eo referre ſolent, adeoque ex eorum principiis ludibrium deberet vulgo, qui columbas vel pauones venari vellet. Potius Weichb. Magdeb. *art.* 118. columbas, cornices, picas, pauones, accenſet animalibus, *die nicht grimmend ſind.* Statuit tamen, eas aues, euolantes in campum, communes fieri, non autem alias, quarum manſueta natura ſit. Contra *art.* 119. de ape ait: *Die biene iſt ein vvilder vvurm*, additque ſi examen euolet in vicini aream, hunc illud potiore iure ſibi vindicare, quam priorem dominum, illud perſequentem. Quod ad gallinas attinet, vicino earum alis iure Germanico licet pennas euellere, ſi in eius fundum euolarint, ibique damnum dederint. Ivs Prov. Svev. *cap.* 360. §. 1. Conſ. Thomas. *not. ad Inſt. p.* 127. *ſequ.*

§. LXXXIII.

Feras capere priuatis prohibitum.

Ex eodem axiomate reddi poteſt ratio, (*6.* cur ferarum quoque furtum fieri poſſit in Germania, eiuſque furti rei (*7.* non modo poena extraordinaria, damnique aeſtimatione puniantur, ſed et (8. aliquando capitis damnentur, ſi vel vi vſi ſint, vel aliae atrociores circumſtantiae accedant, vel illi hoc furti genus, tamquam artem, diutius exercuerint. Videatur Ant. Seidensticker i *diſſert. de furib. ferarum*, Helmſtadii defenſa. (*9.* Cur non modo ſiluae, ſed et (10. agri, ſanctione poenali muniantur, et tunc eo grauius plectantur, qui locis his, *auf gehegter wildbahn*, feras vulnerare vel perſequi auſi ſint.

§. LXXXIIII.

Principi ius eſt leges venatorias condere.

Ex eodem principio vere Germanico intelligitur, (11. cur quamuis et ingenuis vaſallis ius venandi concedatur: principis tamen ſit, dare operam, ne illi eo iure abutantur in perniciem reipublicae: ac proinde ille (12. leges condere de modo venandi: quin (13. iſtis anni temporibus, intra quae feras agitat Venus, venationibus plane interdicere poſſit, et ſeueris propoſitis edictis interdicere ſoleat. Id quod vocant *die brunſt-vnd ſetzzeit.* Vt iam non dicamus (14. de edictis, quibus plebeii cum ſclopetis, canibuſque venaticis per ſiluas et ſaltus vagari prohibentur.

§. LXXXV.

Aucupium quale in Germania?

Quum et aucupium ſit ſpecies venationis: (15. principes ſibi plerumque reſeruare, vel ſaltim cum pauciſſimis communicare ſolent ius capiendi aues, vel guſtu praeſtantiores, veluti perdi-

perdices, ardeas, phaſianos, vel (16. capturam earum cum aliqua voluptate coniunctam, veluti per falcones, *die reiger peize*, per laqueos, *das lerchen-ſtreichen*, per inſidias, *die auerhahnpalze*. GROT. *introd. Lib.* 2. *tit.* 4. Quin (17. aues rariores vel timidiuſculas ſanctione poenali aliquando muniri animaduertimus, veluti luſcinias, phaſianos, et ſimiles *.

* Hinc paſſim in ſiluis ac nemoribus picturas deprehendimus, arboribus vel columnis adfixas, quae ſiſtunt hominem vehiculo adfixum catenis, vel fuſtibus caeſum, cum lemmate, hanc poenam daturos omnes, qui phaſianum occiderit, oua eorum furto ſubtraxerit, repagula, quibus ſiluae munitae ſint, perfregerit, cetera.

§. LXXXVI.

Experientia etiam docet, (18. ex eadem ratione et ius piſcandi in fluminibus publicis ad principem, eoſque, quibus illud conceſſit, pertinere, GE. SCHVLZ. *ad tit. Inſt. de rer. diuiſ. litt. B.* et (19. quamuis plerumque principes id ius aliis locent, vel pro canone annuo concedant, eos tamen (20. ſibi haud raro reſeruare piſces nobiliores, veluti ſalmones, et ſimiles: * et hinc (21. aucupium et piſcationem non minus, quam venationem, regalibus in Germania accenſeri. SIM. VAN LEEVWEN. *cenſur. for. Part. I. Lib. II. cap.* 3. *n.* 12. Itemque ius piſcandi.

* Hinc tabulata illa et clathra, intra quae capi ſolent ſalmones, *der lachsfang*, plerumque principum ſunt, nec aliis temere permittitur, vt huiuſmodi quid immittant fluminibus. Idem de captura muraenarum, aliorumque rariorum et gulam irritantium piſcium, tam notum eſt, quam quod notiſſimum.

§. LXXXVII.

PRAEDA, bello capta, quum ad occupationes rerum nullius non niſi per fictionem referri poſſit, et potius ex iure, quod hoſti in hoſtium perſonas et res competit, deriuanda ſit, huc vix pertinet. Paucis tamen monemus, (22. res hoſtium, captas actu bellico, adquiri principi vel reip. cuius auſpiciis bellum geritur, nec (23. ſingulis cedere, quod ceperint, (adeoque hodiernis moribus concinnam non per omnia eſſe diſpoſitionem LEGIS EQVESTRIS MIL. *der Reuter-Ordn.* 1570. *Art.* 94. *ſequ.* qua aliquanto plus indulgetur praedonibus,) niſi quid per excurſiones ceperint, vel (24. praeda ab imperatore bellico conceſſa ſit vrbem vel caſtra diripientibus, * vel (25. quibuſdam permittatur, vt ſuo ſumtu et periculo vel praedatum excur- Qualis occupatio bellica?

excurrant, vel hoſtium nauibus inſidientur. Grot. *de iure belli et pac. Lib. III. cap.* 6. §. 12. *ſequ.* Greg. Tholos. *ſyntagm. Lib. X. cap.* 415.

* Aſt tunc quoque excepta eſſe cenſentur, quae extra priuatorum commercium ſunt, veluti tormenta bellica, campanae, eccleſiarum ſupellex, naues bellicae, eaque, quae ad rempublicam domi militiaeque adminiſtrandam pertinent, archiua, horrea publica, *magazinen, vnd prouiant-häuſer*; aerarium militare. Quin ſi quibus ſit poteſtas praedandi, vel naues hoſtiles intercipiendi, id ſaepe ea lege fit, vt partem praedae reſpublica, partem imperator vel nauarchus capiat. Grot. *Introd. Lib. II. part. IIII. n.* ... *et de iure belli et pac. ibid.*

§. LXXXVIII.

Quid iuris circa inuentionem?

Sed et inventionis, quae iure Romano tertia occupationis ſpecies eſt, ob eamdem cauſſam non adeo magnus vſus eſt in Germania. Principes enim (26. ſibi non modo res nullius paſſim vindicant, ſi alicuius momenti ſint, veluti gemmas, lapillos, electrum, Ivr. Prvss. *Lib. II. tit.* 1. *art.* 3. §. 3. metalla, mineras, marmora, ſed et (27. res pro derelictis habitas, vti theſauros: * de quibus iam ſuo loco diximus. (§. 8. et 23.) conf. Schvlz. et Hopp. *ad* §. 18. *Inſt. de rer. diuiſ.* Schilt. *Exerc.* XXXXV. §. 26. quin pro duabus tertiis etiam res amiſſas, ſi dominus eas non repetat intra ſex hebdomadas, vna tertia inuentori relicta. Ivr. Prov. Sax. *Lib. II. art.* 37. Quod tamen credo vix hodie obſeruatum iri.

* Quamuis enim id ius quarumdam ciuitatum legibus vel domino ſoli, vel inuentori, vel vtrique, diuiſum tribuatur, veluti in Saxonia electorali, consvlt. const. Sax. *Tom. I. Part. V. cap.* 10. et hinc verba specvlatoris *Lib. I. Art.* 25. *Alle ſchätze unter der erde, tieffer, dann ein pflug gehet, gehören zu der königl. gevvalt*, interpretentur de metallis ſubterraneis: memini tamen, fiſcum haud raro inuentoribus faceſſere negotium, theſauroſque principi vindicare. Quamobrem plerumque homines clam et in latente habere ſolent theſauros, a ſe repertos, vt non poſſit non ea de re quaeſtio quam rariſſime oriri.

§. LXXXVIIII.

Circa alluuionem et vim fluminis.

Ex principio, quod de acceſſionibus naturalibus receperant Germani, (§. 81. 2.) facile intelligitur, (28. eorum etiam moribus foetvm pertinere ad dominum ventris. (29. Allvvionem contra cedere fiſco, ſi mare aliquid terrae adiiciat: aliud tamen obtinere, (30. ſi fluuius aliquid adiiciat agro arcifinio, cuius domino illud incrementum procul dubio adquiritur: diſſentien-

ſentiente tamen MYLER. *de princip. et ſtat. imp. Rom. Germ. Part. III. cap.* 66. §. 8. (31. Id vero, quod accedit agro limitato, vel aggeribus ſeparato a flumine, vel principis eſſe, vel ſaltim vniuerſitatis, et referri *zur gemeinen huth vnd trifft* *. Denique (32. quod vi fluminis fundo noſtro adiectum eſt, procul dubio prioris domini manere. Vid. ſententiam apud STRYK. *vſ. hodiern. Lib. XXXXI. tit.* 1. *§.* 22.

* Aſt nulla quidem in re magis diſcrepant non modo doctorum et curiarum ſententiae, verum etiam gentium Germanicarum mores, etiam in Belgio, vbi ob fluminum frequentiam et impetum ſaepius, quam alibi, de huiuſmodi incrementis quaeſtio oritur. Pluribus id demonſtrauit SIM. VAN LEEVWEN. *cenſur. for. Part. I. Lib. II. cap.* 4. *§.* 12. *ſequ.*

§. LXXXX.

Multo minus dubitari poteſt, (33. quin INSVLAE, quae in mediis fluminibus publicis de nouo emergunt, non eorum ſint, qui praedia vel ad vtramque ripam poſſident, vel ſi ripae alterutri propiores ſint, ab iis, quorum agri ad eam ripam pertingunt, recte vindicentur, ceu ex aequitate cerebrina ſtatuit OETTINGER. *de iure limit. Lib. II. cap.* 3. *n.* 13. ſed ad principem, cuius et flumen eſt, iure pertineant *: GRYPHIAND. *de inſul. cap.* 11. *n.* 61. Attamen (34. hanc iuris diſpoſitionem recte obſeruari, ſi noua inſula naſcatur in flumine, bina territoria diſterminante, et inter principes de earum dominio naſcatur controuerſia, facile conceſſerim. SCHVLZ. *ibid. lit. dd.* Circa nouas inſulas.

* Hoc et iuri naturae conuenire, ita eleganter demonſtrat THOMAS. *in not. ad Inſt. p.* 131. *Quum inſulae plerumque oriantur ex particulis terrae, agris vicinis per alluuionem ablatis: priſtini domini amiſerunt dominium ſuum, neque tamen inſula poteſt eſſe nullius, quum ſit pars non agrorum vicinorum, ſed fluminis, adeoque natura ſua non pertinere poterit ad alium, quam ad dominum fluminis.*

§. LXXXXI.

Sed et (35. ALVEVS DERELICTVS ex eodem iuris Germanici principio non vicinis adcreſcit, ſed ad principem pertinet, cuius et flumen eſt: GRYPHIAND. *ibid. cap.* 11. *n.* 42. *ſequ.* ac proinde (36. ſi flumen limitaneum mutat alueum, et per principis vicini territorium ruit, iſte nihil terrarum ſuarum amittit, *er verleuſt damit ſeines landes nicht*, IVR. PROV. SAX. *Lib. II. Art.* 56. * et praeterea (37. dimidiam aluei derelicti partem merito adquirit. Vnde et (38. in vicinis tractibus ingenuos a Circa alueum derelictum.

principibus inueſtiri animaduertimus iure occupandi alueum derelictum. *Sie ſind mit der alten Elbe belehnet.* STRYK. *vſ. hod. Digeſt. Lib. XXXXI. tit.* 1. §. 19. VINN. *ad* §. 22. *Inſt. de rer. diu. n.* 7. *et ad* §. 23. *n.* 3.

* Quae verba quum de agro priuatorum perperam intellexerint doctores Saxonici: non mirum eſt, in Saxonia a communi reliquorum Germanorum principio deſcitum eſſe, alueumque derelictum attributum poſſeſſoribus praediorum vicinorum. CARPZ. *Part. III. Conſt.* 31. *def.* 14. ZIEGLER. *de iure maieſt. Lib. II. cap.* 15. §. 25. Ceterum inundationem ne hodie quidem quidquam circa fundi ſpeciem mutare, palam eſt.

§. LXXXXII.

Circa adiunctionem, intexturam, inaedificationem, ſpecificationem.

Quum porro in acceſſione INDVSTRIALI praecipua ſit diſpectio, pretiumne adfectionis res admittat, nec ne, itemque an ſeparari queat: (§. 81. 3.) conſequitur (39. vt gemma alieno annulo incluſa eximenda, dominoque ſine ambagibus reddenda ſit, idemque (40. procul dubio obſeruandum videatur, ſi capulus adiunctus alieno gladio, nec non (41. ſi quid adſutum alieno veſtimento, modo ſine detrimento poſſit ſeparari. (42. Vt tigna iuncta, quia in ea raro cadit adfectio, et aeſtimationem facile admittunt, ne hodie quidem vindicentur, nec tamen (43. locus ſit actioni de tigno iuncto in duplum. STRVV. *exerc.* 48. §. 31. SCHILT. *exerc.* 49. §. 13. (44. Vt idem procul dubio dicendum ſit, ſi quis bona fide ſua materia in alieno ſolo aedificarit: quamuis hunc tollere poſſe aedificium, ſi dominus ſoli aeſtimationem praeſtare nolit, iura Germanica concedant. IVS PROV. SAX. *Lib. II. art.* 35. (45. Vt circa ſpecificationem magis aequitatem naturalem quam ſubtilem ICtorum philoſophiam obtinere oporteat.

§. LXXXXIII.

Circa picturam, ſcripturam, commixtionem, confuſionem.

Hinc (46. ſcripturam apud nos chartae cedere, non magis quiſquam credet, quam (47. picturam eſſe acceſſionem viliſſimae tabulae, quum in ſcripturam et picturam permagna; in chartam et tabulam nulla cadat adfectio. SCHNEIDEWIN. *ad* §. 33. *Inſt. de rer. diuiſ.* GROENEWEG. *de legib. abrog. ad d.* §. 33. *Inſt. eod.* At, (48. commixta ac confuſa vtriuſque voluntate, communia fieri, vnius facto et altero inconſulto commixta confuſaque relinquenda eſſe commiſcenti vel confundenti, * et hunc damnandum ad aeſtimationem alteri praeſtandam, ipſa recta ratio ſuadet.

* Quid-

* Quidquid enim ICti Romani de particulis rerum commixtarum in ſubſtantia ſua permanentibus, et hinc a domino vindicandis, philoſophentur: haec tamen philoſophia non eſt publici ſaporis, nec tam facile vindicantur grana tritici alterius hordeo mixta, quam boues, qui ſe alterius gregi immiſcuerunt. Quin plerumque aut nullum, aut exiguum vſum praeſtant res aridae, hoc modo commixtae, adeoque non ſine iniuria obtruderentur ei, quo inconſulto illae commixtae ſunt. Vt mirer adeo, ius Romanum, quod §. 27. *ſequ. Inſt. de rer. diu.* hac de re explicatur, in viridi obſeruantia eſſe credi a Strykio *vſ. hod. Dig. Lib. XXXXI. tit.* 1. *§.* 27.

§. LXXXIIII.

Quumque idem obſeruandum ſit de acceſſionibus mixtis (*§.* 81. 4.) conſequens eſt, (49. vt qui bona fide alienum conſeuit agrum, vel aeſtimationem ſementis, et impenſas in culturam factas recipere, meſſemque domino agri relinquere teneatur, ceu et Romanis viſum eſt, vel, (50. ſi hic aeſtimationem praeſtare nolit, meſſem ſibi iure vindicet, penſione domino exſoluta, quod ius Saxonicum velle vidimus. (51. Vt plantarum et arborum dominium hodie quoque magis ex trunco et ramis, quam ex radicibus, aeſtimetur, ac proinde (52. vicinus et ramos fundo ſuo imminentes coercere, et (53. fructus ex iis prouenientes ſibi vindicare poſſit. Schneidew. *ad* §. 31. *Inſt. de rer. diuiſ. n.* 5. Carpz. *Part. III. Conſt.* 32. *def.* 25.

Circa ſationem et plantationem.

§. LXXXXV.

Quae de bonae fidei poſſeſſore diximus, ea et hodie obtinere arbitramur, vbi ius Romanum mores patrios nondum egit in exſilium. Saltim (54. ea, quae de fructibus occando ſubactis, penſionibuſque, quarum iam dies venit, ſupra ex iure Saxonico diſſeruimus, etiamnum in Saxonia valere, experientia docet. Ex moribus Germanicis forſan etiam eſt, (55. quod bonae fidei poſſeſſor, ſuperueniente vero domino, et rem vindicante, fructus conſumtos non omnes lucratur, ſed reſtituere tenetur eos, quibus factus eſt locupletior. * Stryk. *vſ. hod. Dig. Lib. VI. tit.* 1. *§.* 12.

Circa fructus a bonae fidei poſſeſſore perceptos.

* Id enim aliter ſe habere iure Romano, et b. f. poſſeſſorem domino rem ſuam vindicanti ex fructibus conſumtis nihil reſtituere, quamuis factus ſit locupletior, ſatis notum eſt. *l.* 4. §. 2. *D. fin. reg.* quamuis hereditatis petitione conuentus poſſeſſor bonae fidei, ex conſumtis reſtituat illos, quibus factus eſt locupletior. *l.* 22. *l.* 25. §. 11. 15. *l.* 36. §. 4. *l.* 40. §. 1. *D. de her. pet.* Vtrum vero ius Germanicum antiquum ea in re reliquerint ICti patrii, an, quod magis crediderim, ab hereditatis petitione argumentum duxerint ad rei vindicationem, nondum mihi liquere, fateor.

§. LXXXXVI.

§. LXXXXVI.

Circa traditionem rerum immobilium.

Denique ex vltimo axiomate, (§. 81. 5.) reddimus rationem, (56. cur, vbi ius Saxonicum et Lubecenſe viget, hodie quoque in alienationibus immobilium requiratur reſignatio ad acta, et hinc (57. dominium ciuile ne in emtorem quidem transferatur, niſi a magiſtratu inueſtitum, *vvann der verkäuffer nicht die leben aufgelaſſen, vnd der käuffer das grundſtük in leben vnd vvürden überkommen*, vel (58. iure Lubecenſi ius ſuum venditor coram ſenatu emtori ceſſerit, et huic fundus adſcriptus ſit in libro publico. Mev. *ad ius Lubec. Lib. III. tit. 6. art. 1. n. 3. ſequ.*

§. LXXXXVII.

Eiuſque varia ſymbola.

Quin nec (59. traditionis ſymbola quaedam, qualia ſupra deſcripſimus, hodie prorſus obſoleuerunt. Nam, praeterquam quod (60. effeſtucatio in Gelria viciniſque prouinciis et hodie obtinet, Lamb. Goris. *Aduerſar. Tract. III. P. I. cap. 1. n. 13.* Hvber. *praelect. ad Inſt. Lib. II. tit. 1.* §. 58. non aliunde eſt, (61. quod ſi quando in Saxonia immiſſio fit in praedium, nouo poſſeſſori traditur feſtuca, ex ianua vel arbore exciſa, Keyser, *anvveiſ. zum hulffs-proc. cap. 3. §. 7.* itemque (62. quod adprehendentes poſſeſſionem praedii, non ſolum feſtucam, ſed et glebam exſcindere, vel ramuſculum ex arbore defringere ſoleant, eaque omnia, tamquam ſigna adquiſitae poſſeſſionis ſecum auferre, quin et notarios, vt hoc in inſtrumentum publicum referant, monere ſoleant.

TIT. IIII.

DE MODIS ADQVIRENDI IVRIS CIVILIS, SPECIATIM DE VSVCAPIONIBVS, VEL PRAESCRIPTIONIBVS, ET INVESTITVRIS.

§. LXXXXVIII.

Modi adquirendi ciuiles, vniuerſalis, hereditas.

Plures adquirendi modos, cum vniversales, tum singvlares, inuenerat ius ciuile Romanum, quos omnes ignorabant Germani. Nam quod ad vniversales attinet, tantum abeſt, vt his vel notae vel admodum vſitatae fuerint adquiſitiones

nes per *bonorum poſſeſſiones*, *adrogationes*, *addictionem bonorum libertatum ſeruandarum cauſſa*, *ſectiones bonorum* et *ex SCto Claudiano*, vt harum pleraeque apud ipſos Romanos a Iuſtiniani temporibus exoleuerint. Nullus ergo alius Germanis in vſu fuit modus adquirendi vniuerſalis ciuilis, quam HEREDITAS, ſed de qua paullo poſt commodior erit dicendi occaſio.

§. LXXXXVIIII.

Nec magis modi adquirendi SINGVLARES plerique, de quibus tam ſubtiliter philoſophantur ICti Romani, moribus Germanorum quadrant. DONATIO enim in Germania vere pactum, adeoque titulus magis fuit, quam proxima adquirendi cauſſa. LEGATA et FIDEICOMMISSA *ſingularia* ſero innotuerunt Germanis, et de iis infra, vbi de vltimis voluntatibus erit agendum, diſſeremus: ideoque et hic vnicus ſupereſt modus adquirendi ſingularis, quem maiores noſtri cum Romanis communem habuerunt, VSVCAPIO, vel PRAESCRIPTIO, alter Germanis proprius, INVESTITVRA, * de quibus hoc titulo agere conſilium eſt. Singulares vſucapio et inueſtitura.

* INVESTITVRAM enim fuiſſe modum adquirendi, adeo extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, vt et *euentualis*, quam vocant, dominium transferre videretur. SCHILTER. *de formul. inueſt. princ. cap.* 1. §. 3. *p.* 512. TIT. *Teutſch. lehnr. cap.* 10. §. 28. *ſequ.* quamuis vulgo diſſentiant doctores. Hinc *II. feud.* 8. *pr. Rei autem per beneficium recte inueſtitae vaſallus hanc habet poteſtatem*, *vt tamquam* DOMINVS *poſſit a quolibet poſſidente ſibi quaſi vindicare.* IVS FEVD. SAX. *cap.* 39. *Ob auch ein mann dem andern ſein gut auslāſſet von dem lehnherrn, ſo hat dieſer, dem es zu gut aufgelaſſen iſt, zu hand die* GEWEHR *daran, die zuvor des erſten mannes vvar.* Qualia etiam legas in IVRE FEVD. ALAM. *Art.* 75. niſi quod explicatius reſignationi accedere debere inueſtituram, monet *zu hant, ſo er das güt* ENTPHÔHET, *ſo hat er auch die* GEWEHR *an dem güte.*

§. C.

Quod ad VSVCAPIONEM vel PRAESCRIPTIONEM attinet, (quod enim diſtinctis his nominibus exprimunt iura vetera Romanorum, id Germani promiſcue vocant *die veriâhrung*,) nullum eſt dubium, quin veteres e republica eſſe exiſtimarint, poſſeſſionem rerum ſaltim immobilium demum certam, litiumque ac ſollicitudinis finem aliquando eſſe oportere. Quamobrem praeſcriptionis praeſidio tutos eſſe volebant eos, qui fundum XXX. annis poſſediſſent, quia id pro ſaeculo habebant maiores noſtri *. Vſucapio vel praeſcriptio Germanorum cur tricennaria?

* PLINIVS *Hiſt. nat. Lib. XVI. cap.* 44. loquens de viſco, religioſe collecto a Druydibus: *Eſt autem id*, inquit, *rarum admodum inuentu, et repertum magna religione petitur: et ante omnia ſexta luna, quae principia menſium annorumque his facit, et* SAECVLI *poſt* TRICESIMVM ANNVM. Germanis ergo ac Gallis ſaeculum erat XXX. annorum, vel, vti in LEGE WISIG. *Lib. X. tit.* 2. §. 4. legimus, *eo numero illis veritas* PERFECTAE AETATIS *compleri* videbatur: quemadmodum Romanis ſaeculum erat annorum CX. HORAT. *in Carm. ſaec. v.* 21.

Certus vndenos decies per annos
Orbis vt cantus, referatque ludos,
Ter die claro, totiesque grata
Nocte frequentes.

Chaldaeis annorum CXX. ceu oſtendit SCALIG. *ad Euſebii chron. p.* 146. *et in can. iſagog. Lib. III. p.* 251. 253.

§. CI.

Eam inculcat apud Francos decretio Childeberti.

Et hoc quidem triginta annorum ſpatium gentes Germanicae tantum non omnes ſufficere putarunt ad rem immobilem vſucapione adquirendam, vel ius domini, eam vindicantis, praeſcriptione excludendum. At nec tempus breuius facile admittebant, niſi vbi ius Romanum mores patrios quodammodo inquinaſſet. Antiquiſſima lex eſt DECRETIO CHILDEBERTI, Regis, apud LINDENBROGIVM et BALVZIVM, vbi §. 3. legimus: *Similiter Traiecti conuenit nobis campo, vt quaſlibet res ad vnum ducem vel iudicem pertinentes, per* DECEM *annos quicumque inconcuſſo poſſedit, nullam habeat licentiam intertiandi, niſi tantum cauſſa orphanorum, vſque ad* XX. *annos licentiam tribuamus.* * *Si quis ſuper hoc iudicium praeſumſerit intertiare, ſolidos* XV. *ſoluat, et rem intertiatam amittat. De reliquis vero conditionibus omnes omnino cauſſas* TRICENNARIA *lex excludit, praeter id, quod in alia regna hucuſque detinuit.*

* INTERTIARE, ceu ex codice antiquo bibliothecae regiae Franciae docuit BALVZ. *ad Capitul. Tom. II. p.* 1228. idem eſt, ac *tribus teſtibus adhibitis pergere ad eum, qui res poſſidebat, quas dicebat furto ablatas, et interdicere ei, vt non alienaret, ſed ad iudicium veniret.* Hinc de ſequeſtratione paſſim interpretatur ECCARDVS *ad leg. Sal. p.* 73. *et* 93. et *ad leg. Ripuar. p.* 216. Itaque intertiandi ritus, de quo LEX SAL. *tit.* 50. et LEX RIP. *tit.* 33. §. 1. praecipue pertinebat ad res mobiles, eaeque adeo ex lege Childeberti vſucapiebantur decennio, vel, ſi res pupillares furto ſubreptae eſſent, vicennio, modo in eodem ducatu vel comitatu eſſent repertae. Ceterae res, puta immobiles, itemque actiones, triginta demum annis praeſcribebantur, niſi quod praeſcriptio plane non admiſſa videtur, ſi quis res mobiles extra ducatum vel comitatum detuliſſet, vel immobiles extra regnum ſitae eſſent.

§. CII.

Digitized by Google

§. CII.

Et Capitularia Regum Francorum.

Idem et poſtea obſeruaſſe videntur Franci, etiam in rebus eccleſiae et fiſci, ſi quis contra illam vel hunc experiretur. LVDOVICVS PIVS *addit. IIII. capitul.* §. 103. *Vt de rebus eccleſiarum, quae ab iis per triginta annorum ſpatia ſine vlla interpellatione poſſeſſae ſunt, teſtimonia non recipiantur, ſed eo modo contineantur, ſicut res ad fiſcum noſtrum pertinentes contineri ſolent.* Contra ſi ipſae eccleſiae res ſuas vindicabant, ipſis non obſtabat niſi XXXX. annorum praeſcriptio. CAPIT. REG. FRANC. *Lib. V.* §. 236. *Nec decem anni, neque viceni, vel* XXX. *annorum praeſcriptio religioſis domibus opponatur, ſed* XXXX. *annorum curricula: et non ſolum in ceteris rebus, ſed etiam in legatis et hereditatibus* *.

* Sed haec quidem non tam ex iure Germanico, quam Romano, eſſe videntur, quod ipſum quoque eccleſiis non niſi 40. annorum praeſcriptionem opponi patitur. *l.* 24. *C. de SS. eccleſ. Nou. CXI. cap.* 1. *Nou. CXXXI. cap.* 6. Libenter enim haec ſimiliaque amplectebantur clerici apud Francos, et quamuis hi ſuis legibus viuerent, religioni tamen ſibi non ducebant ſacrificuli, profiteri, *eccleſiaſticas res ſub Romana lege conſtitutas eſſe*, ADREVALD. FLORIAC. *de mirac. S. Bened. cap.* 25. itemque *leges illas probare eccleſiam.* HINCM. *Op. Tom. II. p.* 440. *p.* 509. 799. Hinc et illa quadraginta annorum praeſcriptio, eccleſiarum bono inuenta, mirifice placebat clericis, vti patet ex HINCM. *ibid. p.* 739. vbi manifeſto ad legem Iuſtinianeam prouocatur.

§. CIII.

Nec non leges Burgundicae.

Tenaciores patrii moris erant BVRGVNDIONES, qui eamdem XXX. annorum praeſcriptionem receperant in rebus immobilibus. Nam LEGE BVRG. *tit.* 79. §. 3. cautum eſt, vt, *ſi impletis* XXX. *annis terra a quocumque etiam peruaſa fuiſſe dicatur, neque fuerit reſtituta, dominus nihil ſibi reddendum eſſe cognoſcat*, itemque §. 5. *vt omnes in genere cauſſae, intra* XXX. *annos non definitae, non amplius commoueantur.* Itaque XXX. annis apud Burgundos et res ſoli praeſcribebantur, et actiones omnes exſpirabant: de praeſcriptione vero rerum mobilium nihil ea lege definitum reperimus.

§. CIIII.

Et Wiſigothicae.

Sed et REGES WISIGOTHICI, quamuis leges ſuas Romanarum lacinia non vna deformarent, ab hoc tamen Germanorum principio diſcedendum ſibi haud putabant. Hinc *Lib. X. tit.* 2. §. 4. praeſcriptionem XXX. annis circumſcribunt, eamque *non quaſi ex inſtructione humana, ſed veluti ex ipſa rerum na-*

tura proceſſiſſe, cenſent. Eam porro non modo in rebus obtinere volunt, ſed et *in cauſſis omnibus, ſiue bonis, ſiue malis, aut etiam criminalibus.* * IBID. §. 3. Nec diſtinguere videntur res *mobiles* atque *immobiles*, ſaltim illarum non faciunt diſerte mentionem.

* Ne tamen ii, qui rerum ſuarum curam ipſi agere nequeunt, earum dominio iuſto citius priuarentur: eam praeſcriptionem ſufficere noluerunt poſſeſſoribus ſeruorum fiſcalium, et fugitiuorum, *Lib. VIIII. tit. 2.* §. 1. rerum ad relegatos ac exſules pertinentium, *ibid.* §. 6. ſortium Gothicarum et Romanarum, *ibid.* §. 1. nec non pupillarium, *ibid.* §. 2. et 4. ſiquidem ſeruorum huiuſmodi et rerum pupillarium poſſeſſores non niſi annorum quinquaginta poſſeſſio tutos praeſtabat, exſulibus vero res ſuas repetentibus nulla omnino obſtabat praeſcriptio.

§. CV.

Denique Langobardicae.

Sed et LANGOBARDICA LEX, ceu recte obſeruat ANDR. BARVLO *comment. ad leg. Langob. tit. 36. eamdem praeſcriptionem requirit in re mobili, quam in immobili.* Neutrae ergo res breuiore, quam triginta annorum, ſpatio adquirebantur. Quaedam tamen ſingularia habet LEX LANGOB. *Lib. II. tit.* 35. §. 1. *ſeq.* Si quis enim rem ſoli inter praeſentes poſſederat, alter vero ſe vendidiſſe negabat, et tamen inſtrumentum libellatici contractus, quem interceſſiſſe ferebat, producere non poterat: poſſeſſorem iure iurando firmare oportebat, ſe rem emiſſe. Sin a tertio cauſſam haberet, et quinque annos rem tenuiſſet poſſeſſor, aut ſacramentum praeſtare, aut certamine ſingulari cauſſam defendere tenebatur. Denique triginta annorum poſſeſſio tutum praeſtabat bonae fidei poſſeſſorem, modo hic, ſi de bona fide dubitaretur, eam iureiurando firmaret *.

* Primo ergo et altero caſu titulus erat probandus, vel iureiurando, ſi quis cauſſam a vindicante haberet, vel ſingulari certamine, ſi a tertio. Poſtremo caſu bona fides, ſi de ea non conſtabat, erat probanda, et quidem iure iurando poſſeſſoris. Adde, Langobardos 40. annorum praeſcriptionem exigere ad excludendum inter fratres familiae erciſcundae iudicium; *Lib. II. tit.* 35. §. 7. ſexaginta, ad res fiſcales vel principis adquirendas. IBID. §. 8.

§. CVI.

An ius Germanicum requirat bonam fidem?

Sed quaeritur, an et ea, quae ius Romanum in vſucapione requirit, veluti bona fides et iuſtus titulus, neceſſaria viſa ſint iure Germanico? Quod vix arbitramur adfirmandum, praeterquam quod Langobardi hoc a Romanis didiciſſe videntur,

quorum

quorum in legibus inter malae ac bonae fidei poſſeſſorem diſerte diſtinguitur. *Lib. I. tit.* 35. §. 5. *et* 9. Eoſdem et tituli rationem habuiſſe, paullo ante vidimus. Contra EDICTVM THEODERICI *Oſtrogothicum* §. 12. quamuis alioquin ius Romanum ſequatur, in eo, quod poſſeſſionem auctoris etiam ſucceſſoribus prodeſſe iubet, et minoribus praeſcriptionem currere negat, tamen in tricennaria praeſcriptione, nec vllum inter res mobiles et immobiles, bonam malamque fidem, diſcrimen ſtatuit, et ne titulum quidem iuſtum exigit.

§. CVII.

Et iuſtum titulum.

Idem dicendum de WISIGOTHIS, quorum in lege quamuis requiratur *iuſta poſſeſſio*, *Lib. X. tit.* 2. §. 4. non tamen vſquam vel titulum, vel bonam fidem exigit a poſſeſſore, ſed tantum poſſeſſionem continuam, et nullo actu interruptam. IBID. §. 5. Nec alia eſt CHILDEBERTI Regis, quam ſupra adduximus, ſanctio. Quin in LEGE BVRGVNDICA tantum abeſt, vt bonae fidei iuſtiue tituli habeatur ratio, vt ea diſerte et tunc admittat praeſcriptionem, *ſi res a quocumque* PERVASA *fuiſſe dicatur.* Vt adeo ex iuris Germanici principiis ſolum temporis lapſum in praeſcriptione ſuffeciſſe, pateat.

§. CVIII.

Qualis ſit praeſcriptio iuris Saxonici?

Sed prouehimur ad medii aeui tempora, quibus manſit ius vetus Germanicum, vt praeſcriptio rerum immobilium XXX. demum annis impleretur, quamuis pleraeque gentes aliquantulum temporis, tamquam ſuperpondium, adiicerent, veluti Saxones annum et diem. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 29. *An eigen vnd erbe mag ſich der Sachſs verſchvveigen bey dreyſſig iahren, iahr und tag, vnd eher nicht.* * Res mobiles iure Saxonico praeſcribi anno et die, vulgo quidem tradunt, ſed fateor, me id in iure Saxonico non reperiſſe, nec puto, textum *Lib. I. art.* 28. qui de praeſcriptione hereditatis vacantis agit, ad mobilia in vniuerſum pertinere. SCHILT. *Exerc.* 45. §. 49.

* Ius etiam Saxonicum nuſquam diſtinguit inter bonae ac malae fidei poſſeſſorem. Vnde recte calculum poſuit THOMAS. *not. ad Inſt. Lib. II. tit.* 6. p. 160. *Germani primario non reſpexerunt eo, vt ciues ad vigilantiam excitarent in vindicandis iuribus ſuis, ſed ad ſolam vtilitatem publicam, et litium terminationem, vt videlicet dominia rerum eſſent in certo. Ergo horum bonorum intuitu cognita ipſis fuit ſoltum longiſſimi, non vero longi temporis praeſcriptio. Vnde veroſimile euadit, eos in hac immobilium praeſcriptione nec requiſiuiſſe bonam fidem,*

fidem, nec iuſtum titulum, nec etiam vitium violentiae obſtitiſſe adquiſitioni, ſed ſolum fundaſſe ſe in praeſcriptione iuris gentium, nixa derelictione praeſumta.

§. CVIIII.

Et iuris Sueuici.

Apud ALAMANNOS vero plane nulla admiſſa fuiſſe videtur praeſcriptio. SPECVLATOR enim SAXO *Lib. I. art.* 29. vbi, res immobiles aduerſus Saxonem triginta annorum lapſu praeſcribi, monuit, ſtatim addit: *Des reichs ſchatzkammer* (vetera exemplaria *dat ryke*) *vnd die Schvvaben mögen ſich nimmer verſchvveigen an ihrem angefallenen erb, dievveil ſie es bezeugen mögen.* Ex quo conſequitur, * vt iuris Romani lacinia ſit, quam iuri patrio adſuit SPECVLATOR SVEVVS *cap.* 265. dum res mobiles triennio, immobiles decem annis inter praeſentes, XX. inter abſentes praeſcribi, docet.

* Ergo vel inde patet, recentius iure Saxonico eſſe Sueuicum, quippe quod iuris Romani laciniis multo magis deformatum eſt, quam illud, adeoque iis temporibus ſcriptum ſit oportet, quibus iam vbique vigebat iuris Romani auctoritas. Pluribus id demonſtrauimus in *hiſt. iur. Lib. II.* §. 72. *ſeq.*

§. CX.

Triginta annorum praeſcriptio apud Belgas.

Idem tempus praeſcriptionis et aliis originis Germanicae gentibus placuit. De Belgis enim ſcribit FRANC. ZYPAEVS *notit. iur. Belg. pag.* 77. *Mobilium vſucapio fere vbique hodie deſiit, et cum rebus ſoli eodem tempore praeſcribuntur, quod annis fere paſſim triginta abſoluitur: vt et actiones perſonales annis durant triginta.* Enimuero et ibi triginta annis aliquantulum accedit, puta tempus trium annorum ſeptendecim hebdomadum et bidui, id quod ibi vocant *het deerte deel van hondert iaeren* *. GROT. *Introd. Lib. II. cap.* 7. *n.* 35. LAMB. GORIS. *aduerſ. iur. Tract. III. Part. I. cap.* 9. SIM. VAN LEEVWEN. *cenſ. forenſ. Part. I. Lib. II. cap.* 10. *n.* 11.

* Non tamen per omnia conueniunt leges Belgicae. In Zeelandia enim immobilia inter praeſentes 20. inter abſentes 30. annis praeſcribuntur. In agro Vornano triginta anni indiſtincte ſufficiunt. SIM. VAN LEEVW. *ibid. p.* 109. quod tempus Brabantinis quoque ſollemne eſſe, patet ex CONSV. MACHLIN. *tit.* 20. *art.* 1. et CONSV. ANTV. *tit.* 61. *art.* 1. In Hollandia alicubi triginta annos in mobilium, tertiam ſaeculi partem in immobilium praeſcriptione requiri, tradit GROENWEG *de legib. abrog. tit. C. de praeſcript. trig. vel quadr. annor.* Denique ibidem et vnius anni et diei poſſeſſionem ſufficere, ſi quis auctore praetore, bona fide, iuſtoque titulo fundum adquiſiuerit, ex vrbium quarumdam ſtatutis docent GROT. *ibid.* SIM. VAN LEEVWEN. *ibid. n.* 12. *p.* 110.

§. CXI.

§. CXI.

Et Gallos.

Similes ſunt mores Gallorum omnium, qui non iure ſcripto, ſed conſuetudinibus, reguntur. Nam apud hos quoque praeſcriptio rerum, tum mobilium, tum immobilium, triginta annis abſoluitur. Io. Imbert. *enchirid. iur. Gall. pag.* 376. *ſequ.* Nic. Boer. *conſuet. Bituric. tit.* 3. §. 7. Chassan. *conſuet. Burg. rubr.* 13. §. 8. Sic mirus eſt gentium fere omnium Germanicae originis conſenſus in tricennale iſtud praeſcriptionis tempus, vt dubitaturus ſit nemo, quin hoc ſit ius patrium et vere Germanicum. (*Lib. I.* §. 14.)

§. CXII.

Emporiis contractiora praeſcriptionis tempora.

Repudium tamen huic communi Germanorum conſuetudini dederant ciuitates quaedam, quibus commerciorum amplitudo pro fine erat. In huiuſmodi enim emporiis contractiora eſſe oportere praeſcriptionis tempora, recte obſeruant rerum ciuilium periti. Hert. *elem. polit. Part. II. Sect. XI.* §. 5. *pag.* 447. et *not. ad Pufendorff. iur. nat. et gent. Lib. IIII. cap.* 12. §. 5. Mev. *ad ius Lubec. Lib. I. tit.* 8. *art.* 1. Exemplum iam vidimus Hollandorum, apud quos anni et diei poſſeſſio prodeſt, ſi res auctore praetore adquiſita ſit. (§. 110. *) Et quis neſcit, excelſius ibi commercia terra marique, quam vſquam terrarum, florere?

§. CXIII.

Hinc Lubecae et immobilia anno et die praeſcribuntur.

Sed neſcio, an vlla alia ciuitas ad hanc ciuilis prudentiae regulam magis ſe compoſuerit, quam incluta Lvbeca, Athenae illae Germanicae, emporiumque ſplendidiſſimum. Ex Lvbecensivm enim ivre et res mobiles, (*Lib. I. tit.* 8. *art.* 1.) et immobiles, (*Lib. III. tit.* 6. *art.* 3.) anno et die praeſcribuntur, niſi dominus extra territorium abſuerit, quippe quo caſu ei adhuc conceditur annus vtilis ad res ſuas vindicandas. Sed et actionum apud Lubecenſes vix alia nota eſt praeſcriptio, quam vel annalis, vel multo breuior. * Vid. *diſſ. de praeſcript. annal. iur. Lubec. a iure comm. diuerſa.*

* Sic annali praeſcriptione ſe tuentur homines proprii, qui interim quiete in poſſeſſione fuerunt libertatis, et in vrbe lares conſtituerunt. *Lib. I. tit.* 3. *art.* 3. quamuis hoc vrbem illam commune habere cum aliis, veluti Brema, Argentorato, Goſlaria, Vienna, Lindauia, Northuſa, Tremonia, Spira, demonſtrare nos meminerimus in *diſſert. citata* §. 13. Sic et ad euictionem rerum immobilium praeſtandam Lubecae nemo diutius, quam anno et die, obligatus eſt. *Lib. III. tit.* 6. *art.* 1. Et bona vacantia, vertente anno, non vindicata

dicata ab heredibus, fiſco adquiruntur. *Lib. II. tit. 2. art. 14.* aeque ac legata, ſub ea conditione relicta, ſi quis ſe proximum cognatum eſſe probaret. *Lib. II. tit. 1. art. 9.* Formam porro aedificii, quod annum et diem ſtetit, impugnare nemo poteſt: *Lib. I. tit. 8. art. 2.* et dos, intra biennium non exacta, pro numerata habetur. *Lib. I. tit. 5. art. 2.* Quin et iſtud impugnari nequit, quod relatum eſt in librum publicum (*in des Raths oberſtes Stads-Buch,*) ſi id intra annum et diem a nemine impugnatum eſt. *Lib. V. tit. 6. art. 1.* Sed et multo breuiora ibi occurrunt praeſcriptionis tempora, veluti tridui, *Lib. IIII. tit. 4. art. 2.* trium menſium, *Lib. I. tit. 2. art. 2.* quatuordecim dierum. *Lib. V. tit. 8. §. 2.*

§. CXIIII.

Nec non Hamburgi.

Similis fere eſt Hamburgenſium legiſlatio, ſiue quod vrbs illa florentiſſima, ceu THRACIGER ſuſpicatus eſt, olim vſa ſit iure Lubecenſium, ſiue, quod vtraque vrbs leges ſuas ex eodem fonte hauſerit. Annalis ſane illius praeſcriptionis, etiam in rebus immobilibus obtinentis, veſtigium exſtat IVR. HAMB. *Part. II. tit. 8. §. 7. Nach auſsgang iahres vnd tages kan niemand verkauffte, verlaſſene, vnd in der ſtadt-buch zugeſchriebene erbe anfechten, es ſey dann, daſs er durch rechtmäſſige ſache ausheimiſch gevveſen, ſo hat er billig von zeit der vviſſenſchafft noch iahr vnd tag zu genieſſen.* Denique eo iure aeque breui temporis ſpacio praeſcribuntur res per mare adlatae, de quarum praeſcriptione ſecundum ius Hamburgenſe ſingularis exſtat IO. SAM. STRYKII diſſertatio.

§. CXV.

Inueſtiturae vocabulum antiquum.

Talis ergo fuit in Germania ante inuectum ius Romanum praeſcriptio. Alterum adquirendi modum ciuilem, et Germanis proprium, INVESTITVRAM eſſe diximus. Eſt hoc vocabulum cadentis Latinitatis, at ſatis tamen antiquum, ſi genuina eſt formula, quam poſt alios attulit BARN. BRISSON. *de form. Lib. VI. pag. 501.* TV, PASCVTI, FVSTE ILLVM INVESTITO, TV, SEGNITI, FVSTEM MANV CAPITO. Eam enim formulam ad aedium venditionem et traditionem pertinere, ſatis conſtat. *

* Itaque inueſtitura non modo in rebus feudalibus, ſed allodialibus quoque, maxime immobilibus, locum habebat: nec vlla temere fiebat traditio, cui non accederet inueſtitura, ceu ſuperiore capite oſtendimus. (§. 80.) At proprie tamen ea accedebat traditioni feudi, aliorumque praediorum, quorum vtile duntaxat dominium alicui concedebatur. Et de hac demum inueſtitura hic nobis ſermo eſt.

§. CXVI.

Digitized by Google

§. CXVI.

Vtrum a *veſtiendo*, an a Germanico *veſten*, *befeſtigen* vocabulum hoc natum ſit, adhuc ſub iudice lis eſt. Quemadmodum enim a Germanico *Brieff* eſt barbarum *breue*, a Germanico *Rath* illud Italorum *rota*, a Germanico *Stelle*, *ſtallus* et ſimilia: ita fieri potuit, vt Germanicum *veſten* vel *befeſtigen* euaderet in ſemilatinum *inueſtire*. FR. A. SANDE *de effeſtuc. cap.* 2. *n.* 10. *ſequ.* GVNDLINGIAN. *Part. XII. n.* 2. §. 7. Sed veroſimilius tamen eſt, ob formulam illam, ab ipſis Romanis, vt videtur, profectam, Latinum eſſe vocabulum, et ideo huic actui inditum, quia dominus directus ei, quem inueſtitum volebat, veſtem aliquam vel chirothecam ſaltim, ſollemniter porrigeret. * SCHILT. *ad ius feud. Alam. cap.* 4. §. 59. *ſequ.* et *de inueſt. ſimult. princ. cap.* 1. §. 1. Sitne Latinum, an Germanicum?

* In charta Liemari Archiep. Brem. apud LINDENBR. p. 168. *Super reliquias noſtras* CVM CHIROTHECA, *ſicut mos eſt liberis Saxonibus, tradidit curtim. Aderat Comes Fridericus, aduocatus eccleſiae, qui chirothecam traditionis, ſacris reliquiis impoſitam, vt mos eſt, abſtulit.* Similia loca ſunt apud eumdem LINDENBROG. *pag.* 169. et CAR. DV FRESNE *Gloſſar. Lat. Tom.* I. *p.* 966. *ſequ.* vbi etiam oſtendit, chirothecam huiuſmodi *guantonem*, *guantum* vel *wantum* dictam eſſe. Sed et dominos feudorum vaſallos ſuos donaſſe veſte, dum eoſdem inueſtiebant, pluribus medii aeui exemplis erudite probauit illuſtris a LVDEWIG *de form. ducat. Brandenb. cap.* 8. §. 4. *litt.* e.

§. CXVII.

Erat ergo INVESTITVRA actus ſollemnis, quo dominus in alterum rei cuiuſdam dominium vtile transferebat, tradito rei ſymbolo, veluti haſta, chirotheca, veſte, baculo, annulo, accedente nonnumquam fidei promiſſione iurata, et ſtipulatione ſeruitiorum militarium, aliarumue praeſtationum, veluti cenſus, canonis, operarum, laudemii. Quae omnia paſſim tam accurate probauit CAR. DV FRESNE *in Gloſſar. Lat. ſub voce inueſtitura*, vt ſi eamdem operam conaremur ſuſcipere, actum agere merito videremur. Inueſtiturae deſcriptio.

§. CXVIII.

Ritus inueſtiturae fuerunt varii. Nam eadem, quae in traditionibus ſupra obſeruata eſſe diximus, in inueſtituris quoque tum vaſallorum, tum cenſitorum, locum habuerunt. Id tantum obſeruamus, eos quoque, qui inueſtituram acceperunt, dominis praeſtare ſolitos varias res, tanquam redhoſtimentum factae inueſtiturae, veluti conuiuium lautum, vel par calcarium, vel chiro- Laudemium in inueſtitura praeſtitum.

chirothecarum, vel falconem, item canes venaticos, caponem; corniculum venatorium, pauonem ſaginatum, veruecem ſaginatum, vini modium, enſem, equum. Quae res, quas ſibi in prima inueſtitura ſtipulari ſolebant domini, poſtea certa pecunia aeſtimatae, originem dederunt LAVDEMIIS. * SIM. VAN LEEVWEN *cenſ. for. Part. I. Lib. II. cap.* 21. *n.* 4. *ſequ.*

* Edidit laudatus VAN LEEVWEN *ibid. p.* 148. veterem indicem, quo exprimitur, quanta pecunia ſingulae huiuſmodi res in curia feudali Hollandica redimendae ſint: ex quo adparet, coenam redemtam quinque florenis Carolinis, par canum venatoriorum, *een koppel Wind-honden*, ſex Carolinis, par chirothecarum pro materiae diuerſitate tribus vel quinque ſeſtertiis, par calcarium decem ſeſtertiis, enſem duobus Carolinis, equum quinquaginta florenis, vinum Rhenanum ſex ſeſtertiis. Ex quo ſimul patet, ex iure Romano eſſe laudemia, ad quinquageſimae pretii partis modum redacta. Eidem VAN LEEVWEN *p.* 149. debemus indicem alium, quo expreſſum eſt, pro ſingulis monetis exoletis, ad quas illae res iam olim redactae ſunt, quantum praeſtandum ſit hodierni commatis numorum, vbi aeſtimari videmus *eenen Engelſen nobel, eenen Vlaamſen nobel, eenen Vrancrykſen ſchild, een gouden ſchild, een goude gulden, een godden pennig, een pond, eene marck, eene once, een Koonincks-Tournoys*, et monetas alias, pro laudemio ſoluendas.

§. CXVIIII.

Quoties inueſtitura renouanda? Renouanda vero erat inueſtitura a ſingulis poſſeſſoribus, ideo, quod olim ſicuti feudorum, ita et aliorum praediorum, dominium vtile non niſi ad certum tempus, vel ad dies vitae, daretur. *I. Feud. I.* §. 1. Quod tametſi poſtea in bonis cenſiticis non minus, quam in feudis, mutatum ſit: manſit tamen mos, vt noui poſſeſſores inueſtiturae renouationem petere, eoque nomine praeſtare tenerentur laudemium, quo poſſeſſio veluti redimebatur a domino. Vnde et RELEVII vocabulum medio aeuo inualuit. GVDELIN. *de feud. Part. III. cap.* 6. *n.* 13. SIM. VAN LEEVW. *Part. I. Lib. II. cap.* 21. §. 3.

§. CXX.

Axiomata de vſucapione et inueſtitura. Sed haec quidem de inueſtitura dicta ſufficiant. Verboſior enim tractatio alterius loci eſt, et maiorem curam deſiderat. Itaque methodi memores potius ex iis, quae dicta ſunt hactenus, haec iuris Germanici eruimus principia: I. Germanos in praeſcriptione non diſtinxiſſe res mobiles ac immobiles, nec inter praeſentes et abſentes diſcrimen ſtatuiſſe, immo ne quidem de bonae malaeue fidei poſſeſſione fuiſſe ſollicitos, ſed ſolius temporis

Digitized by Google

poris lapſus, et quidem annorum xxx. habuiſſe rationem. II. Eam praeſcriptionem et dominium adieciſſe poſſeſſori, et alterius actiones excluſiſſe. III. Inueſtituram quoque alteri vel dediſſe vel confirmaſſe dominium vtile. IIII. Circulos tamen hos non parum turbaſſe receptum ius ciuile et canonicum.

§. CXXI.

Ex primo itaque axiomate reddi poterit ratio, (1. cur et hodie quibuſdam locis in Belgio eadem ſit mobilium, ac immobilium, praeſcriptio, eaque (2. triginta fere annis, et quod excurrit, abſoluitur. Franc. Zyp. *notit. iur. Belg. pag.* 77. (3. Cur eadem praeſcriptio tricennalis etiam in Saxonia, et vbi ius Culmenſe viget, obtineat, quamuis ibi mobilium praeſcriptionem anni et diei ſpatio finiant, nullo tamen iuris Saxonici textu ſatis euidente ſubnixi. Carpz. *Part. II. Conſt.* 3. *def.* 6. *n.* 4. Ord. pol. Magdeb. *cap.* 52. §. 1. Ivs Prov. Prvss. *Lib. III. tit.* 4. *art.* 1. §. 2. (4. Cur, quamuis, recepto iure Romano, mores patrii non parum ceperint detrimenti, in paucis tamen Germaniae prouinciis iuris Romani principia per omnia ſeruentur. * An hodie vbique diuerſa mobilium et immobilium praeſcriptio?

* Sic enim iure prouinciali ducatus Bauariae immobiles emtionis titulo comparatae, quinque annis inter praeſentes, decem inter abſentes praeſcribuntur; in reliquis ius ciuile ſeruatur. Balthas. *Reſol. I. tit.* 9. *n.* 16. Ita et Ivs Noric. *Part. II. tit.* 16. §. 9. contra principia iuris Rom. in praeſcriptione mobilium inter praeſentes et abſentes diſtinguit. Qualia et alibi paſſim obſeruare licebit.

§. CXXII.

Ex eo vero, quod ne bonae quidem fidei olim iure Germanico ratio haberetur, (§. 120. 1.) eſſe arbitramur, (5. quod iſtius in Belgio ne hodie quidem habeatur ratio. Sim. van Leeuw. *ibid. n.* 10. (6. Quod alicubi et res furtiuae a tertio breui ſatis tempore poſſint vſucapi. Ivs Lvbec. *Lib. I. tit.* 8. *art.* 1. Ivs stat. Hamb. *Part. II. tit.* 19. §. 3. (7. Quod, vbi bonam fidem exigunt hodierni mores, eam tamen praeſumendam exiſtiment in praeſcriptione longiſſimi temporis vel tricennaria. * Carpz. *Part. II. Conſt. III. Def.* 6. *et* 7. Stryk. *Vſ. hod. Lib. XXXXI. tit.* 3. §. 2. An bonae vel malae fidei vbique habeatur ratio?

* Hoc vere ex Germanici iuris principiis eſt, atque ita comparatum, vt iuris Romani et canonici doctrinam de bona fide propemodum tollat. Hinc Thomas. *not. ad Inſt. p* 161. *Doctrina de bona fide et iuſto titulo in praeſcriptio-*

ne tricennaria parum vtilitatis in praxi habet, quum communiter ſtatuant practici, non opus habere poſſeſſorem, vt probet bonam fidem, et iuſtum titulum, ſed vtrumque praeſumi, niſi ab aduerſario probetur contrarium.

§. CXXIII.

Praeſcriptio vnius generis apud Germanos.

Quumque, vbi ſupereſt praeſcriptio Germanica, ea et dominium adiiciat, et actiones excludat: (§. 120. 2.) (8. conſequens eſt, vt nulla inter vſucapionem et praeſcriptionem differentia ſit: et (9. ne quidem inter longum ac longiſſimum tempus diſtinguatur, multoque minus (10. inter temporalem et perpetuam praeſcriptionem diſcrimen ſit, ſed (11. haec omnia ex iure Romano in mores Germanicos migrarint.

§. CXXIIII.

Effectus inueſtiturae.

Quae de inueſtiturae effectu diximus, (§. 120. 3.) ea et in Germania obtinent. Nam (12. eam conſequuti dominio rei vtili fruuntur, et (13. non modo rem vindicant a quocumque poſſeſſore, ſed et (14. fructus omnes ex re percipiunt, quin et (15. a domino, a quo cauſſam et inueſtituram habent, recte petunt euictionis praeſtationem, ſi res iure fuerit euicta, tantum abeſt, (16. vt a domino pro lubitu expelli aut praedio priuari poſſint.

§. CXXV.

Eius requiſita.

Quumque tunc demum id transferatur dominium, ſi rite facta eſt inueſtitura: (§. 120. 3.) omnino requiritur, (17. vt eam poſſeſſor iuſto tempore renouet, (18. et domino praeſtet laudemium, *die lehn-waare*, vel *den weinkauff.* * (19. Vt et litteras inueſtiturae a domino impetret, et (20. pro iis praeſtet aliam mercedem, quae vocatur *der ſchreib-ſchilling.* (21. Vt vbi adhuc ſymbola quaedam adhiberi ſolent, ne id quidem omittendum ſit. Quamuis (22. haec omnia ordinarie, mutato tantum poſſeſſore, non mutato domino, praeſtanda ſint in bonis cenſiticis laudemialibus.

* Huius vocabuli origo non obſcura eſſe poteſt iis, qui quae §. 118. diximus contulerint. Inter ea enim, quae olim laudemii loco praeſtabantur, erat etiam coena opipara, *een goede maeltydt*, et vini modium, *een ſtoop wyn.* SIM. VAN LEEVW. *ibid.* p. 148. Quum itaque poſtea haec omnia pecunia aeſtimarentur: ea pecunia non potuit commodiore vocabulo notari, quam *des weinkauffs.*

§. CXXVI.

§. CXXVI.

Quod denique hos iuris Germanici circulos paſſim turbarit ius Romanum, in Germaniam inuectum, (§. 120. 4.) argumentis conſtat pluribus, veluti (23. quod mores in praeſcriptionibus triginta annorum vbique fere requirant bonam fidem perpetuam, ob *cap. vlt. X. de praeſcr.* Coler. *de Proceſſ. exſequut. Part. I. cap. 3. n.* 105. Schneidew. *ad pr. Inſt. de vſuc. n.* 17. Mynsing. *Cent.* 4. *Obſ.* 6. *n.* 4 (24. Quod tempus triginta annorum, anni et diei extra Saxoniam plerisque locis negligitur, recepta longi temporis praeſcriptione Romana. (25. Quod vbi adhuc obtinet illa annorum triginta et vnius, ſex hebdomadum, et trium dierum praeſcriptio, ſimul tamen receperint praeſcriptiones, iure Rom. certis temporum ſpatiis circumſcriptas, e. g. annalem actionis iniuriarum, biennalem actionis de dolo, quin et quadraginta annorum et immemorialem. Carpz. *Part. II. Conſt.* 3. *defin.* 4. Ius commune introductum multa mutauit et circa praeſcriptionem.

§. CXXVII.

Nec minus inueſtituram Germanicam valde turbauit ius Romanum, veluti (26. dum et in bonis cenſiticis eam renouari iuſſerunt ICti, mutato domino: (27. dum laudemium Germanicum confuderunt cum laudemio emphyteutico, et hine (28. alicubi quinquageſimam partem pretii, alibi multo plus, laudemii nomine exigere coeperunt. Vid. Franzk. *de laudemiis.* Vnde (29. tanta eſt bonorum vel praediorum ruſticorum diuerſitas in Germania, vt in vna eademque prouincia vix bina praedia eiuſdem generis reperias, quorum eadem per omnia ſit hac in re conditio. et circa inueſtituram.

TIT. V.

DE SERVITVTIBVS.

§. CXXVIII.

Hactenus de dominio, eiuſque adquirendi modis, quantum ſatis eſt, diximus: proximum eſt, vt et de servitvtibvs quaedam adiiciamus, (§. 30.) quamuis de iis tam pauca et in legibus antiquis, et in aliis vetuſtatis monimentis, occurre- Tranſitio ad ſeruitutes.

re fateamur, vt non poſſimus non in hoc quidem iuris capite eſſe paullo breuiores. Quamuis vero et PERSONALES et REALES ſeruitutes habuiſſe videantur Germani: tamen quia priores rarius intra ſeruitutum naturam ſubſiſtebant, et plerumque degenerabant in dominium vtile, (§. 33.) de REALIBVS potiſſimum hic erit diſſerendum.

§. CXXVIIII.

Eae adeo ſunt neceſſariae, vt nec Germani iis carere potuerint.

Non ita comparatae ſunt res hominum, vt cuiquam omnes vitae commoditates abunde ſuppetant. Immo potius, *quum non ideo res inter mortales ſint diuiſae, vt omnis bonorum communicatio ceſſaret: inde contingit, vt non ſolum ex lege humanitatis alteri ſaepe res noſtras, earumue vſum debeamus concedere: ſed etiam, vt alii ius aliquod perfectum in re noſtra ſibi quaerant, adeoque ex re noſtra vtilitatem aut commoditatem aliquam ſibi comparent*, ceu recte docuit PVFENDORFFIVS *de iure nat. et gent. Lib. IIII. cap.* 8. §. 1.

§. CXXX.

An Germani omnes ſeruitutes, ſubtilitatesque circa illas, receperint?

Itaque et veteribus Germanis non plane ignotas fuiſſe ſeruitutes, facile eſt ad intelligendum, quamuis res ipſa doceat, Germanos veteres nec omnes ſubtilitates, quas acutiſſima iureconſultorum Romanorum natio excogitauerat, nec omnes ſeruitutes, quas luxus vitaeque elegantioris ſtudium inuexerat, in vſu habuiſſe. *

* Recte THOMAS. *Not. ad Pandect. Lib. VIII. tit.* 1. *p.* 122. *Quamuis ſeruitutum materia ſit maxime practica: propterea tamen non ſequitur, quod Germani omnes ſubtilitates ICtorum Rom. in doctrina de ſeruitutibus receperint.* Et quibuſdam interiectis *p.* 123. *Olim tempore ſpeculi Sueuici et Saxonici vix alias ſeruitutes videntur in vſu fuiſſe, praeter ſeruitutem ſtillicidii, et ſimiles, tamquam in magna veterum aedificiorum ſimplicitate, et quia ſeruitutes Romanorum, etiam ruſticae, non quadrarent ad ſtatum antiquum Germanorum. Poſtea luxu etiam apud Germanos creſcente, in vſum pedetentim venerunt aliae quaedam, Romanis vſitatae.*

§. CXXXI.

Seruitus apud Germ. etiam in faciendo conſiſtit.

Quod ad prius attinet, ea erat apud Romanos ſeruitutum natura, vt illae non in faciendo, ſed vel in patiendo, vel in non faciendo, conſiſtere viderentur. POMPONIVS *l* 15. §. 1. *D. de ſeruitut. Seruitutum non ea natura eſt, vt aliquid faciat quis, veluti viridia tollat, aut amoeniorem proſpectum praeſtet, aut in hoc vt in ſuo pingat, ſed vt aliquid patiatur, aut non faciat.*

Sed

Sed hoc principium numquam recepiſſe videntur Germani, apud quos praedii vicini poſſeſſor vicino alteri non minus ſaepe faciendo ſeruiebat, quam vel non faciendo, vel patiendo. *

* Ex inſtituto hoc, vt alios iam praetermittamus, oſtenderunt GER. GOTTL. TITIVS *in diſſ. de ſeruitute faciendi* Lipſiae MDCCX. et EPHRAIM GERARDVS *de ſeruitutibus in faciendo conſiſtentibus* Ien. eodem anno defenſa.

§. CXXXII.

Exemplo eſſe poſſunt operae ruſticorum, ſaepe in Germania non domini tantum, ſed et extranei praedio praeſtandae. Has enim non perſonis, ſed ipſis praediis inhaerere, ac vna cum praediis ad omnes poſſeſſores tranſire, quin et in rem producere actionem, recte obſeruat CASP. MANZIVS *deciſ. palat. Quaeſt. XXII. n.* 14. Eaſdem vero operas in faciendo conſiſtere, nemo erit, qui dubitet. Quod probatur exemplo operarum.

§. CXXXIII.

Hinc in vetuſtis monimentis ſubinde fit mentio angariarum et parangariarum, certae villae praeſtandarum: Charta Chrodogangi Epiſcopi anni 765: *Debent auenam de ſilua, quae ad villam Iſinburc pertinet, ad Paterni villam angariare.* Et GLOSSA IVR. PROV. SAX. *Lib. I. art.* 2. *Pflegbaffien ſind, die in dem lande* EIGENES *baben, da ſie pflichtig ſind, etwas vorzugeben oder* ZV THVN. * In primis angariarum et parangariarum.

* Hic ergo aliquis dominus eſt praedii ſui, et ob id tamen alteri ſeruit, et quidem faciendo. Non ergo hic intelliguntur operae, quas homines proprii debent, ob ſeruitutem perſonis ſuis incubantem, ſed quas liberi debent ex praediis ſuis. GLOSSA eadem *ad Lib. III. art.* 42. *Etliche dienſtbarkeit liegt auf einem manne, alſo daſs er dienen muſs, vnd dieſe ſind eigen. Etlicher leute dienſtbarkeit aber liegt allein auf ihrem gute, alſo, das wer daſſelbige gut hat, muſs davor dienen.*

§. CXXXIIII.

Eiuſdem generis erat ſeruitus oues agendi in alterius agros, ſiquidem et tunc aliquid fieri debebat in alterius commodum, et ita quidem, vt hoc onus non perſonae alicui, ſed praedio, incumberet, idque alterius praedio neceſſario eſſet praeſtandum. Inprimis vero eo pertinebant iura bannaria, veluti quod quis frumenta in alterius mola comminuere, * vinum vel cereuiſiam ex alterius caupona petere, quin, ſi coquere cereuiſiam vellet, eam non niſi in alterius officina cereuiſiaria coquere Nec non obligatione alterius agros ouibus ſuis laetificandi, et iuribus bannariis.

re poſſet. Cuius rei exemplum exſtat apud AVB. MIRAEVM *donat. piar. cap.* 54.

* Tales homines *farinarii* in diplomatibus vocantur, veluti apud TOELNER *cod. dipl. palat. nu.* 1. *p.* 2. Penſio ob id praeſtanda poſſeſſori praedii dominantis vocata eſt *farinagium*, de quo CAR. DV FRESNE in *gloſſ. ſub voce farinagium p.* 361. *Tom. II.*

§. CXXXV.

Subtilitates iuris Rom. de ſeruitutum attributis ignoraſſe videntur Germani.

Sed et reliquas iuris Romani ſubtilitates ignoraſſe videntur Germani. Quum enim iure vetuſtiſſimo vrbibus ſplendidis plane carerent: (Lib. I. §. 99. ſequ.) quis crediderit, iure Germanico tunc inter ruſticorum ac vrbanorum praediorum ſeruitutes diſcrimen aliquod fuiſſe? Et quis ſibi perſuaſerit, tam ſubtiliter philoſophatos eſſe maiores noſtros, vt ſtatuerint, cauſſam ſeruitutum oportere eſſe perpetuam, *l.* 28. *D. de ſeru. praed. vrb. l. vn.* §. 4. *D. de font.* vel eas omnibus fundi partibus inhaerere, *l.* 6. *D. de ſeruitut.* ac indiuiduas eſſe, *l.* 2. §. 4. *D. de V. O.* denique ad tempus conſtitutas ita eſſe perpetuas, vt non niſi ope exceptionis finiantur? *l.* 4. *pr. D. de ſeruit.* Conf. THOMAS. *ibid. p.* 122.

§. CXXXVI.

Germani et alias, et pauciores ſeruitutes habuerunt, quam Romani.

Ex iiſdem vero principiis patet, et pauciores, * et plane alias olim Germanis ſeruitutes fuiſſe quam quae in iuriſprudentia Romana occurrunt. Prout enim vel aedificandi, vel rei agrariae et pecuariae rationes id exigere videbantur: ita alias aliaſque ſibi commoditates a vicinis ſtipulabantur. Quod quin et aliae gentes fecerint, nemo forte dubitabit.

* Hinc in vetuſtis legibus vix quidquam de ſeruitutibus cauetur, niſi quod in LEGE BVRG. *Addit. I. tit.* 1. §. 7. legas: *De ſeruitute* LVMINIS *vel* AERIS *ſimiliter conſtitutum, vt inter priuatorum fabricas decem pedes, inter publicas quindecim dimittantur, ſecundum legem Theodoſii.* Vbi laudatur *l.* 46. *C. Theod. de oper. publ.* et alia, quae ſub *tit. C. Theod. de aedific. priuat.* deſideratur, at ſeruata eſt a PAPIANO *in reſponſis tit.* 38. In eadem LEGE BVRG. *ibid.* §. 4. de ſeruitute VIAE et ACTVS dicitur, *eam biennio et amitti, et adquiri poſſe.* In IVRE PROV. SAX. *Lib. II. art.* 49. mentio fit ſeruitutis STILLICIDII, ſaltim in editione ZOBELIANA et verſione Latina: *Es mag kein mann ſeine trauffe hängen in eines andern hoff.* Sed in vetuſtis editionibus Saxonicis, tum Auguſtana, tum Zobeliana anno 1614. edita, et cura IAC. FR. LVDOVICI recuſa, paullo aliter ſeſe habet textus: *It en ſchal neman ſyne Oſen hengen in enes andern mannes hove.* Item: *It ne mot ok nymant ſyne Ouesen haen in enys andern manns hoff.* In Vindobonenſi codice pro *Oſen* vel *Oueſen* legi *Obeze*, et in rubrica *von Ouetbomen* obſeruat SCHILT. *Exerc.* 18. §. 1. quae rubrica et in ZOBELIANA paullo ante laudata occurrit. Vt adeo incerta ſit huius loci ſententia.

§. CXXXVII.

Digitized by Google

§. CXXXVII.

Definitio ſeruitutis ex mente Germanorum.

Itaque SERVITVS Germanis erat ius quodcumque in re aliena, ſiue perſonae, ſiue rei, ſeu praedio conſtitutum, ſiue in patiendo, ſiue in non faciendo, ſiue in faciendo conſiſteret. Vnde et generali admodum vocabulo ſeruitutes dicuntur *Gerechtigkeiten.* Quo iure nos etiamnum vti, res ipſa ſatis docet.

§. CXXXVIII.

Seruitutes iuris Germanici etiamnum ſuperſunt.

Quis enim ignorat, (1. hodienum aliquando operas non domino, ſed tertio, deberi a ruſticis? Cui incognita (2. obligatio alterius agros ouibus ſuis laetificandi ſtercorandiue? (*der horten-ſchlag.*) SVESER. *Theatr. pag.* 480. Quem fugiunt (3. iura bannaria, ſeu obligationes, panes coquendi in alterius furno, frumentum comminuendi in alterius mola, cereuiſiam petendi ex alterius caupona, aliaeque huius generis, de quibus ex inſtituto iam actum eſt ab aliis. Vid. SVESER. *ibid. pag.* 514. STRYK. in *vſu dig. tit. de ſeruit.* §. 4. PETR. MVLLER. *diſſert. de molis bannariis.* Quis neſcit denique, (4. multarum ciuitatum ſtatutis, veluti iure Lubecenſi, multa de aedificiorum forma ſtatui, quae cum iuriſprudentiae Rom. principiis nihil fere commune habeant?

§. CXXXVIIII.

Quomodo adquirantur?

Attamen ideo negare nolim, (5. in reliquis, quae ius Germanicum non definiuit, receptum eſſe ius Romanum. Id modo obſeruamus, (6. poſſe etiam ſeruitutes in faciendo conſiſtentes, vel iura bannaria, non modo lege, ſtatuto, conuentione conſtitui: BORN. *de eo quod iuſt. eſt circa molend. cap.* 5. §. 7. *ſequ.* verum etiam praeſcriptione adquiri. Quia tamen (7. frumentum comminuere in alterius mola, vel cereuiſiam ex alterius caupona petere inter res merae facultatis ſunt, quae praeſcribi non poſſunt: patet, non ſufficere, aliquem huiuſmodi quid feciſſe per tempus longiſſimum: ſed (8. requiri, vt praedii dominantis poſſeſſor aliud acturum pignorando prohibuerit, prohibituſque ea in re per longiſſimum tempus adquieuerit. BEYER. *ſpec. iur. Germ. Lib. II. cap.* 7. §. 26.

TIT. VI.

DE IVRE HEREDITARIO, ET SPECIATIM DE PACTIS SVCCESSORIIS.

§. CXXXX.

Iuris hereditarii non eadem cauſſa Germanis, ac Romanis.

TErtium ius in re, quod et Germanis non ignotum fuiſſe diximus, (§. 30.) eſt IVS HEREDITARIVM, quod tamen plane aliud fuit iure Germanico, quam Romano. Quum enim ex huius principiis duplex eſſet hereditatum conditio, eaeque vel ex teſtamento, vel ab inteſtato ad aliquem pertinerent, §. *vlt. Inſt. per quas perſ. cuiqu. adqu.* pacta vero ſucceſſoria ſiue de alterius paciſcentis, ſiue de tertii hereditate adquirenda inita, non modo irrita, ſed et bonis moribus aduerſa, quin odioſa, et plena triſtiſſimi et periculoſi euentus viderentur: *l. 19. et l. vlt. C. de pact.* apud Germanos nec teſtamenta condebantur, et pactis huiuſmodi ſucceſſoriis nihil erat apud maiores noſtros frequentius.

§. CXXXXI.

Teſtamenta Germanis ignota.

Vt rem teſtimonio, ex vltima antiquitate repetito, demonſtremus: rem omnem conficere videntur illa TACITI *de mor. Germ. cap.* 20. *Heredes ſucceſſoreſque ſui cuique liberi*: NVLLVM TESTAMENTVM. *Si liberi non ſunt, proximus gradus in ſucceſſione fratres, patrui, auunculi.* Quamuis enim et haec TACITI verba captare quidam non dubitent: * clariora tamen illa ſunt, quam vt vlli cauillationi locus eſſe videatur.

* Varie ea interpretantur viri quidam docti, aliis non ipſa teſtamenta, ſed nimiam illam miſeramque diligentiam, Germanos ignoraſſe exiſtimantibus: MARQV. FREHER. *de tutel. elector. p.* 415. aliis haec de teſtamentis ſcriptis duntaxat accipientibus: aliis ob ipſam paupertatem rerumque omnium indigentiam teſtamentis apud Germanos locum fuiſſe, negantibus, quos omnes merito refellit SAM. STRYKIVS *de ſucceſſ. ab inteſt. Diſſ. VIII. cap.* 1. §. 2. recte ſimul obſeruans, non ſuffragandum eſſe CONRINGIO, qui in *praef. ad Taciti libellum* teſtamenta lege prohibitiua a Germanis acta eſſe in exſilium, cenſuit. At ne ipſum quidem STRYKIVM recte expoſuiſſe TACITI locum, mox adparebit.

§. CXXXXII.

§. CXXXXII.

Et ne tunc quidem in vſu, quando liberi et cognati deerant, licet diſſentiat Strykius.

In primis ſubtilis magis, quam ſolida, eſt doctiſſimi STRYKII interpretatio, qui teſtamenta Germanis aeque, ac aliis gentibus, in vſu fuiſſe contendit, vnoque tantum caſu ea exſulaſſe exiſtimat, puta, ſi liberi aut cognati eſſent, qui legitimam hereditatem caperent. STRYK. *de ſucceſſ. ab inteſt. Diſſ. VIII. cap.* 1. §. 3.

§. CXXXXIII.

Reſpondetur ad Strykii argumentum primum.

Quamuis enim incredibile videatur viro doctiſſimo, Germanos ſolos tam barbare fuiſſe ſtupidos, vt, ne deficientibus quidem liberis et agnatis, bona ſupremo iudicio in alios transferrent, ſed ea, veluti in medio poſita, quorumuis rapinae relicta mallent: barbarae tamen ſtupiditatis hoc eſſe argumentum nemo facile dixerit, quum, ipſo fatente STRYKIO *caut. teſt. cap.* 1. §. 8. ſatis beatae fuerint reſpublicae, quae olim nullos cuiquam heredes eſſe voluerint, quam legitimos *.

* Nec ideo verendum eſt, quod veretur vir doctiſſimus, ne hereditates, exſulantibus e ciuitate teſtamentis, veluti pro derelictis habitae cuiuis occupanti pateant, quum deficientibus cognatis, donationibus, traditionibus, pactis, ſucceſſores ſibi nominare patriis legibus non prohiberentur. Et quis ignorat, bona vacantia et apud Germanos fiſco ceſſiſſe, eumque et hodie non raro occupare hereditatem, quando omnibus permiſſa eſt teſtamentifactio? Conf. BEYER. *in poſit. pand. Lib. XXVIII. tit.* 1. *p. m.* 459.

§. CXXXXIIII.

Itemque ad ſecundum.

Nec magis ſtringit alterum, in quo magnam ſatis fiduciam collocare videtur, argumentum. Quamuis enim fide LEHMANNI *chron. Spir. Lib. II. cap.* 20. *pag.* 98. referat, Carolum M. victorem, Germanis, difficili bello perdomitis, teſtamentifactionem ademiſſe, reſtitutam poſtea a Ludouico Pio: atque inde colligat, eos ante Caroli M. tempora modum quemdam teſtandi qualemcumque in vſu habuiſſe: eo tamen argumento vſurus profecto non fuiſſet, ſi ſcriptores veteres, quam PAVLLVM AEMILIVM vel CHRIST. LEHMANNVM, conſulere maluiſſet *.

* Rei fundus eſt locus veteris auctoris VITAE LVDOVICI PII, *qui ad annum* 814. notat: *Quo tempore Saxonibus atque Friſonibus* IVS PATERNAE HEREDITATIS, *quod ſub patre ob perfidiam legaliter perdiderant, imperatoria clementia reſtituit.* Non ergo teſtamentifactione a Carolo M. priuatae erant hae gentes: ſed iure paternae hereditatis, id eſt, bonis auitis, quippe fiſco principis ob earum perfidiam addictis. Hinc ſtatim ſubiungit idem auctor, benignitatem illam Ludouici Pii multorum incurriſſe reprehenſio-

nem, exiſtimantium, gentibus illis, nouarum rerum ſtudioſiſſimis, ſubtrahi potius oportuiſſe, quam vltro ſubminiſtrari perfidiae inſtrumenta. Quid vero periculi Franci metuiſſent a miſeris illis, ſi nihil aliud illis induliſſet princeps, quam liberam teſtamentifactionem?

§. CXXXXV.

Succeſſio apud Germanos vel pactitia vel legitima.

Itaque Taciti ſaltim temporibus ignoraſſe Germanos teſtamentifactionem, extra omnem dubitationis aleam poſitum videtur. Nec interiecto tempore ea adeo frequentia fuiſſe in Germania magna, paullo poſt ex inſtituto demonſtrabimus. Itaque fieri non potuit, vt antiquiſſimis temporibus hereditas vel testamentaria, vel legitima eſſet: ſed omnes Germanos vel ex pacto, vel ex lege, ad eam perueniſſe oportet.

§. CXXXXVI.

Pacta ſucceſſoria omnis generis apud Germanos licita.

Pacta ſucceſſoria Romanis non parum ſuſpecta, apud Germanos omni periculo triſtioris euentus carere videbantur, * ſiue quis de *tertii*, ſiue de *alterius paciſcentis* hereditate, vel *adquirenda diuidendaque*, vel *conſeruanda*, vel *omittenda repudiandaue*, paciſceretur. Omnibus enim his conuentionibus nihil omnino turpitudinis boniſque moribus aduerſi ineſſe, exiſtimabant.

* Apud Romanos, diuitiarum cupidiſſimos, in peius ruentibus priſcis moribus, nemo diues vitam ſine periculo agebat, cuius heres eſſet notus. Illius enim mortem captabat heres, illi ſtruebat inſidias, illum quam primum malo veneno, vel aliis diris modis interimere ſtudebat, vt haberet hereditatem, quam exſpectare nimis lentum negotium videbatur. Et hoc erat *votum captandae mortis*, *l.* 11. *C. de tranſact.* quale illud apud Ovid. *Metamorph. Lib. I. v.* 148. quo *filius ante diem patrios inquirit in annos*, de quo plura Io. Coras. *Miſcell. Lib. V. cap.* 13. Alciat. *parerg. Lib. II. cap.* 31. Nihil horum erat, quod metuerent Germani, de quibus ſtatim ſequitur apud Tacitvm *cap.* 20. *Quanto plus propinquorum, quo maior adfinium numerus, tanto gratioſior ſenectus, nec vlla orbitatis pretia.*

§. CXXXXVII.

Veluti diſpoſitiua.

De tertii hereditate aliquando pactos eſſe Germanos, ſatis oſtendit pactum, inter Guntchramnum et Childebertum reges initum, ſuper hereditate Brunichildis, cuius partem maximam ſibi viua Brunichilde ad dies vitae ſtipulabatur Guntchramnus, ſe mortuo rediturам ad Brunichildem, eaque defuncta ad heredes eius. Greg. Tvr. *hiſt. Lib. VIIII. cap.* 20. Quia tamen huiuſmodi pactiones aliquando parum aequae videbantur: placuit poſtea eas prohibere. Nam Capitvlar. *Lib. VII. cap.* 328.

328. cautum legimus: *Nulli quidem de bonis vſurpandis virorum,* * *nec diuidendi contra bonos mores, conceſſa licentia eſt, ſed, praecipiente patre, diuiſionem, ab eo factam, durare, ſi modo vſque ad extremum eius viuendi ſpatium voluntas eadem perſeueraſſe, doceatur.* Quae quidem ex *l.* 2. *C. Theod. de famil. erciſc.* deſumta eſſe, res ipſa docet.

* Ita hunc textum ſiſtunt PETR. PITHOEVS, FR. LINDENBROGIVS et ipſe STEPHAN. BALVZIVS, quorum nullus ne inter variantes quidem lectiones monuit, mendum hic ſubeſſe: quod tamen in oculos incurrit. Pro *virorum* enim legendum eſſe *viuorum*, recte vidit, criticae alioquin parum deditus, SAM. STRYKIVS *de ſucceſſ. ab inteſt. ibid. p.* 610. Et illud ſane *viuorum* eſt etiam in *d. l.* 2. *C. Theod. de fam. erciſc.*

§. CXXXXVIII.

Multo minus itaque dubitare fas eſt, quin ratae fuerint in Germania pactiones ſucceſſoriae, quas CONSERVATIVAS vulgo adpellitant, quippe quas ne iuri quidem Romano aduerſari, vulgo contendunt. IO. CORAS. *Miſcell. Lib. VI. cap.* 9. MEV. *ad Ius Lubec. Part. II. tit.* 1. *n.* 48. STRYK. *de ſucceſſ. ab Inteſt. ibid. cap.* 3. §. 3. Et ſane huc pertinet exemplum eiuſdem Childeberti, qui, quum Guntchramni patrui regnum hereditatemque ſibi et ex lege, et ex adoptione, deberi ſciret, interuenientibus tamen aliquoties ſimultatibus, nouis pactis ſibi cauit, ne a patruo patreque adoptiuo exheres fieret. GREG. TVRON. *hiſt. Lib.* VIIII. *cap.* 20. AIMON. *de geſt. Franc. Lib.* III. *cap.* 68. Conſeruatiua.

§. CXXXXVIIII.

Saepe etiam, pactione intercedente, aliquis renunciabat hereditati, non modo iam delatae, verum etiam futurae. Id apud Francos fiebat ritu ſollemni, quem ita deſcribit LEX SALICA *tit.* 63.: *Si quis de parentela tollere ſe voluerit: in mallum aut in tunchinium admallare (ambulare) debet, et ibidem quatuor fuſtes alninos ſuper caput ſuum frangere debet in quatuor partes, et illos in mallo iacere debet, et ibi dicere:* QVOD SE DE IVRAMENTO, ET DE HEREDITATE, ET DE TOTA RATIONE ILLORVM (*de toute leur race*) TOLLAT. * *Et ſic poſtea, ſi aliquis de ſuis parentibus aut morietur, aut occidetur, nulla ad illum compoſitio hereditatis perueniat. Simili modo ſi ille moriatur, ad ſuos parentes non pertineat cauſſa, nec hereditas eius, ſed amodo cum duodecim iuratoribus ſe exinde educat.* Renunciatiua.

* Hae enim cauſſae praecipuae erant, quibus homines permouebantur, vt eiurarent familiam, omnique iuri agnationis atque hereditatis renunciarent, ne ſcilicet inimicitias agnatorum ſuſcipere, aut eorum caedem vindicare, aut vna cum illis iurare cogerentur. Vid. HIER. BIGNON *ad leg. Salic. h. l. p.* 854. GE. ECCARD. *ibid. p.* 108.

§. CL.

Adquiſitiua.

Sed vel maxime inter Germanos obtinebant pacta ADQVISITIVA, non modo inter illuſtres, ſed inter plebeios quoque. Ea vero duorum generum fuiſſe, comperio. Vel enim poſſeſſor inter viuos in aliquem transferebat hereditatem, alimenta ſibi ſtipulatus: vel, ſeruata ſibi poſſeſſione, eamdem poſt mortem demum ad alterum redituram pollicebatur. Prioris pactionis exemplum exſtat apud MARCVLFVM *formul. Lib.* II. *cap.* 13. poſterioris *Lib.* I. *cap.* 12. *Lib.* II. *cap.* 7. *et* 8.

§. CLI.

Horum ſollemnitas ex lege Salica.

At ſiue priore, ſiue poſteriore modo, quis paciſceretur: ſollemnis quaedam intercedebat traditio, cuius fere omnes gentium Germanicarum leges faciunt mentionem. LEX SALICA *tit.* 49. eam traditionem, quae vel *adfatomia* vel *adramitio* dicebatur, fieri iubet in iudicio, ſub ſcuto, iacta in ſinum heredis feſtuca, et actu poſſeſſorio ab hoc in donatoris bonis exercito, * adhibitis denique teſtibus, qui, haec omnia facta eſſe, adfirment. At longior eſt haec fabula, de qua videndus ECCARDVS *in comment. p.* 92.

* Hic actus ita deſcribitur in LEGE SALICA: *Poſtea ipſe, in cuius laiſam, feſtucam iactauit, in caſa ipſius manere debet, et hoſpites tres ſuſcipere.* Et quibuſdam interiectis: *Tres teſtes habere debet, qui iurati dicant- -quomodo vidiſſent hominem illum, quod fortunam ſuam donauit in laiſo, - - et quod in caſa illius, qui fortunam ſuam donauit; ille, cuius in laiſam feſtucam iactauit, ibidem manſiſſet, et hoſpites tres vel amplius collegiſſet, et pauiſſet, et ei ibidem gratias egiſſent, et in beudo* (menſa) *ſuo pultes manducaſſent, et teſtes collegiſſent.*

§. CLII.

Ex lege Ripuariorum.

Simile eſt, quod LEGE RIPVARIORVM *tit.* 48. cautum legimus: *Si quis procreationem filiorum vel filiarum non habuerit: omnem facultatem ſuam in praeſentia Regis, ſiue vir mulieri, vel mulier viro, ſeu cuicumque libet, de proximis vel extraneis adoptare in hereditatem, vel adfatimi per ſcripturarum ſeriem, ſeu per traditionem, et teſtibus adhibitis, ſecundum legem Ripuariam licen-*

Digitized by Google

licentiam habeat. Itaque ea pactio de futura ſucceſſione vel coram rege inibatur, vel in iudicio publico, ſiue per ſcripturam, ſiue per traditionem, praeſentibus teſtibus factam, quae ſpeciatim ADFATOMIA dicta eſſe videtur *.

* Equidem GE. ECCARDVS in *comm. ad leg. Sal. p.* 92. et *p.* 220. ſuſpectum habet hoc vocabulum, ſaltim illud ne Caroli quidem magni temporibus amplius intellectum fuiſſe, exiſtimat: ſed manifeſtum eſt, quod ipſe demum ſuſpicatur, illud eſſe a Germanico *anfaſſen*, vel Sax. *anfaten* adeoque nihil notare aliud, quam traditionem quamdam ſymbolicam, vel acceptionem manu tactam. GLOSSARIVM a LINDENBROGIO *p.* 1348. laudatum: *De affatomia: de donationibus, quae fiunt feſtuca in ſinum ei, cui donabatur, proiecta.*

§. CLIII.

WISIGOTHI, quamuis diuturna conſuetudine cum hominibus prouincialibus, iuri Romano innutritis, teſtamentorum vſum aliquem haberent: non tamen ideo irrita eſſe exiſtimabant pacta ſucceſſoria, de quibus fuſe agitur in LEGE VISIGOTH. *Lib. V. tit.* 2. §. 6. Inprimis eo pertinent verba: *Qui vero ſub hac occaſione largitur, vt eamdem rem ipſe, qui donat, vſufructuario iure poſſideat, et ita poſt eius mortem ad illum, cui donata fuerit, res donata pertineat: quia* SIMILITVDO *eſt* TESTAMENTI, *habebit licentiam, immutandi voluntatem ſuam, quando voluerit, etiamſi in nullo laeſum ſe fuiſſe dixerit* *. Itemque Wiſigothorum.

* Diſtinguebant ergo Viſigothi, resne ſint in praeſenti traditae ſiue vere, ſiue per fictionem, veluti ſi donatario inſtrumentum ſuper donatione confectum traditum ſit, an nihil horum ſit factum. Donatio enim, accedente traditione, vel tradita ſcriptura, videbatur irreuocabilis. Simplex, et nec traditione, nec ſcriptura firmata, quocumque tempore immutari recte poterat, atque eatenus TESTAMENTO vel vltimae voluntati ſimilis videbatur, quae eſt ambulatoria vſque ad mortem. *l.* 4. *D. de adim. legat.*

§. CLIIII.

BVRGVNDIONIBVS quoque non ignota erant teſtamenta. Attamen et apud hos perinde erat, ſiue quis donatione vel pacto, ſiue vltima voluntate ſeu teſtamento, alii hereditatem deferre mallet: quin in cuiuſuis arbitrio erat, Romanamne conſuetudinem, an barbaricam, in teſtando donandoue ſeruare vellet, dum aut ſcripturam conficeret, aut adhibitis quinque teſtibus ingenuis, de hereditate diſponeret. Vid. LEX BVRG. *tit.* 43. §. 1. *et tit.* 60. §. 1. *ſequ.* Burgundionum.

§. CLV.

§. CLV.

Baiuuariorum.

Lex Alamannorvm nihil, quod huc pertineat, habet: immo nec Baivvariorvm, niſi quod haec *marito* permittit, *ſi nec filios, nec filias, nec nepotes, nec pronepotes, nec vllum de propinquis habeat, ſed in vxorem aut* DONATIONE *aut* TESTAMENTO * *ſiue partem, ſiue omnes contulerit facultates, et haec deinde in viduitate perſiſtat, et memoriam mariti cum pudicitia caſtitatis obſeruet, vt omnia, quae a marito ei ſunt donata, poſſideat, et ea, in quem voluerit, pro ſuo iure transfundat.* Lex Baivvar. *tit.* 9. §. 3. Itaque et apud Baiuuarios ratae erant pactiones huiuſmodi, ſed non niſi a marito, liberis orbo, cum vxore initae, nec haec aliter ex iis adquirebat hereditatem, quam ſi in perpetua viduitate ad mortem vſque perſeueraret.

* Hoc vocabulum in legibus Germanicis non ſemper notare vltimam voluntatem ſollemnem, ſed plerumque pro inſtrumento aliquo vel ſcriptura, etiam ſuper conuentione aliqua vel pacto confecta, accipi, patet ex form. Lindenbrog. CI. et leg. Ripvar. *tit.* 59. §. 1. *et* 8. et pluribus demonſtrabitur infra §. 180.

§. CLVI.

Saxonum et Angliorum.

Non minus arctis limitibus circumſcripta erat illa de hereditate ſua paciſcendi licentia apud Saxones, qui fere ſolam ſucceſſionem legitimam probabant. *Nulli* vero, (vti eſt in leg. Sax. *tit.* 14. §. 2.) *licebat traditionem hereditatis ſuae facere, praeter ad eccleſiam vel regi: nec heredem ſuum exheredem facere, niſi forte famis neceſſitate coacto, vt ab illo, qui hoc acceperit, ſuſtentaretur.* * Mancipia vero vel dare vel vendere illi omnino licebat. Contra lex Angl. *tit.* 13. tanto liberalior, *libero homini* facultatem dat, *hereditatem ſuam, cui voluerit, tradendi.*

* Hoc et hodie frequenter fit a ruſticis iam decrepitae ſenectutis, qui rebus ſuis amplius ſupereſſe non poſſunt. Hi enim, tradito vniuerſo praedio alicui ex liberis, generis, cognatis, immo et extraneis, ſibi ſtipulari ſolent alimenta, *ein Auſgedinge*, vocati tunc *die Groſväter*, quemadmodum ipſum hoc ius dicitur *das Groſvater-recht:* Vid. Sam. Strykii *de iure auorum Vol. II. Diſſ.* 25.

§. CLVII.

Conſuetudo haec fere vniuerſalis.

Sic itaque omnes fere gentes originis Germanicae pacta ſucceſſoria probaſſe vidimus, quamuis aliae liberiorem, aliae adſtrictiorem eam paciſcendi facultatem eſſe voluerint. Supereſt itaque

itaque, vt et, quid medio aeuo vſque ad iuris Romani receptionem obtinuerit, paullo accuratius conſideremus.

§. CLVIII.

Saxonicum quoque ius teſtamenta ignorat.

Plerisque locis inferioris Germaniae tunc iure Saxonico viuebatur. De eo vero obſeruamus, primum, nullam in eo teſtamentifactionis vel volam vel veſtigium exſtare: deinde, et pacta ſucceſſoria ſatis arctis limitibus eo iure fuiſſe circumſcripta: ac poſtremo, eam fere praecipuam fuiſſe cauſſam, cur hoc ius tam acri cenſura perſtrinxerit Gregorius Papa XI., quia ita quaeſtum faciendi occaſio eripiebatur clericis et monachis, quorum bono plerumque tunc teſtamenta condebantur. * Vid. GOLDAST. *in Collect. Conſit. et LL. Imp.*

* Inter articulos enim a GREGORIO Papa XI. reprobatos decimus tertius talis eſt: *Quod quicumque vir ſuccinctus gladio, clypeum tenens, non poterit de ligno vel lapide pollicis vlnam, quantum ad altitudinem, habente ſuper dextrarium adſcendere, talis non poteſt cedere, dimittere ſeu infeudare, aut bona ſua alteri donare, quod noceat iſti, qui bona talia poſt mortem alienantis exſpectat.* Deinde decimus quartus ita ſe habet: *Quod nullus ſine licentia heredum ſuorum, et legitimo et confirmato iudicio,* quod Saxonice dicitur *geheget Ding, poteſt donare alicui proprietatem ſuam vel homines ſuos. Et ſi huiusmodi alteri daret, heredes ipſius adquirerent ea per iudicium, ac ſi dans ille mortuus fuiſſet.* His enim articulis deinde ſubiicitur cenſura acrior: *Iſti duo articuli ſunt erronei, in quantum eleemoſynas, teſtamenta, et alia pia opera reſpiciunt.*

§. CLVIIII.

Eius diſpoſitio de pactis diſpoſitiuis.

Nimirum non valebant apud Saxones pacta diſpoſitiua de hereditate tertii viuentis, niſi apud acta fuiſſent firmata. IVS PROV. SAX. *Lib. II. Art.* 30. *Wer ihm erbe zuſaget (vvey ſick eyn erve toſecht,) nicht von ſypſchaſſt oder erbe, ſondern von gabe oder gedings wegen, das ſol man halten vor vnrecht, vnd nicht glauben, man möge dann gezeugen, daſs das gelübde vor gerichte beſtätiget ſey.* Itaque licebat quidem de hereditate aut ſucceſſione generatim etiam viuentis, ſiue emtio venditio, ſiue donatio intercederet, paciſci, modo ad acta, ſeu in iudicio pactum huiusmodi eſſet initum firmatumque. SCHILTER. *Exerc.* 30. §. 61.

§. CLX.

De conſeruatiuis.

Pactionum, de conſeruanda hereditate, ſibi iam tum debita, initarum mentionem iure Saxonico fieri non animaduerto. Exſtant tamen huiusmodi pactorum exempla haud pauca, inter quae neſcio an primus locus debeatur illi, quo Principes An-

haltini a Waldemaro Brandeburgico agnato ſibi ſtipulati dicuntur ſucceſſionem in Marchionatu Brandenburgico: quamuis eius pactionis fructum nullum ceperint, ſiue ob temporum illorum perturbationem, ſiue quia non impetraſſent Caeſarum confirmationem. Ita rem neſcio qua fide refert CARIO *Chron. Lib. V. pag.* 952.

§. CLXI.

De renunciationis.

At de repudianda hereditate pacta inter coheredes, et maxime cum filiabus ſororibuſque, domo enuptis, inita valebant, modo vel in iudicio facta eſſent, vel eo nomine iureiurando ſe purgare non poſſet, qui ſucceſſioni renunciauerat. Ita enim legimus IVR. PROV. SAX. *Lib. I. Art.* 13. *Hetten ſie ihre erbtheilung daran verlobt, der ſollen ſie entbehren, ſie vviederrbden es denn auf den Heiligen. Verloben ſie es aber für gericht, ſo mag man ſie baſs vberzeugen, denn ſie es vnſchuldig mögen vverden* *.

* Itaque ne iurata quidem renunciatio videbatur neceſſaria, quippe quam ius canonicum primum exigebat, vt quod iure communi irritum erat, vel ideo ratum eſſet, quod omne iusiurandum ex eius iuris principiis ſeruandum eſſet, quod ſine ſalutis ſempiternae amittendae periculo poſſet ſeruari. *Cap.* 2. *de pact. in* 6. Poſtea tamen id principium etiam in ſtatuta quaedam, in quibus alioquin expreſſiſſima ſuperſunt priſci moris veſtigia, migrauit. Exemplo erit ORD. PROV. HENNEB. *Lib. III. tit.* 2. *cap.* 2. quod vrget SCHILT. *Exerc. VIII.* §. 41. *p.* 280.

§. CLXII.

De adquiſitiuis, circa res immobiles.

Superſunt pacta ADQVISITIVA, de quibus quae fuerit SPECVLATORIS SAXONIS vel potius eorum omnium, qui ius Saxonicum ciuitate donarant, ſententia, ex variis iſtius iuris locis adparet. Primo enim *Lib. I. Art.* 52. cauetur, ne quis bona ſua immobilia, vel homines proprios, ſine heredum conſenſu, ac extra iudicium tradat: *Ohne der erben laub vnd ohne gericht mag kein man ſein eigen gut, noch ſeine leuth vergeben* *. *Vergiebt er es aber vvieder recht ohn der erben vrlaub, die erben mögen ſich ihres guts vvol vntervvinden mit recht, als ob der todt vver, der es gab, darumb, daſs er es nicht vergeben mochte.*

* Haec ſi cum lege Saxonica antiqua contendas: patebit, ius nouum illa antiquiore Saxonum lege partim aliquando mitius, partim aſperius eſſe. Vetere enim lege nulla traditio rata erat, praeterquam vel regi, vel eccleſiae, vel vrgente imperioſa famis neceſſitate facta: iure nouo in iudicio et ſuffragantibus heredibus cuiuis tradi poterant res immobiles. Vetere lege excepta erant mancipia: iure nouo et illa tradi non poterant. (§. 155.)

§. CLXIII.

§. CLXIII.

Dico haec accipienda eſſe de rebus ſoli, vel immobilibus, et quidem, vt gloſſa *ad* IVS FEVD. SAX. *art.* 26. et *ad* WEICHB. *art.* 27. *et* 30. interpretatur, auitis et a maioribus ad aliquem profectis. De mobilibus enim ſtatim ſequitur: *Alle fahrende habe aber giebt der man vvol ohne laub der erben in allen ſtedten, vnd an allen oerten, vnd läſſet vnd verleibet ſein gut, allein daſs er ſich alſo vermöge, daſs er begürtet mit einem ſchvverd, vnd mit einem ſchild auf ein roſs kommen möge, von einem ſtein oder ſtok, einer daum ellen hoch, ohne hülffe, alſo doch, daſs man ihm das roſs vnd den ſtegereiff halte* *. *Wann er das nicht thun mag, ſo mag er ſein gut vveder vergeben noch verlaſſen, noch geleiben, dadurch ers iemand entfrembdet, der es vvartend vväre nach ſeinem todte.* Circa mobiles;

* Haec omnia ad ingenuos tantum equeſtris nobilitatis viros, (*die Ritter vnd andern ihren genoſſen*) pertinere, recte obſeruat Gloſſa: *Wie den dieſes dabey leichtlich abzunemen, daſs er ſaget: mit einem ſchilde vnd mit einem ſchvvert. Dann dieſe dinge gehören zu der ritterſchafft.* A plebeio ergo municipe aliud requirebant ſpecimen, puta in immobili, *daſs er ſo vermügens vväre, daſs er ohne hülffe zu vvege vnd ſtraſſen gehen, vnd ſo lange möchte, bis er im gehegten dinge dieſelbe gabe gethan habe.* In mobilibus vero: *Daſs er auf ſeinem ſiechbette die dinge vergeben möchte, vvelche er vber das bettbret hinvveg reichen möchte.* Argumentum, quo ruſticus ſanitatem ſuam oſtendebat, in eo conſiſtebat, *daſs er einen vmbgang vorpflügen möge eines morgens lang.* Denique femina ſatis bene valere ad donandum videbatur, *vvann ſie zur kirchen gehen mochte, von vvelcher ſie 20. ruthen geſeſſen vvar.*

§. CLXIIII.

Nihil horum legas in IVRE ALAMANNICO, cuius compilator maxima cura id egiſſe videtur, papae vt placerent, quas feciſſet fabulas, neque eodem fulmine, quo Saxonicum, percuteretur ſpeculum ſuum. THOMAS. *not. ad Inſt. Lib. II. tit.* 10. *pag.* 182. Nam primo permittit teſtamentifactionem, quam vocat *ein geſchafft*, IVS PROV. ALAM. *Art.* 286. quamuis id tantum de legatis ad pias cauſſas intelligendum videatur. * SCHILTER. *Exerc. XI. §.* 25. Deinde nihil horum, quae de traditione bonorum inter viuos et pactis ſucceſſoriis cauerat ius Saxonicum, repetit. Ius Alamannicum iam teſtamentorum meminit.

* Hinc etiamſi quis huiusmodi legata non reliquiſſet, morte fortaſſis praeuentus: tamen illa et ab inteſtato, tamquam portio quaedam legitima, praeſtanda erant. IVS PROV. ALAM. *art.* 286. *Stirbt ein Man, der vveder*

vveyb noch chind hat, vnd hat er varends gut, damit er nicht geſchafft hat, das erbent die nächſten erben, der ſey einer oder mer, vnd man geb der ſeel ihr tail. Inſequente articulo additur, eum mobilia, deficientibus vxore et liberis, dare poſſe, cuicumque velit, *vvann die ſeel ihren tail hat.* Homines proprios inteſtatos mobilia ſua relinquere dominis vel eccleſiis, quibus ſeruiuerint, *doch ſollen die der ſel das vierttail geben.* Denique cui cedat illud legatum vel illa portio pro animae remedio praeſtanda ab heredibus, ita docet SPECVLATOR: *Da ſoll ein tail werden dem pfarrer, armen läwten das annder, vnd den pilgrenn das dritt tail, die über mer varent.* Denique in immobilibus et auitis, *im erbgut*, eodem modo ſe rem habere, monemur *art.* 288.

§. CLXV.

Succeſſionem pactitiam et teſtamentariam confundit.

Tertio, quae generatim de hereditatibus in alium transferendis cauet IVS ALAMANNICVM: ea ex vetere doctrina de pactis ſucceſſoriis depromta, et cum iuris Romani principiis de teſtamentis inepte confuſa eſſe, manifeſtum eſt. Argumento eſt articulus IVR. PROV. ALAM. CCCV. * in quo vtraque iura ita miſcentur, vt fere in oculos incurrat confuſio.

* Ait primo SPECVLATOR *in edit. Berg. p.* 33. *Iſt, daſs ain man ſeinem frewnd gut ſchaffen vvill nach ſeinem tod, vvil er im das ſicher machen, er ſol im brief geben,* (Haec ad pacta pertinent.) *beſigelt mit eins biſchofs oder mit eins layen-fürſten inſigel, oder mit eines chloſters, oder ainer ſtat inſigel, oder der ſtette herrn inſigel, oder des landrichters inſigel, oder ſol für ſeinen herrn oder richter varen, vnd ſoll die tze gezeugen nemmen, vnd annder die darbey ſint.* (Haec ad teſtamenta principi vel iudici inſinuata pertinent.) *Vnd vvell er ims dann gar veſt machen, vnd in vvohl beſorgen, ſo ſetz er im ainen tzins daraus, damit gevvinnt er ain gevver daran; vnd daz gut das im alſo gemacht vvird, daz mag er mit dem Rechten nicht verlieſen.* (en naturam rei, pacto et inter viuos translatae!) *Hat aber er erben, die verſprechen es.* (quia et apud Alamannos valuit ius, neminem poſſe bona auita tradere ſine conſenſu heredum.) *ee es im alſo vermacht vvird,* (per modum conuentionis et accedentem traditionem,) *kumt ſy des nicht, ſo mügen ſie ſich verſaumen.* Addit SPECVLATOR, ſi ipſe re ſua vel ob famem, vel ob frigus, vel ob captiuitatem indigeat is, qui eam donarit, tunc ei fas eſſe, rem ſuam diſtrahere, et ſi id prohibeat is, cui hereditas relicta ſit, iudicem, probata ſibi iuſta cauſſa, prohibiturum, quo minus ei mora obiiciatur. Quae itidem ad conuentiones pertinere, nemo non animaduertit.

§. CLXVI.

Quid de pactis diſpoſitiuis ſanciat?

Denique quum pacta diſpoſitiua, ad acta inita, rata eſſe iubeat ius Saxonicum: (§. 158.) ea quoque plane reiicit ALAMANNICVM *Art.* 272. *Ain vveyb mag irem man chain erb gegeben, des ſy dannoch nicht geerbet hat, vnd des ſy vvartet tze erben,*

vnd

vnd alſo en mag auch der man ſeinem vveyb, tze geleicher vveiſe, ſo mag auch niman dem andern chain gut geben, noch geſchaffen, das er nicht geerbet hat.

§. CLXVII.

Ex his ergo, quae diximus, iam ſatis intelligitur, I. pacta diſpoſitiua de hereditate tertii viuentis, etiam iure Germ. irrita eſſe, niſi hic conſentiat, in eaque ſententia ad mortem vſque perſeueret. II. Valere contra pacta, quibus quis hereditatem ſibi conſeruare ſtudet. III. Pacta adquiſitiua, immo et IIII. renunciatiua ſemper valere. Axiomata de ſucceſſione pactitia.

§. CLXVIII.

Ex primo itaque axiomate (§. 167. 1.) patet, (1. pacta diſpoſitiua de hereditate tertii incerti non minus iure Germanico, quam Romano, rata eſſe: (2. irrita contra, quaecumque de certae perſonae non conſentientis hereditate ineuntur, Stryk. *de ſucceſſ. ab int. diſſ.* 8. *cap.* 2. *§.* 6. *et* 24. nec (3. excuſari, qui de hereditate tertii, quem iam ad plures abiiſſe per errorem crediderant, pacti ſunt, eatenus, vt ideo pactum effectum ſortiatur, quamuis tunc poena *l. vlt. C. de pact.* merito ceſſet (4. Nihil itaque, quod ad haec pacta attinet, inter ius Romanum et Germanicum eſſe diſcriminis. Beyer. *ſpec. iur. Germ. Lib. II. cap.* 11. *§.* 31. *ſequ.* Quid iuſtum circa pacta diſpoſitiua?

§. CLXVIIII.

Multo minus ergo, quod ad alterum axioma (§. 167. 2.) attinet, dubitandum eſt, (5. quin cuique liceat pactis conſeruatiuis ſibi proſpicere, eaque (6. et contra ſucceſſoris delictum, quo ſe indignum hereditate reddidit, et (7. contra ſtatuti rigorem, vel conſuetudinem, quae heredes quoſdam a ſucceſſione excludit, et (8. contra pacta familiae, quibus aliquis exſors eſſe iubetur hereditatis, inſignem vtilitatem praeſtent, Stryk. *ibid. cap.* 3. §. 9. *ſequ.* Quin et (9. nouam diſpoſitionem eas pactiones iure Germanico impediuiſſe, * vel inde colligas, quod vltimas voluntates, quibus ius alteri pacto quaeſitum auferri poſſet, non haberent: adeoque (10. iuris Rom. laciniam eſſe doctrinam, quod haec pacta ſemper ita intelligenda ſint, vt ne libera teſtandi facultas impediatur. Io. Dauth. *de teſtam. n.* 105. *verſ. requiritur.* Mev. *iur. Lub. Part. II. tit.* 1. *rubr. n.* 57. Stryk. *ibid. §.* 8. *extr.* Circa conſeruatiua.

 * Hinc

* Hinc pacta huiusmodi frequentiſſima inter familias illuſtres eiuſdem gentis ac ſtirpis. Quamuis enim alteram alteri iam tum ſuccedere oporteat ob agnationem : tamen non ob aliam cauſſam pactis ſibi conſulunt, quam ne vltimo poſſeſſori ius ſit noua diſpoſitione ſpem familiae ſuperſtitis interuertendi. Pactum huiusmodi inter Marchiones Hochbergenſes et Badenſes anno 1490. initum memorat BVRCH. MAIVS *de rebus Badenſ.* §. 7. Simile inter Duces Bauariae et Comites Palatinos Rheni, quin inter harum diuerſas familias intercedere, teſtantur BESOLDVS *de ſucceſſ. Lib. I. Diſſ.* 13. *n.* 2. et GEWOLDVS *in antith. aduerſ. Freher. p.* 437. De eo pacto eleganter ITTER. *de feud. Imp. cap.* 17. §. 4. *p.* 787. *Sed hanc quidem ſucceſſionem magis vi agnationis, quam vi pacti exſpectari, Mylerus indicat de princ. et ſtat. imp. cap.* 25. §. 3. *vtut nihil repugnare crediderim, quo minus et naturali ſanguinis iure, et ſpecialibus inſuper pactionibus, ad maiorem rei firmitudinem illa ſuccedendi ſpes roboretur, fulciaturque.*

§. CLXX.

Circa adquiſitiua illuſtrium,

Quumque pacta adquiſitiua ſemper iure Germanico valuerint: (§. 167. 3.) facile reddi poterit ratio, (11. cur inter illuſtres tot olim inita ſint pacta vel mutuae, vel reſtrictae ad alterutram familiam ſucceſſionis, quae *confraternitates* vulgo vocantur, eaque (12. vel aequalia vel inaequalia: CARPZ. *de pacto confrat. Saxonico-Haſſiacae. cap.* 1. *n.* 52. TEXTOR *de pact. gentil. procer.* (13. Cur etiam inter equeſtris nobilitatis familias rata ſemper fuerint pacta ganerbinatus, de quibus DATT. *de pace publ. Lib. I. cap.* 16. (14. Cur in illuſtribus familiis nihil frequentius ſit fideicommiſſis conuentionalibus, ſeu pactis de hereditate certis perſonis reſtituenda: STRYK. *ibid. cap.* 9. §. 6. *ſequ.* KNIPSCH. *de fideic. fam. illuſtr. cap.* 6. *n.* 25. *ſequ.* quo et maioratus, et pacta de iure primogeniturae merito referuntur. Quae omnia ſane (15. ita comparata ſunt, vt ſolius iuris Rom. innutritus principiis ea pro monſtris habiturus ſit *.

* Equidem et iuris Romani principiis haec non refragari exiſtimat STRYK. *ibid. Diſſ. VIII. cap.* 9. §. 6. idque probat ex *l. vlt. C. de reb. al. non alien. l.* 3. *C. de condict. ob cauſſ. dat. l.* 135. §. 3. *D. de verb. obl. l.* 22. *C. de fideic.* Sed hos textus omnes vel de pactis vel donationibus ſub conditione initis, vel de fideicommiſſis ſolo nutu relictis agere, res ipſa docet. At fideicommiſſa familiae ad bona poſt mortem demum paciſcentium transferenda pertinent, et non per modum vltimae voluntatis, ſed conuentionis ineuntur.

§. CLXXI.

et priuatorum, maxime pacta dotalia?

Ex eodem axiomate animaduertes, (16. inter priuatos quoque non modo generatim huiusmodi pacta adquiſitiua valere, ac (17. irreuocabilia haberi, ſi per modum contractus; (18. reuoca-

uocabilia, ſi in vim vltimae voluntatis, ineantur: LEYSER. *medit. ad pandect. Spec.* 44. §. 1. *et* 2. verum etiam (19. in ſpecie rata eſſe pacta dotalia ſuper hereditate coniugis praemorientis, * eadem tamen ſeruata diſtinctione: cui et id adſtruxere iureconſulti, quod pacta dotalia, in vim vltimae voluntatis condita, quinque teſtium praeſentiam requirant. STRYK. *de cautel. contr. Sect.* 3. *cap.* 8. §. 16.

* Quin huiuſmodi pacta dotalia, quae iuris Romani principiis plane repugnant, *l.* 3. *C. de collat. l.* 35. §. 1. *C. de inoff. teſt.* vbique paene in Europa valere, iam ab aliis obſeruatum eſt. De Belgio id teſtantur IO. SAND. *Lib. II. tit.* 2. *def.* 7. ZYPAEVS *notit. iur. Belg. p.* 171. SIM. VAN LEEVWEN *cenſ. for. Lib. I. cap.* 12. *n.* 11. de Gallis CHASSAN. *ad conſu. Burg. rubr.* 4. §. 7. de Sabaudis ANT. FABER *cod. Lib. V. tit.* 9. *def.* 6. de Hiſpanis DION. GOTHOFRED. *ad l.* 5. *C. de pact. conu.*

§. CLXXII.

Nec minus inde reddideris rationem, cur (20. Germanis et pactum vnionis prolium, de quo iam ſupra egimus, (Lib. I. §. 161.) ratum ſit, ac proinde (21. liberis vtriuſque coniugis ex hoc pacto non minus iudicium familiae erciſcundae competat, ac coheredibus reliquis, ſiue teſtamento, ſiue a lege ad communem hereditatem vocatis. ANDR. GAIL. *Obſ. Lib. II. cap.* 125. *n.* 5. WESENBEC. *conſil.* 71. vnionemque prolium?

§. CLXXIII.

Denique quum et pacta renunciatiua iure Germanico valeant: (§. 167. 4.) conſequens eſt, (22. vt ne iureiurando quidem opus ſit, quia illud iuris canonici ἰώρημα ad eos tantum actus, qui iure ciuili irriti habentur, pertinet. STRYK. *de ſucceſſ. ab inteſtato diſſ.* 8. *cap.* 10. §. 23. Attamen (23. quia hic in diuerſa eunt iureconſulti, nec pauci iuſiurandum neceſſarium exiſtimant: (vid. LEYSER. *meditat. Spec.* 45. §. 1. *ſequ.*) rectiſſime ſibi conſulunt, qui operam dant, vt haec renunciatio iureiurando firmetur. STRYK. *ibid.* Multa enim vir prudens agit ex aliorum, qui ſuo ſenſu abundant, ſententia: non quod ea neceſſaria exiſtimet, ſed ne occaſionem det vulturibus togatis, ex ſimplicitate ſua lucrum captandi *. Vid. STRYK. *de cautel. abund.* Quid iuſtum circa pacta renunciatiua?

* Vere enim hic locum habet, quod monent ARCADIVS et HONORIVS Auguſti *in l.* 17. *C. de teſtam. Superflua non nocent, namque neceſſaria praetermiſſa imminuunt contractus, et teſtatoris efficiunt voluntati: non abundans cautela.*

TIT.

TIT. VII.

DE TESTAMENTIS ET VLTIMIS VOLVNTATIBVS.

§. CLXXIIII.

Tranſitio ad ſucceſſionem teſtamentariam.

TEſtamentifactionem, adeoque et ſucceſſionem teſtamentariam, ignotam fuiſſe priſcis Germanis, iam ſuperiore titulo (§. 141. *ſequ.*) luculenter demonſtrauimus. Quum tamen hodie illis nihil ſit frequentius: operae pretium fuerit, diſquirere, quando ea Germanis primum innoteſcere, et in vſu eſſe coeperint? et an illa ſuprema veterum Germanorum iudicia commune aliquid habuerint cum teſtamentis Romanorum?

§. CLXXV.

Teſtamenta primum Germanis extra Germaniam magnam innotuerunt.

Quum teſtamenta plane non fuerint Germanicae originis: (§. 141.) conſequens eſt, vt eorum vſum a Romanis demum acceperint gentes Germanicae. Hinc primum in regnis, quae populi Germanici in prouinciis Romanis conſtituebant, teſtamenta condebant homines prouinciales, quos victores iure Romano viuere permittebant: poſtea hos et ipſi Germani imitari coeperunt, adeoque antiquiſſima Germanorum teſtamenta non in Germania magna, ſed in Gallia, Italia, Hiſpania, quas antea Romani tenuerant, condita eſſe, nouimus.

§. CLXXVI.

Prouinciales inter Gothos, Francos, Burgundiones, iure Romano teſtabantur.

Quamuis nimirum Viſigothi, Oſtrogothi, Franci, Burgundiones, regna ſatis ampla conſtituerent in prouinciis Romanis: tantum tamen abeſt, vt victis prouincialibus legum Romanarum vſu interdicerent, vt iiſdem et teſtamenta condere, * et omnia reliqua negotia ciuilia ex legum Romanarum praeſcripto explicare permitterent. Cuius rei exemplum iam ſupra ex LEGE BVRG. *Tit.* 60. adduximus. (§. 154.)

* Hinc et in corpore Alariciano, in vſum prouincialium Hiſpaniae et Aquitaniae compilato, (vid. *hiſt. iur. Lib. II. cap.* 1. §. 15.) et in edicto Theodorici, quod Italorum bono conditum, (*ibid.* §. 16.) et in PAPIANI reſponſo, quod in vſum prouincialium ſub Burgundionum imperio viuentium confectum eſſe, docuimus alibi, (*hiſt. iur. ibid.* §. 17.) pleraque de teſtamentis et vltimis voluntatibus ex iure Romano repetuntur. Quin et integrae

integrae teſtamentorum formulae ex lege Romana occurrunt apud MARCVLFVM *formul. Lib. II. cap.* 12. *et* 17. et *in Append. cap.* 51. FORM. LINDENBROG. *cap.* 72. FORM. BALVZ. *cap.* 6. 28. *et ſequ.* FORM. ALAM. 13. *et* 14. *apud* GOLDAST. *ſcript. rer. Alamann. Tom. II. p.* 29.

§. CLXXVII.

Itaque fruſtra vſum teſtamentorum apud Germanicae originis gentes probant exemplis teſtamentorum S. Remigii, quod poſt FLODOARDVM, BRISSONIVM et AVB. MIRAEVM ſincerius edidit IO. IAC. CHIFLET. *de ampull. Rhem. cap.* 3. *pag.* 9. Carileffi. apud MABILL. *analect. Tom.* III. *pag.* 81. Bertchramni, et Hadoindi, Epiſcoporum Cenomanenſium, apud eumdem *ibid. p.* 112. *et* 158. Perpetui, Archiepiſcopi Turonenſis, apud GREG. TVR. *Lib. X. cap.* 12. et DACHER. *ſpicileg. Tom. V.* Leodebaldi, Abbatis S. Aniani, apud HELGALD. FLORIAC. *in Rob. Rege p.* 59. Dagoberti Regis apud AIMON. *Lib.* IIII. *hiſt. Franc. cap.* 30. Aredii et Pelagiae matris apud GREG. TVRON. *Lib.* VIIII. *cap.* 20. MABILLON. *analect. Tom.* II. *p.* 48. S. Amandi apud MIRAEVM *donat. piar. p.* 8. S. Willibrordi apud *eumdem p.* 11. S. Euerardi, Comitis, *ibid. p.* 19. et quae ſunt huius generis alia. Omnia enim haec vel ſecundum leges Romanas condita eſſe, vel teſtamentorum nomen vix mereri, facile vnusquisque animaduertet. *

Exempla horum teſtamentorum antiquiſſima.

* Pleraque, quae adduximus, per omnia iuri Romano conformata eſſe reperio. Hinc in illis obſeruo ſollemnem heredum inſtitutionem, clauſulam codicillarem, ſeptem teſtium ſigna et ſubſcriptionem. Quin et *Falſidiae* i. e. quartae Falcidiae mentio fit apud GOLDAST. *in chart. Alam. n.* 13. Contra vix teſtamenti nomen meretur teſtamentum S. Amandi, in quo tantum de ſepultura ſua diſponit. Sed et Euerardi Comitis teſtamentum magis diuiſionis inter liberos prae ſe fert ſpeciem, quam veri ac ſollemnis teſtamenti.

§. CLXXVIII.

Itaque haec nihil faciunt ad mores Germanorum, ſaltim ad Germaniam magnam non magis pertinent, quam quae paſſim in Francorum annalibus memorantur, teſtamenta. Ita auctor eſt GREG. TVRON. *Lib. VI. cap.* 45. Riguntha, filia Chilperici, in Hiſpaniam ad ſponſam proficiſcente, *multos meliores natu, qui vi compulſi ſint abire*, TESTAMENTA *condidiſſe, reſque ſuas eccleſiis deputantes, petiiſſe, vt quum in Hiſpanias puella introiſſet, ſtatim teſtamenta, tamquam ſi iam eſſent ſepulti, reſera-*

Alia apud Gregorium Turonenſem.

rentur. Sed et alibi idem auctor ſaepe mentionem facit teſtamentorum, ac *Lib. VI. cap.* 46. vel maxime vitio vertit Chilperico, Regi, *quod teſtamenta, in eccleſiis conſcripta, plerumque diſruperit*, quemadmodum *Lib. VII. cap.* 7. mirifice laudat Guntchramnum, *teſtamenta defunctorum, qui eccleſias heredes inſtituiſſent, et quae a Chilperico compreſſa fuerint, reſtaurantem*.

§. CLXXVIIII.

Cur et Francis paullatim placuerint teſtamenta?

Ex quibus ſimilibusque exemplis patet, ſenſim et ad Francos, aliosque Germanicae originis populos, hunc teſtandi morem tranſiiſſe, rem hanc in primis vrgentibus Epiſcopis et clericis, et plebi, futuri, prout decet, anxiae, perſuadentibus, non poſſe eam quidquam facere animae poſt mortem ſalubrius futurum, quam ſi bona ſua relinquerent eccleſiis ac monaſteriis, Deum et caelites heredes ſcriberent, ſeruosque manumitterent. Hert. *notit. regni Franc. cap.* 3. §. 58. Quamobrem vix reperias eorum temporum tabulas, in quibus teſtator, ſe *pro remedio animae ſuae ſuorumque* huiuſmodi legata relinquere, non profiteatur. *

* Hinc adeo multum ſua intereſſe exiſtimabant, teſtamentum ſuum poſt mortem non infirmari, vt multas iis infererent exſecrationes, et dira quaeuis imprecarentur omnibus, qui ſupremum iſtud iudicium irritum facere audeant. Habes huiusmodi formulam apud Lindenbrog. *in formul. cap.* 72.

§. CLXXX.

In Germania magna et ſerius condita.

Interea teſtamenta plane ignorabat Germania magna, * niſi quod in Alamanniam hunc morem citius penetraſſe, paullo ante (§. 177.) ex Goldasti chartis Alamannicis oſtendimus. At quemadmodum perſuaſio illa de igne purgatorio legatis facile reſtinguendo, non minus Germanorum, quam reliquorum Chriſtianorum, animos occupauerat: ita non mirum eſt, et Germanos paullatim teſtamentorum vſum aliquem habere coepiſſe, quamuis animae conſuluiſſe contenti, reliquas iuris Romani ſubtilitates et miſeram illam anxiamque diligentiam inſuper omnino haberent.

* Saepe equidem non modo in legibus Germanorum, verum etiam in eorundem chartis ac diplomatibus mentio fit *teſtamentorum*: ſed raro illud vocabulum vltimam voluntatem, ſaepius vel quodlibet inſtrumentum, vel teſtimonium, (Lindenbr. *form. cap.* 100.) vel cenſum annuum, *emtum in rerra-*

creationem infirmorum ſignificat. Ill. a LVDEWIG. *reliqu. MSC. Tom. I. p.* 360. Exſtant apud MABILL. *in analect. Tom. II.* ABONIS, *Abbatis*, *canones*, quorum *cap.* 7. *p.* 266. variae exponuntur vocabuli TESTAMENTVM ſignificationes. *Teſtamentorum*, inquit, *alia ſunt dotis nomine*, *alia hereditatis donatione*, *alia de rebus eccleſiae*, *quas abalienari eſt difficile*, *et dicuntur precariae. Exceptis his ſunt praecepta, regalis*, *id eſt*, *Imperialis iuſſionis auctoritate roborata*, *quibus conſentiunt Romani Pontificis priuilegia*, *ſub excommunicationis anathemate decreta.* Itaque non modo vltimae voluntates, verum etiam inſtrumenta dotalia, precariae, praecepta et diplomata regia, quin quaelibet chartae teſtamenta vocabantur. Quod ideo monemus, ne quis, reperto in monimentis Germanorum hoc vocabulo, illico ſe reperiſſe teſtamentorum exempla, exiſtimet.

§. CLXXXI.

Initio reges tantum et principes teſtamenta condebant.

Et primum quidem reges et principes tantum morientes condebant teſtamenta. Vt enim alia mittamus exempla: teſtamenti Henrici, Aucupis, meminit WITICH. CORB. *annal. Lib. I. p.* 641. Ottonis II. GOBEL. PERSON. *Art.* 6. *cap.* 49. Exſtant praeterea integra teſtamenta Brunonis, Archiepiſcopi Colonienſis et Ducis Lotharingiae, apud LEIBNIT. *ſcript. rer. Brunſu. Tom. I. pag.* 289. Richezae, Reginae Poloniae, apud TOELN. *cod. dipl. palat. pag.* 29. Ottonis IIII. Imp. apud MEIBOM. *in apolog. pro Ottone IIII. pag.* 148. Teſtamenti quoque Ottonis, Diuitis, Miſniae Marchionis, meminit auctor CHRON. MONTIS SER. *ad ann.* 1188. Ex quibus tamen omnibus patet, nihil fere commune haec teſtamenta habere cum ſupremis Romanorum iudiciis, et vix aliud quidquam comprehendere, quam legata ad pias cauſſas *.

* Neque enim de vniuerſitate bonorum iis diſponunt principes, neque heredes inſtituunt, neque formam aliquam, qualem exigit ius Romanum, obſeruant, ſed plerumque vel quaedam elargiuntur eccleſiis et monaſteriis, vel a cognatis quaedam iniuſtè erepta veris dominis reſtitui petunt, vel alia quaedam iis imperant, ſe mortuis facienda. Ita ſane Bruno in teſtamento ſuo nihil aliud diſponit, quam vt cuppae aureae et tapetes cum reliqua ſupellectile ſua eccleſiis cederent, et aliquot oratoria et coenobia vel de nouo conderentur, vel locupletarentur ex facultatibus ſuis. Nec alia ſunt Richezae et Ottonis IIII. Imp. teſtamenta, ceu vnusquisque, iis perlectis, animaduertet.

§. CLXXII.

Poſtea et ingenui ac plebeii.

Non vero conſiſtere exempla, vbi coeperunt, ſed euagandi latius viam ſibi munire, paullo poſt adparuit. Quod enim adhuc

huc perſonae tantum illuſtres, et non niſi rarius, facere conſueuerant: id a ſaeculo XII. et alii nobiles, et equeſtris dignitatis, quin et plebeii ordinis, homines facere coeperunt: quamuis id in ſuperiore Germania citius, quam in Saxonia viciniſque regionibus, fieri conſueuiſſe, animaduertam.

§. CLXXXIII.

Exempla teſtamentorum et ſaeculo XII. et XIII.

Sic ex ſaeculo XII. exſtat diploma, quo Conradus Imp. anno 1139. * Folmaro cuidam dat facultatem res ſuas legandi eccleſiae Franckenthalenſi. SCHANNAT. *hiſt. Wormat. in codic. probat. n.* 75. Ex ſequente ſaeculo varia ſuperſunt teſtamenta, veluti Leutoldi, conditum anno 1206. apud illuſtrem A LUDEWIG. *reliqu. MSSC. Tom. IIII. pag.* 184. Eliſabethae de Trenel, conditum 1264. apud FALCKENST. *cod. dipl. antiqu. Nortg. pag.* 52. Pilegrini de Schwarzenaw, apud LUDEWIG. *ibid. Tom. IIII. pag.* 81. Henrici, ſenioris, de Lapide, factum anno 1279. apud FALCKENST. *ibid. pag.* 68. Vlrici de Solzburg, ſcriptum anno 1285. apud *eumdem pag.* 86. Ottonis de Raſtenberg, factum 1293. apud LUDEW. *Tom. IIII. reliqu. MSSC. pag.* 99.

* Itaque tunc adhuc rariſſima fuiſſe videtur teſtamentifactio: quia non opus fuiſſet ſpeciali Imperatoris indulgentia, ſi illa iuris communis tum fuiſſet. Certe nec ſeruilis erat Folmari iſtius conditio, quippe praepoſiti Frankenthalenſis, nec bona ipſa, de quibus diſponere cupiebat, vel feudalia, vel alio iure Imperio obnoxia erant: et tamen profitetur Conradus Rex, *interuentu tori ſui regnique conſortis, Gertrudis, reginae, et perfidelis ſui Buggonis, qui et Burchardus nominetur, Wormatienſis epiſcopi, crebra petitione adiiſſe ſuam praeſentiam Folmarum, et petiiſſe, vt quidquid forte hereditatis habuerit a patre ſuo, felicis memoriae Hebelino, id ei per manum mundeburdi ſui eccleſiae B. Mariae Magdelenae in Franckenthal translegare liceret.* Quum ergo nulla excogitari poſſit ratio, cur tam obnixis precibus opus fuerit ad hanc veniam a rege impetrandam: non poſſumus profecto, quin ipſam teſtamentifactionem priuatis tunc nondum liberam fuiſſe, exiſtimemus.

§. CLXXXIIII.

Saeculo XIII. leges diſerte conceſſerunt teſtamentifactionem.

Eodem ſaeculo XIII. in Flandria hominibus etiam infimae ſortis facultatem fuiſſe de rebus ſuis teſtandi, ſatis patet ex Henrici II. Lotharingiae ac Brabantiae ducis, diplomate, quo anno 1242. vaſallos ſuos a manus mortuae oneribus liberat, ipſisque ſpuriis, quos *Haueſcot* vocat, ſi in terris ſuis nati ſint, propinquos ſuos heredes eſſe iubet, in aduenis ſibi ac ſucceſſoribus ſuis iura priſtina ſeruat, (Lib. I. §. 199.) *ſaluo tamen per omnia tam de alienigenis, quam indigenis talibus, quod teſtamenta*

quae

quae condiderint, robur habere debeant et fortitudinem. Mir. *dipl. Belg. Lib. I. cap.* 85.

§. CLXXXV.

Inſequente ſaeculo XIIII. et quidem anno 1323. Friſii in conuentu Opſtalbomico condiderunt leges, inter quas et haec eſt §. 15. *Succeſſiones hereditatum, quocumque modo euenerint, proximo ſecundum leges et canones cedant ſucceſſori, niſi diſcedens cum conſiliis rectoris teſtamento aliter duxerit ordinandum.* Sed et alibi hoc ſaeculo permulta condita teſtamenta reperimus. Sic anno 1302. Leutoldus de Chuenring in Auſtria ratum habet teſtamentum vxoris ſuae, (*ihr letztes geſchäffte.*) Lvdewig. *reliqu. MSSC. Tom. IIII. pag.* 62. anno 1312. Fridericus de Waſſe confirmat teſtamenta Wolfg. de Iunginge et Waltheri de Lauben; *ibid. pag.* 122. et anno 1313. Eberh. von Waſſe teſtamentum patris ſui Fridrici de Waſſe. (*geſcheffte vnd ſelgerath.*) *ibid. p.* 147. Anno 1322. Hermannus de Richenbach aliqua monaſterio Griſſouienſi *legat in perpetuum teſtamentum: ibid. Tom. VI. p.* 470. Similia ſunt teſtamenta Annae de Lentersheim, conditum anno 1336. apud Falkenst. *pag.* 173. Conradi de Lentersheim, factum anno 1343. *apud eumdem pag.* 176. et Alberti Ebneri anno 1395. ſcriptum apud *eumdem p.* 229.

Leges de libertate teſtandi et exempla teſtamentorum ex ſaec. XIIII.

§. CLXXXVI.

Omnia haec exempla nobis ſuggeſſit Germania ſuperior: nec adhuc vllum ſe nobis obtulit, his ſaeculis, in Saxonia viciniſque prouinciis conditum. Quemadmodum enim ipſum ivs Saxonicvm teſtamenta ignorat: ita nec inter priuatos ea ibi adeo frequentia fuiſſe videntur ante ſaeculum XV. * Tunc vero anno 1409. mentio fit, teſtamentariorum, in dioeceſi Halberſt. apud Lvdewig. *reliqu. MSSC. Tom. VIII. pag.* 456. legatorum, monaſterio noui operis iuxta Halam relictorum, *ibid. Tom. V. pag.* 251. Denique in *chronico epiſc. Merſeburgenſium cap.* 36. §. 10. apud Lvdewig. *ibid. Tom. IIII. pag.* 444. legimus: *Ex* testamento *Guervvini de Miſna officii ſui altare S. Gregorii in eccleſia Merſeburgenſi maiori dotauit: ex* testamento *autem cuiusdam ciuis Merſeburgenſis, nomine Thomas Czigbock, centum florenos ad officium praedicationis ſeu praedicatoris ordinauit.*

Saeculo XV. teſtamenta etiam in Saxonia condi coeperunt.

 * In

* In ſuperiore vero Germania tam frequentia iam fuerunt, vt et pauperibus aliquando perſuaderetur, vt conditis teſtamentis animae conſulere vellent, et de facultatibus ſuis amplius, quam in iis erat, ſperarent homines. Lepidum exemplum exhibet *Chronicon Wormatienſe* apud ill. a *Ludevvig. reliqu. MSS. Tom. II. p. 161. Canonicus quidam S. Martini, ſenex et plenus dierum, quum iam moriturus eſſet, et circumſtarent eum amici, ſollicitantes, vt teſtamentum conderet, ne inteſtatus moreretur, reſpondit: non eſt neceſſe: ſed quum acrius inſtarent, ille dixit: vocate notarium: quo veniente, iuſſit, vt ſcriberet: Ego etc. collegio meo do tantum, et illi monaſterio tantum, atque illi loco tantum. Quumque iam multa ſcripſiſſet notarius, dicebant ei: Multa ſcripta ſunt, ſed vbi pecuniam recipiemus? Quibus ille reſpondit: In domo ciuium, quam vocant monetariam, pecunia multa eſt, ſed ego nullam habeo. Quo audito, omnes in riſum commiſſi, dimiſſo eo, ad ſua redierunt.*

§. CLXXXVII.

Leges ex eo ſaeculo de libertate teſtandi.

Eodem ſaeculo, inualeſcente magis magisque teſtamentorum vſu, publicis etiam legibus ciuibus fieri coepit teſtandi facultas. Exemplo eſſe poſſunt leges et ſtatuta Colonienſia, circa hoc tempus condita, nec non ſtatuta Goslarienſia, quae ſub finem ſaeculi XIIII. collecta eſſe, docet frater, ὁ μακαρίτης, *in antiqu. Gosl. Lib. IIII. pag.* 362. In illis enim *titulo von eruegude §.* 59. legimus. *Een mach van ſyneme ghevvunnen gud teſtament ſetten, he ſy geſund, eder in ſiecke-bedden, vnde dat teſtament ſcholde me bringen vor den rad, vvat de des overgeven, dat ſchall alſo gaen, vvat ſe des aver nicht over en geven, dat ervet, ghelik alſe ander gud, dar neyn teſtament van gheſatt ne is.* Leibn. *ſcript. rer. Brunſu. Tom. III. pag.* 487.

§. CLXXXVIII.

Axiomata de veterum Germanorum teſtamentis.

Ceterum, expenſis omnibus Germanorum teſtamentis, quorum hic numerum inire non licet, animaduertiſſe nobis videmur, I. ea fere omnia pro animae remedio ac ad pias cauſſas, condi conſueuiſſe. * II. Iis nec heredes plerumque inſtitutos, nec III. vllas ſollemnitates externas, quas ius Romanum praeſcribit, obſeruatas eſſe: IIII. Ea, quae olim ex legibus Germanicis obſeruanda erant in traditionibus et donationibus inter viuos, plerumque et in teſtamentis fuiſſe obſeruanda. Denique V. reliquas pleraſque regulas teſtamentarias, quas ius Rom. inculcat, neglectas a Germanis fuiſſe.

* Inde eſt, (1. quod plerumque inſtituerunt miſſas, anniuerſaria, vel memoriam, quotannis recolendam. (2. quod teſtamenta Germani vocarunt non modo *ſeelen-gerathe*, verum etiam *ihren letzten vnd liebſten willen*: (3. quod ea plerumque condiderunt arbitratu ſacerdotis, ſeu, vti in legibus

Opſtal-

Opſtalbomicis vocatur, *rectoris:* (4. quod ipſum ius canonicum teſtamenta condi voluit coram parocho et duobus teſtibus: (5. quod ſi, antequam vltimam iſtam voluntatem perficere poſſent, aliquid teſtatoribus humani accideret, cognati illam perficere ac adimplere non dubitarunt: qualia exempla ſunt apud ill. a LUDEWIG. *reliqu. MSSC. Tom. IIII. p. 63. 99. 147.*

§. CLXXXVIIII.

Omnia haec principia iuris Germanici, recepto licet iure Romano, paſſim adhuc regnare in quibusdam Germaniae prouinciis ac ciuitatibus, non ita pridem ex inſtituto oſtendimus ſingulari diſſertatione *de teſtamentifactione, iure Germanico arctiſſimis limitibus circumſcripta.* Neque tamen ideo inficiamur, vbi tales leges non ſunt latae, pro norma eſſe ius Romanum, ex eiusque regulis diiudicari oportere, ſubſiſtatne teſtamentum, an corruat. Nos iam hic quasdam iuris Germanici reliquias conſectabimur. Plura iuris Germ. veſtigia et hodie ſuperſunt.

§. CLXXXX.

Quum itaque olim teſtamenta pleraque pro animae remedio et ad pias cauſſas conderentur: (§. 188. 1.) non mirum eſt, (1. et hodie ſtatuta nonnulla teſtatoribus id iniungere, vt aliquid relinquant ad pias cauſſas, (*zu Gottes ehren*) STAT. ZITTAV. *tit. von teſtam.* quumque et ea, quae reficiendis operibus publicis impenduntur, pie impenſa viderentur, id quoque (2. inculcari legibus quibusdam Germanicis, vt aliquid relinquatur *zu vvegen vnd ſtegen.* STAT. ZITT. *ibid.* et HAMB. *Part. III. tit.* 1. *art.* 16. Immo (3. huiusmodi legata paſſim tanto rigore exigi, vt ideo nullum haberi iubeatur teſtamentum, in quo nihil ad hunc finem relictum ſit. * STAT. ZITTAV. *ibid.* Legata ad pias cauſſas in teſtamentis alicubi neceſſaria.

* Ita STATVTA ZITTAVIENSIA: *Was aber ſonſt vor teſtament gemacht vverden, darinnen gottes ehre vnd gemeinen nutzes vergeſſen, die ſollen keine krafft noch macht, auch keinen naamen eines teſtaments haben, ſondern nichtig, kraftloſs, vnd vnbündig angeſehen vnd gehalten vverden.* In STATVTIS HAMB. nihil tale occurrit. Immo, quum, illa certam pecuniae ſummam imperent teſtatoribus, (*zum venigſten ein marckſtück zu vvegen vnd ſtegen*) non dubito, quin ea diſpoſitione neglecta, ratum tamen futurum ſit teſtamentum, modo heredes tantum inferant in aerarium publicum.

§. CLXXXXI.

Quumque vel maxime in eo a teſtamentifactione Romana diſ- Heredis inſtitutio

* In ſuperiore vero Germania tam frequentia iam fuerunt, vt et pauperibus aliquando perſuaderetur, vt conditis teſtamentis animae conſulere vellent, et de facultatibus ſuis amplius, quam in iis erat, ſperarent homines. Lepidum exemplum exhibet *Chronicon Wormatienſe* apud ill. a *Ludevvig. reliqu. MSS. Tom. II. p.* 162. *Canonicus quidam S. Martini, ſenex et plenus dierum, quum iam moriturus eſſet, et circumſtarent eum amici, ſollicitantes, vt teſtamentum conderet, ne inteſtatus moreretur, reſpondit: non eſt neceſſe: ſed quum acrius inſtarent, ille dixit: vocate notarium: quo veniente, iuſſit, vt ſcriberet: Ego etc. collegio meo do tantum, et illi monaſterio tantum, atque illi loco tantum. Quumque iam multa ſcripſiſſet notarius, dicebant ei: Multa ſcripta ſunt, ſed vbi pecuniam recipiemus? Quibus ille reſpondit: In domo ciuium, quam vocant monetariam, pecunia multa eſt, ſed ego nullam habeo. Quo audito, omnes in riſum commiſſi, dimiſſo eo, ad ſua redierunt.*

§. CLXXXVII.

Leges ex eo ſaeculo de libertate teſtandi.

Eodem ſaeculo, inualeſcente magis magisque teſtamentorum vſu, publicis etiam legibus ciuibus fieri coepit teſtandi facultas. Exemplo eſſe poſſunt leges et ſtatuta Colonienſia, circa hoc tempus condita, nec non ſtatuta Goslarienſia, quae ſub finem ſaeculi XIIII. collecta eſſe, docet frater, ὁ μακαρίτης, *in antiqu. Gosl. Lib. IIII. pag.* 362. In illis enim *titulo von eruegude* §. 59. legimus. *Een mach van ſyneme ghevvunnen gud teſtament ſetten, he ſy geſund, eder in ſiecke-bedden, vnde dat teſtament ſcholde me bringen vor den rad, vvat de des overgeven, dat ſchall alſo gaen, vvat ſe des aver nicht over en geven, dat ervet, ghelik alſe ander gud, dar neyn teſtament van gheſatt ne is.* LEIBN. *ſcript. rer. Brunſu. Tom. III. pag.* 487.

§. CLXXXVIII.

Axiomata de veterum Germanorum teſtamentis.

Ceterum, expenſis omnibus Germanorum teſtamentis, quorum hic numerum inire non licet, animaduertiſſe nobis videmur, I. ea fere omnia pro animae remedio ac ad pias cauſſas, condi conſueuiſſe. * II. Iis nec heredes plerumque inſtitutos, nec III. vllas ſollemnitates externas, quas ius Romanum praeſcribit, obſeruatas eſſe: IIII. Ea, quae olim ex legibus Germanicis obſeruanda erant in traditionibus et donationibus inter viuos, plerumque et in teſtamentis fuiſſe obſeruanda. Denique V. reliquas pleraſque regulas teſtamentarias, quas ius Rom. inculcat, neglectas a Germanis fuiſſe.

* Inde eſt, (1. quod plerumque inſtituerunt miſſas, anniuerſaria, vel memoriam, quotannis recolendam. (2. quod teſtamenta Germani vocarunt non modo *ſeelen-gerathe*, verum etiam *ihren letzten vnd liebſten willen*: (3. quod ea plerumque condiderunt arbitratu ſacerdotis, ſeu, vti in legibus Oſtfal-

Opſtalbomicis vocatur, *rectoris*: (4. quod ipſum ius canonicum teſtamenta condi voluit coram parocho et duobus teſtibus: (5. quod ſi, antequam vltimam iſtam voluntatem perficere poſſent, aliquid teſtatoribus humani accideret, cognati illam perficere ac adimplere non dubitarunt: qualia exempla ſunt apud ill. a LVDEWIG. *reliqu. MSSC. Tom. IIII. p. 63. 99.* 147.

§. CLXXXVIIII.

Plura iuris Germ. veſtigia et hodie ſuperſunt.

Omnia haec principia iuris Germanici, recepto licet iure Romano, paſſim adhuc regnare in quibusdam Germaniae prouinciis ac ciuitatibus, non ita pridem ex inſtituto oſtendimus ſingulari diſſertatione *de teſtamentifactione, iure Germanico arctiſſimis limitibus circumſcripta.* Neque tamen ideo inficiamur, vbi tales leges non ſunt latae, pro norma eſſe ius Romanum, ex eiusque regulis diiudicari oportere, ſubſiſtatne teſtamentum, an corruat. Nos iam hic quasdam iuris Germanici reliquias conſectabimur.

§. CLXXXX.

Legata ad pias cauſſas in teſtamentis alicubi neceſſaria.

Quum itaque olim teſtamenta pleraque pro animae remedio et ad pias cauſſas conderentur: (§. 188. 1.) non mirum eſt, (1. et hodie ſtatuta nonnulla teſtatoribus id iniungere, vt aliquid relinquant ad pias cauſſas, (*zu Gottes ehren*) STAT. ZITTAV. *tit. von teſtam.* quumque et ea, quae reficiendis operibus publicis impenduntur, pie impenſa viderentur, id quoque (2. inculcari legibus quibusdam Germanicis, vt aliquid relinquatur *zu vvegen vnd ſtegen.* STAT. ZITT. *ibid.* et HAMB. *Part. III. tit.* 1. *art.* 16. Immo (3. huiusmodi legata paſſim tanto rigore exigi, vt ideo nullum haberi iubeatur teſtamentum, in quo nihil ad hunc finem relictum ſit. * STAT. ZITTAV. *ibid.*

* Ita STATVTA ZITTAVIENSIA: *Was aber ſonſt vor teſtament gemacht vverden, darinnen gottes ehre vnd gemeinen nutzes vergeſſen, die ſollen keine krafft noch macht, auch keinen naamen eines teſtaments haben, ſondern nichtig, kraftloſs, vnd vnbündig angeſehen vnd gehalten vverden.* In STATVTIS HAMB. nihil tale occurrit. Immo, quum, illa certam pecuniae ſummam imperent teſtatoribus, (*zum venigſten ein marckſtück zu vvegen vnd ſtegen*) non dubito, quin ea diſpoſitione neglecta, ratum tamen futurum ſit teſtamentum, modo heredes tantum inferant in aerarium publicum.

§. CLXXXXI.

Heredis inſtitutio

Quumque vel maxime in eo a teſtamentifactione Romana diſ-

Opſtalbomicis vocatur, *rectoris:* (4. quod ipſum ius canonicum teſtamenta condi voluit coram parocho et duobus teſtibus: (5. quod ſi, antequam vltimam iſtam voluntatem perficere poſſent, aliquid teſtatoribus humani accideret, cognati illam perficere ac adimplere non dubitarunt: qualia exempla ſunt apud ill. a LVDEWIG. *reliqu. MSSC. Tom. IIII. p.* 63. 99. 147.

§. CLXXXVIIII.

Omnia haec principia iuris Germanici, recepto licet iure Romano, paſſim adhuc regnare in quibusdam Germaniae prouinciis ac ciuitatibus, non ita pridem ex inſtituto oſtendimus ſingulari diſſertatione *de teſtamentifactione, iure Germanico arctiſſimis limitibus circumſcripta.* Neque tamen ideo inficiamur, vbi tales leges non ſunt latae, pro norma eſſe ius Romanum, ex eiusque regulis diiudicari oportere, ſubſiſtatne teſtamentum, an corruat. Nos iam hic quasdam iuris Germanici reliquias conſectabimur. Plura iuris Germ. veſtigia et hodie ſuperſunt.

§. CLXXXX.

Quum itaque olim teſtamenta pleraque pro animae remedio et ad pias cauſſas conderentur: (§. 188. 1.) non mirum eſt, (1. et hodie ſtatuta nonnulla teſtatoribus id iniungere, vt aliquid relinquant ad pias cauſſas, (*zu Gottes ehren*) STAT. ZITTAV. *tit. von teſtam.* quumque et ea, quae reficiendis operibus publicis impenduntur, pie impenſa viderentur, id quoque (2. inculcari legibus quibusdam Germanicis, vt aliquid relinquatur *zu vvegen vnd ſtegen.* STAT. ZITT. *ibid.* et HAMB. *Part. III. tit.* 1. *art.* 16. Immo (3. huiusmodi legata paſſim tanto rigore exigi, vt ideo nullum haberi iubeatur teſtamentum, in quo nihil ad hunc finem relictum ſit. * STAT. ZITTAV. *ibid.* Legata ad pias cauſſas in teſtamentis alicubi neceſſaria.

* Ita STATVTA ZITTAVIENSIA: *Was aber ſonſt vor teſtament gemacht vverden, darinnen gottes ehre vnd gemeinen nutzes vergeſſen, die ſollen keine krafft noch macht, auch keinen naamen eines teſtaments haben, ſondern nichtig, kraftloſs, vnd vnbündig angeſehen vnd gehalten vverden.* In STATVTIS HAMB. nihil tale occurrit. Immo, quum, illa certam pecuniae ſummam imperent teſtatoribus, (*zum venigſten ein marckſtück zu vvegen vnd ſtegen*) non dubito, quin ea diſpoſitione neglecta, ratum tamen futurum ſit teſtamentum, modo heredes tantum inferant in aerarium publicum.

§. CLXXXXI.

Quumque vel maxime in eo a teſtamentifactione Romana diſ- Heredis inſtitutio

non ſemper requiritur.

diſcreparent vltimae Germanorum voluntates, quod hi plerumque ne heredes quidem inſtituerent, (§. 188. 2.) Romanis contra heredis inſtitutio veluti caput et fundamentum teſtamenti videretur, §. 34. *Inſt. de legat.* ſine quo nihil in teſtamento ſcriptum valebat: *l.* 1. §. *vlt. D. de vulg. et pup. ſubſt.* facile reddideris rationem, (4. cur de Belgio ſuo teſtentur Vinn. *ad* §. 12. *Inſt. de hered. inſt.* Gvdelin. *iur. nou. Lib. II. cap.* 5. Franc. Zyp. *notit. iur. Belg. p.* 182. multorum locorum moribus nunc ita comparatum eſſe, vt heredis inſtitutio ad teſtamenti ſubſtantiam non videatur neceſſaria: ac proinde (5. et id hodie teſtamentum dicatur, in quo, relictis tantum legatis, nulla heredis inſtitutio facta ſit *. Cur (6. ivre Hamb. *Part. III. tit.* 1. *art.* 22. cautum legamus: *Ob vvol in gemeinen rechten die erbeinſezzung in einem iedem teſtament für das haupt-ſtuck gehalten vverde: ſo ſolte doch nach ſtadt-recht des teſtatoris vvillen, darinn kein erbe benennet vverde, für kräfftig gehalten, vnd vvollſtrecket vverden.*

* Ivs Lvbecense *Lib. II. tit.* 1. *art.* 12. mentionem facit heredis inſtitutionis, eamque ſtatuit eſſe neceſſariam: *nach Lubiſchen rechte muſs ein ieglich teſtament inſtitutionem heredis haben*: ſed forma a iure Romano plane diuerſa eſt, et ita exprimitur: *Welche in dieſer clauſul in forma begriffen ſeyn ſoll: Vnd giebt ſeinen neheſten erben, ſi ſeynd einer, zvvey, oder mehr, die ſich vvie rechte neckſten zeugen laſſen vverden,* N. N. Vnde Mevivs *ad h. art. n.* 6. obſeruat, in hoc articulo improprie accipi heredis inſtitutionem pro donatione certae rei. Quamuis enim inſtituendi neceſſario ſint proximi heredes, non cogi tamen teſtatorem iis plus relinquere, quam *acht ſchilling vnd vier pfennige.* Ivs Lvbec. *Lib. I. tit.* 6. *art.* 2. et *tit.* 9. *art.* 2. Itaque, qui hoc ius emendarunt, hanc laciniam de neceſſaria heredis inſtitutione, ex iure Romano detractam, moribus patriis parum prudenter videntur adſuiſſe. Multos enim hunc articulum peperiſſe errores, ipſe fatetur Mevivs *ad d. Lib. II. tit.* 1. *art.* 12. *n.* 1.

§. CLXXXXII.

Non vbique teſtari fas eſt ſine conſenſu ſuperiorum.

Quin tantum abeſt, vt maiorum teſtamenta heredum inſtitutionem habuerint, vt ne fas quidem fuerit Germanis, proximis agnatis ſpem ſuccedendi vlla ratione interuertere. Atque inde eſſe arbitramur, (7. quod alibi vaſallis ſine dominorum conſenſu teſtari non licet, veluti in Brabantia, Gelria, Hollandia: Zyp. *notit. iur. Belg. pag.* 182. Frid. a Sande *de feud. Gelr. Tract. II. cap.* 2. §. 4. Neostad. *obſ. feud. Dec. I. obſ.* 1. *pag.* 35. alibi (8. ne vlli quidem ciuium ius eſt teſtandi, niſi qui illud

a principe impetrarit. Quale ius in Sleſuicenſi ducatu eſſe, nouimus. *

* Attamen FRIDERICVM, Regem Daniae, d. 21. Ian. 1707. hunc rigorem ita temperaſſe, vt quiſque, liberis orbus, in coniugis ſuperſtitis commodum condito teſtamento poſſit diſponere, ex actis ad ordinem ICtorum tum Viadrinorum, tum Halenſium, ſubinde tranſmiſſis, animaduertimus.

§. CLXXXXIII.

Nec cognatos vbique licet excludere.

Inde eſt porro, (9. quod alicubi teſtatus mori non poteſt, cui ſunt cognati, ſed iis vel totam hereditatem, (veluti vbi valet *ius recadentiae*, *das rückfalls-recht*, e. g. in ducatu Iuliacenſi et Montenſi, nec non in Friſia orientali. HERT. *de colliſ. leg. Sect.* 4. §. 26. *et de fratr. germ. querel. Sect.* 2. §. 12. IVS OSTFRIS. PROVINC. *Lib. II. tit.* 135. 138. 154. 165.) vel (10. partem eius aliquam, veluti in Suecia liberis exſtantibus nouem decimas, reliquis cognatis intra regnum, duas tertias, exteris dimidiam omnium bonorum, ſaluam relinquere, immo ne his quidem, in Succiam migraturis, fundos et praedia adimere poſſit. LOCCEN. *Suec. regni leges ciuil. tit.* 3. *cap.* 19. *pag.* 65. Itemque quod (11. Lubecae in priſtini iuris patrii memoriam lege cautum eſt, vt proximis cognatis ex bonis adquiſitis neceſſario relinqui oporteat *acht ſchillinge vnd vier pfennige.* IVS LVBEC. *Lib. I. tit.* 6. *Art.* 2. *et tit.* 9. *Art.* 2.

§. CLXXXXIIII.

Multoque minus fiſcum.

Quin ex eadem ratione (12. Germani alicubi eos omnes inteſtabiles eſſe volunt, quorum ſibi bona fiſcus vindicat, quales (13. in Hannonia hodienum ſunt peregrini, ex terris trans Scaldin aduentantes, (14. alibi *hageſtolzii*, i. e. qui in caelibatu conſenuerunt, de quibus quae dici poterant, omnia occuparunt diſſertationibus ſuis antirrheticis ill. a LVDEWIG et PAVLI. KRESSIVS: nec non (15. alibi ſpurii. (Lib. I. §. 149.) Addimus, (16. ne puberes quidem omnes, ſicuti iure Romano, teſtamenta condere poſſe, ſed (17. IVS HAMB. *Part. III. tit.* 7. §. 13. itemque IVS PROV. PRVSSICVM *Lib. V. tit.* 1. *art.* 1. §. 4. et ſtatutum Cellenſe apud STRYK. *cautel. teſt. cap.* 3. §. 66. *pag.* 84. octodecim ſaltim annorum, (18. mores Groningenſium non niſi viginti annorum adoleſcentibus ius faciendi teſtamenta indulgere. HVBER. *prael. ad pandect. Lib. I. tit.* 3. *p.* 27.

§. CLXXXXV.

Non valet vbique diſpoſitio de bonis omnibus.

In primis vero ob eamdem rationem cauent leges Germanicae, (19. ne de omnibus promiſcue bonis teſtari fas ſit, ſed (20. alibi bona immobilia excipiuntur, heredibus neceſſario relinquenda, veluti Groningae, HVBER. *ibid.* et Rigae, IVS MVNIC. RIG. *Lib.* III. *tit.* 4. *art.* 4. alibi (21. bona auita, et a parentibus ad teſtatorem profecta, * adeoque (22. tantum de bonis adquiſitis teſtamenta condere permittitur. Quale ius Lubecae, Hamburgi, in ducatu Bremenſi, Dithmarſico, Mindae, Groningae et in Flandria, ſed et alibi paſſim, vigere, patet ex IVR. LVBEC. *Lib. I. Tit.* 10. *art.* 6. IVRE HAMB. *Part. IIII. tit.* 1. *art.* 4. IVRE EQV. BREM. *tit. von ſucceſſion. vnd erbnehmung.* IVRE PROV. DITHM. *art.* 27. STATVTIS MIND. *Lib. II. tit.* 1. *art.* 5. HVBER. *ibid.* Sed et (23. de rebus expeditoriis et vtenſilibus, (*vom heergevvette vnd. gerade*) nec non (24. de portione ſtatutaria, coniugi ſuperſtiti debita, teſtamento contra leges non licere quidquam diſponere, ſatis notum eſt. RICHT. *de ſucceſſ. ab inteſt. Sect. III. Memb. I. n.* 111. et paſſim.

* Hoc et antiquis placuit, et iis maxime gentibus, quae aeque, ac priſci Germani, teſtamenta ex rebus publicis ſuis exſulare voluerunt. Hebraei ſane non patiebantur liberos cognatosue plane a ſucceſſione teſtamentis excludi, ſed id tantum permittebant, vt vnus ex liberis, vel vnus ex cognatis prae reliquis inſtitueretur. SELDEN. *de ſucceſſ. ex legib. Hebr. cap.* 14. Et Lacedaemonii, antequam liberam teſtamentifactionem ciuibus concederet Epitadeus, agros auitos, familiae cuiusque a republica attributos, ad extraneos transferri non patiebantur: atque inde eſt, quod Epitadei inſtitutum acriter perſtringit ARISTOT. *polit. Lib. II. cap.* 9. Recte ſane *Plato de legib. Lib. X'.* ſtatuit, ὑμᾶς οὔτε ὑμῶν, οὔτε τὴν οὐσίαν ταύτην, ξύμπαντος δὲ τοῦ γένους ὑμῶν τοῦ τε ἔμπροσθεν καὶ τοῦ ἔπειτα ἐσομένου. *Non eſſe nos, nec quod ad perſonam, nec quod ad bona, noſtros, ſed gentis ac familiae, praeſentis ac futurae.*

§. CLXXXXVI.

Sollemnitates iuris Romani an hodie vbique obſeruentur?

Quemadmodum porro maiores non omnes ſollemnitates, quas Romani anxia ac miſera diligentia obſeruabant, receperant: (§. 188. 3.) ita (25. et poſteros eas paſſim negligere, animaduertimus, quandoquidem haud pauca ſtatuta vix aliam teſtamentifactionem admittunt, quam quae publica magiſtratus fide nititur, IVS LVBEC. *Lib. II. tit.* 1. *Art.* 2. IVS HAMB. *Part.* III. *tit.* 1. *Art.* 1. *et* 3. IVS COLON. *tit. von Teſtamenten vnd Vermächtniſſen.* STAT. ZITTAV. *tit. von Teſtamenten.* (26. Multis etiam locis, maxime inter ruſticos, ratum eſt teſtamen-

mentum, conditum coram parocho et duobus teſtibus, Hier. Schvrff. *Cent.* 3. *Conſil.* 58. *n.* 9. veluti in Saxonia extra electoratum: Linck. *ad tit.* 10. *de teſtam.* §. 7. vel, (27. adhibitis notario et duobus teſtibus, vti in Belgio. Gvdelin. *iur. nou. Lib.* II. *cap.* 5. Grot. *introd. Lib. II. cap.* 17.

§. CLXXXXVII.

Quum praeterea, quae olim ex legibus Germ. obſeruanda erant in donationibus inter viuos, ea plerumque etiam in teſtamentis obſeruanda exiſtimarint maiores noſtri, (§. 88. 4.) donationes vero et traditiones fieri non poſſent niſi a ſanis et vegetis: (§. 163.) facile intelligitur, (28. cur apud Friſios orientales non valeat teſtamentum aegroti, ſine heredum conſenſu, niſi quod quis ad pias cauſſas aliquid legare poſſit, (*dann den billigen vnd den herren ein Engeliſch marck,*) Ivs Prov. Ostfris. *Lib. II. cap.* 172. *et cap.* 197. *et* 211. Cur (29. idem etiam obſeruetur Groningae. Hvber. *prael. ad pand. Lib. I. tit.* 3. *p.* 27.

Teſtamenta aegrotorum non valent in Friſia orientali.

§. CLXXXXVIII.

Et quemadmodum vigorem corporis argumento aliquo ſeu ſpecimine teſtari tenebantur, qui res ſuas mobiles alteri donare vellent: (§. 163.) ita (30. et iure Colonienſi ſtatuitur de rebus immobilibus: *So wer einig ſein erbe oder erbrenthen, binnen der alten mauren in der ſtadt, vnd auch im ausburger vnd nieder-gericht gelegen, durch teſtament oder vermâchtniſs vergeben oder beſetzen wolte: der ſoll vngehalten oder vngeleitet ſieben fuſs lang gehen, als das von alters gevvôhnlich gevveſt iſt, es vvâre dann, daſs er einige kântliche lâhmde hâtte, darumb er mit ſeinem fuſs nicht gaen kunte, ſonder argeliſt.* Ivs Colon. *tit. von teſtamenten vnd vermâchtn.*

Nec Coloniae.

§. CLXXXXVIIII.

Quemadmodum porro non permittebant leges veteres quidquam inter viuos donari ſine heredum conſenſu: (§. 162.) ita facile reddideris rationem, (31. cur et teſtamento aegrotus alicubi nihil poſſit in alium ſine heredum voluntate transferre. Ivs Prov. Fris. *Lib. II. cap.* 211. Kettl. *deciſ. Oſtfriſ. Cent.* 1. *dec.* 24. *n.* 32. (32. Cur iure Hamburgico et moribus Belgicis vxor non condat teſtamentum, niſi auctore marito. Ivs Hamb. *Part. III. tit.* 1. §. 13. 14. *et* 17. Zyp. *notit. iur. Belg. pag.*

Paſſim requiritur heredum conſenſus.

pag. 182. (33. Cur iure Lubecenſium plane non teſtetur femina, niſi vel mercatrix, vel vidua, cui maritus praemortuus facultatem teſtandi dederit. Ivs Lvbec. *Lib. II. tit.* 1. *art.* 14. *et art.* 10. *

* Vtroque tamen loco obſeruauit Mevivs, id ius tantum intra inclytae Lubecae pomoeria cuſtodiri: Roſtochii vero, Stralſundi, Gryphswaldiae aliiſque in vrbibus, vbi ceteroquin iure Lubecenſium viuitur, feminas quaſcumque et ſine maritorum, curatorum, cognatorumque conſenſu teſtamenta condere. Quod et de ciuitatibus Holſaticis, iure Lubecenſium vtentibus, adfirmat Nic. Gothofr. Stevrnagel *memorab. ſtatut. Lubec. et Hamb. axiom.* 24. *p.* 44.

§. CC.

Regulae teſtamentariae iuris Rom. non vbique receptae.

Poſtremo vti regulas teſtamentarias, iure Romano proditas, non adeo religioſe obſeruarunt maiores noſtri (§. 188. 5.) ita (34. et hodie easdem paſſim negligi animaduertimus a ſtatutorum conditoribus, et in primis (35. axioma illud tritiſſimum: *neminem poſſe pro parte teſtatum, pro parte inteſtatum decedere*, vix locum habere iis locis, vbi de certo tantum bonorum genere teſtamenta condere licet, recte obſeruarunt Gvdelin. *iur. nouiſſ. Lib. I. cap.* 5. Christin. *Vol. I. deciſ.* 51. *n.* 48. et avct. *vſus mod. Dig. Lib. XXVIII. tit.* 5. §. 8.

TIT. VIII.

DE EXHEREDATIONE, SVBSTITVTIONIBVS, ALIISQVE TESTAMENTORVM ACCESSORIIS.

§. CCI.

Tranſitio ad teſtamentorum acceſſoria.

EX iis, quae generatim de teſtamentis diximus, intellectu haud difficile eſt, quid de exheredatione, ſubſtitutionibus, legatis, fideicommiſſis, codicillis, ſtatuerint Germani. Ne tamen quidquam harum rerum plane praetermiſiſſe videamur: de ſingulis quaedam, quae in Germanicarum antiquitatum monimentis notauimus, ſubiiciemus.

§. CCII.

§. CCII.

Exheredatio veteribus Germanis ignota.

Quum TACITI temporibus, ceu ſupra demonſtrauimus, nullum fuerit apud maiores noſtros teſtamentum: (§. 141. *ſequ.*) conſequens eſt, vt et nulla fuerit EXHEREDATIO, quae *κυρίως* id nomen meruerit. Et ſane in tanta ſimplicitate morum, ignota adhuc luxuria, qua adoleſcentum animi vel maxime corrumpuntur, denique *herum minorem et ſeruum nullis educationis deliciis diſcernentibus, et vtriſque inter eadem pecora, in eadem humo degentibus*, teſte TACITO *de mor. Germ. cap.* 20. rariſſime incidiſſe oportet cauſſas, cur exheredes liberos ſcribere vellent. Hinc potius, quod eodem loco monet TACITVS, *heredes ſucceſſoreſque ſui cuique liberi: nullum teſtamentum.*

§. CCIII.

Quamuis licita fuiſſe videatur abdicatio.

Neque tamen dubito, quin ſi cui filius, ad omne ſcelus profligatus, contigerit, patri poteſtas fuerit, hoc monſtrum domo expellendi, abdicandique, ita, vt nullam adipiſcendae ſpem hereditatis habuerit *. Quum enim tale exemplum in matrem adulteram fieri poſſet ex moribus Germanicis: TAC. *ibid. cap.* 19. eccui dubium videatur, quin in liberos eadem ſeueritate animaduertere potuerint? Et quum ius vitae et necis parentibus in liberos competiiſſe, ſupra argumentis haud poenitendis probarim: (*Lib. I.* §. 135.) quis iiſdem facultatem, degeneres abdicandi, domoque expellendi, negauerit?

* Equidem eius rei exemplum adferre non poſſum ex illis temporibus. Id tamen nouimus, Segeſtis filiam, quum alii pacta raptaque inuito patre nupſiſſet Arminio, ita neglectam ab hoc eſſe, vt eam Romanis grauidam ſeruire pateretur. TACIT. *annal. Lib. I. cap.* 57. Nimirum tunc non ridebantur liberorum vitia: nec corrumpere ac corrumpi ſaeculum vocabatur.

§. CCIIII.

Exheredationem tamen receperant Wiſigothi.

Poſtea illae gentes Germanicae, quae extra Germaniam in prouinciis Romanorum ſibi Lares poſuerant, ſicuti Romanae iuuentutis vitiis liberos ſuos paullatim intellexerunt imbui, ita et ſollemnem illos exheredandi conſuetudinem vltro adoptarunt. WISIGOTHI ſane et tertiam bonorum partem, itemque tres dotis maternae quadrantes, liberis, tamquam legitimam deberi, exiſtimarunt, et eoſdem exheredes ſcribi paſſi ſunt, qui parentes verberaſſent vel atrociore adfeciſſent iniuria, vel eis crimen ob-

obieciſſent, LEX WISIG. *Lib. IIII. tit.* 5. §. 1. *et* 2. vel ſi filia ſe adulterio polluiſſet. IBID. *Lib. III. tit.* 4. §. 7.

§. CCV.

Et Langobardi.

Similis fere et LANGOBARDORVM fuit legiſlatio. Nam et hi legitimam debebant liberis, et mater quidem filiae binas tertias, pater filio trientem, vel ſi plures fuerint, ſemiſſem: et liberos exheredes ſcribi nefas habebatur, niſi ob iuſtas cauſſas; quales, quod ad filios attinet, erant, ſi vel vitae parentum ſtruxiſſent inſidias, vel contra eorum ſalutem conſilia iniiſſent, vel eos percuſſiſſent voluntarie, vel inceſtum cum nouerca admiſiſſent: LEX LANGOB. *Lib. II. tit.* 14. §. 12. Contra filias et ſorores exheredare ius erat, *quotieſcumque contra voluntatem patris fratriſue egiſſent. ibid.* §. 23.

§. CCVI.

Nec in reliquis Germ. legibus, nec in iure Saxonico exheredationis fit mentio.

In reliquis Germanorum legibus vel nulla fit exheredationis mentio, vel id vocabulum ſenſu plane alio accipitur. *Exheredes* enim *eſſe* medio aeuo dicebantur omnes, exſortes hereditatis, quamuis illis non deberetur portio legitima. MARCVLF. *Lib. II. form. cap.* 17. CAPITVLAR. *Lib. I. cap.* 115. GREG. TVRON. *hiſt. Lib.* VIIII. *cap.* 20. PITH. *in gloſſar. ad libros capitular. pag.* 720. *edit.* BALVZ. Quin ne medio quidem aeuo quidquam de exheredatione cauet IVS SAXONICVM, * quippe quod ne teſtamentorum quidem vllam facere mentionem, iam ſupra obſeruauimus. (§. 158.)

* Equidem illuſtre exheredationis exemplum exſtare quis exiſtimare poſſet in *hiſt. landgr. thur. ad ann.* 1287. vbi legimus, Albertum Thuringiae Landgrauium, quem Degenerem vocant, *pace* (a Rudolpho Rege Romanorum facta) *non obſtante, dolentem de malis, ſibi a filiis,* (*Fridrico et Dietzmanno*) *illatis, volentemque eos* EXHEREDARE, *vocaſſe filium ſuum Apetz, natum de concubina ſua, Kunnen de Iſenberg, quem legitimari ſibi fecerit poſt obitum dominae Margarethae, et dediſſe praedicto filio ſuo Apetz caſtra, ſcilicet Tanneberk cum aduocatiis ſuis, et plures ciuitates et caſtra daturum fuiſſe, in damnum legitimorum filiorum, ſi domini terrarum et oppida non obſtitiſſent.* Sed facile patet, eadem notione hic ſumi vocabulum exheredare, quam in hoc paragrapho deſcripſimus. Exheredare enim filios conabatur, non per teſtamentum, ſed bona vendendo diſſipandoque.

§. CCVII.

Auctor iuris

At IVS ALAMANNICVM, vti alibi, ita et hic iuris Romani pla-

placita adoptauit. Nam *cap.* 252. docetur, *wie ain chind vater- vnd mutter-erb verwürchent*, atque ſpeculator: *Es mag ain chind vater- vnd mutter-erb verwürkchen mit vierzehen dingen.* Deinde eaedem fere recenſentur cauſſae, quas *Nouella CXV.* expreſſas nouimus, quamuis in quibuſdam male adſequutus IVSTINIANI mentem videatur iuris illius Alamannici conditor. * Alamannici ita deſcripſit ex Nou. 115.

* Sic e.g. cauſſa exheredationis ſecunda illi eſt: *Ob ein ſun ſeinen vater vahet, vnd einſlevvſſet vvider recht, vnd ſtirbt er in vankinuſſe*, additurque ibi: *der ſun hat auch ſein erib tzemal verloren*: quum ſecundum *Nou.* 115. *cap.* 3. §. 8. ſufficiat, ſi filius parentem a quocumque incluſum, fideiuſſione ſua, quum poſſet, non liberarit. Cauſſa quarta illi eſt, *ob ein ſunt ſeinen vater geſchlagen hat an das vvang, oder vvie er in vårlichen geſchlagen hat*, quum ſecundum *Nou.* 115. *cap.* 3. §. 1. ſufficiat, *filium parenti manus intuliſſe*. Cauſſa ſeptima ita explicatur conſuetudo cum maleficis: *Ob der ſun ain diepp vvirt, oder ſus ain poſevvicht mit ſogetanen leben, da ain yeglich mann ſein erb-recht mit verleuſſet, oder ob er vviſſentlichen mit denſelben låvvten vvonet, die daſſelb leben an ihn habent.* Cauſſa octaua illud tantum liberorum delictum vindicat, ſi patrem pro remedio animae diſpoſiturum prohibuerint, addito neſcio cuius ſanctuli teſtimonio, *quia ita parentes ſe a ſempiternis cruciatibus redimere potuiſſent, quod iam non poſſint, quum et velle et nolle deſierint.* Quod ſane dictum vix ſancto homine dignum dixeris. Cauſſa VIIII. mimos et arenarios, de quibus d. *Nouell.* CXV. *cap.* 3. §. 10. agitur, interpretatur *ſpilleuthe, die gut vor ehre nemen.* Praeterea *haereſin*, de qua *d. Nou.* §. 14. inter cauſſas exheredationis plane non refert ſpeculator, eiusque loco cauſſam XIII. allegat: *ob ain ſun ſeinen vater ſein gut mit groſſer unfur mer, dann halbes, vertuet.* Quin eodem capite de exheredatione parentum agens, non modo tres tantum cauſſas ad eam ſufficere ſtatuit, puta inceſtum cum nuru, itemque ſi pater filium captiuum habuerit, vel ſi criminis capitalis eum accuſarit: verum etiam patrem ideo viuum bonis ſuis priuari, eaque filiis cedere, exiſtimat, adeoque et Speculator Alamannus hic exheredationem accipit pro priuatione non modo hereditatis futurae, ſed et bonorum, quae quis in praeſenti poſſidet. (§. 206.)

§. CCVIII.

Quemadmodum itaque exheredatio liberorum non eſt iuris Germanici inuentum, ſed adoptata ex iure Romano in mores Germanorum paullatim iuit: ita multo magis idem dicendum fuerit de SVBSTITVTIONIBVS, quum nec pupillaris, nec vulgaris, nec exemplaris, nec militaris, in vetuſtis aeque, ac medii aeui legibus, vſquam fiat mentio, et Germani ſingulares illas cauſſas, ob quas Romani tanti ſubſtitutiones fecerunt, procul omnino habuerint. * Subſtitutiones Germanis plane ignotae.

* Sine

* Sine herede eſſe ignominioſum videbatur Romanis, veritis, ne ita ſacra priuata interirent. Hinc ſubſtitutio vulgaris. Pupillariter ſubſtituere poterat pater liberis impuberibus, quia per leges 12. Tabularum *legare* poterat *de familia pecuniaque ſuae rei*: quales res patris ex principiis iuris Romani et liberi erant. Haec vero omnia alieniſſima erant a moribus Germanorum. Vti enim Germani illam religionem deorum penatium vel ignorarunt, vel de eius interitu parum fuere ſolliciti: ita pupillarem ſubſtitutionem moribus Germanorum concinnam eſſe, recte negat VINN. *ad* §. 9. *Inſt. de pupill. ſubſt.* n. 2. *Apud Batauos*, inquit, *et Zelandos ſubſtitutioni pupillari locum non eſſe, vtpote quae originem trahat a ſingulari illa Romanorum in liberos poteſtate, quae nobis incognita, tradit* GROTIVS *Lib. I. manud. ad Batau. iuriſpr. cap.* 6. et *Lib. II. cap.* 19. *fin. et ſecundum eum iudicatum eſt. De certo quoque Belgio, (excipienda tamen Friſia,) idem refert* GVDELIN. *Lib. II. de iure nouiſſ. cap.* 5. *ſub fin.*

§. CCVIIII.

Legata et fideicommiſſa prius recepta, quam heredum inſtitutiones.

Tametſi vero LEGATA quoque et FIDEICOMMISSA Romanae originis ſint, nec iis locus eſſe potuerit apud Germanos, rei teſtamentariae plane ignaros: ex iis tamen, quae ſuperiore titulo obſeruauimus, patet, in Germanorum teſtamentis, vbi ſemel illa recepta fuerant, raro occurriſſe heredis inſtitutionem, eoſque ſupremis his tabulis ſuis plerumque non niſi legata quaedam ad pias cauſſas praeſtare iuſſiſſe heredes. (§. 188.) Ex quo ſane conſequitur, vt Germanis multo prius LEGATA et FIDEICOMMISSA, * quam heredum inſtitutiones ac ſubſtitutiones, innotuerint.

* Vt et fideicommiſſi exempla demus, auctor eſt MART. CRVSIVS *annal. Sueu. Part. II. Lib. X. cap. 7. p.* 397. Fridericum, Ratisbonenſem Aduocatum, anno 1147. Hieroſolyma cum Conrado, Rege profecturum, matrem Luikhardam rogaſſe, vt, ſi ipſe in itinere moreretur, praedium ſuum in Brunnen coenobio Admutenſi daret, idque ſic factum eſſe, contradicente licet primum Iuditha, vxore, ac deinde Adelheide, ſorore, Comite Hochinburgenſe, quas tamen monachi, partim oblata plena fraternitate, partim datis XX. talentis Chremſenſis monetae, placarint. Exſtat etiam fideicommiſſum per modum conuentionis inter Ebroinum, Abbatem Bronienſem, et Manaſſem, nobilem virum de Hirge anno 1140. initae conſtitutum apud AVB. MIR. *notit. eccleſ. Belg. cap.* 80. *p.* 689.

§. CCX.

Ergo et codicilli Germanis olim notiores, quam teſtamenta.

Ex eo vero porro conſequitur, vt et CODICILLI prius Germanis innotuerint, quam teſtamenta ſollemnia, quin teſtamenta pleraque Germanorum ſimiliora ſint codicillis, quam Romanorum teſtamentis. Sane THEODORICVS, Rex Oſtrogothorum edi-

Digitized by Google

edicti cap. 28. quamuis legum Romanarum maxime habeat rationem, teſtatoribus tamen dat optionem, quinque an ſeptem velint adhibere teſtes, ingenuos, puberes, in conſpectu teſtatoris, vno tempore, eodem rogante, ſubſcribentes. Quem quinque teſtium numerum probare etiam videmus LEGEM BVRG. *tit.* 60. *§.* 1. Quin iure Langobardico binos teſtes ſufficere, tradit ANDR. DE BARVLO *in leg. Langob. tit.* 32.

§. CCXI.

Concluſiones quaedam iuris Germ. de exheredationibus.

Itaque dubitari nequit, quin (1. EXHEREDATIONES hodie plane ex iuris Romani principiis aeſtimandae ſint, adeoque (2. nullae hic ſupereſſe poſſint iuris Germanici reliquiae, niſi quod (3. non omnes exheredationis cauſſas, quas IVSTINIANVS *Nou. CXV.* expreſſit, vbique admitti, obſeruat SIM. VAN LEEVWEN *cenſ. for. Part. I. Lib. III. cap.* 4. *§.* 23. vbi tradit, in Belgio legibus cautum eſſe, vt ob diuerſitatem religionis nemo exheres ſcribi poſſit, modo ſit Chriſtianus, (add. CARPZ. *Part. III. Conſt.* 14. *defin.* 10.) ſimulque *§.* 19. obſeruat, (4. paſſim admitti exheredationem liberorum ob luxum et prodigalitatem, * rataque eſſe teſtamenta, quibus, pro filiis, ob id vitium exheredatis, nepotes inſtituantur, dummodo illis relinquatur vſusfructus. Vid. IO. A SANDE *Lib. IIII. tit.* 2. *def.* 3. CARPZ. *Part. III. conſt.* 9. *def.* 11.

* Id ex moribus Germanorum antiquis ſupereſſe, ſatis intelligitur ex IVR. ALAM. *cap.* 152. quod numero 13. inter exheredationis cauſſas, omiſſa haereſi, referre prodigalitatem, ſupra oſtendimus. (§. 107. *)

§. CCXII.

De ſubſtitutionibus.

Idem ergo (5. et de SVBSTITVTIONIBVS erit repetendum, quas, vbi receptae ſunt, ex ſolo iure Romano eſſe aeſtimandas, vel inde patet, quod de iis nihil vſquam ſanxerint Germanorum legislatores. Eas tamen (6. non vbique, ſaltim in Belgio, eſſe receptas, iam ſupra oſtendimus, (*§.* 208. *) idque etiam teſtatur SIM. VAN LEEVWEN *cenſur. Belg. Part. I. Lib. III. cap.* 6. *§.* 14. Quin (7. quum patria poteſtas in Germania vtrique parenti ſit communis: (*Lib. I. §.* 138. 4.) non mirum eſt, et matri paſſim permittere leges, vt liberis directe ſubſtituat pupillariter. IVS PROV. WVRTENB. *Part. III. tit.* 12. REF. NORICA *tit.* 30. *§.* 2. *fin.* IVS PROV. PAL. *Part. III. tit.* 10. *§.* 10. REF. FRANCOF. *Part. IIII. tit.* 4. *§.* 5.

§. CCXIII.

De legatis, fideicommiſſis, codicillis.

Denique poſtquam teſtamenta ſemel ciuitate a Germanis donata ſunt, nullum eſt dubium, (8. quin et in LEGATIS, et in CODICILLIS, nihil Germani ſingulare habeant, adeoque, (9. quoties de iis incidit quaeſtio, ad ius Romanum ſit recurrendum, tamquam ad normam aliquam communem: quamuis (10. ob ſtatuta, quibus hereditatis inſtitutio minus neceſſaria iudicatur, nec non ob miram, quam clauſulae codicillari tribuunt, efficaciam, iura teſtamentorum ac codicillorum et hodie paſſim confundi, obſeruent CHRISTIN. *Vol. I. deciſ.* 247. *n.* 8. *deciſ.* 303. *n.* 17. GVDELIN. *iur. nouiſſ. Lib. II. cap.* 5. VINN. *ad* §. *ult. Inſt. de her. inſt. n.* 1. SIM. VAN LEEVW. *cenſ. Part. I. Lib. III. cap.* 2. §. 2.

TIT. VIIII.

DE SVCCESSIONIBVS AB INTESTATO, VEL LEGITIMIS.

§. CCXIIII.

Tranſitio ad ſucceſſiones ab inteſtato.

QVoties nec pactis, nec ſupremis tabulis, de hereditate futura quidquam fuerat cautum: toties leges et mores Germanici ad ſucceſſionem vocabant proximos ſanguine, de qua legitima INTESTATORVM SVCCESSIONE iam erit diſſerendum.

§. CCXV.

Earum duplex principium gentibus placuit.

Quemadmodum vero iam ab aliis obſeruatum eſt, veteres in ſcribendis de hac ſucceſſione legibus partim familiarum, quas opibus florere et conſeruari incolumes, reipublicae intereſſe exiſtimabant, * partim praeſumtae defunctorum voluntatis, rationem habuiſſe: PVFEND. *iur. nat. et gent. Lib. IIII. cap.* 11. §. 1. *et* 8. ita et diuerſarum Germanicarum gentium alias priorem; alias poſteriorem finem ob oculos habuiſſe, res ipſa docet.

* Recte ISOCRATES *in ſociali p.* 350. *Καίτοι χρὴ πόλιν μὲν εὐδαιμονίζειν, μὴ τὴν ἐξ ἁπάντων ἀνθρώπων εἰκῆ πολλοὺς πολίτας ἀθροίζουσαν, ἀλλὰ τὴν τὸ γένος τῶν ἐξ ἀρχῆς τὴν πόλιν οἰκισάντων μᾶλλον τῶν ἄλλων διασώζουσαν. Ea demum ciuitas*

felix eſt habenda, non quae e promiſcua hominum colluuie multos ciues temere colligit, ſed, quae antiquiſſimas et primas familias maxime conſeruat.

§. CCXVI.

Qualis haec ſucceſſio temporibus Taciti?

Quae antiquiſſimis temporibus fuerit ſuccedendi ratio, ſatis diligenter prodidit TACITVS *de mor. Germ. cap.* 20. *Heredes ſucceſſoreſque ſui cuique liberi: nullum teſtamentum. Si liberi non ſunt, proximus gradus in ſucceſſione fratres, patrui, auunculi.* Ex quo loco iam colligimus, I. veteres Germanos eoſdem habuiſſe ſucceſſionis gradus, quos Romanum ius inculcat, puta DESCENDENTIVM, ADSCENDENTIVM, * et COLLATERALIVM: II. Eos non tam familiarum habuiſſe rationem, quam praeſumtae defuncti voluntatis, ſiquidem eos vna cum patruis auunculos etiam admiſiſſe, animaduertimus.

* Quamuis enim TACITVS non meminerit adſcendentium, fortaſſis quod, non niſi turbato naturae ordine, huic ſucceſſioni locus ſit: vix tamen dubitaturum quemquam arbitror, quin, quum patruos et auunculos ad hereditatem vocarint Germani, multo minus parentes excluſos voluerint, maxime quum, graduum eos habuiſſe rationem, non obſcure innuat TACITVS. Accedit, quod medio aeuo, vti paulo poſt patebit, leges Germanorum omnes parentes ad luctuoſam liberorum hereditatem admitterent. Poſteris vero diligentiſſimam priſci moris patrii manſiſſe cuſtodiam, ſupra iam non ſemel obſeruauimus.

I. DE SVCCESSIONE DESCENDENTIVM.

§. CCXVII.

Gentes Germanicae aliae liberos vtriuſque ſexus promiſcue ad hereditatem parentum vocabant, aliae filios, non filias.

Quod ad ſucceſſionem DESCENDENTIVM attinet, in eo gentibus origine Germanicis hactenus omnia conuenerunt, quod liberis ante alios omnes paterna hereditas deberetur, quippe quibus ipſa lex ſempiterna, quam ratio vniuerſo generi humano praeſcripſit, hereditatem videretur deſtinaſſe. Mirus ſane ea in re legum Germanicarum conſenſus eſt, quamuis aliae ſolos filios, aliae et filias cum filiis, aliae has, non niſi deficientibus filiis, ad ſucceſſionem admiſerint.

§. CCXVIII.

Apud Wiſigothos filiae

Nihil diſcriminis inter filios filiaſque ſtatuebant WISIGOTHI, *IIII.* 2. 1. apud quos *feminae ad hereditatem patris vel matris, auorum vel auiarum, tam paternorum, quam maternorum, ad hereditatem fratrum vel ſororum, ſiue ad hereditates, quae a patruo*

§. CCXIII.

De legatis, fideicommiſſis, codicillis.

Denique poſtquam teſtamenta ſemel ciuitate a Germanis donata ſunt, nullum eſt dubium, (8. quin et in LEGATIS, et in CODICILLIS, nihil Germani ſingulare habeant, adeoque, (9. quoties de iis incidit quaeſtio, ad ius Romanum ſit recurrendum, tamquam ad normam aliquam communem: quamuis (10. ob ſtatuta, quibus hereditatis inſtitutio minus neceſſaria iudicatur, nec non ob miram, quam clauſulae codicillari tribuunt, efficaciam, iura teſtamentorum ac codicillorum et hodie paſſim confundi, obſeruent CHRISTIN. *Vol. I. deciſ.* 247. *n.* 8. *deciſ.* 303. *n.* 17. GVDELIN. *iur. nouiſſ. Lib. II. cap.* 5. VINN. *ad* §. *vlt. Inſt. de her. inſt. n.* 1. SIM. VAN LEEVW. *cenſ. Part. I. Lib. III. cap.* 2. §. 2.

TIT. VIIII.

DE SVCCESSIONIBVS AB INTESTATO, VEL LEGITIMIS.

§. CCXIIII.

Tranſitio ad ſucceſſiones ab inteſtato.

QVoties nec pactis, nec ſupremis tabulis, de hereditate futura quidquam fuerat cautum: toties leges et mores Germanici ad ſucceſſionem vocabant proximos ſanguine, de qua legitima INTESTATORVM SVCCESSIONE iam erit diſſerendum.

§. CCXV.

Earum duplex principium gentibus placuit.

Quemadmodum vero iam ab aliis obſeruatum eſt, veteres in ſcribendis de hac ſucceſſione legibus partim familiarum, quas opibus florere et conſeruari incolumes, reipublicae intereſſe exiſtimabant, * partim praeſumtae defunctorum voluntatis, rationem habuiſſe: PVFEND. *iur. nat. et gent. Lib. IIII. cap.* 11. §. 1. *et* 8. ita et diuerſarum Germanicarum gentium alias priorem; alias poſteriorem finem ob oculos habuiſſe, res ipſa docet.

* Recte ISOCRATES *in ſociali p.* 350. Καίτοι χρὴ πόλιν μὲν ἐυδαιμονίζειν, μὴ τὴν ἐξ ἁπάντων ἀνθρώπων εἰκῇ πολλοὺς πολίτας ἀθροίζουσαν, ἀλλὰ τὴν τὸ γένος τὸ ἐξ ἀρχῆς τῶν τὴν πόλιν οἰκισάντων μᾶλλον τῶν ἄλλων διασώζουσαν. *Ea demum ciuitas* felix

felix eſt habenda, non quae e promiſcua hominum colluuie multos ciues temere colligit, ſed, quae antiquiſſimas et primas familias maxime conſeruat.

§. CCXVI.

Qualis haec ſucceſſio temporibus Taciti?

Quae antiquiſſimis temporibus fuerit ſuccedendi ratio, ſatis diligenter prodidit TACITVS *de mor. Germ. cap.* 20. *Heredes ſucceſſoreſque ſui cuique liberi: nullum teſtamentum. Si liberi non ſunt, proximus gradus in ſucceſſione fratres, patrui, auunculi.* Ex quo loco iam colligimus, I. veteres Germanos eoſdem habuiſſe ſucceſſionis gradus, quos Romanum ius inculcat, puta DESCENDENTIVM, ADSCENDENTIVM, * et COLLATERALIVM: II. Eos non tam familiarum habuiſſe rationem, quam praeſumtae defuncti voluntatis, ſiquidem eos vna cum patruis auunculos etiam admiſiſſe, animaduertimus.

* Quamuis enim TACITVS non meminerit adſcendentium, fortaſſis quod, non niſi turbato naturae ordine, huic ſucceſſioni locus ſit: vix tamen dubitaturum quemquam arbitror, quin, quum patruos et auunculos ad hereditatem vocarint Germani, multo minus parentes excluſos voluerint, maxime quum, graduum eos habuiſſe rationem, non obſcure innuat TACITVS. Accedit, quod medio aeuo, vti paulo poſt patebit, leges Germanorum omnes parentes ad luctuoſam liberorum hereditatem admitterent. Poſteris vero diligentiſſimam priſci moris patrii manſiſſe cuſtodiam, ſupra iam non ſemel obſeruauimus.

I. DE SVCCESSIONE DESCENDENTIVM.

§. CCXVII.

Gentes Germanicae aliae liberos vtriuſque ſexus promiſcue ad hereditatem parentum vocabant, aliae filios, non filias.

Quod ad ſucceſſionem DESCENDENTIVM attinet, in eo gentibus origine Germanicis hactenus omnia conuenerunt, quod liberis ante alios omnes paterna hereditas deberetur, quippe quibus ipſa lex ſempiterna, quam ratio vniuerſo generi humano praeſcripſit, hereditatem videretur deſtinaſſe. Mirus ſane ea in re legum Germanicarum conſenſus eſt, quamuis aliae ſolos filios, aliae et filias cum filiis, aliae has, non niſi deficientibus filiis, ad ſucceſſionem admiſerint.

§. CCXVIII.

Apud Wiſigothos filiae ad

Nihil diſcriminis inter filios filiasque ſtatuebant WISIGOTHI, *IIII.* 2. 1. apud quos *feminae ad hereditatem patris vel matris, auorum vel auiarum, tam paternorum, quam maternorum, ad hereditatem fratrum vel ſororum, ſiue ad hereditates, quae a patruo*

cum filiis ſuccedebant. *truo vel filio patrui, fratris etiam filio, vel ſororis, relinquebantur, aequaliter cum fratribus veniebant, quia iuſtum omnino videbatur, vt, quos propinquitas naturae conſociarit, non diuideret hereditariae ordo ſucceſſionis.* LEX WISIG. *Lib. IIII. Tit.* 2. §. 9. Aſt id fortaſſis a Romanis didicerint Wiſigothi. Neque enim, quod mireris, vlla alia lex Germanorum ea in re cum Wiſigothica conuenit. *

* Immo et pleraſque alias gentes, etiam orientales, filios in ſucceſſione paterna filiabus praetuliſſe, ſatis conſtat, idque ex inſtituto luculenter probauit IAC. PERIZON. *diſſ. de lege Vocon. p.* 109. *ſequ.* vbi et Hebraeos, Chaldaeos, Arabes, Armenios, Graecos, filias, exſortes hereditatis, ſola dote contentas eſſe voluiſſe, quin et eas aliquando ſine dote aliis vendidiſſe, oſtendit. Idem ergo et Germanis, quorum ex oriente origo fuit, placuiſſe, nemo, credo, mirabitur.

§. CCXVIIII.

Ex lege Salica nec in terra Salica ſuccedebant. Potius reliquae gentes omnes vel filias plane non admittunt, vel nonniſi deficientibus fratribus, vel ſaltim ad immobilia non vocant. Ex LEGE SALICA, *Tit.* 62. §. 1. mortuo aliquo ſine filiis, * pater materue praeferebatur, vel his non exſtantibus fratres et ſorores. Ex quo nonnulli colligunt, filiarum nullam habitam eſſe rationem. Sed quum in vlteriore gradu admittantur mater, ſorores, amitae, materterae: *ibid.* §. 2. 3. 4. quis crediderit, filias plane eſſe a ſucceſſione excluſas? Accedit, quod *ibid.* §. 6. tantum de terra Salica (§. 14.) cauetur: *De terra Salica nulla portio hereditatis mulieri veniat, ſed ad virilem ſexum tota terrae hereditas perueniat.* Vnde conſequi videtur, vt in reliqua bona allodialia et filiae potuerint ſuccedere, ſaltim in ſubſidium, puta ſi filii non exſtiterint.

* Itaque *ſine filiis* hic idem eſt, ac *ſine liberis.* Recte id vidit ECCARDVS *in notis. p.* 106. FILII *vox hic pro liberis, filiis nempe et filiabus, ponitur. Et* LEX RIPVARIORVM *verba: ſi quis* FILIOS *non dimiſerit, ita profert: ſi quis abſque* LIBERIS *defunctus fuerit. Filiae enim omnino, filiis non exſiſtentibus, allodiorum heredes erant, exceptis ſaltim terris ad domum ſiue curtem defuncti pertinentibus,* (ita ipſe deſcribit terras Salicas: vid. §. 14. * *quae maſculis ſolum obueniebant.*

§. CCXX.

Nec in reliquo allodio niſi deficientibus filiis. Itaque ex lege SALICA (1. filii praecipuam habebant terram Salicam, cuius incapaces erant feminae, (2. iidemque et in allodiis filiabus praeferebantur, niſi pater his ſpeciatim proſpe-

ſpexiſſet. MARCVLF. *formul. Lib. II. cap.* 12. *Dulciſſima filia mea illa; ego ille. Diuturna, ſed impia, inter nos conſuetudo tenetur, vt de terra paterna ſorores cum fratribus portionem non habeant. Sed ego, perpendens hanc impietatem, ſicut mihi a Deo aequaliter donati eſtis filii, ita et a me ſitis aequaliter diligendi, et ad res meas poſt meum diſceſſum aequaliter gratuletis.* Conf. MARCVLFI *adpend. cap.* 49. vbi huius Salicae legis, filias excludentis, diſerte fit mentio. Denique (3. non exſtantibus filiis, filias allodium paternum ex legibus Francorum cepiſſe, permultis exemplis conſtat. *

* In TRADIT. FVLD. *Lib. II. cap.* 41. p. 563. Emhildis, Abbatiſſa, Fuldenſibus donat *propriae hereditatis ſuae terram, in diuerſis videlicet locis, tam de paterno, quam de materno, iure ad ſe pertinentem.* Et IOANNES PAPA VIII. Boſonis et Engeltrudis filiabus reſtitui iubet parentum allodia. Sic et traditio *propriae hereditatis* Hrodburgae cuiusdam exſtat in iiſdem TRADIT. FVLD. *Lib. II. cap.* 50. *p.* 568. vt alia huius generis exempla iam praetermittamus.

§. CCXXI.

Similis per omnia fuiſſe videtur LEX RIPVARIA, quae *tit.* 16. §. 1. tum demum, *ſi abſque liberis quis defunctus fuerit*, parentes, alioſque agnatos cognatoſque, ad ſucceſſionem vocat. At ne quis tamen exiſtimet, liberos ſine diſcrimine ſexus paternam maternamque hereditatem aequa lance diuidere: ſtatim additur §. 3. *Sed dum virilis ſexus exſtiterit, femina in hereditatem auiaticam non ſuccedat.* Ex quo porro conſequitur, vt nihil obſtiterit, quo minus in bonis adquiſitis partem aliquam cum fratribus accipere potuerit.

Idem et ex lege Ripuaria obtinebat,

§. CCXXII.

Sed et BVRGVNDIONIBVS familiarum opes adeo curae cordique fuerunt, vt filias non magis, quam Franci, ad hereditates parentum admitterent. Nam in LEGE eorum *tit.* 14. §. 1. legimus: *Inter* BVRGVNDIONES *id volumus cuſtodiri, vt, ſi quis filium non reliquerit, in loco filii filia in patris matriſque hereditate ſuccedat.* Non aliter IVS LANGOBARDICVM *Lib. II. tit.* 14. §. 19. *Si quis Langobardus ſine filiis legitimis maſculinis mortuus fuerit, et filiam dereliquerit vnam aut plures legitimas, ipſae in omnem hereditatem patris vel matris ſuae, tamquam filii legitimi, maſculini heredes, ſuccedant.* Itaque et hi maſculos feminis ſemper in hereditate praeferebant. *

Nec non apud Burgundiones et Langobardos.

* Rem omnem eleganter deſcripſit Andr. de Barvlo in *Langob. leg. tit.* 14. *Item ſi quis, vel ſi qua decedat, filio maſculo relicto, et femina: excluditur femina per maſculum, et frater debet eam maritare* (id eſt, dote data elocare.) *Immo plus: ſi decedat quis, relicta filia et nepote, vel nepte ex filio praemortuo: nepos vel neptis, quae repraeſentat perſonam patris, excludit amitam, ſed tenetur eam maritare, ſicut teneretur pater ipſius nepotis vel neptis, ſi viueret, ſecus ac iure Romano.*

§. CCXXIII.

Itemque apud Saxones, Ita praeter Wisigothos omnes gentes Germanicae, quae extra Germaniam nouas ſibi ſedes quaeſiuerant, filias, exſtantibus filiis, hereditatis paternae maternaeque exſortes eſſe voluerunt. Nec mitiores filiabus erant Saxones, quorum lege *tit.* 7. §. 1. diſerte cauetur, *vt pater aut mater defuncti, filio, non filiae, hereditatem relinquant.* Quin vt filiabus praeferatur nepos ex filio praemortuo, *ibidem* §. 6. ſancitur. Hinc eo tantum caſu, quo *defunctus non filios, ſed filias, reliquiſſet,* * *ad eas omnis hereditas pertinebat, tutela vero earum fratri vel proximo paterni generis, deferebatur,* vti eſt *ibid.* §. 4.

* *Reliquiſſet,* ait lex, quia filii praemortui filias non excludebant, ſi ex illis nepos non exſtaret. Hinc inter traditiones Werthinenses *cap.* 20. apud Leibnit. *ſcript. rer. Brunſu. Tom. I. p.* 108. eſt traditio Folcradae, hereditatem ſuam vendentis monaſterio Wertinenſi, quum tamen ſe vocet *germanam ſororem quondam Hemmingi exactoris.* Patrem ergo iſte fortaſſis ſuperſtitem habuerit, filio ex ſe non relicto. Sed multo clarior eſt locus ex vita Livtbirgis apud Eccard. *hiſt. princ. Sax. geneal. cap.* 1. *p.* 525. *Is praedictus Heſſi, maſculae prolis carens, vnico, quem habuerat filium, in adoleſcentiae flore defuncto, filiabus locupletem dimiſit ſubſtantiam.*

§. CCXXIIII.

Anglios et Werinos, Non abſimilis eſt lex Angl. et Werinorvm, quae *tit.* 6. §. 1. et ipſa praecipit, *vt hereditatem defuncti filius, non filia, ſuſcipiat*: at in eo diſcedit a Saxonica, quod, ne deficiente quidem filio, filiam ad bona immobilia parentum vocat. Statim enim addit: *Si filium non habuit, qui defunctus eſt: ad filiam pecunia et mancipia; terra vero ad proximum paternae generationis conſanguineum pertineat.* Id quoque ſingulare eſt, quod *ad quem hereditas terrae perueniebat, ad illum et veſtis bellica, id eſt, lorica, et vltio proximi, et ſolutio leudis pertineret,* filia vero ex materna hereditate ne mancipia quidem et pecuniam, nedum fundos, cum fratre diuideret, ſed contenta eſſe iuberetur *ſpoliis colli, id eſt, murenis, nuſcis,* (id eſt, fibulis)

bulis) *monilibus, inauribus, veſtibus, armillis, vel quidquid mater ornamenti proprii videretur habuiſſe* *.

* Hoc antiquiſſimum eſt rerum expeditoriarum et vtenſilium, (*des heergewettes vnd der gerade*) veſtigium, ex eoque loco patet, illas filios et agnatos, has filias praecipuas habuiſſe. Fallitur itaque GOBELINVS PERS. *coſmodr. Aet. 6. cap.* 47. dum de Henrico Aucupe ſcribit: *Et mandauit, quod ſenior inter fratres quotcunque deberet eſſe in exercitu Regis, et propter hoc ipſe ſolus tolleret patris exuuias, inter quas arma maxime reputabantur.* Et inde vulgo HEREVVEDE *adhuc nominantur.* Quamuis enim ſimilia habeat BOTHO *in chron. pict. Brunſu. ad ann.* DCCCCVII. *De keyſer ſatte, dat de öldeſte ſone ſcholde in dat here varen, vnde ſatte, dat de herevvede ſcholde vallen an den öldeſten ſone, effte an den negeſte mach van der ſchvverdhaluen, da vvart do eyn recht to voren*: antiquiorem tamen hunc morem inter gentes Germanicas eſſe, ex hac lege ſatis manifeſtum eſſe videtur. Si quid ergo veri ineſt: Henricum Aucupem hunc morem, iam antea aliis gentibus originis Germanicae receptum, in Saxoniam inuexiſſe oportet, idque et indicare videntur verba BOTHONIS: *Dat vvar do eyn Recht to voren.*

§. CCXXV.

Apud ALAMANNOS quoque filios, mortuo patre, hereditatem aequa lance diuiſiſſe, patet ex LEG. ALAM. *tit.* 88. *Si qui fratres poſt mortem patris eorum aliquanti fuerint, diuidant portionem patris eorum*: Filiae tum demum hereditatem paternam cernebant, ſi et filius non exſtaret, et ipſae eiuſdem conditionis viris nupſiſſent, alias nullam fundorum partem habiturae. Ita enim lege eadem praecipitur *tit.* 57: *Si duae ſorores, abſque fratre relictae, poſt mortem patris fuerint, et ad ipſas paterna hereditas pertingat, et vna nupſerit ſibi coaequali libero, alia autem nupſerit aut colono regis, aut colono eccleſiae: illa, quae illi libero nupſit ſibi coaequali, teneat terram patris eorum, res autem alias aequaliter diuidant.* Alamannos

§. CCXXVI.

De BAIVVARIIS idem dicere non vereor. Filias enim, exſtantibus filiis, in partem non veniſſe, patet ex LEGE BAIVV. *tit.* 14. *cap.* 8. §. 1. quae cauet, vt *fratres hereditatem patris aequaliter diuidant*, et ſi plures vxores duxiſſet pater, quiſque filiorum matris ſuae hereditatem praecipiat. Nec tamen filias penitus exſortes fuiſſe hereditatis paternae, colligimus ex §. 2. vbi tum demum vxor, marito ſuperſtes, vniuerſam eius hereditatem capere dicitur, *ſi nec filios, nec* FILIAS, *nec nepotes, nec pronepotes, nec vllum de propinquis habuerit.* Itaque et BAIVVARIOS filias, deficientibus filiis, ad hereditatem paternam admiſiſſe, vix videtur dubitandum. et Baiuuarios

§. CCXXVII.

§. CCXXVII.

An et illegitimi ſucceſſerint?

Quamuis itaque omnium paene gentium Germanicarum leges maxima praerogatiua donent filios: nulli tamen eo beneficio digni videbantur, praeter legitimos, et ex iuſto atque aequali matrimonio natos. LEX BAIVVARIOR. *ibid.* §. 2. ne ex ancilla quidem natos cum fratribus in partem venire patitur, niſi hi eis per miſericordiam aliquid dederint, eamque in rem adducit illa MOYSIS: *Non enim erit heres filius ancillae cum filio liberae. Gen. XXI.* 10. LANGOBARDI tamen apud quos frequentior erat concubinatus, aliquam hereditatis partem et filiis naturalibus deberi, putabant. *

* Quamuis enim nati ex illicito matrimonio nihil caperent, niſi quod eis fratres, ex iuſtis nuptiis nati, *voluntaris darent*: LEX LANGOB. *Lib. II. tit.* 8. §. 6. aliud tamen placebat de filiis naturalibus, qui concurrentes cum vno legitimo, tertiam; cum duobus, quintam; cum tribus, ſeptimam; cum quatuor, nonam; cum quinque, duodecimam; cum ſex tertiam decimam partem capiebant, *Lib. II. tit.* 14. §. 2. ita vt ne patri quidem fas eſſet, eos aequiparandi fratribus legitimis, niſi hi iam duodecim annorum conſenſerint. *ibid.* §. 3. Non exſtante filio legitimo ſed filia vna, haec cum fratribus naturalibus et reliquis cognatis hereditatem ita diuidebat, vt ſinguli trientem acciperent. Sin duae pluresue filiae legitimae eſſent, et vnus pluresue filii naturales, et alii cognati: filiae ſemiſſem capiebant, naturales trientem, reliqui cognati ſextantem. Hos aliosque eiusdem generis caſus habes in LEGE LANGOB. *Lib. II. tit.* 14. §. 6. *et ſequ.*

§. CCXXVIII.

Quid apud Francos?

Non dubito, quin et FRANCI liberos, ex concubinis natos, hereditatis paternae exſortes eſſe voluerint, (praeterquam quod Merouingici reges, in vagam venerem procliuiores, illegitimos perinde, ac ex iuſtis nuptiis natos, non modo hereditatis, ſed et regni capaces habebant, ceu ſupra (*Lib. I.* §. 147.) docuimus. Saltim Caroli M. liberi naturales nullam paternae hereditatis partem ceperunt. Et exſtant formulae veteres, quibus illegitimis liberis proſpexerunt Franci, quippe alioquin ſibi non ſucceſſuris. MARCVLF. *adpend. cap.* 47. *pag.* 461. *et capitul.* 12. *p.* 464. *ed.* BALVZ.

§. CCXXVIIII.

Iuri repraeſentationis locus fuit apud Wi-

In primis vero quaeſtio eſt, an, concurrentibus filiis et nepotibus, locus fuerit iuri repraeſentationis? Apud WISIGOTHOS ſane illi initio non fuit locus. *In hereditate* enim *illius, qui moriebatur, ſi inteſtatus deceſſiſſet, filii primi erant. Si filii deerant, nepoti-*

Digitized by Google

nepotibus debebatur hereditas, ſi nec nepotes eſſent, pronepotes ad hereditatem vocabantur. LEX WISIG. *Lib. IIII. tit.* 2. §. 1. Poſtea tamen hoc ius introduxit Childeſwinthus, Rex, vti patet ex *Lib. IIII. tit.* 5. §. 4. Apud Francos quoque hoc ius repraeſentationis primus lege ſtabiliuit CHILDEBERTVS, cuius *in decretione cap.* 1. legimus: *Ita, Deo auxiliante, Antonico Kal. Mart. anno* 20. *regni noſtri conuenit, vt nepotes ex filio vel ex filia ad auiaticas res cum auunculis ſic venirent in hereditatem, tamquam ſi pater aut mater viui fuiſſent. De illis tamen nepotibus iſtud placuit obſeruari, qui de filio vel filia naſcuntur, non qui de fratre* *.

(Wiſigothos et Francos.)

* Itaque Franci aeque, ac hodie Saxones, ignorabant ius repraeſentationis in linea collaterali, quamuis in linea recta inter deſcendentes ei locum eſſe vellent. Quin ante Childeberti tempora ignotum hoc ius repraeſentationis fuiſſe videtur ipſis Francis. Vnde nec in Salica, nec in Ripuariorum lege, huiusmodi quid legeris.

§. CCXXX.

Progredimur ad LANGOBARDOS, quos ipſos quoque ius repraeſentationis inter deſcendentes recepiſſe, luculenter probatur EX LEGE eorum *Lib. II. tit.* 14. §. 18. quae ita praecipit: *Si quis habuerit filios legitimos vnum aut plures, et contigerit, vnum ex his, viuente patre, mori, vt dereliquerit filios legitimos vnum aut plures, et contigerit auum mori, talem partem percipiant de ſubſtantia aui ſui vna cum patruis ſuis, qualem pater eorum inter fratres ſuos percepturus erat, ſi viuus fuiſſet.* Conf. ANDR. DE BARVLO *in Langob. leg. tit.* 14. vbi, et apud Langobardos huic iuri repraeſentationis in linea collaterali non eſſe locum, obſeruat.

Itemque apud Langobardos.

§. CCXXXI.

Reliquae Germanorum, quae exſtant, leges, ius repraeſentationis ignorant. Quamuis enim LEGE SAXONVM *tit.* 6. §. 6. caueatur, *ſi quis filium aut filiam habuerit, et filius, vxore ducta, filium genuerit, et mortuus fuerit, vt hereditas patris ad filium filii; id eſt, ad nepotem, non ad filiam, pertineat*: id tamen ius repraeſentationis, tantum nepote cum filia concurrente, locum habebat. An vero et nepotes vna cum filiis admittendi ſint, multo poſt dubitaſſe Saxones, tam certum eſt, quam quod certiſſimum *.

Reliquis Germanis diu ignotum ius repraeſentationis.

* No-

* Notiſſimus enim eſt locus Witichindi *annal. Lib. II. p. 644. De legum quoque varietate* [tempore Ottonis M.] *facta eſt contentio, fuereque, qui dicerent, quia filii filiorum non deberent computari inter filios, hereditatemque legitime cum filiis ſortiri, ſi forte patres eorum obiiſſent, auis ſuperſtitibus. Vnde exiit edictum a rege, vt vniuerſalis populi conuentio fieret apud villam, quae dicitur Stela, factumque eſt, vt cauſſa inter arbitros iudicaretur debere examinari: Rex autem, meliori conſilio vſus, noluit, viros nobiles ac ſenes populi inhoneſte tractari, ſed magis rem inter gladiatores decerni iuſſit. Vicit igitur pars, qui filios filiorum computabant inter filios, et firmatum eſt, vt aequaliter cum patruis hereditatem diuiderent, pacto ſempiterno.* Idem refert Sigeb. Gembl. *ad ann. DCCCCXXXXII.*

§. CCXXXII.

Medio aeuo paullatim mutata ſunt iura antiqua.

Tale ergo fuit ius vetus Germanicum, quod ad ſucceſſionem deſcendentium attinet. Enimuero quum illud iam Marculfi temporibus impium atque iniquiſſimum quibuſdam viſum eſſet: (§§. 220.) non mirum eſt, Germanos mores iſtos paullatim migraſſe, eatenus, vt et filiae cum filiis in allodio, (non tamen in bonis Salicis, et ad familiae dignitatem tuendam pertinentibus,) admitterentur, et nepotes neptesſque gauderent iure repraeſentationis.

§. CCXXXIII.

Attamen et iure Saxonico filii filiabus praeferebantur.

Et iure quidem Saxonico nondum filias cum filiis ad ſucceſſionem vocari, ſed, deficientibus demum filiis, eis ius ſuccedendi concedi, animaduertimus. Ivs Prov. Sax. *Lib. I. art.* 17. *Vaters vnd mutters ſchweſter, oder bruders erbe nimpt der ſohn, vnd nicht die tochter, es ſey dann, daſs da kein ſohn ſey, ſo nimpts die tochter.* Filiae tamen ex materna hereditate debebantur res vtenſiles, (*die gerade,*) ſi illa nondum elocata eſſet. Domo enim iam enupta in partem geradae non veniebat. *Die tochter, ſo in dem hauſſe geblieben iſt, vnausgegeben, theilt nicht ihrer mutter gerade mit der ſchweſter, die ausgeradet vnd vergeben iſt. Was ihnen aber an erbe anſtirbt, das müſſen ſie mit einander gleich theilen.* Ibid. *art.* 5. *

* Hinc iure mireris, vulgo ſcribere doctores Saxonicos, etiam qui ex inſtituto iura Romanorum ac Saxonum inter ſe contendunt, iure Saxonico non eſſe immutatam aequalem filiorum filiarumque ſucceſſionem, iure ciuili proditam, niſi quod filiis res expeditoriae, filiabus vtenſiles debeantur. Fachs *diff. iur. ciu. et Sax. XXI.* Multoque magis mireris, gloſſae Latinae auctorem adfirmare, correctum hoc eſſe per textum ivr. Prov. *Lib. I. art.* 27. cuius verba ita ſe habent: *Ein iegtich weib vererbt zweyerley, ihr geradt auf ihre nächſte niftel, ſo ihr von weibes halben zugehörig iſt, vnd das*

erb

Digitized by Google

erb auf den nächſten freund, es ſey mann oder vveib. Verba enim haec ad ſucceſſionem collateralium pertinere, res ipſa docet. Satis vero conſtat, vltra fraternam et ſororiam hereditatem, non amplius maſculis poſtponi feminas, ſed has hereditatem cum illis pari iure cernere. Et id ſibi volunt verba SPECVLATORIS *Lib. I. art.* 17. *Wenn ſich aber ein erbe verſchvveſtert oder verbrüdert* (Gloſſa: *quando quis poſt ſe non relinquit fratres vel ſorores ex vtroque parente,*) *alle die ſich gleich nahe zu der ſippe ziehen mögen, die nehmen gleichen theil daran, es ſey mann oder vveib.*

§. CCXXXIIII.

Si ergo (1. duo eſſent fratres, maior diuidebat hereditatem; minor portionem alterutram eligebat. IVS PROV. SAX. *Lib. III. cap.* 29. (2. Sin plures, ſinguli ſuccedebant in capita, ceſſante hoc maioris vel minoris iure, niſi quod IVRE WEICHB. *art.* 26. etiam eo caſu, quo tres filii hereditatem cernunt, regula iſta obtinere dicitur (3. Praemortuo vno ex fratribus, nepotibuſque ex eo ſuperſtitibus, hi in ſtirpem ſuccedunt, iure repraeſentationis. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 5. (4. Filiae exſortes erant hereditatis parentum, niſi filii deficerent. * Tunc enim et ipſae ſuccedebant in capita. IVS PROV. *Lib. I. art.* 17. (5. Nec tamen eo iure repraeſentationis vtebantur nepotes neptesque ex filia: *Dieſes mag den tochter kindern nicht geſchehen, daſs ſie theil nehmen mit der tochter, in des eltervaters oder der eltermutter erbe.* IBID. *Lib. I. art.* 5. Qualis iure Sax. ſit ſucceſſio deſcendentium?

* Excepto vno caſu, ſi filia concurreret cum fratre vnico clerico. REPKOVIVS *Lib. I. art.* 5. *Wo die frau keinen bruder mehr hat, als den einigen pfaffen, ſo nimmt ſie mit gleichen theil durchaus an erbe, vnd an der gerade.*

§. CCXXXV.

Attamen (6. ad maternam non magis, quam paternam, hereditatem vocabantur liberi illegitimi. Quamuis enim alioquin iure ciuili ſpurius in perſona matris non intelligitur, et hinc matri aeque ſuccedat, ac illegitimus §. 3. *Inſt. de SC. Orphit.* multo aliter tamen philoſophatur REPKOVIVS *Lib. I. art.* 51. *Man ſagt, daſs kein kind ſeiner mutter kebs-kind ſey. Das iſt doch nicht.* Praeterea (7. filii ſeparati hereditatem parentum non niſi ea lege cernebant, vt, quae antea accepiſſent a parentibus, ea in commune conferrent. * IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 13. An ſpurii et illegitimi etiam ſucceſſerint, itemque liberi ſeparati?

* Verba Speculatoris ſunt: *Sundert der vater vnd die mutter einen ihrer ſöhn oder döchter von ihm mit ihrem gut, ſie ſondern ſich mit der koſt, oder nicht, vvollen ſie nach vaters, oder mutter tod ihr erbtheil vvieder anſprechen, der bruder*

gegen den bruder, oder die benannete tochter gegen der vnausgeſtattenen ſchvveſter: ſie müſſen in die theilung vvieder einbringen, mit ihrem eid alles das gut, da ſie mit abgeſundert vvaren, ob es fahrende habe iſt, ſonder gerade. Quemadmodum vero res vtenſiles non conſerebat filia domo enupta: ita nec res expeditorias filius, quas a viuo patre acceperat. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 10. Vnde magno conatu maximas agunt nugas, qui id ius ex priuilegio peculii caſtrenſis deriuant, et ſpeciatim ex *l. 4. C. famil. erciſc.* vti ZOBEL. *diff. iur. Rom. et Sax. Part. III. Diff. XV. n.* 1.

§. CCXXXVI.

Filii quidam hereditatis incapaces.

Quamuis vero (8. filiis prae filiabus cederet paterna maternaque hereditas: erant tamen, qui eius plane exſortes habebantur. Sane (9. nec feudalis nec allodialis hereditatis capaces erant hermaphroditi, quos REPKOVIVS lepide vocat *allzuviel*, nani, monſtroſi, et lepra laborantes. * Contra (10. allodium quidem, at non feudalia bona, capiebant ſurdi et muti, furioſi et mente capti, caeci et mutili, niſi id vitium, poſſeſſo iam feudo, ſuperueniſſet. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 4.

* Hereditatem ergo pro iis occupabat proximus agnatus, et iisdem alimenta praeſtabat, et quidem, vt opinor, tamquam tutor fructuarius. Hinc *ibidem* ait REPKOVIVS: *Welche dann ihre erben ſind, vnd ihre nechſte freunde, die ſollen ſie halten in ihrer pflege.*

§. CCXXXVII.

Quid iuris circa res expeditorias.

Ad proximos agnatos, adeoque et ad filios, tamquam ἐξαίρετόν τι pertinebant res expeditoriae, quae non ad hereditatem referebantur. Quumque in earum numero eſſent gladius, equus phaleratus, thorax, lectulus caſtrenſis, (*ein beerpfühl, das iſt, ein bette vnd ein kuſſen, vnd ein leylach,*) mappa, duae patinae, manutergium et veſtes quotidianae: IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 22. gladium paternum praecipuum habebat natu maior, *ibid.* quamuis haec diſpoſitio tantum ad equeſtris nobilitatis familias pertineret. IBID. *art.* 27.

§. CCXXXVIII.

Nec non circa vtenſiles vel geradam?

Contra filiabus ex materna hereditate *gerada*, vel res vtenſiles debebantur, quarum in numerum quid referendum ſit, docemur IVR. PROV. SAX. *Lib. I. art.* 24. Nec filiae ſolum eas res praecipuas habebant, ſed et filii, qui ſacros ordines acceperant, (*die gelert, vnd zu pfaffen geweihet, vnd geſchoren ſind,*) qui geradam cum ſororibus, * hereditatem cum fratribus diuidebant:

bant : quamuis ipſi clerici res vtenſiles non relinquerent : *Von des pfaffen gut nach ſeinem tode nimmt man keine gerade, denn es wird alles zu erb geſchlagen, was er nach ſich verlâſst.* IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 5.

* Si ſoror, et praeter clericum non alius frater, illaque erat innupta, clericus vero beneficium eccleſiaſticum habebat : illa res vtenſiles ſola capiebat. REPKOVIVS *ibidem: Die vnberathene tochter theiles nicht ihrer mutter gerade mit dem pfaffen, der ein pfrund oder kirchen hat.*

§. CCXXXVIIII.

At primi aliter philoſophati ſunt ALAMANNI, quorum ius inter filios ac filias nihil omnino diſcriminis ſtatuit. IVS PROV. SVEV. *cap.* 279. *Stirbt ain man, vnd lât ſün vnd tôchter hinder im, vnd er lât aigen hinder im, da er nichtes mit geſchaffet hat, dew kind ſin ausgeſtewert oder nicht, ſie ſollen das aigen mit ainander tailen.* * Itaque hoc iure nulla differentia erat inter filios ac filias, ſeparatos et non ſeparatos, modo hi conferrent bona profectitia, quod tamen vtrum facere, an bonis iam acceptis contenti eſſe mallent, in eorum erat arbitrio. Succeſſio deſcendentium ſecundum ius Alamannicum.

* Praeferebatur tamen filius filiae in praedio ruſtico, quod ibi vocatur *ſidelhoff*, quod ſi ſolum reliquiſſet pater, illud ſolus filius capiebat, filiaeque dabat, quantum vellet. IVS PROV. SVEV. *ibid. Vnd is da ain ſidelhoff, da der vater aufsazz, vnd lât er ſeinen ſun, oder mer ſün hinder im, die nicht ausgeſtevvert ſind : die ſün beſitzent das anſedel mit recht vor den ſchvveſtern, vnd iſt aber nichts anders da, vvann das anſezz : ſo ſtet es an der prüder gnaden, vvas ſie denn ſchvveſtern geben.* Vocantur itaque haec praedia *ſidel-hoeffe, anſedel, anſezz.* De iis AHASV. FRITSCH. *in theſ. pract. Beſold. contin. p.* 820. *In Thuringia et comitatu Schvvartzburgico praedia ſunt, quae vocantur freye ſidelhoſe : ea ab omnibus oneribus libera ſunt, et a ſuperiore iure feudali recognoſcuntur : pleraque tamen exigui ſunt pretii.*

§. CCXXXX.

Quod ad ius repraeſentationis attinet, illud ſimile habuerunt Alamanni et Saxones: Quemadmodum enim apud hos eo gaudebant nepotes ex filiis, non ex filiabus : (§. 234.) ita IVRE PROV. ALAM. *cap.* 253. legimus : *Nimbt ain man vveib bey ſeines vater leib, devv im ebenbürtig iſt, vnd gevvünnet er ſün pey ir, vnd ſtirbt er darnach, e das ſein vater ſein erb mit im getailte : deſſelben mannes ſün die nemmet gleichen erbtail an irs vaters ſtat, ennebn iren vettern : aber ſie nemmet all nicht, vvan aines mannes tail. Vnd das mag den tochter kinden nicht vverden,* Ius Sax. et Alamannicum conueniunt in iure repraeſentationis.

 das

das ſy gleichen tail nemmen, da ſy dann nicht ſuns kinde.

§. CCXXXXI.

Et in aliis pleriſque.

Nec in reliquis a Saxonum moribus diſcrepant Alamannorum leges, veluti (1. quod filiae praecipuam habuerunt geradam, (2. filii res expeditorias: IVS PROV. SVEV. *cap.* 261. (3. Quod ex pluribus filiis maior natu, tamquam praecipuum, ſibi vindicauit gladium: *ibid. cap.* 264. (4. quod, ſi vel duo, vel plures, erciſcere vellent familiam, maior diuiſit, minor elegit: *ibid.* (5. quod clericus geradae partem accepit, praeterquam, ſi beneficio eccleſiaſtico frueretur: *ibid. cap.* 253. (6. quod illegitimi non ſucceſſerunt, immo ne legitimati quidem per reſcriptum Pontificis vel Caeſaris: at ſucceſſerunt tamen legitimati per ſubſequens matrimonium. *ibid. cap.* 373.

§. CCXXXXII.

Vtrumque ius, quod ad filiarum ſucceſſionem, ſtatutis correctum eſt.

Itaque vetus illud principium Germanicum de filiis in ſucceſſione filiabus praeferendis paullatim deſeruerunt poſteri, etiam priuſquam ius Romanum in fora Germanica penetraret, ac proinde filios filiaſque promiſcue admiſerunt ad ſucceſſionem in bona parentum. Saltim in eo conueniunt ſtatuta antiquiora pleraque, ex quibus vnum iam adduco GOSLARIENSE, cuius *titulo* 1. *von ervegude* §. 3. legimus: *Sone vnd dochter ſint like na erve to nemende.* LEIBNIT. *ſcript. rer. Brunſu. Tom. III. p.* 484.

II. DE SVCCESSIONE ADSCENDENTIVM.

§. CCXXXXIII.

Tranſitio ad ſucceſſionem adſcendentium.

Deficientibus liberis, parentes luctuoſam hereditatem apud Germanos quoque capiebant: (§. 216.) de qua ſucceſſione adſcendentium vt iam quaedam ex antiquis monimentis colligamus, ordinis atque inſtituti ratio exigit. Cur TACITVS eius ſucceſſionis non fecerit mentionem, eius rei rationem ſupra coniecturis adſequuti nobis videmur. (§. 216. *) Id certum eſt, ex vetuſtiſſimis gentium Germanicarum legibus tantum non omnibus, deficientibus liberis, hereditatem parentibus, auis, aliiſque adſcendentibus deberi. Quod iam per inductionem erit probandum.

§. CCXXXIIII.

Eam receperant Wiſigothi.

Lege Wisigothica *Lib. IIII. tit.* 2. §. 2. fuerat cautum: *vt, ſi, qui moritur, nec filios, nec nepotes, ſed patrem, vel matrem relinquat, tum auus a t auia hereditatem ſibimet vindicet.* Ergo proximi ad ſucceſſionem, poſt deſcendentes, erant parentes, * et his non exſtantibus aui et auiae, qui quaeue bona adquiſita inter ſe aequa lance diuidebant, hereditariis contra ad auos tantum, non aeque ad auias, deuoluendis. *ibid.* §. 6.

* Vbi tamen notatu digniſſimum eſt, ex hac lege alterutrum parentem ſuperſtitem, hereditatem, filio filiaeue debitam, capere non potuiſſe, niſi hi liberi diem vitae decimum ſuperaſſent, et baptiſmi facti eſſent participes. Si eum diem moriendo anteuertiſſent, ne ipſi quidem partem paternae maternaeue hereditatis cepiſſe intelligebantur: tantum abeſt, vt eam ad quemcumque alium transmiſiſſe crederentur. Paucis: filius ante diem decimum et nondum accepto baptiſmo, decedens, non magis hereditatem vel capiebat, vel eamdem transmittebat ad patrem matremue ſuperſtitem, quam ſi numquam hujus lucis vſura fruitus eſſet. Lex Wisig. *Lib. IIII. tit.* 2. §. 18. Haec quoque ea gens didicerat a Romanis, qui filios filiasue communes parentibus ad decimam inter ſe matrimonii nomine capiendam, prodeſſe nolebant, niſi *p ſt nonum diem*, vel vt in codice Tiliano lectum, *poſt nominum diem, amiſſos.* Vlpian. *fragm. tit.* 15. *Nominum* vero *dies* erat luſtricus, quo nomen imponebatur infanti, id quod apud Romanos, ſi puella nata eſſet, die octauo; puero edito, nono fieri ſolebat. Fest. *voce luſtrici*, Macrob. *ſaturn. Lib. I. cap.* 16. Plvtarch. *Quaeſt. Rom. p.* 288. Conf. Merill. *Obſ. Lib. II. cap.* 33. et, quae diximus *in comment. ad leg. Iul. et Pap. Lib. II. cap.* 14. §. 4.

§. CCXXXXV.

An et Burgundiones?

Lex Bvrgvndica *tit.* 14. §. 2. non proſpicit patri vel matri, ſed, deficientibus liberis, *hereditatem ad defuncti ſorores, vel propinquos parentes*, (id eſt, proximos cognatos,) *redire iubet.* Vnico tamen caſu patrem ſucceſſiſſe filio, comperio, ſi prius data bonorum parte, filium abs ſe ſegregaſſet, et hic, nec facto teſtamento, nec rebus alii donatis, diem obiiſſet ſupremum, quamuis id ei iniungant leges, *vt nihil exinde abalienandi poteſtatem habeat, ipſoque in fata collapſo, ad reliquos filios defuncti fratris ſubſtantia remaneat. ibid. tit.* 51. §. 2.

§. CCXXXXVI.

Franci?

Francos parentes ad luctuoſam liberorum hereditatem vocaſſe, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt. Lex Salica *tit.* 62. §. 1. *Si quis homo mortuus fuerit, et filios non dimiſerit, ſi pater aut mater ſuperfuerint, ipſi in hereditatem ſuccedant.*

cedant. Et LEX RIPVARIA *tit.* 56. §. 1. *Si quis abſque liberis defunctus fuerit, ſi pater materque ſuperſtites fuerint, in hereditatem ſuccedant.* Hinc charta, qua mater, quaecumque a filio ſuo de luctuoſa hereditate ſibi obuenerant, monaſterio donat, exſtat in MARCVLFI *adpend. cap.* 40. *pag.* 457. Aliud exemplum ex charta Barcinonenſi dabit BALVZ. *in not. ad Marculf. pag.* 1297.

§. CCXXXXVII.

Anglii et Werini? LEX SAXONVM nihil tale habet, quum de ſola liberorum ſucceſſione diſponat. At LEX ANGLIORVM *tit.* 6. §. 3. quum feminas non niſi in ſubſidium, nec ad vniuerſam hereditatem, ſed ad capiendas tantum pecunias et mancipia, cauet, vt vocet, nec filio, nec filia ſuperſtite mater ſuperſtes pecuniam et mancipia praecipiat, reliquam defuncti hereditatem proximus paterni generis cernat. Ex quo non poſſumus non colligere, multo magis patrem, ſi filio filiaeue ſupereſſet, ad vtriuſque hereditatem perueniſſe.

§. CCXXXXVIII.

Langobardi? Notatu porro digniſſimum eſt, apud LANGOBARDOS ſucceſſionem inter matrem ac filios non fuiſſe reciprocam. Quod ita eleganter explicat ANDR. DE BARVLO *ad leg. Langob. tit.* 14. *De iure Langobardico nullus cognatus ad ſucceſſionem admittitur, (quod intellige in linea collaterali et adſcendenti.) Vnde mater proxima cognata non ſuccedit filio, quia cognata eſt, non agnata. Sed in linea deſcendenti ſecus eſt. Nam filius matri ſuccedit.* * Add. CAR. COTT. et NIC. BOER. *ad Lib. II. Leg. Lang. tit.* 14. §. 1.

* Idem tamen auctor obſeruat, hoc iniquum ſemper viſum eſſe Langobardis, ac proinde ex aequitate naturali matrem ad ſucceſſionem liberorum nihilominus vocari. En eius verba: *Sed ex naturali aequitate non ſcripta per illud ius poteſt dici, quod admittitur mater ad luctuoſam hereditatem filii.*

§. CCXXXXVIIII.

Alamanni? Apud ALAMANNOS quoque, mortua matre, et infante, quem enixa fuerat, paullo poſt exſpirante, patri debebatur hereditas matris, in infantem deuoluta, *dum infans viuus remanſerit aliquanto ſpatio, vel vnius horae, vt poſſet aperire oculos, et videre culmen domus, et quatuor parietes*, idque teſtes idonei, ſeſe vidiſſe, adfirmarint. LEX ALAM. *tit.* 92. §. 1. Multo magis itaque paren-

Digitized by Google

parentes ſucceſſiſſe liberis, probabile eſt, ſi liberi iuſtae aetatis, non relictis poſteris, deceſſiſſent.

* Eſt hoc, quod Saxones vocant *die vier wände beſchreyen*: de qua loquutione ſuo loco. Nimirum e rep. eſſe videbatur, certo conſtare, vixeritne infans, an exanimis in lucem fuerit editus. Id vero ex oculis apertis colligebant Alemanni: Saxones ex vagitu, qui intra quatuor parietes fuerit auditus.

§. CCL.

Succeſſio adſcendentium ex iure Saxonico.

Iam vt ad medii aeui leges progrediamur, IVRE SAXONICO liberis, qui improles vel orbi deceſſerint, ſuccedere vtrumque parentem, vulgo quidem tradunt: at matrem, non niſi praemortuo patre, olim eſſe admiſſam multo verius eſt. Ait enim SPECVLATOR *Lib. I. art. 17. Stierbt ein mann ohn kind: ſein vater * nimmt ſein erbe. Hat er des vaters nicht, es nimpt es ſeine mutter mit mehren rechten, dann ſeine ſchweſter oder bruder.* Praeterea id ius Saxonicum non admiſiſſe cum parentibus germanos eorumque liberos, in vulgus notum eſt.

* Auorum atque auiarum heredum mentionem non facit IVS SAXONICVM: at hos quoque fratribus ac ſororibus germanis praetuliſſe Saxones, colligunt ex verbis REPKOVII, quae eodem *articulo* 17. ſub finem reperiuntur: *Das erbe gehet nicht aus dem buſem, dieweil der ebenbürtige buſem da iſt. Vid.* FACHS. *diff. iur. ciu. et Sax. diff.* 24.

§. CCLI.

Mater praefertur patri in rebus filiae vtenſilibus.

Attamen in rebus vtenſilibus mater praeferebatur patri, quoties de filiae ſucceſſione quaerebatur. Generalis enim erat illa regula IVRIS PROV. SAX. *Lib. I. art. 27. Ein ieglich weib vererbt zweyerley: ihre gerade auf ihre nächſte niftel, ſo ihr von weibes halben zugehörig iſt: vnd das erb auf den nächſten freund, es ſey mann, oder weib.*

§. CCLII.

Succeſſio adſcendentium ex iure Alamannico.

Eadem fere IVRE ALAMANNICO videntur obtinuiſſe. Saltim filii ſeparati heredem eſſe patrem, ſi ille nec vxorem nec liberos reliquerit, traditur IVR. PROV. SVEV. *cap.* 260. Bona adquiſita, niſi de iis diſpoſuerit defunctus, proximo cognato, (adeoque et parentibus,) cedere ibidem obſeruatur. Praeterea quae ſupra (§. 249.) ex LEGE vetere ALAMANNICA attulimus de infante, quatuor parietes apertis oculis contemplato, ea totidem paene verbis repeti animaduertimus iu IVRE PROV. SVEV.

cap. 212. Ita et matrem poſtumo ſuccedere, ſi probare poſſit, eum vixiſſe, patet ex *cap.* 273. Denique mater minorennium quoque liberorum heres eſt, patre praemortuo, modo non ad ſecunda vota tranſierit. *ibid. cap.* 282.

III. *DE SVCCESSIONE COLLATERALIVM.*

§. CCLIII.

Collateralium ſucceſſio qualis tempore Taciti?

Quod ad COLLATERALIVM SVCCESSIONEM attinet, circa eam vel maxime diuerſa fuerunt gentium Germanicarum principia. Nos, more noſtro, vetuſtiſſimarum aeque ac recentiorum conſuetudinum legumque recenſum inituri, primum de ipſis TACITI temporibus obſeruamus, deficientibus liberis, (et parentibus,) *proximum gradum in ſucceſſione fuiſſe fratres, patruos, auunculos.* * TAC. *de mor. Germ. cap.* 20.

* Ex quibus verbis patet, et apud Germanos (1. primos inter collaterales fuiſſe fratres, et (2. quum paullo ante liberorum generatim mentio fiat, nullumque adeo diſcrimen ſtatuatur inter filios et filias, et in hac ſucceſſione nihil videri interfuiſſe inter fratres et ſorores. (3. Agnationis quoque et cognationis iura eadem fuiſſe, atque hinc poſt fratres et ſorores, admiſſos non modo patruos, ſed et auunculos. Denique quum (4. non ſit veroſimile, intra tam paucas perſonas apud Germanos inteſtatorum ſubſtitiſſe ſucceſſionem: procul dubio poſt patruos atque auunculos hereditatem ceſſiſſe quibusuis gradu proximis.

§. CCLIIII.

Qualis apud Wiſigothos?

Apud WISIGOTHOS quoque, non exſtantibus liberis vel parentibus, proximi erant fratres ac ſorores germani germanaeue, et his non exſtantibus eorum earumue liberi, non quidem in ſtirpes, ſed in capita, ſuccedebant. LEX WISIG. *Lib. IIII. tit.* 2. §. 5. *et* 8. Vnilaterales fratres et ſorores ſui cuique fratris aut ſororis, qui quaeue iiſdem parentibus geniti genitaeue fuerant, hereditatem ſortiebantur. LEX WISIG. *ibid.* §. 5. Denique poſt fratres et ſorores quicumque gradu proximi erant, ad ſucceſſionem vocabantur, *ibid.* §. 4. nullo diſcrimine inter agnatos cognatoſque, maſculoſque et feminas: vnde eodem iure venire amitam et materteram, monemur *ibid.* §. 7.

§. CCLV.

Qualis apud Burgundiones?

Sed et BVRGVNDIONES, non exſtantibus liberis ad hereditatem admittebant ſorores vel propinquos parentes, id eſt agnatos

tos cognatoſque, gradu proximos. LEX BVRG. *tit.* 14. §. 2. Soror tamen concurrebat etiam cum filia defuncti, ita, vt ſemiſſem caperet. IBID. *tit.* 75. §. 3. Pauca ergo de ſucceſſione collateralium occurrunt in lege Burgundica, vt veroſimile ſit, eos in reliquis capitibus a ceterorum Germanorum moribus non diſcrepaſſe.

§. CCLVI.

Apud FRANCOS quoque per LEGEM SALICAM *tit.* 62. §. 2. *ſequ.* non ſuperſtitibus parentibus, heredes erant fratres et ſorores; his etiam deficientibus, ſorores patris; poſt has ſorores matris: ac denique, nec his exſtantibus, *quicumque proximiores erant de paterna generatione*: quamuis ad terras Salicas nec defuncti ſorores, nec amitas ac materteras, nec reliquas eiuſdem gentis et familiae feminas, vllo modo adſpirare potuiſſe, iam ſupra obſeruarim. Similis fere eſt LEX RIPVARIA *tit.* 56. §. 2. *ſequ.* quae praemortuis parentibus primum fratres et ſorores, deinde, his deficientibus, fratres et ſorores matris patriſque, denique, ne his quidem exſtantibus, *proximum vſque ad quintum genuculum* ad ſucceſſionem vocat, * excepta tamen *hereditate auiatica*, in quam, dum virilis ſexus heres ſupererat, femina non ſuccedebat. Qualis apud Francos?

* Differebant tamen hae leges, (1. quod Salica poſt fratres ſororesque, primum amitas ac poſtea materteras admittebat: Ripuariorum lex non modo amitas et materteras, ſed et patruos et auunculos, et quidem (2. auunculum et materteram non poſt patruum et amitam, ſed omnes ſimul ad ſucceſſionem vocabat. (3. Quod ex lege Salica femina exſors eſſet terrae Salicae, ex lege Ripuariorum *hereditatis auiaticae*, id eſt bonorum hereditariorum.

§. CCLVII.

LEX SAXONVM *tit.* 7. nihil, quod mireris, de ſucceſſione collateralium praecipit: nec LEX BAIVVARIORVM, niſi vt (1. mortuo ſine liberis viro, vxori viduae ſemis, alter ſemis proximo viri cognato debeatur. *tit.* 14. *cap.* 9. §. 1. (2. Vt, mortua, vel ad ſecunda vota tranſeunte vidua, praeter legitimam dotem, reliqua omnia ad mariti proximos cognatos reuertantur. *ibid.* §. 2. Denique (3. vt, vtroque coniuge ſine liberis mortuo, proximi gradu ſuccedant, vſque ad ſeptimum gradum *. *ibid.* §. 4. Qualis apud Baiuuarios?

* Quemadmodum olim praetor cognationem gradu ſexto finiebat, non admiſſis ex cognatis ſeptimi gradus, niſi ſobrino ſobrina nato natave, quum leges agnatos omnes, quotocumque gradu remotos, modo propior non adeſſet, ad ſucceſſionem vocarent: §. 9. *Inſt. de ſucc. cognat. l.* 1. §. 3. *D. vnde cogn.* ita Germani finem certum eſſe volebant cognationi etiam in ſucceſſione legitima. Sic iam vidimus, legem Ripuariorum, proximos gradu admiſiſſe vſque *ad quintum genuculum*: (§. 256.) Baiuuarios nec non Langobardos (vid. Lex Lang. *Lib. II. tit.* 14. §. 1.) ad ſeptimum. Anglii etiam et Werini agnatos in bonis immobilibus feminis praeferebant ad gradum quintum: poſt quintum autem feminae omnem hereditatem capiebant, et ſic hereditas *a lancea ad fuſum tranſibat*, (*von der ſchwerdt-ſeite auf die ſpindel.*) Lex Werin. *tit.* 6. §. 8.

§. CCLVIII.

Itemque apud Anglios et Werinos?

Anglii et Werini (1. diſtinguebant pecuniam mancipiaque et agros vel fundos. Illa, non exſtante filia, ſorori; nec ſorore ſuperſtite, matri cedebant: hi ſemper *proximo paternae generationis conſanguineo* debebantur (2. Si nec mater viueret, proximus conſanguineus paternae generationis, ex aſſe erat heres, et pecuniam mancipiaque non minus, quam agros ac fundos capiebat (3. Qui agros accipiebat, ei et veſtis bellica, et vltio proximi, et ſolutio leudis cedebant (4. Denique *paterna generatio* tantum *vſque ad quintam generationem ſuccedebat: poſt quintam autem filia ex toto, ſiue de patris, ſiue de matris parte, in hereditatem ſuccedebat, et tunc demum hereditas* ad fvsvm a lancea *tranſibat.* Lex Angl. et Werin. *tit.* 6. §. 2. *ſequ.*

§. CCLVIIII.

Nec non apud Langobardos.

Permulta erant ſingularia circa ſucceſſionem collateralium apud Langobardos. Nam (1. relictis fratribus et ex fratre nepotibus, illi hos excludebant, neque locus erat iuri repraeſentationis. Car. Cotta ad ivs Langob. *Lib. II. tit.* 14. §. 1. (2. Soror etiam ſuccedebat, cum fratris defuncti filia, modo ipſa adhuc in capillis eſſet, alias enim a filia excludebatur. Lex Lang. *ibid.* §. 22. (3. Sorori fratrique ſoror fraterque ſuccedebant aequaliter, niſi priore caſu frater eſſet *mundwaldus*, qui tunc ſororem in mundio excludebat. *ibid.* §. 24. (4. Omnes autem agnatos, exceptis filiis, ex eodem matrimonio natis, patre et ſororibus, excludebat maritus aliusve mundwaldus extraneus. *ibid.* §. 24. (5. Nullo horum ſuperſtite, proximus agnatus ad ſeptimum vſque gradum ſuccedebat. * *ibid.* §. 1.

* Id.

Digitized by Google

* Id quoque ſingulare eſt, quod quum iure Romano inter illegitimos et cognatos cognatasque reciproca eſſet ſucceſſio: *l.* 2. *l.* 4. *vnde cogn. l.* 5. *C. ad SC. Orphit.* iure Langobardico agnati quidem aeque ac cognati baſtardis, hi autem nec agnatis, nec cognatis ſucceſſerint. ANDR. DE BARVLO *in leg. Langob. tit.* 14. *ſub fin.*

§. CCLX.

Quod ad iura recentiora attinet, SAXONICVM primo omnium vocat fratres et ſorores bilaterales, (*vngezweyete brüder vnd ſchweſtern:* IVS PROV. SAX. *Lib. II. art.* 20. non admiſſis vna fratrum bilateralium liberis, quia hic ceſſat ius repraeſentationis. *ibid. Lib. I. art.* 3. Deinde, non exſtantibus fratribus ſororibusque germanis, eorum liberos, in capita, *ibid. Lib. I. art.* 17. quibuſcum tamen concurrunt fratres ſororesque vnilaterales, quia ibi valet regula: *die halbe geburt tritt einen grad weiter. ibid. Lib. II. art.* 30. nec non vetere iure patruus et auunculus. Vid. *conſultat. Elect. ad Part. III. Conſt.* 18. Denique non modo res vtenſiles proxima cognata; expeditorias agnatus proximus praecipit: verum etiam conditionis dignitatiſque heredum olim habitam eſſe rationem, recte obſeruat REINH. *diff. iur. ciu. et Sax.* 48. *pag.* 1. * Quid iure Saxonico obtinuerit?

* IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 3. *Nemen auch zweene brüder zwo ſchweſtern, vnd der dritte bruder ſonſt ein ander weib, ihrer allerſeits kinder ſind iedoch gleiche nahe, erbe zu nehmen, ob ſie einander ebenbürtig, das iſt, an der geburt gleich ſind.* Simile quid inter ipſos liberos obſeruatum eſſe, ſupra oſtendimus ex LEGE ALAMANN. *tit.* 57.

§. CCLXI.

Non opus eſſe videtur, vt et *iuris* ALAMANNICI *vel* SVEVICI forulos hic excutiamus, a Saxonico quum non adeo diſcrepet, quin paene rem iiſdem verbis deſcribat. Potius itaque de SVCCESSIONE CONIVGVM quaedam hic ſubiicienda ſunt, quippe qui iure Germanico non modo ante fiſcum ad hereditatem vocabantur, ſed et cum reliquis heredibus ex deſcendentium, adſcendentium et collateralium ordine, concurrebant eatenus, vt portionem aliquam ſtatutariam iure caperent. Quid iure Alamannico?

IIII. *DE SVCCESSIONE CONIVGVM.*

§. CCLXII.

Coniugum tam arcta ſanctaque videbatur ſocietas, vt eorum vel maxime rationem eſſe habendam, exiſtimarent Germani. Coniugibus quotuplici.

modo proſpexerint Germani?

ni. Quod triplici ratione fiebat, primum vt certis caſibus ad hereditatem totam vocarentur: deinde vt iure communionis, quae inter coniuges intercedebat, partem communis adquaeſtus, finita illa communione, ſortirentur: denique vt certam coniuges ſuperſtites caperent portionem ſtatutariam, quae non tam iamquam heredibus, quam titulo ſingulari, illis deberi videbatur *.

* Sed haec omnia intelligenda de eo caſu, ſi nec pactis dotalibus, quibus ſaepenumero de vniuerſa hereditate diſponebatur, (§. 171.) nec teſtamento, ſuperſtiti fuerit proſpectum. Nam et hic prouiſionem hominis tollere prouiſionem legis, ipſa experientia quotidiana ſatis ſuperque docemur.

§. CCLXIII.

Succeſſio coniugum ex lege Wiſigothica.

Vt ergo et hic leges vetuſtiſſimas luſtremus: Wisigothica ad exemplum edicti Praetoris vnde vir et vxor cauet, *vt maritus et vxor tunc ſibi hereditario iure ſuccedant, quando nulla adfinitas * vſque ad ſeptimum gradum propinquis eorum vel parentibus inueniri poſſit.* Lex Wisigoth. *Lib. IIII. tit.* 2. §. 11. At ſicuti haec ſucceſſio extraordinaria, et, vti facile intelliges, paullo rarior erat: ita portionem ſtatutariam fuiſſe adquaeſtus partem, pro ratione quantitatis bonorum, quae quiſque contulerat in commune, iam ſupra oſtendimus: (*Lib. I. §.* 267. *ſequ.*)

* *Adfinitas* hic non eſt neceſſitudo, ex nuptiis orta, ſed idem ac propinquitas. Hinc *adfinitas ſecundi gradus* in lege Wisig. *Lib. IIII. tit.* 1. §. 2. non eſt *ſecundus gradus adfinitatis*, ſed propinquitas ſecundi gradus.

§. CCLXIIII.

Ex lege Burgundica.

Quod ad Burgundiones attinet, eos communionem inter coniuges ignoraſſe, iam ſupra obſeruauimus. (*Lib. I. §.* 270.) At viduam, ad ſecunda vota tranſeuntem, retinuiſſe donationem nuptialem, et, exſtantibus filiis, eam iure vſufructuario; vel, iis non exſtantibus, iure proprietatis tenuiſſe, patet ex Lege Burg. *tit.* 24. §. 1. *et* 2. Sin viduitatis ſeruaret propoſitum, nec filios haberet: tertiae bonorum partis vſumfructum, dum viueret, percipiebat, * eam redditura, ſi iterum nuberet, et ſi, elapſo anno vel biennio, id cepiſſet conſilii, ſolo pretio nuptiali contenta futura. *ibid. tit.* 42. §. 1. *et* 2. Sin filios habebat, cum iis ita diuidebat hereditatem, vt, ſi vnus eſſet tertiam; ſin duo vel plures, quartam partem iure vſufructuario

rio acciperet. *ibid. tit.* 34. §. 2. Idem etiam circa maritum obſeruatum eſſe, colligas ex *d. tit.* 34. §. 3.

* Eam tamen portionem ſtatutariam tum demum capiebat vidua, *ſi patris aut matris non haberet facultatem, aut ſi ei maritus ſuus aliquam, in qua viuere poſſet, ſucceſſionis ſuae non donaſſet quantitatem*: id eſt, ſi alioquin neceſſariis deſtitueretur alimentis. *tit.* 74. §. 1. Quod ipſum ſimile quid habere dixeris cum *Auth. praeterea. C. vnde vir et vx.*

§. CCLXV.

Apud FRANCOS communionem bonorum inter coniuges fuiſſe, iam ſupra notauimus. Soluto ergo matrimonio, vidua antiquis temporibus trientem adquaeſtus; poſtea ex feudis *tertiam collaborationis partem*, ex reliquis dimidiam capiebat. LEX RIPVAR. *tit.* 27. §. 2. CAPITVLAR. *Lib. IIII.* §. 9. (*Lib. I.* §. 270. *ſequ.*) Itaque ſuperſtes maritus procul dubio duas adquaeſtus feudalis partes, et ſemiſſem reliquorum bonorum communium praecepit. * De ſtatutaria iſta coniugum Francorum portione legi poterit ANT. DADIN. ALTESERRA *rer. Aquitan. Lib. III. cap.* 18. **Ex legibus Francorum,**

* Aliquando tamen communem iſtum adquaeſtum coniuges pii inter viuos donabant alicui monaſterio, cuius donationis exemplum extat in TRADIT. FVLD. *Lib. II. cap.* 13. ubi Halbertus et Hruada, coniuges eccleſiis donant, *quantum iis genitores dimiſerint, et ipſi conlaborati habuerint.*

§. CCLXVI.

Vxor apud OSTFALOS et ANGRARIOS ſolam dotem, a marito promiſſam, eo mortuo, accipiebat, et quidem ſuperſtitibus filiis, iure vſufructuario, iiſdem praemortuis iure proprietatis, non exſtantibus denique filiis, itidem iure vſufructuario, quippe ea mortua ad dantem eiuſque heredes redituram. LEX SAX. *tit.* 7. Idem quidem et apud WESTPHALOS obſeruabatur: ſed praeter dotem ibi vidua ſemiſſem adquaeſtus capiebat. *ibid. tit.* 8. Inde iam ſupra (*Lib. I.* §. 272.) collegimus, communionem bonorum inter coniuges, non quidem Oſtphalos et Angrarios, ſed inter Weſtphalos tamen, viguiſſe. **Saxonum,**

§. CCLXVII.

Quid apud ANGLIOS et WERINOS, nec non apud FRISIOS, obtinuerit, tacentibus eorum legibus, hodie ſcimus iuxta cum ignariſſimis. Apud LANGOBARDOS qualis fuerit coniugum ſucceſſio, tanto certius conſtat. Maritus erat mundwaldus, ſeu tutor vxoris ſuae, eoque nomine vxori praemortuae ſuccedebat, **Langobardorum,**

bat, eiuſque ex aſſe heres erat, LEX LANGOB. *Lib. I. tit.* 14. §. 29. quamuis ANDR. DE BARVLO *Leg. Langob. tit.* 13. ei praeferendos exiſtimet filios communes. Vxor praecipuam habebat *morgincap.* (*Lib. I.* §. 216.) et *metam*, quae non poterat 400. ſolidos excedere. Licebat etiam marito, ei ſupremo iudicio legare vſumfructum partis bonorum, et quidem tertiae, ſi filios ex alia vxore vnum aut duos reliquerit, quartae, ſi tres, ſi plures quintae, et ſic porro. LEX LANGOB. *Lib. II. tit.* 4. §. 1. 2. 4.

§. CCLXVIII.

Alamannorum, Vxor ALAMANNA ſibi qualiacumque emolumenta ſtipulabatur, inprimis dotem vel morgengabam; et exſtat huiuſmodi dotale inſtrumentum Alamannicum apud GOLDAST. *ſcript. rer. Alam. Tom. II. charta* 9. *pag.* 28. Si nihil certi conuenerat: illa erat 40. ſolidorum; haec 12. LEX ALAM. *tit.* 55. §. 2. Mortuo ſine liberis marito iterum aequali nuptura, retinebat *dotis legitimam, et quidquid parentes eius legitime placitauerant, et quidquid de ſede paterna ſecum attulerat, quod eius non manducaſſet vel vendidiſſet. ibid.* §. 1. Si mariti propinqui ei dubiam redderent dotem, vel morgengabam: priore caſu vel vna cum quinque iurare, vel pugna, cum ſpatha tracta per campionem inita, illam integram ſeruare; poſteriore, praeſtito per pectus iureiurando, quod Alamanni vocabant NASTAID, * eam donationem confirmare tenebatur. *ibid. tit.* 61. §. 1. *et* 2.

* LINDENBROG. *in gloſſar. p.* 1443. recte obſeruat, in hoc vocabulo occurrere Germanicum *Aid*, quod ſignificet *iusiurandum. Sed, quid Naſt*, inquit, *non liquet.* Rectius CAR. DV FRESNE *in gloſſar. Lat. Tom. II. p.* 722. obſeruat, *naſt*, vel *naeſt* eſſe proximum, idque nomen ferre hoc iusiurandum, quia mulier iurarit per pectus, quo nihil homini vel cordi ſit propius. Iam id tantum obſeruo, huius iurisiurandi veſtigia supereſſe in IVRE PROVINCIALI AVSTRIACO §. 37. apud LVDEWIG. *reliqu. MSSC. Tom. IIII. p.* 14. *Auch ſoll eyne yegliche frau ihr morgengab behaben mit irm eydt auf ihren bruſten: vnd ſoll dew haben nach Landes-gewonheit, als recht iſt, vnd ſoll auch vor gericht nicht ſchwehren, noch kein eydt thain, dann auf ihren prüſten mit zweyen fingern.*

§. CCLXVIIII.

Baiuuariorum. BAIVVARII diſtinguebant, vtrum ſine liberis vel propinquis deceſſerit maritus, an tales eſſent ſuperſtites. Priore caſu ius erat marito, quantumcumque placeret, immo vniuerſa bona, viduae relinquere, quae ſibi relicta vidua deinde pleno iure poſſidebat,

debat, ſi a ſecundis nuptiis abſtineret. LEX BAIVVAR. *tit.* 14. *cap.* 9. §. 3. Si nihil de bonis ſuis diſpoſuiſſet: vxor ſemiſſem hereditatis capiebat, iure vſufructuario poſſidendum, quoad viueret, et ad ſecunda vota non tranſiret. *ibid.* §. 1. *et* 2. Poſteriore caſu portionem virilem vna cum liberis iure vſufructuario accipiebat, amiſſura eamdem, ſi in alterius viri torum concederet, exceptis rebus propriis, et dote a marito conſtituta, quas et iterum nupta ſibi retinebat. LEX BAIVVAR. *ibid. cap.* 6. *et* 7. §. 1. *et* 2.

§. CCLXX.

Ex iure Saxonico quae portio ſtatutaria?

Sed progrediendum ad iura, quae a ſaeculo XII. in Germaniae foris fere vbique regnarunt, quale eſt SAXONICVM. Et quidem ex gloſſa WEICHB. *art.* 22. coniugi ſuperſtiti debetur tertia pars hereditatis, etſi liberi quotcumque ſuperſint. Maritum eſſe heredem rerum mobilium vxoris ſuae, notum eſt ex IVR. PROV. SAX. *Lib. III. art.* 76. et *Lib. I. art.* 31.

§. CCLXXI.

Quid vxor ex eo habeat praecipuum?

At vxori praeterea ex bonis mariti debentur quaedam alia; de quibus IVS PROV. SAX. *Lib. III. art.* 76. *Stierbet einem weibe ihr mann, vnd bleibet ſie in des mannes gut vngetheilt mit den kindern, lange weile, oder kurz: wann ſie ſich darnach theilen, ſo nimmt die fraw ihre morgengab, gerade, vnd mus-theil, an alle dem gut, das denn da iſt, als ſie nehmen ſolt zu der zeit, da ihr mann geſtarb.* *

* Quid ad morgengabam, cibaria et geradam tunc pertineat, patet ex IVR. PROV. SAX. *Lib. I. art.* 14. Nimirum ad MORGENGABAM referuntur *alle feld-pferde, rinder, ziegen vnd ſchweine, die vor den hirten gehen, vnd gezeunes zimmer*, (per *gezeuntes zimmer* quid intelligatur, prolixe diſputat GVNDL. *de emt. vxor. cap.* 3. §. 33.) CIBARIORVM nomine veniunt *gemäſte ſchweine, vnd hoffſpeiſe in ieglichem hoff ihres mannes.* Denique ad GERADAM *alle ſchaffe, gäntze, kaſten mit angehangenen liedern, alles garn, besse, pfulen, kuſſen, leilach, tiſchlachen, zwelen, badlachen, becken, leuchter, vnd alle weibliche kleider, fingerlein, armgold, zſchappeln*, (in vetere edit. Sax, *Zabeln*, i. e. pelles muſtelae Scythicae,) *pſalter vnd alle bücher, die zum gottesdienſt gehören, darinn die frauuen pflegen ihr gebet zu leſen, ſiedeln, laden, teppichte, vmbhänge, rücklachen, vnd alle gehende.* Addit SPECVLATOR, paucis interiectis, *bürſten, kamme, ſcheren, ſpiegel, alles gevvand vnd lacken, geſchnitten, zu frauen kleidern*: contra ad uxorem non pertinere monet *vngevviirckt gold vnd ſilber.* Sed hic innumerae oriuntur quaeſtiones, in quibus enodandis incredibili induſtria ingenium exercuerunt doctores Saxonici, qui de gerada, cibariis, morgengaba ſcripſerunt, ex quibus pleraque excerpſit GE. BEYER. *ſpec. iur. Germ. Lib. II. cap.* 15. 16. *et* 17.

§. CCLXXII.

Quid iure Sueuico circa ſucceſſionem coniugum obtinaret?

Sed IVRE ALAMANNICO vidua praecipiebat morgengabam, et mobilia cum liberis vel aliis heredibus diuidebat aequaliter, certa tamen parte pro animae remedio ad pias cauſſas ſepoſita. IVS PROV. SVEV. *cap.* 277. Quod ad *geradam* attinet, per omnia fere Saxonico ſimile eſt ius Alamannicum, ceu patet ex 264. Cibaria, quae poſt diem a morte mariti triceſimum ſupererant, vidua diuidebat cum heredibus. *ibid. cap.* 261. Maritus ex bonis vxoris immobilibus capiebat fructus, et cenſus, quorum iam dies venerat. *ibid. cap.* 337. Ex ceteris rebus ob bonorum communionem coniugi ſuperſtiti pars certa videtur obtigiſſe. *ibid.* 271.

V. *DE SVCCESSIONE FISCI.*

§. CCLXXIII.

Tranſitio ad ſucceſſionem fiſci.

Germanis vetuſtiſſimis ignota procul dubio fuerunt fiſci iura, quae in iuriſprudentia Romana vtramque faciunt paginam. Ne tamen principi vel reipublicae deeſſet neruus rerum gerendarum, teſte TACITO de *mor. Germ. cap.* 15. *mos erat ciuitatibus, vltro viritim conferre principibus vel armentorum, vel frugum, quod pro honore acceptum, etiam neceſſitatibus ſubueniebat.* Sed qui Germanorum, occupatis Romanorum prouinciis, regna in iis opulentiſſima conſtituerant, ſatis mature noſſe coeperunt fiſcum, de eoque locupletando non minus, quam antea Romani, fuerunt ſolliciti. Quem morem deinde et reliqui Germani a Francis veluti per manus traditum acceperunt.

§. CCLXXIIII.

Qualis fiſci ſucceſſio in Germania?

Itaque et vacantem hereditatem fiſco vindicare non dubitarunt Oſtrogothi, EDICT. THEODORICI *cap.* 24. Baiuuarii, LEX BAIVVAR. *tit.* 14. *cap.* 9. §. 4. et Franci, ceu patet ex LEG. SAL. *tit.* 63. §. 3. et CAPITVLARI CAROLI M. *anni* 813. §. 6. apud BALVZ. *Tom. I. pag.* 508. quin et medio aeuo Saxones, quorum in IVRE PROV. *Lib. I. art.* 28. legimus: *Was ſolches dinges erbloſs ſtierbt, als heergevvedt, erb oder gerad, das ſoll man antvvorten dem richter, oder fronboten, ob er es heiſchet nach dem dreyſigſten. Das ſoll dann der richter behalten iahr vnd tag vnverthan, vnd vvarten, ob ſich iemands dazu ziehen vvolt mit recht. Käme dann niemand, ſo kehre es der richter zu ſeinem nutz.* * Qualia etiam ſunt in IVRE PROV. SVEV. *cap.* 268. nec non

Digitized by Google

non in priuilegiis Dieterici, Comitis Cliuenſis, et Dieterici, Com. Hornani anno 1340. oppido Cranenburgenſi, nec non Ioannis, Cliuiae Comitis, oppido Hueſſen anno 1348. dato apud DIETHM. *cod. diplom. ad Teſchenmach. n.* 24. *et* 23. *pag.* 16. *et* 13. niſi quod hereditas vacans fiſco principis reſeruatur.

* Quum tamen breuis admodum ſit haec praeſcriptio, qua heredes abſentes ignoti iure hereditario excluduntur: merito excipiuntur heredes captiui, vel reip. aut cultus diuini cauſſa abſentes, (*die in des reichs-dienſt gezogen, oder in gottes Dienſt auſſer des landes ſind.*) IVS PROV. SAX. *ibid.* Addit SPECVLATOR SVEVVS, *ob ein mann in ſeines herren dienſt iſt, oder vven ſiechtum irret, und der eines beredet mit ſeinem zvveen fingern, oder ſelb drits, ob er des ſtads hat.*

§. CCLXXV.

Id vero ex his locis notandum, quod quum iure Romano bona vacantia tantum a fiſco principis vindicarentur: *l.* 1. *C. de bon. vac. l.* 15. *D. de verb. ſign.* Germani iura fiſci omnibus fere iudiciis conceſſerint. Inde enim eſt, quod IVRE PROV. SVEV. *cap.* 268. bona vacantia hominum propriorum domino; ſubditorum eccleſiaſticorum eccleſiae; * prouincialium iudici prouinciae; (*dem landrichter*;) municipum domino vel iudici municipii addicuntur. Vid. FACHS. *diff. iur. ciuil. et Saxon.* 35.

Fiſci iura quaelibet fere iudicia habebant.

* Hic, ſi ſeruilis non erat conditionis, teſtari poterat de rebus ſuis, modo, ſi ex pretio eccleſiae deberetur cenſus, quartam bonorum partem eccleſiae relinqueret. Sin inteſtatus moreretur: vniuerſa bona ab eccleſia poterant vindicari. IVS PROV. SVEV. *cap.* 269. Eccleſias etiam in hereditate clericorum et ſanctimonialium fiſco fuiſſe praelatas, non obſcure patet ex LEG. WISIGOTH. *Lib. IIII. tit.* 2. §. 12.

CONCLVSIONES IVRIS GERM. HODIE PASSIM SVPERSTITES.

§. CCLXXVI.

Quamuis vero pleriſque locis ius hoc antiquum in exſilium egerit iurisprudentia Romana, recepta tanto lubentius, quanto magis ſua ſe aequitate commendat NOVELLA CXVIII. facile tamen licebit demonſtrare, plures paſſim ſupereſſe concluſiones de ſucceſſione inteſtatorum, ex iure illo antiquo, tamquam ex fonte ſuo,, promanantes, quas hic veluti in faſciculo exhiberi operae pretium fuerit.

Tranſitio ad concluſiones.

§. CCLXXVII.

De filiabus a ſucceſſione excluſis.

Et quidem ſicuti commune veluti fuit priſcis Germanis hoc principium, quod inter DESCENDENTES filii filiabus, nepotes neptibus ſint praeferendi: (§. 218. *ſequ.*) ita (1. et hodie ſunt ſtatuta, quae filios prae filiabus praerogatiua donant, et in bonis auitis (*in erb-ſtamm-gütern*) ſolos filios; in reliquis filios filiaſque ſimul ad ſucceſſionem admittunt: qualis eſt ſucceſſio inter nobiles non modo in ducatu Bremenſi: vid. STRYK. *vſ. modern. Lib. XXXVIII. tit.* 16. §. 3. verum etiam in ſuperiore Germania, inter equites immediatos, ceu ex actis publicis quotidie diſcimus.

§. CCLXXVIII.

(2. In ducatu Sleſuicenſi, quamuis filiae vna cum filiis paternam maternamque hereditatem cernant, legibus tamen cautum eſt, vt filii duplam portionem prae filiabus ſortiantur, quod et (3. in Dania obſeruari, patet ex LEG. DAN. *Lib. V. tit.* 2. §. 29. Ita (4. et Saxones hodie quoque filiis, ſaltim equeſtris nobilitatis, * prae filiabus res expeditorias: (*das heer-gewette*;) et (5. ex hiſce rebus maiori natu gladium paternum concedere, in vulgus notum eſt. CARPZ. *Part. III. Conſt.* 38. *Defin.* 25.

* Rerum expeditoriarum tantum inter equeſtris nobilitatis familias haberi rationem, ipſum monet IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 27. verbis: *Welcher mann von ritters-art nicht iſt, vnd des heerſchildes nicht hat, der laeſt nach ſich allein erb zunehmen, vvann er geſtierbt, vnd kein heergevvet.* Enimuero et ad plebeii ordinis homines paullatim hoc porrectum eſſe, iam obſeruauit CARPZ. *ibid. def.* 24. Exemplum eſt in LEG. MVNICIPAL. BRVNSV. apud LEIBNIT. *ſcript. rer. Brunſu. Tom. III. p.* 434. et in LVNEBVRG. *ibid. p.* 754. Denique GOSLARIENSIBVS *ibid. p.* 485. Attamen tunc ſaepe loco rerum, quas expeditoriis adnumerat SPECVLATOR SAXO, ſtatuta plane alias iis accenſent, e. g. ſtatutum Smollenſe filio loco rerum expeditoriarum deberi ſancit: *des vaters kleider*: proximo agnato *des mannes tägliche kleider, nemlich einen mantel oder rock, hoſen vnd vvambs.* De armis ibi cauetur: *Es ſolle der aufgeſatzte harniſch, ſpies, oder vvehren, ſo auf des verſtorbenen hauſſe ſtehet, beym hauſſe bleiben: die vberleyen vvehren vnd vvaffen ſollen zum heergeräthe gehören.* GOD. AVG. HOFFM. *von der gerade vnd dem heergevv. Part. II. p.* 13. qui et alia ſimilia ſtatuta collegit *p.* 18. *p.* 29. *p.* 46. *p.* 59. *p.* 738. *et alibi paſſim.*

§. CCLXXVIIII.

De gerada filiabus debita.

Attamen (6. has res expeditorias filiis in Saxonia et aliis prouinciis, vbi ius Saxonicum viget, aequo animo concedunt filiae, quum ipſae ex hereditate materna praecipuas habeant res vten-

vtenſiles, ad quas quid ſingulis locis referatur, ex ſtatutis quam plurimis mira diligentia oſtendit laudatus HOFFMANNVS *de gerada, tota parte II.* Ceterum (7. et hodie ibi res illas vtenſiles vna cum filiabus capere filios, qui miniſterio ſacro funguntur, inter omnes conſtat. GOLDB. *de ſucceſſ. in gerada pag. 36. ſequ.*

§. CCLXXX.

De iure repraeſentationis.

Praeterea, vti olim Germanis non paucis diu ignotum fuit ius repraeſentationis etiam inter ipſos deſcendentes : (§. 231.) ita (8. et in Geldria illud diu ſatis ignoratum eſt, quippe anno demum 1560. introductum. PONTAN. *hiſt. Gelr. Lib. XIIII. pag.* 882. quod (9. et de aliis Belgis obſeruat IO. A SOMEREN *de repraeſent. cap.* 1. §. 8. Quin (10. in Marchia ius repraeſentationis olim tantum ad nepotes, non ad vlteriores, pertinere videbatur ob textum expreſſum conſtitutionis Ioachimi Electoris *von erbfällen rubr. von der abſteigenden linie §. in den andern*, quamuis huic iuri vſu poſtea derogatum eſſe, fateantur SCHEPLIZ *conſu. March. Part. III. tit. 3. in adp. qu.* 1. *n.* 1. STRYK. *de ſucceſſ. ab inteſt. diſſ.* 1. *cap.* 4. §. 20.

§. CCLXXXI.

De ſucceſſione illegitimorum.

Quemadmodum porro olim illegitimos a ſucceſſione plane excludebant leges quaedam Germanicae : (§. 227. *ſequ.* §. 235.) ita (11. et hodie id principium obtinet, vbicumque viget ius Lubecenſe, quippe quo cautum eſt. *Lib. II. tit. 2. art. 9. Vnechliche kinder nehmen kein erbe, aber derſelben verlaſſen gut erben ihre nächſte bluts-freunde, die dazu gehören.* * Quin (12. tametſi vbique parentibus ſuccedant legitimati per ſubſequens matrimonium : non tamen (13. facile ad ſucceſſionem prodeſt legitimatio per reſcriptum principis, ſi iam adſint legitimi, quippe quibus ius quaeſitum non temere eſt auferendum.

* Hoc non ſine ratione monent LVBECENSES, quia alioquin, nec cognati vbique illegitimis, nec ipſi illegitimi ſibi inuicem ſuccedebant. (§. 235.) Potius iam alibi notauimus, illegitimorum, ſine prole decedentium, hereditatem multis locis a fiſco vindicari, et hinc ſpurios accenſeri *denen hageſtoltzen.* IVS PROV. PALAT. *tit.* 8. REFORM. IVLIAC. *tit.* 79. REFORM. NORIB. *Lib. VIIII. tit.* 34.

§. CCLXXXII.

Succeſſio liberorum ex iure Lubecenſi.

Sed (14. nulla in re a vetere iure Germanico magis ſeceſſionem faciunt mores eorumdem Lubecenſium, quam in ſucceſſione liberorum, ſiquidem liberos data certa bonorum parte ſeparatos

paratos pro mortuis habent, Mev. *ad ius Lubec. Lib. II. tit.* 2. *art.* 33. *n.* 128. ac proinde (15. nec ipſos, nec nepotes ex illis, vna cum reliquis liberis non ſeparatis ad parentum hereditatem vocant, ivs Lvbec. *Lib. II. tit.* 2. *art.* 28. niſi (16. vel non exſtent liberi non ſeparati, quorum in fauorem illi ſeparati ſunt: Mev. *ad art.* 33. *n.* 135. ſiquidem (17. tunc omnibus collateralibus, quin (18. et ipſi nouercae praeferuntur: Mev. *ibid. tit.* 2. *art.* 23. et *ad art.* 33. *n.* 138. vel (19. ipſi parentes iis teſtamento proſpexerint. Mev. *ad ius Lub. Part. II. tit.* 1. *art.* 8. *n.* 6. *et* 12. Stryk. *de ſucc. ab inteſt. diſſ.* I. *cap.* 4. §. 26.

§. CCLXXXIII.

De iure optandi minori competente.

Denique quemadmodum iure vetere Germanico vbi inter duos fratres erciſcunda erat familia, maioris erat diuidere, minoris eligere: (§. 234. *et* 241.) ita (20. hoc ius et hodie obtinet non modo in Saxonia, verum etiam in pleriſque locis aliis, adeo vt (21. et in camerali Imperii iudicio eius regulae habitam eſſe rationem, conſtet. Gail. *obſeru. Lib. II. cap.* 116. *extr.* Myns. *Cent.* 4. *Obſ.* 37. Et quamuis ei regulae tantum locus eſſet inter duos fratres: (22. tamen moribus inualuit, vt inter plures quoque regula illa obſeruetur, * et, (23. ſi ſoror cum fratre concurrit, illa ſiue natu minor, ſiue maior ſit, diuidat, fratri relicto iure optionis. Carpzov. *Part. III. Conſt.* 15. *def.* 7.

* Hinc paſſim fratri, natu minimo, etiam circa praedia competit ivs optionis, (*das kohr-recht*,) iſque proinde alicubi vocatur *der kühr-erbe*. At hoc ius nec ad heredes tranſmittitur: Carpz. *Part. III. Conſt.* 15. *Def.* 13. *et* 14. et teſtamento paterno poteſt eripi filio, Carpz. *ibid. def.* 21. immo et materno, vti ſtatuit Richter. *de ſucceſſ. ab inteſtato Sect.* I. *Membr. I. n.* 69. Pleraque, quae de eo iure dicenda erant, habes apud Ge. Beyervm tum in *ſpecim. iur. Germ. Lib. II. cap.* 13. tum in ſingulari diſſertatione, quae eſt in Volumine Diſſertationum eius XII.

§. CCLXXXIIII.

Et hodie alicubi excluduntur adſcendentes.

Similia iuris veteris Germanici veſtigia et in adscendentivm ſucceſſione paſſim deprehendimus. Nam ſicuti olim quaedam gentes Germanicae parentum rationem plane non habebant: (§. 245. et 248.) ita (24. in archiducatu Auſtriaco parentes non capere luctuoſam liberorum hereditatem, teſtatur Finsterw. *Lib. II. Obſ.* 119. Quod an non ex eo tempore mutatum ſit, ignorare ſe fatetur Weing. *faſcic. ſtatut. Lib. I.*

Part.

Digitized by

Part. III. pag. 65. Et quamuis (25. Saxones, qui olim matrem vna cum patre ad ſucceſſionem non vocabant, (§. 250.) vtrumque parentem hodie ſimul admittant : CONST. AVG. XVII. *Part. III.* (26. patri tamen vſumfructum in portione matris adquiri, volunt. CONSVLT. SAX. *Tom. I. Part. II. n. 23.*

§. CCLXXXV.

Sed et (27. IVRE LVB. *Lib. II, tit. 2. art. 1. et 7.* fratres et ſorores tum ſeparati, tum non ſeparati, praeferuntur parentibus in bonis fratris vel ſororis ſeparati ; contra (28. filio filiaeue, qui quaeue adhuc in ſacris parentum eſt, parentes ſuccedunt, excluduntque fratres ac ſorores : COTHMANN. *Vol. III. Conſil. 46. n. 16.* Denique (29. auus auiaque, ſiue paterni, ſiue materni, a fratribus ſororibusue etiam vnilateralibus plane excluduntur. IVS LVBEC. *ibid. art. 17.* Poſtremo (30. IVRE PRVSS. *Lib. V. tit. 12. art. 2. §. 1.* vterque parens ſuperſtes ex iuris ciuilis praeſcripto ſuccedit : alterutro praemortuo, * alter ſuperſtes a fratribus ſororibuſque germanis ſaltim in bonis, quae a parentibus ad liberos peruenerunt, excluditur. STRYK. *de ſucceſſ. ab inteſt. Diſſ.* II. *cap. 3.* §. 12.

Aliquando etiam iure Lubecenſi et Pruſſico.

* Vocant hoc Pruſſi *ſinum ruptum* : idque ius paullulum mutatum videri poſſet in noua huius iuris Pruſſici editione, quae potentiſſimi FRIDRICI GVILIELMI Regis anno MDCCXXII. auſpiciis prodiit. En verba : *Wann es ſich dann begäbe, daſs die kinder vor den eltern abſtürben, vnd erſtlich alſo, daſs die abgeſtorbene perſon keine eheliche kinder oder kinder-kinder, aber doch eheliche vater vnd mutter nach ihr im lebem verlieſs, da ſoll derſelben verlaſſenſchafft, ſofern* DER BVSEN NICHT GETRENNET *(da ſie etwas eigenes gehabt, ſolchem ihren vater vnd mutter zugleich mit einander, vnangeſehen, daſs noch der altvater oder altmutter vorhanden,) oder welches vnter ihnen im leben wäre, allein erblich zufallen. Dannenhero ſo vnter vater vnd mutter eins zuvor mit tods abgegangen wäre, erbt das übrige allein, vnd ſchlieſſet die andern eltern in auffſteigender linie aus.* At poſtea tamen §. 5. confirmatur ius antiquum : *Iſt aber eins von den beyden geſtorben, alſo das dem* BVSEM *zertrennet, oder gebrochen iſt, die theilung ſey geſchehen, oder nicht, ſo ſeynd ſeine ſchweſtern vnd brüder in den angefallenen anererbten gütern, ſie ſeyn väterlich, oder mütterlich, ſeine nächſte erben von rechts wegen.*

§. CCLXXXVI.

Quemadmodum deinde olim parentes, liberorum hereditatem cernentes, defuncti fratres et ſorores, multoque magis eorum liberos, excludebant : (§. 250.) ita (31. id et hodie obtinet in Saxonia, vbi parentes defuncti fratribus ſororibuſque germanis omnino praeferuntur. CARPZ. *Part. III. Conſt. 17. def. 6.*

In Saxonia cum adſcendentibus non concurrunt

fratres et ſorores.

6. BERLICH. *Part. III. concl.* 23. *extr.* Quin (32. et auos aviaſque fratribus ſororibuſque ibi praeferri, monet REINH. *Part. I. diſſ. iur. ciu. et Sax.* 29.

§. CCLXXXVII.

Alicubi bona hereditaria redeunt ad eum parentem, a quo profecta ſunt.

Corollarii loco addimus, (33. iis locis vbi ius recadentiae inualuit, (§. 143.) bona, a patre ad filium profecta, ad patrem auumue paternum; a matre ad matrem auumue maternum deuolui, ibique (34. obtinere paroemiam iuris: *t' Goet moet gaen, van daar't gekomen is*, quam (35. in Zeelandia, Hollandiaque meridionali, inter Rhenum et Moſam obtinere, obſeruat SIM. VAN LEEVWEN *cenſ. forenſ. Part. I. Lib. III. cap.* 14. *n.* 2. *et cap.* 16. *n.* 1.

§. CCLXXXVIII.

Inter collaterales non valet ius repraeſentationis in Saxonia.

Quod ad COLLATERALIVM ſucceſſionem attinet, (36. pleraque, quae ex iure Saxonico ſupra obſeruauimus, (§. 260.) et hodie fere vbique obſeruantur, vbi ius Saxonicum viget, praeterquam quod, (37. quae de nepotibus neptibuſque ex fratribus ſororibuſque, iure repraeſentationis non gaudentibus, diximus, poſt CONSTITVTIONEM CAROLI V. *Imp. anno* 1521. promulgatam, non quidem in electoratu Saxonico, * at quibusdam tamen aliis locis, vbi alioquin iure Saxonico viuitur, ſunt abrogata, veluti in ducatu Magdeburgico, Principatu Halberſtadienſi, Epiſcopatu Numburgico, RICHT. *de ſucceſſ. ab inteſt. Sect. III. Membr.* 1. *n.* 9. *et* 13. immo et in ciuitatibus illis Neomarchicis, quibus alioquin iuris Saxonici vſus relictus eſt. STRYK. *de ſucceſſ. ab inteſt. diſſ. III. cap.* 3. §. 13. *ſequ.*

* Saxoniae Electorem, interpoſita proteſtatione, ſibi ſuisque prouinciis id ius reſeruaſſe, vulgo tradunt, quos ſequitur etiam THOMAS. *diſſert. de poteſtate ſtatuum imperii legiſlat.* §. 55. Et meminimus, nos ſimilia tradidiſſe *in hiſt. iur. Lib. II.* §. 106. Sed nuper admodum obſeruauit amiciſſimus CHR. GOTTOFR. HOFFMANN. *in diſſ. de Ioachini I. Elect. Brand. conſtit. de ſucceſſ. p.* 92. *ſequ.* hanc proteſtationem nec a Fridrico, Electore, ſed a Georgio, Duce Saxoniae, eſſe, nec ad conſtitutionem illam de ſucceſſione nepotum ex fratre vel ſorore vna cum fratribus et ſororibus defuncti, ſed ad controuerſiam, quae inter Saxones et Bauaros de iure προεδρίας gliſcebat, pertinere. Meretur profecto elegantiſſima obſeruatio diſquiſitionem paullo accuratiorem, quam commodiori tempori reſeruamus.

§. CCLXXXVIIII.

Non fert tamen inſtituti ratio, vt ad ſpeciales quaeſtiones de ſucceſſione collateralium, et infinitam ſtatutorum varietatem, progrediamur, quum iuris tantum veteris patrii reliquias, et veluti oſſa legere conſilium ſit. Praeclaram hic nobis operam nauauit SIM. VAN LEEVWEN, qui *Part. I. cenſ. for. Lib. III. cap.* 16. ſucceſſionem ſtatutariam Hollandiae et Zeelandiae, *cap.* 17. dioeceſeos Vltraiectinae, Gelriae, Zutphaniae et Tranſyluaniae; *cap.* 18. Brabantiae, epiſcopatus Leodienſis, et comitatus Flandriae; *cap.* 19. Galliae ſiue Franciae, *cap.* 20. Angliae et Scotiae; *cap.* 16. Hiſpaniae et Italiae; *cap.* 22. Germaniae, Pruſſiae, Poloniae, Hungariae, tam prolixe tamque accurate, ipſis editis harum gentium ſtatutis, explicauit, vt otium nobis feciſſe videatur. De ſtatutaria collateralium ſucceſſione cur non agendum prolixius?

§. CCLXXXX.

Non minor eſt ſtatutorum varietas circa ſucceſſionem CONIVGVM. Sic (38. in Saxonia maritus adhuc eſt heres rerum mobilium vxoris, praeterquam vtenſilium. STRYK. *de ſucceſſ. ab inteſt. diſſ.* 4. *cap.* 3. §. 8. *ſequ.* ſalua tamen liberis legitima. RICHT. *de ſucceſſ. ab inteſt. Sect. IIII. membr.* 2. *n.* 33. (39. Vxori, deficientibus liberis, triens; iiſdem exſtantibus, quarta bonorum, collatis propriis, debetur. CARPZ. *Part. III. conſt.* 20. *def.* 17. *et* 24. (40. In ducatu Brunſuicenſi et alibi paſſim, liberis non exſtantibus, vniuerſa bona capit ſuperſtes coniux. STRYK. *de ſucceſſ. ibid.* §. 18. (41. In Marchia et alibi ex veteris communionis principiis ſuperſtes capit dimidiam bonorum communium, ſaluo tamen iure, ſua bona, ſi ita viſum eſſet, repetendi. KOHL. et HOFFM. *ad Conſt. Ioachimi* I. *Elect.* et STRYK. *ibid.* §. 19. *ſequ.* Succeſſio coniugum variat quam maxime.

§. CCLXXXXI.

Sed hic quoque finem vix eſſemus reperturi, ſi per omnia ſtatuta ire vellemus. Eam quoque operam praeter SIM. VAN LEEVWEN, CHR. RODENBVRGIVM, STRYKIVM, MEVIVM, FR. ZYPAEVM occuparunt iam alii, et nos iam quaedam eius generis ſupra, vbi de dote aliiſque lucris nuptialibus actum eſt, attigimus, quae hic repetere nolumus. De ea qui egerint?

§. CCLXXXXII.

Denique (42. et in FISCI SVCCESSIONE eadem fere omnia hodie obtinere obſeruamus, quae ſupra ex legibus Germanorum antiquis obſeruauimus. Huic enim (43. non modo hereditas vacans, Succeſſio fiſci qualis in Germania?

vacans, deficientibus omnibus propinquis; ſed et (44. in Saxonia res expeditoriae et vtenſiles cedunt, ſi deſit agnatus, vel cognata, quibus illae ex lege debentur. Carpz. *Part. III. Conſt.* 38. *def.* 13. *n.* 5. (45. Id quoque ex priſco iure patrio fere vbique ſupereſt, quod fiſci iura et ciuitates quaedam exercent, et in Saxonia quidem, quibus eſt merum imperium, alibi, quibus id ius vel priuilegio, vel conſuetudine et diuturno vſu, quaeſitum eſt. Stryk. *ibid.* §. 1. *et* 9.

TIT. X.

DE ADQVIRENDA VEL OMITTENDA HEREDITATE.

§. CCLXXXXIII.

Tranſitio.

QVum adhuc de hereditate, tum pactis, tum teſtamentis, tum denique lege delata, ſatis prolixe actum ſit: ſupereſt, vt et de modis, quibus ea adquiritur vel omittitur, itemque de natura hereditatis iam adquiſitae, denique de ipſorum heredum obligatione, quaedam ſubiiciamus.

§. CCLXXXXIIII.

An Germanis quidam fuerint heredes neceſſarii, itemque ſui et neceſſarii.

Heredum necessariorvm, svorvm et necessariorvm, ac volvntariorvm, diſcrimen ignoraſſe maiores noſtros, omneſque heredes in Germania fuiſſe voluntarios, tam certum videtur, quam quod certiſſimum. Lex ſane Bvrg. *tit.* 65. liberis non minus, quam aliis heredibus, indulget facultatem hereditatem paternam repudiandi: *Si qua mulier vidua filios habens, ſi et illa, et filii ſui ceſſionem de bonis mariti, qui defunctus eſt, fecerint, nullam ex debito ipſius repetitionem aut calumniam patiatur.* Multo minus, quae de ſeruo, herede neceſſario, commenti ſunt iuriſperiti Romani, moribus Germanorum vmquam viſa ſunt quadrare. *

*Quae ratio fuerit Romanis inſtituendi heredem neceſſarium, alibi expoſuimus, nempe, ne ignominia adficiatur teſtator poſt mortem, ſi bona eius nomine diſtraherentur. Vid. *antiqu. noſtr. Rom. Lib. I. tit.* 6. §. 11. At Germani vix videntur ignominia notaſſe heredes, quorum nomine bona vendebantur, ſed eos, qui plus aeris alieni contraxerant, quam exſoluere poſſent.

poſſent. Et hinc inſtitutio ſerui, tamquam heredis neceſſarii, vix profuiſſet in Germania ad euitandam ignominiam.

§. CCLXXXV.

Quamuis vero Germani ignorarent heredes neceſſarios: non tamen dubium erat, quin liberi ipſo iure heredes eſſent, adeoque nec apud Germanos his opus videretur aditione. Quod ad reliquos heredes attinet, illis intra annum et diem adeunda erat hereditas, in rebus mobilibus conſiſtens: in immobilibus intra triginta annos, annum et diem: ſiquidem eo elapſo tempore, heres mortuus iudicabatur, et nemine interim adeunte, fiſcus hereditatem occupabat. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 28. *ſequ.* Quod tamen IVRE ALAMANNICO aliter ſe habebat. Vnde idem IVS PROV. *d. art.* 19. *Des reichs ſchatzkammer, vnd die ſchwaben, mögen ſich nimmer erſchweigen an ihrem angefallenen erb, dieweil ſie es bezeugen mögen.* Quod repetitur etiam in IVRE PROV. ALAMANNICO *cap.* 270. * *Aditio quando fieri debuerit apud Germanos?*

* Hoc ius originem huius inſignis priuilegii refert ad Carolum M. *Diſs recht,* inquit SPECVLATOR, *gab der konig Carle den Schvvaben, das beſchah bey den zeiten, da die Römer den pabſt Leo hätten erblendet, der vvas konigs Carls rechter bruder, darnach beſaſs der könig Carle Rom, da fiel der hertzog Gerolt von Schvvaben bey den erſten in Rom, vnd mit der Schvvaben hülff gevvan der könig Carle Rom, vnd geſieget den Römern an.* Sed nugas, vti ſolet, agit SPECVLATOR. Quis enim vmquam audiuit, Leonem Papam Caroli M. fratrem germanum fuiſſe? Et quis ignorat, Geroldum, Baioariae et Sueuiae praefectum, anno DCCLXXXXVIII. in praelio cum Hungaris commiſſo occubuiſſe, adeoque ſequente anno DCCC. non intereſſe potuiſſe expeditioni Romanae, qua Carolus M. Leonem reſtituit? Vid. REGIN. PRVM. *ad ann. DCCLXXXXVIIII. et ſequ.* HERM. CONTR. *ad eumd. ann.*

§. CCLXXXVI.

Id vero veluti commune erat Germanorum principium, quod poſſeſſio hereditatis non adprehendenda eſſet ſollemniter, ſed ipſo iure in heredem tranſiret. Quamuis enim leges veteres ea de re taceant: communem tamen hanc fuiſſe regulam: *le mort ſaiſit le vif*, oſtendit SIM. VAN LEEVWEN. *cenſ. for. Lib. III. cap.* 19. §. 3. ex conſuetudinibus Burgundicis, §. 8. ex Britannicis, §. 9. ex Pariſienſibus, §. 11. ex Burbonicis, §. 12. ex Pictauienſibus, *cap.* 18. §. 4. ex Bruxellenſibus, §. 6. ex Leodienſibus, §. 7. *et* 9. ex Flandricis. Et quis ignorat, de Galliae, Hiſpaniae, Italiae moribus id ſingulari, eoque laborioſiſſimo opere, demonſtraſſe ANDR. TIRAQVELLVM, et de Belgicis idem *Poſſeſſio ipſo iure tranſibat ad heredes apud Gallos.*

 teſtari

teſtari PETR. GVDEL. *iur. nouiſſ. Lib.* II. *cap.* 18. PEREZ. *in tit. C. de edicto D. Hadr. toll. n.* 11.

§. CCLXXXXVII.

Idem et moribus Germaniae obtinuit.

Nec minus id verum eſt de vniuerſa Germania. Multis id iam demonſtrauit SCHILTERVS *Exerc. XV. §.* 13. *ſequ.* ex IVRE PROV. SAX. *Lib. III. art.* 83. et IVRE SVEV. *cap.* 245. Sed maxime perſpicuus eſt locus IVRIS SAX. *d. art.* 83. *Was man einem mann oder weibe giebet, das ſollen ſie drey tage beſitzen. Was ſie aber mit clage erfordern, oder auff ſie* GEERBT *iſt, das dürffen ſie nicht beſitzen.* Vbi rationem reddit GLOSSA: *Kombt einer alſo in eines dinges beſitzung, ob ihm erb anſtierbt. Dis gut hat er albereit in ſeinen gewehren, vnd beſitzt es.* Quum itaque iuris Germanici merito eſſe credatur, quidquid omnes originis Germanicae gentes commune habuerunt: (*Lib. I.* §. 14.) recte ſane, ſaltim de maioribus noſtris, adfirmauit CARPZ. *Part. III. Conſt. 9. def.* 27. vniuerſalem hanc eſſe gentium tantum non omnium conſuetudinem.

§. CCLXXXXVIII.

Obligatio heredis vniuerſalis apud Francos et Burgundiones.

Adita hereditate, non erat dubium, quin heres ſuccederet in iura omnia et obligationes defuncti. Et iure quidem FRANCORVM initio ſoluebat aes alienum, quantumcumque illud eſſet, ſiue ei expungendo ſufficerent bona, ſiue non ſufficerent. Ita enim LEX RIPVAR. *Tit.* 67. §. 1. *Si quis moriens debitoſus, aut teſtamenta venditionis, ſeu traditionis aliqua fecerit, ſi aut filias non reliquerit, quicumque de parentibus ſuis, quantum vnus ſolidus valet, in hereditatem acceperit, vel weregildas eius, ſi interfectus fuiſſet, legitime obueniebat, omne debitum per ipſum ſolui iudicatur, et omne factum eius ideoneare ſtudeat, aut culpam incurrat.* Idque etiam apud BVRGVNDIONES iuris fuiſſe, non obſcure prodit eorum LEX *tit.* 65. *§.* 2. *Si certe praeſumſerint hereditatem, debitum paternum ſoluant.*

§. CCLXXXXVIIII.

Reſtrictior apud Wiſigothoſ.

At paullo benigniores fuere aliae gentes Germanicae. WISIGOTHI enim heredes non patiebantur onerari vltra vires hereditatis. LEX WISIG. *Lib. VII. tit.* 5. §. 8. *Si vero poſt eius obitum eadem, quae praedicta eſt, fraus inueniri potuerit, id, quod auctor ſpopondit de re eius, aut heredes cum poena etiam ſcripturae * compellendi ſunt petenti perſoluere. Aut ſi fortaſſe maior eſt auctoris ſponſio, vel poena per ſcripturam taxata, quam eſſe conſtat*

eius

eius hereditatis, ſi nolunt heredes ſatisfacere pro auctore, de eo ſaltim, quod ex rebus eius poſſident, cogendi ſunt cauſſidico facere ceſſionem.

* Haec non ſolum poena conuentionalis eſt, quam ipſi contrahentes ſibi inuicem ſtipulabantur, verum etiam, quam ſcripturae alicuius auctores injungebant tertio, eam pactionem violaturo. e. g. *Si quis vero, quod futurum eſſe non credimus, huic voluntati noſtrae pro quibuslibet conuentionibus aliquem de heredibus noſtris, aut iudicum ſaeua cupiditas, vel quaelibet perſona obuius repetitor exſtiterit, a conuentu omnium Chriſtianorum, vel liminibus eccleſiarum extraneus, habeatur, et Iudae, traditoris Domini noſtri Ieſu Chriſti, perfruatur conſortio. Inſuper etiam inferat partibus ipſius monaſterii, vel fratrum, ibidem conſiſtentium, ſociato quoque tam in actibus, quam in perſequutione ſacratiſſimo fiſco, auri lib. tant. argenti pond. tant. et ne ſic quidem, quod repetit, valeat euindicare.* Form. Lindenbrog. XIII. Talia paſſim occurrunt non modo in Marcvlfi aliorumque formulis, verum etiam in vetuſtiſſimis diplomatibus, veluti apud Mir. *donat. piar. cap.* 3. 5. 6. 8. *dipl. Belg. Lib.* I. *cap.* 19. 23. 25. 27. 38. *Libr. II. cap.* 4. *donat. Belg. Lib. I. cap.* 20. 24. 26. 36. Quin apud eumdem *donat. Lib. II. cap.* 29. in charta Balduini, Comitis Hannoniae, ſcripta an. MLXXXVIIII. is, qui confirmationis decretum temerare praeſumſerit, iudicii ſeueritatem ſentire iubetur, et experiri detrimentum centum librarum, ſi liber homo ſit, non liber autem oculorum amiſſionem.

§. CCC.

Aeque benigni fuere Saxones, qui et ipſi heredes non obligatos putabant vltra vires hereditatis: immo ne ex bonis quidem immobilibus nomen defuncti expungi iubebant, ſed ex mobilibus tantum. Ivs prov. Sax. *Lib. I. art.* 6. *Wer das erbe nimmt, der ſoll zu rechte die ſchuld gelten,* * *als ferne das erbe wâbret, mit der fahrenden haab.* (in editionibus vetuſtioribus: *alſo vere, als dat erve wares an varnder haue.*) Immobilia enim ne inter viuos quidem alienare poterat poſſeſſor, ſine heredum conſenſu: (§. 162.) adeoque nec aequum videbatur, vt onerarentur aere alieno, ab heredibus etiam inſciis exſoluendo. Itemque apud Saxones.

* Immo et haec duriſſima conditio iniungitur eodem *articulo* 6. creditori, vt debitoris heredem, debiti ignarum, conuincat teſtimonio ſeptuaginta duorum virorum, *die alle ſchöppenbar frey, oder ſonſt ehelich geborne leute ſeyn. Was aber einem mann wiſſentlich iſt, der darff mann ihn nicht erinnern mit gezeugen.* Quam ſanctionem de LXXII. teſtibus, tamquam Scripturae S. aduerſam, reiicit Gregorivs XI. *in bulla art.* 10.

§. CCCI.

§. CCCVI.

Dierum triginta in Germania heredibus conceduntur induciae.

Id vero ſingulare eſt, quod quemadmodum iure Romano heredes ante nouem dies, a morte defuncti elapſos, conueniri non poterant, *Nou. CXV. cap.* 5. vt eo commodius iuſta facerent mortuo: ita Germani, et maxime Saxones, iam inde ab antiquiſſimis temporibus * inducias triginta dierum heredibus conceſſerint, intra quos nec conueniri ab vllo, nec de erciſcunda familia cogitare, nec quiſquam in poſſeſſionem, praeterquam rerum ſeruandarum cauſſa, ire poſſet. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 20. 22. 33. *Lib. III. art.* 15. IVS PROV. ALAM. *cap.* 261. IVS LVBEC. *Lib. II. art.* 27.

* Primo enim iam CAPITVLAR. *Lib. VI. cap.* 198. *edit. Baluz.* legimus: *Fideles pro defunctis amicorum et parentibus eorum ieiunia et oblationes triginta dies adimplere faciant*: ex quo loco ſimul intelligimus, cur triginta illi dies conceſſi ſint heredibus, nimirum ut iuſta haec fierent mortuis, et animabus, igne purgatorio excruciatis, heredum precibus ac ieiuniis conſuleretur. Deinde iam doctiſſimus HORNIVS *diſſ. de die triceſimo* §. 6. attulit locum inſignem DITMARI *Merſeb. Lib. V. p.* 366. edit. LEIBNIT. qui de caede Eccardi Marchionis agens: *Hermannus*, inquit, *accepta nece parentis improuiſa, cum matre celeriter occurrit, patriſque corpus ingenti luctu ſuſcipiens, in vrbe, quae Iena dicitur, ſepeliri fecit. Peracto autem* TRICESIMO DIE, *domina Suonachilda ad Miſni proficiſcitur cum filiis.*

§. CCCVII.

Heres receptis teſtamentis et ex quaſi contractu tenetur.

Ex quo teſtamentorum vſum aliquem habere coeperunt Germani, eaque fere tantum pro animae remedio condere ſoliti ſunt: non dubitatum eſt, quin et ex quaſi contractu aditionis tenerentur heredes ad ea exſoluenda, quae defuncto legare, vel alio quocumque modo relinquere placuiſſet. Plures, quae huc pertinent leges ſunt in CAPITVLAR. *reg. Franc.* veluti *Lib. VII.* §. 246. *et ſequ.* quibus hereditas iis, qui quid contra voluntatem defuncti feciſſent, tamquam indignis eripi iubetur: nec non LVDOV. PII *Addit. III. Capitul.* §. 55. vbi cauet Imperator, *vt ſi heredes iuſſa teſtatoris non impleuerint, ab epiſcopo loci illius omnes res, quae his relictae ſint, auferantur cum fructibus et ceteris emolumentis, vt vota defuncti impleantur* *.

* Nec dubium eſt, quin et iure nouo Alamannico obſtricti fuerint heredes, vt voluntati teſtatoris ſtarent, quum et ab inteſtato ſuccedentes tenerentur quaedam pro defuncti anima ad pias cauſſas dare, ceu patet ex *cap.* 287. In Saxonia vero haec omnia ceſſaſſe, vel inde patet, quod teſtamenta et legata huiuſmodi, ceu ſupra demonſtrauimus, plane ignorarent.

§. CCCVIII.

Digitized by Google

§. CCCVIII.

Ex his ergo, quae diximus, fluunt axiomata: I. Heredes iure Germanico omnes ſunt voluntarii. II. Hereditas non ſollemni aditione, ſed vel ipſo iure, vel qualicumque facto adquiritur. III. Heres non obligatur vltra vires hereditatis, etiamſi non confecerit inuentarium. IIII. Nec praeſtare tenetur omnia facta defuncti. V. Dierum triginta induciae hodie quoque heredibus multis locis conceduntur, intra quod tempus nec conueniri ab aliis, nec ipſi inter ſe familiae erciſcundae iudicio agere poſſunt.

Axiomata de adquirenda omittendaue hereditate.

§. CCCVIIII.

Quum ergo iure Germanico heredes omnes ſint voluntarii: (§. 308. 1.) conſequens eſt (1. vt quae ius Romanum de inſtitutione ſerui vnici, ab obaerato domino ad euitandam ignominiam facta, praecipit, §. 1. 2. *Inſt. qui et ex quib. cauſſ. man.* ea hodiernis moribus non quadrent. THOMAS. *not. ad Inſt. Lib. II. tit.* 19. *p.* 194. (2. Vt inter beneficium abſtinendi, liberis conceſſum, et repudiationem hereditatis, qua non niſi extranei vtebantur, itemque (3. inter immixtionem ſuorum et pro herede geſtionem extraneorum, vix vllum diſcrimen ſit. SIM. VAN LEEVWEN. *cenſ. forenſ. Part. I. Lib. III. cap.* 10. *n.* 15.

Concluſiones de heredibus voluntariis et neceſſariis.

§. CCCX.

Quumque hereditas in Germania non ſollemni aditione, ſed qualicumque facto, adquiratur: (§. 308. 2.) facile reddideris rationem, (4. cur in Saxonia, aliiſque permultis Germaniae locis, vbi non ius Rom. moris patrii luminibus offecit, poſſeſſio in heredem ipſo iure tranſire intelligatur. BEYER. *poſit. ad tit. Dig. de adqu. vel omitt. her.* §. 2. *ſequ.* (5. Cur hereditas non modo per procuratorem, ſpeciali mandato inſtructum, recte adeatur: COLER. *Deciſ.* 202. *n.* 6. CARPZ. *Lib. III. Reſp.* 11. *n.* 10. et *Part. I. Deciſ.* 29. *n.* 4. FINCKELTHVS. *Obſ.* 110. *n.* 8. 9. verum etiam (6. furioſo illa adquiratur per aditionem curatoris: MEV. *Part. IIII. Dec.* 112. VSVS MOD. *Lib. XXVIIII. tit.* 2. §. 5. (7. Cur et non adita hereditas, modo eam repudiatam non conſtet, ad heredes tranſmittatur. * COLER. *deciſ.* 68. *num.* 12. *ſequ.* RICHT. *deciſ.* 67. *n.* 26. CARPZ. *Part. III. Conſt.* 14. *Def.* 15. *n.* 3.

De aditione hereditatis.

§. CCCI.

Apud quos nec facta omnia heres tenebatur praeſtare.

Tantum ergo abeſt, vt aes alienum vltra vires hereditatis exſoluere tenerentur heredes, vt ne reliqua quidem facta defuncti praeſtare indiſtincte cogerentur, ſi in contractum non conſenſiſſent. Sic (1. venditioni ſtare non cogitur filius, multoque minus alius heres, ſi pater venditor ante traditionem deceſſerit. *Stierbt auch einer, der ſein gut einem andern auflaſſen ſoll, deſſen ſohn iſt es nicht pflichtig aufzulaſſen, er habe es dann ſelber mit gelobet, oder bürgen davor geſezzet:* IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 10. nec (2. obligatio defuncti fideiuſſoris ad heredem tranſibat: WEICHB. *art.* 117. nec (3. locationi ſtandum erat, defuncto locatore. IVS PROV. SAX. *Lib. III. art.* 77. Multo minus ergo (4. heres ſoluebat, quod defunctus ex aliquo delicto debebat. *

* Et eo pertinent verba SPECVLATORIS *Lib. I. Art.* 6. *Dieberey, raub, oder ſpiel-geld iſt er (der erbe,) nicht pflichtig zu gelten, noch keine dergleichen ſchuld, denn ſolche, der er nuz oder vviederſtattung empfangen häóte, oder da er vvare bürge für vvorden.* Quod quodammodo refragatur *c. 3. cauſſ. 16. qu. 6. cap. 5. X. de rapt. incend.* Aliquando tamen rem aliter ſe habuiſſe, infra oſtendemus.

§. CCCII.

Heres etiam in iura defuncti ſuccedebat.

Vti vero heredes quodammodo obligationi defuncti ſtare tenebantur: ita et, quae defuncto quis debebat, iure exigebat heres, adeo vt ei et mulcta ſoluenda eſſet, quam vocabant *leudis, vverigeldum, compoſitionem.* IVS ANGL. et WERIN. *tit.* 6. §. 5. LEX ALAM. *tit.* 4. §. 1. *et alibi paſſim:* quamuis in lege ANGLIORVM dubium ſit, ipſene heres obligetur ad ſolutionem leudis, an eam mulctam a delinquente petere debeat. Clarius IVS ALAM. *cap.* 259. *Stierbt ein mann, ſo iſt man ſeinem erben ſchuldig, vvas man ihm gelten ſoll.*

§. CCCIII.

Iure Alam. heres ſoluit aes alienum defuncti.

A Saxonum tamen iure in quibuſdam diſcrepare videtur ALAMANNICVM, quippe quod *cap.* 254. ſine reſtrictione cauet: *Wer erbe nimmt, der ſoll auch tze recht die ſchuldgelten, die der tod mann gelten ſolt, die man vveiſs.* Attamen heredem fideiuſſoris non teneri vltra vires hereditatis, colligi poſſe videtur ex *cap.* 356. Nec ignota debita ex iſtius iuris principiis probanda ſunt 72. teſtibus, ſed ſeptem tantum. *Der gült, der man nicht envvaiſs, die ſol der man ertzeugen auf den todten man ſelb*

ſelb ſiebende. Ex delicto quoque non teneri heredem, nec reſtituere *diebheit, noch ſpiel, noch raub, noch vvucher:* obſeruatur *capite* 255. quamuis et hic quaſdam exceptiones adiungat SPECVLATOR, ex iure Romano, vt videtur, depromtas. *

* Primo enim excipit caſum, ſi defunctus fuerit conuictus, (quum iure ciuili ſufficiat litem conteſtatam eſſe cum defuncto:) *Iſt aber ein ſchuld auf in ertzevvget, an die, die ich yetzund genennet han, die ertzeugte ſchuld ſollens die erben püſſen dem chläger vnd dem richter.* Deinde et tunc obligari dicitur heres, ſi rem huiuſmodi cum defuncto abſumſerit, (iure Rom. ſi factus ſit locupletior.) *Hat er dieſs gut verzehrt mit den erben, ſie ſollen es gelten gar, aber haben ſie das nicht genoſſin, vnd iſt auf den tödten nicht gezeuhet, ſie gelten ſein nicht.* Quamuis haec verba in BERGERIANA non occurrant, in SCHANNATIANA *cap.* 119. vero legantur quidem, ſed haud paullo aliter, nempe ita: *Stirbt aber der, auf den dy clag da get, ſein erben gelten vveder raubigs noch devvbigs gut in ſeiner gevvalt, oder ſy habens dann etleich ſchuld daran, oder ſy habent dann das vnrecht gut, mit den rechten verzert, vnd das man auf ſie behabet, als recht iſt, ſo gelten ſie es mit recht. Die erben gelten auch nicht vvucher, noch ſpiel.*

§. CCCIIII.

Nec dubito, quin IVRE ALAM. obligatus fuerit heres ad facta defuncti praeſtanda, et contractus ab eo initos adimplendos. Nihil ſane in eo reperi, ſimile IVRI SAXONICO. Contra *cap.* 334. diſerte ait SPECVLATOR; *Stierbt der mann, dem das gut alſo (pacht-vveiſs) gelaſſen iſt, ſein erbe tritt an ſeine ſtatt, vnd giebet davon, das iener gelten ſolt. Stierbt auch der herr, ſo gebe man ſeinen erben, das man dem herren geben ſolt.* Et de fideiuſſorum heredibus idem ait *cap.* 325. *vnd vvelcher ſtierbt vnter den bürgen, die erben ſollen ſeinen theil für ihn gelten, ohne ſeine leben, da gilt niemand von, dann ſein ſelbs ſchulde.* Et eiuſdem facta praeſtat.

§. CCCV.

Itaque non adeo neceſſaria, ſaltim iure Saxonico, fuiſſe videtur inuentarii confectio, partim quod ipſa iura patria non obligabant heredem vltra vires hereditatis, adeoque hic non indigebat ad beneficium hoc conſequendum confecto ſollemniter inuentario: SCHILT. *Exerc. XXXVIII.* §. 151. partim quod, ſi lis de viribus hereditatis incideret, inuentarii vice eſſet repertorium, priuatim confectum, et iureiurando heredis confirmatum, (*eine eidliche ſpecification.*) Et hinc WESENBEC. *Conſil. XIII. n.* 24. ad id tantum vtilem eſſe ait confectionem ſollemnem inuentarii, ne heres poſtea ad iuſiurandum adigatur. An neceſſarium Germanis fuerit beneficium inuentarii?

§. CCCVI.

§. CCCI.

Apud quos nec facta omnia heres tenebatur praeſtare.

Tantum ergo abeſt, vt aes alienum vltra vires hereditatis exſoluere tenerentur heredes, vt ne reliqua quidem facta defuncti praeſtare indiſtincte cogerentur, ſi in contractum non conſenſiſſent. Sic (1. venditioni ſtare non cogitur filius, multoque minus alius heres, ſi pater venditor ante traditionem deceſſerit. *Stierbt auch einer, der ſein gut einem andern auflaſſen ſoll, deſſen ſohn iſt es nicht pflichtig aufzulaſſen, er habe es dann ſelber mit gelobet, oder bürgen davor geſezzet* : IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 10. nec (2. obligatio defuncti fideiuſſoris ad heredem tranſibat : WEICHB. *art.* 117. nec (3. locationi ſtandum erat, defuncto locatore. IVS PROV. SAX. *Lib. III. art.* 77. Multo minus ergo (4. heres ſoluebat, quod defunctus ex aliquo delicto debebat. *

* Et eo pertinent verba SPECVLATORIS *Lib. I. Art.* 6. *Dieberey, raub, oder ſpiel-geld iſt er* (*der erbe,*) *nicht pflichtig zu gelten, noch keine dergleichen ſchuld, denn ſolche, der er nuz oder wiederſtattung empfangen häte, oder da er wäre bürge für worden.* Quod quodammodo refragatur *c.* 3. *cauſſ.* 16. *qu.* 6. *cap.* 5. *X. de rapt. incend.* Aliquando tamen rem aliter ſe habuiſſe, infra oſtendemus.

§. CCCII.

Heres etiam in iura defuncti ſuccedebat.

Vti vero heredes quodammodo obligationi defuncti ſtare tenebantur : ita et, quae defuncto quis debebat, iure exigebat heres, adeo vt ei et mulcta ſoluenda eſſet, quam vocabant *leudis, vverigeldum, compoſitionem.* IVS ANGL. et WERIN. *tit.* 6. §. 5. LEX ALAM. *tit.* 4. §. 1. *et alibi paſſim* : quamuis in lege ANGLIORVM dubium ſit, ipſene heres obligetur ad ſolutionem leudis, an eam mulctam a delinquente petere debeat. Clarius IVS ALAM. *cap.* 259. *Stierbt ein mann, ſo iſt man ſeinem erben ſchuldig, vvas man ihm gelten ſoll.*

§. CCCIII.

Iure Alam. heres ſoluit aes alienum defuncti.

A Saxonum tamen iure in quibuſdam diſcrepare videtur ALAMANNICVM, quippe quod *cap.* 254. ſine reſtrictione cauet : *Wer erbe nimmt, der ſoll auch tze recht die ſchuldgelten, die der tod mann gelten ſolt, die man vveiſs.* Attamen heredem fideiuſſoris non teneri vltra vires hereditatis, colligi poſſe videtur ex *cap.* 356. Nec ignota debita ex iſtius iuris principiis probanda ſunt 72. teſtibus, ſed ſeptem tantum. *Der gült, der man nicht envvaiſs, die ſol der man ertzeugen auf den todten man*

ſelb

ſelb ſiebende. Ex delicto quoque non teneri heredem, nec reſtituere *diebheit, noch ſpiel, noch raub, noch vvucher:* obſeruatur *capite* 255. quamuis et hic quaſdam exceptiones adiungat SPECVLATOR, ex iure Romano, vt videtur, depromtas. *

* Primo enim excipit caſum, ſi defunctus fuerit conuictus, (quum iure ciuili ſufficiat litem conteſtatam eſſe cum defuncto:) *Iſt aber ein ſchuld auf in ertzevvget, an die, die ich yetzund genennet han, die ertzeugte ſchuld ſollens die erben püſſen dem chlåger vnd dem richter.* Deinde et tunc obligari dicitur heres, ſi rem huiuſmodi cum defuncto abſumſerit, (iure Rom. ſi factus ſit locupletior.) *Hat er dieſs gut verzehrt mit den erben, ſie ſollen es gelten gar, aber haben ſie das nicht genoſſin, vnd iſt auf den tödten nicht gezeuhet, ſie gelten ſein nicht.* Quamuis haec verba in BERGERIANA non occurrant, in SCHANNATIANA *cap.* 119. vero legantur quidem, ſed haud paullo aliter, nempe ita: *Stirbt aber der, auf den dy clag da get, ſein erben gelten vveder raubigs noch devvbigs gut in ſeiner gevvalt, oder ſy habent dann etleich ſchuld daran, oder ſy habent dann das vnrecht gut, mit den rechten verzert, vnd das man auf ſie behabet, als recht iſt, ſo gelten ſie es mit recht. Die erben gelten auch nicht vvucker, noch ſpiel.*

§. CCCIIII.

Nec dubito, quin IVRE ALAM. obligatus fuerit heres ad facta defuncti praeſtanda, et contractus ab eo initos adimplendos. Nihil ſane in eo reperi, ſimile IVRI SAXONICO. Contra *cap.* 334. diſerte ait SPECVLATOR; *Stierbt der mann, dem das gut alſo (pacht-vveiſs) gelaſſen iſt, ſein erbe tritt an ſeine ſtatt, vnd giebet davon, das iener gelten ſolt. Stierbt auch der herr, ſo gebe man ſeinen erben, das man dem herren geben ſolt.* Et de fideiuſſorum heredibus idem ait *cap.* 325. *vnd vvelcher ſtierbt vnter den bürgen, die erben ſollen ſeinen theil für ihn gelten, ohne ſeine leben, da gilt niemand von, dann ſein ſelbs ſchulde.* Et eiuſdem facta praeſtat.

§. CCCV.

Itaque non adeo neceſſaria, ſaltim iure Saxonico, fuiſſe videtur inuentarii confectio, partim quod ipſa iura patria non obligabant heredem vltra vires hereditatis, adeoque hic non indigebat ad beneficium hoc conſequendum confecto ſollemniter inuentario: SCHILT. *Exerc. XXXVIII.* §. 151. partim quod, ſi lis de viribus hereditatis incideret, inuentarii vice eſſet repertorium, priuatim confectum, et iureiurando heredis confirmatum, (*eine eidliche ſpecification.*) Et hinc WESENBEC. *Conſil. XIII. n.* 24. ad id tantum vtilem eſſe ait confectionem ſollemnem inuentarii, ne heres poſtea ad iuſiurandum adigatur. An neceſſarium Germanis fuerit beneficium inuentarii?

§. CCCVI.

§. CCCVI.

Dierum triginta in Germania heredibus conceduntur induciae.

Id vero ſingulare eſt, quod quemadmodum iure Romano heredes ante nouem dies, a morte defuncti elapſos, conueniri non poterant, *Nou. CXV. cap.* 5. vt eo commodius iuſta facerent mortuo: ita Germani, et maxime Saxones, iam inde ab antiquiſſimis temporibus * inducias triginta dierum heredibus conceſſerint, intra quos nec conueniri ab vllo, nec de erciſcunda familia cogitare, nec quiſquam in poſſeſſionem, praeterquam rerum ſeruandarum cauſſa, ire poſſet. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 20. 22. 33. *Lib. III. art.* 15. IVS PROV. ALAM. *cap.* 261. IVS LVBEC. *Lib. II. art.* 27.

* Primo enim iam CAPITVLAR. *Lib. VI. cap.* 198. *edit. Baluz.* legimus: *Fideles pro defunctis amicorum et parentibus eorum ieiunia et oblationes triginta dies adimplere faciant*: ex quo loco ſimul intelligimus, cur triginta illi dies conceſſi ſint heredibus, nimirum ut iuſta haec fierent mortuis, et animabus, igne purgatorio excruciatis, heredum precibus ac ieiuniis conſuleretur. Deinde iam doctiſſimus HORNIVS *diſſ. de die tricesimo* §. 6. attulit locum inſignem DITMARI *Merſeb. Lib. V. p.* 366. edit. LEIBNIT. qui de caede Eccardi Marchionis agens: *Hermannus*, inquit, *accepta nece parentis improuiſa, cum matre celeriter occurrit, patriſque corpus ingenti luctu ſuſcipiens, in vrbe, quae Iena dicitur, ſepeliri fecit. Peracto autem* TRICESIMO DIE, *domina Suonachilda ad Miſni proficiſcitur cum filiis.*

§. CCCVII.

Heres receptis teſtamentis et ex quaſi contractu tenetur.

Ex quo teſtamentorum vſum aliquem habere coeperunt Germani, eaque fere tantum pro animae remedio condere ſoliti ſunt: non dubitatum eſt, quin et ex quaſi contractu aditionis tenerentur heredes ad ea exſoluenda, quae defuncto legare, vel alio quocumque modo relinquere placuiſſet. Plures, quae huc pertinent leges ſunt in CAPITVLAR. *reg. Franc.* veluti *Lib. VII.* §. 246. *et ſequ.* quibus hereditas iis, qui quid contra voluntatem defuncti feciſſent, tamquam indignis eripi iubetur: nec non LVDOV. PII *Addit. III. Capitul.* §. 55. vbi cauet Imperator, *vt ſi heredes iuſſa teſtatoris non impleuerint, ab epiſcopo loci illius omnes res, quae his relictae ſint, auferantur cum fructibus et ceteris emolumentis, vt vota defuncti impleantur* *.

* Nec dubium eſt, quin et iure nouo Alamannico obſtricti fuerint heredes, vt voluntati teſtatoris ſtarent, quum et ab inteſtato ſuccedentes tenerentur quaedam pro defuncti anima ad pias cauſſas dare, ceu patet ex *cap.* 287. In Saxonia vero haec omnia ceſſaſſe, vel inde patet, quod teſtamenta et legata huiuſmodi, ceu ſupra demonſtrauimus, plane ignorarent.

§. CCCVIII.

§. CCCVIII.

Axiomata de adquirenda omittendaue hereditate.

Ex his ergo, quae diximus, fluunt axiomata: I. Heredes iure Germanico omnes ſunt voluntarii. II. Hereditas non ſollemni aditione, ſed vel ipſo iure, vel qualicumque facto adquiritur. III. Heres non obligatur vltra vires hereditatis, etiamſi non confecerit inuentarium. IIII. Nec praeſtare tenetur omnia facta defuncti. V. Dierum triginta induciae hodie quoque heredibus multis locis conceduntur, intra quod tempus nec conueniri ab aliis, nec ipſi inter ſe familiae erciſcundae iudicio agere poſſunt.

§. CCCVIIII.

Concluſiones de heredibus voluntariis et neceſſariis.

Quum ergo iure Germanico heredes omnes ſint voluntarii: (§. 308. 1.) conſequens eſt (1. vt quae ius Romanum de inſtitutione ſerui vnici, ab obaerato domino ad euitandam ignominiam facta, praecipit, §. 1. 2. *Inſt. qui et ex quib. cauſſ. man.* ea hodiernis moribus non quadrent. THOMAS. *not. ad Inſt. Lib. II. tit.* 19. *p.* 194. (2. Vt inter beneficium abſtinendi, liberis conceſſum, et repudiationem hereditatis, qua non niſi extranei vtebantur, itemque (3. inter immixtionem ſuorum et pro herede geſtionem extraneorum, vix vllum diſcrimen ſit. SIM. VAN LEEVWEN. *cenſ. forenſ. Part. I. Lib. III. cap.* 10. *n.* 15.

§. CCCX.

De aditione hereditatis.

Quumque hereditas in Germania non ſollemni aditione, ſed qualicumque facto, adquiratur: (§. 308. 2.) facile reddideris rationem, (4. cur in Saxonia, aliiſque permultis Germaniae locis, vbi non ius Rom. moris patrii luminibus offecit, poſſeſſio in heredem ipſo iure tranſire intelligatur. BEYER. *poſit. ad tit. Dig. de adqu. vel omitt. her.* §. 2. *ſequ.* (5. Cur hereditas non modo per procuratorem, ſpeciali mandato inſtructum, recte adeatur: COLER. *Deciſ.* 202. *n.* 6. CARPZ. *Lib. III. Reſp.* 11. *n.* 10. et *Part. I. Deciſ.* 29. *n.* 4. FINCKELTHVS. *Obſ.* 110. *n.* 8. 9. verum etiam (6. furioſo illa adquiratur per aditionem curatoris: MEV. *Part. IIII. Dec.* 112. VSVS MOD. *Lib. XXVIIII. tit.* 2. §. 5. (7. Cur et non adita hereditas, modo eam repudiatam non conſtet, ad heredes tranſmittatur. * COLER. *deciſ.* 68. *num.* 12. *ſequ.* RICHT. *deciſ.* 67. *n.* 26. CARPZ. *Part. III. Conſt.* 14. *Def.* 15. *n.* 3.

* Diſſentiunt equidem Hornivs *diſſ. de die triceſimo* §. 28. eumque ſequutus auctor *vſ. mod. digeſt.* §. 6. Sed dum hic concedit, ſollemnem hodie non requiri aditionem, ſed qualemcumque declarationem ſufficere: non multum a doctrina Colери abit eius ſententia.

§. CCCXI.

De inuentario eiuſque beneficio.

Quemadmodum praeterea olim non adeo magnus erat inuentarii, prout in iure Iuſtinianeo deſcribitur, vſus, quia et ſine eo heres vltra vires hereditatis non tenebatur: (§. 308. 3.) ita (8. et hodie in inuentario ſcribendo raro, vel numquam potius, adhibentur ritus, a Iuſtiniano praeſcripti. Thomas. *not. ad inſtit. Lib. II. tit.* 19. Quin, (9. quum eius vice ſit deſignatio iureiurando firmata, illo raro admodum opus eſſe cenſetur, Schilt. *Exerc. XXXVIII.* §. 150. maxime (10. in Saxonia, vbi vltra vires hereditatis heredes non tenentur, etiamſi nullum confecerint inuentarium. Matth. Coler. *de proceſſ. exſequut. Part. I. cap.* 10. *n.* 327. Carpz. *Part. III. Conſt.* 33. *Def.* 18.

§. CCCXII.

De obligatione heredum.

Heredem iure vetere Saxonico non praeſtitiſſe omnia facta defuncti, ſupra obſeruauimus. (§. 308. 4.) Atque ita et recentiore aeuo iudicatum eſſe, teſtantur doctores Saxonici. Vid. Coler. *deciſ.* 8. *n.* 12. Enimuero (11. in ipſa Saxonia poſtea pleraque huius generis nouis legibus abrogata mutataque ſunt, auctoribus iureconſultis, legum Romanarum, quam iuris patrii, amantioribus, et vrgentibus ex *l.* 10. *C. locat.* eos ignorare viam veritatis, qui locationem conductionem, alioſque contractus ad heredes non tranſire, exiſtiment. Ex quo facile patet, (12. multo minus alibi, vbi ſanctior eſt iuris Romani cuſtodia, huius iuris veſtigium aliquod ſupereſſe.

§. CCCXIII.

De die triceſimo.

Denique triceſimum diem (*den dreyſſigſten*) et hodie in re hereditaria paſſim religioſe obſeruari, ſingulari diſſertatione *de die triceſimo* obſeruauit Casp. Hornivs, docuitque (13. intra hoc ſpatium, et quidem ſtatim poſt mortem eius, qui hereditatem reliquit, obſignandas eſſe res mobiles, (14. curandum eſſe funus, et quidem a vidua, cum conſilio heredum, vel ab aliis, quibus id officium incumbit: at (15. non prius, quam exacto hoc triginta dierum ſpatio, dimittendos famulos et ancillas, nec (16. in poſſeſſionem hereditatis eundum, et nec (17. creditoribus fas eſſe, heredes actione pulſare, nec (18. heredibus,

redibus, aperire teſtamentum, vel (19. conficere inuentarium, vel (20. familiam erciſcere: Quamuis (21. quae poena immineat iis, qui intra triceſimum diem heredum quietem turbant, non inter omnes conſtet. Vid. HORN. *ibid.* §. 50. *ſequ.*

TIT. XI

DE IVRE PIGNORIS.

§. CCCXIIII.

SVpereſt quartum ius in re, puta IVS PIGNORIS, vbi non opus eſt, ea occupare, quae de conſtitutione pignorum dici poterant, quippe quae infra, vbi de contractu pignoris agendum fuerit, commodiorem locum inuenient: ſed tantum de ipſo pignoris iure, eiuſque natura atque indole, itemque effectu, iam erit diſſerendum. Tranſitio ad ius pignoris.

§. CCCXV.

Primo itaque omnium obſeruaſſe ſibi non nulli videntur, pignoris iure patrio eam eſſe indolem, vt non differat a dominio, quippe quod in creditorem omnino transferatur. Sed id ſaltim non in vniuerſum verum eſſe, iam demonſtrauit IOANNES SCHILTER. *Exerc. XXXIII.* §. 4. Nos ex ipſis vetuſtis legibus, quae huc pertinent, more noſtro paucis conſectabimur. An pignoris dominium iure Germ. ad heredem tranſierit?

§. CCCXVI.

Primo itaque IVRE WISIGOTHICO *Lib. V. tit.* 6. §. 3. is, qui pignus depoſuit, diſerte dicitur *dominus*, verbis: *Vſque ad decem dies pignus ſaluum* DOMINO *ſuo reſeruetur, aut eidem* DOMINO, *ſi in propinquo eſt, reportetur*: Et §. 4. *Medietatem, quantum pignus valere* DOMINO PIGNORIS *conſtiterit, coactus impendat.* Quis vero dixerit, dominium tranſtuliſſe debitorem, * quem ipſum lex DOMINVM pignoris diſerte adpellitat? Negatur de iur. Wiſigothico.

* Equidem *ibid.* §. 2. cauetur, vt, *ſi quis pignus alteri depoſuerit pro aliquo debito, et illud ipſe, qui depoſuerit, furatus fuerit, is pro fure teneatur.* Sed quis ignorat, id furtum poſſeſſionis eſſe, quod et ius Romanum agnoſcit, §. 10. *Inſt. de obl. quae ex del. l.* 12. §. 2. *l.* 19. §. *pen. l.* 79. *D. de furt.* quum tamen ex illius principiis dominium in creditorem transferri, nemo vmquam dixerit?

§. CCCXVII.

§. CCCXVII.

Nec non de Alamannico. Ita et ivs Alam. *tit.* 86. §. 2. non modo dominum vocat debitorem, qui creditori pignus dedit, ſed et damnum a re oppignorata datum reſarciri iubet. *Si autem* dominvs *voluntarie pignus dederit pro aliqua re alicui, et illud pignus, quod datum eſt, ibi aliquod damnum fecerit,* dominvs *qui dedit, damnum, quod factum eſt, ſimile ei reſtituat.* Quis vero neget, dominum eſſe, qui damnum a re illa oppignorata datum reſarcit?

§. CCCXVIII.

Et Friſico. Sed et in addit. leg. Fris. *tit.* 9. §. 1. ſimilis occurrit diſpoſitio. Cenſuit enim ibi Vvlemarvs: *ſi quis in pignus ſuſceperit aut ſeruum, aut equum, et ille ſeruus aliquod damnum ibi fecerit, hoc ad illum pertineat,* cvivs servvs est, *non ad illum, qui eum in pignus ſuſcepit.* Itaque et Friſiis ſeruus vel equus oppignoratus non erat creditoris, ſed debitoris, iſque et damnum ferebat, quod per rem iſtam oppignoratam accidiſſet.

§. CCCXVIIII.

Adfirmatur de iure Saxonico, ex quo adfertur locus primus. In aliis gentium Germanicarum legibus rarius fit pignorum a creditore traditorum mentio: adeoque res omnis redit ad ivs prov. Saxonicvm, quod aliquoties innuit, dominium rei oppignoratae transferri in creditorem. Nam *Lib. II. Artic.* 24. ait specvlator. *Ein ieglich man mag ſeines gutes wol mit recht* anig *oder* los werden, *ob er es verkaufft,* versetzt, *oder aufläſſet, oder veriähret es gegen ſeinem lehnherrn, oder ob es ihm vertheilet vvird zu landrecht, oder zu vvelcher vveiſse ers abſtehet, vnbezvvungen.*

§. CCCXX.

Secundus. Eiuſdem fere ſenſus eſt locus alter ivr. prov. Sax. *Lib. II. Art.* 60. *Welcher man einem andern leihet ſein pferd, oder kleider, oder andere fahrende habe, oder* versetzt, *oder zu vvelcher vveiſs die aus ſeinen gevveren mit ſeinem vvillen kommt, verkaufft ſie dann der, der ſie in gevveren hat, oder verſetzt er ſie furbas, oder verſpielt er ſie, oder vvird ihm geſtohlen, oder abgeraubet, jener, der ſie dieſem verliehen, oder verſetzt hat, der mag daran keine forderung haben, ſondern allein vvieder den, dem er ſie liehe oder verſetzt.*

§. CCCXXI.

§. CCCXXI.

Denique non aliter philoſophatur SPECVLATOR *Lib. III. art.* 5. vbi ait: *Was man aber dem manne leibet oder* EINSETZET, *das ſoll er vnverderbt vviederbringen, oder ſoll es gelten nach ſeinen vürden. Stierbt aber ein pferd, oder ein vieh in der* VERSATZVNG, *(ohn ienes ſchuld, der das vnter ihm hatte,) bevveiſet er das vnd thar auch dazu ſchvveren, er gilt es ihm nicht, er hat aber ſein geld verlohren, da es ihm vor verſatzt ſtund, ihr gelübde ſtünde dann anders.* Quum ergo ille, qui res ſuas oppignorat, eas aeque videatur alienaſſe, ac ſi eaſdem vendidiſſet, (§. 319.) praetereaque debitori non competat ius eas res vindicandi a tertio, (§. 320.) denique, vt hic ipſe locus oſtendit, caſum ferat, debitum amittens pro pignore perdito: conſequens ſane eſt, vt dominium in creditorem tranſlatum fuerit ex huius iuris principiis *. Tertius.

*Aduerſus haec varia comminiſcuntur iureconſulti. Aliique enim haec omnia tantum de equis et pecudibus oppignoratis intelligenda eſſe exiſtimant, veluti ZOBEL. *Diff. Iur. Civ. et Sax. Part. II. diff.* 32. *n.* 6. BERLICH. *Part. II. Concl.* 33. *n.* 4. STRYK. *Vſ. mod. Lib. XX. tit.* 1. §. 5. Sed his primus textus ex *Lib. II. tit.* 24. omnino obſtat, quippe qui loquitur non de pecudibus et rebus mobilibus, ſed de illis, *vvelche iemand aufgaſſet.* Quae reſignatio ſane fieri non ſolet, ſi tradendae res mobiles, ſed ſi fundi traduntur. Nec ſatisfacit SCHILTERI interpretatio, qui *Exerc. XXV.* §. 6. haec eo tantum caſu obtinuiſſe exiſtimat, ſi pacto adiecto aliquis in alterum tranſtuliſſet dominium, idque colligit ex verbis: *oder zu vvelcher vveiſe die aus ſeinen gevveren mit ſeinem vvillen kommt.* Sed praeterquam, quod haec verba pactum adiectum vix inuoluunt: ex loco poſtremo potius conſtat, ſecundum regulam iuris Saxonici in creditorem tranſiiſſe dominium, exceptionem autem feciſſe pacta adiecta. Quid enim aliud ſibi volunt verba: *Ihr gelübde ſtünde dann anders?*

§. CCCXXII.

IVRE SVEVICO non adeo manifeſtum eſt, pignoris dominium tranſiiſſe in creditorem. Nam *cap.* 247. potius caſum ferre dicitur debitor: *Der ain pfant verſetzt vmb gült, vvird és verſtolen, er muſs es gelten*, Et *cap.* 243. damnum culpa datum praeſtare iubetur creditor; quae omnia argumento ſunt luculentiſſimo, dominium penes debitorem manſiſſe. In eo tamen ſpeculatori noſtro cum REPKOVIO omnia conueniunt, quod, pignore caſu pereunte, creditor amittat ius crediti, niſi fideiuſſores habeat, qui ipſi ſoluant: *Verſetzt ain mann dem andern ain* Quid iure Sueuicum ea de re ſanxerit?

ain pfärdt vmb pfenning , vnd ſtirbt das in ſeiner gevvalt , an ſein ſchuld , das iſt der gemain tod , er ſoll es nicht gelten , er verlevvſet aber ſein pfenning , die er darauf geliben hat. Hat aber er pürgen darauf genommen , die ſullent im mit recht ſein pfenning gelten *.

* Eodem loco omnis pignoris vſus adimitur creditori , et , ſi e. g. equo ille vel ad equitandum vel ad vehendum , colendumue agrum , vſus ſit , calum ferre iubetur , et , ſi damnum non paſſus ſit equus , ſex numos pro ſingulis milliaribus , ſin deterior factus ſit labore , damnum duplo reſarcire iubetur. Additur tamen exceptio : *dann mit ſeinem vvillen , vnd mit ſeinem vrlaub*, vt pateat, apud Alamannos quoque accedere potuiſſe pactum antichreticum.

§. CCCXXIII.

Quid ex formulis et diplomatibus colligendum?

Attamen non nouum hoc fuiſſe Saxonum inuentum , ſed ius antiquum , pleriſque Germanis commune, aliis argumentis probari poteſt , nempe ex formulis et diplomatibus antiquis , quibus plerumque pignus ita conſtituitur , vt creditor , donec pecuniam creditam recipiat , dominio vtili gaudeat , fructuſque omnes perinde , ac dominus , percipiat. Luculenter hoc iam probauit THOMASIVS ex MARCVLFI *adpend. cap.* 50. FORM. SIRMOND. *cap.* 13. et charta Raimundi Comitis Paliarenſis apud BALVZIVM *Tom. II. capitul. cap.* 1551. Nos iam addimus ex SCHANNATI *cod. probat. pag.* 54. diploma Henrici Imp. quo ea lege praedium Rodenſleibam oppignorat Epiſcopo Wormatienſi *pro* 20. *libris puri auri*, *et* 200. *marcis argenti*, *vt praedium illud libere et poteſtatiue in* PROPRIETATEM *haberet* , donec pecunia illa fuerit reddita. Similes chartas Ludouici Bauari, Caroli IIII. aliorumque dederunt alii , et in his IO. STRAVCH. *de oppignor. Imp. cap.* 10. *§.* 33.

§. CCCXXIIII.

Axiomata.

Itaque vere dici poteſt, I. inter venditionem cum pacto de retrouendendo et pignus vix quidquam apud Germanos fuiſſe diſcriminis: ZAS. *conſil.* 12. *n.* 11. WESENBEC. *conſ.* 2. *n.* 91. ARVM. *Lib. II. Deciſ.* 5. *n.* 74. BESOLD. *theſaur. pract. voce pfand-ſchilling pag.* 737. adeoque II. ea quae de pignore et pacto antichreſeos iure Romano prodita ſunt, moribus Germanorum vix quadrare. THOMAS. *de vſu pract. diſt. inter emt. vendit. cum pacto de retrouend. et contract. pignor.*

§. CCCXXV.

Digitized by Google

§. CCCXXV.

Ex primo itaque axiomate patet, (1. cur Germani eum, qui praedium aliquod vel territorium iure pignoris tenet, non poſſeſſorem ſolum vocare ſoleant, (*den pfand-inhaber*) verum etiam dominum pignoris, (*den pfand-herrn.*) BESOLD. *theſaur. pract. ibid.* (2. Cur ſaepe feuda ita oppignorata ſint, vt creditor a domino acciperet inueſtituram, adeoque gauderet dominio vtili, id quod vocabant *ein pfand-lehn*, *geliehene ſatzung*, *lehens-ſatzung*: quin (3. creditor aliquando praedium ſibi oppignoratum alicui in feudum offerret; cuius rei inſigne exemplum ex vetere charta * extulit IO. SCHILTER. *in comm. ad ius feud. Alam. pag.* 378. Concluſiones de iure creditoris in pignore.

* In ea Henricus iunior, dynaſta Ehrenbergenſis, Ruperto Palatino offert in feudum *den turn vnd das Backhus, das darane ſtet, vnd des Egils hus, vnd den alten ſtal der hinter des Egils hus lieget, das ihm herr Henrich der alte ſyn oheim H. zu Ehrenberg verſatzt hatte, vnd ihm pfande ſtund.* Horum ergo praediorum dominum directum agniturum ſe Rupertum Palatinum, promittit Henricus de Ehrenberg, *er vvolle es zu lehen habin vnd halten von ſyme herrn den vorgeſchrieben furſten, als ſyn ander gut, das er von im zu lehen habe, als lange, bis der vorgenante Henrich der alte ſyn oheim oder ſin erbin daſſelbe gut geloſent.* Offerre autem alteri dominium directum non poſſe quemquam, niſi qui ipſe dominium plenum habeat, tam expediti iuris eſt, vt probatione non indigeat. HERT. de *feud. oblat. Part. II.* §. 12. *ſequ.*

§. CCCXXVI.

Ex eodem axiomate reddideris rationem, (4. cur creditores in territorio oppignorato exerceant pleraque regalia, adeoque (5. et iura fiſci, CONSIL. ARG. *Vol. I. Conſ.* 1. *quaeſt.* 1. non tamen (6. ius reformandi: BESOLD. *ibid. pag.* 737. LIMN. *addit. ad ius publ. Tom. II. ad Lib. I. cap.* 9. *pag.* 132. (7. Cur aliquando et libera diſpoſitio relicta ſit creditori, poſſidenti pignus, donec illud ab oppignorante, eiuſue heredibus relueretur. * De effectu pignoris.

* Protulit hanc in rem HERT. *de ſuperioris. territor.* §. 65. chartam Ludouici Bauari, Imperatoris, qua anno 1336. Guilielmo, Comiti Iuliacenſi, oppignorationem quorumdam municipiorum firmauit, his verbis: *Volentes, vt tu tuique poſteri et heredes pignora eadem ſine impedimento tenere debeatis et pacifice poſſidere, ac de ipſis et eorum fructibus et iuribus, ſicut de aliis veſtris bonis et rebus ordinare tam diu, quouſque per nos et ſucceſſores noſtros fuerint abſoluta: hoc duntaxat excepto, quod ea a nobis et imperio quocum-*

que modo alienare in nullo vmquam tempore valeatis. Extſtat hoc diploma integrum apud Io. Is. PONTAN. *hiſt. Gelr. Lib. VII. p.* 223.

§. CCCXXVII.

De iure creditoris fructus percipiendi.

Deinde ex altero axiomate intelliges, (8. cur creditor et ſine ſpeciali pacto antichretico in Germania omnes fructus ex re oppignorata ceperit, et (9. ad reddendas rationes non fuerit obſtrictus, quantumcumque eorum aeſtimatio vſurarum modum excederet, idque ius (10. et hodie vſum habeat in reluitionibus caſtrorum et praediorum, antiquitus oppignoratorum, quamuis (11. vulgo ICti, iuris Romani principiis adſueti, pignus illud iuris Germanici cum venditione cum pacto de retrouendendo confundere ſoleant. * Vid. BOEHMER. *de diuerſo pign. et hypoth. iure cap.* 2. §. 6.

* Immo Io. STRAVCH. *de oppignor. imperii cap.* 2. *et* 12. illam naturam pignoris Germanici explicare non veretur ex pacto fiduciae, Romanis ſollemni, de quo nuper cum adparatu binis diſſertationibus egit v. c. FRANC. CAR. CONRADI. Quin exiſtimat STRAVCHIVS, vna cum codice Theodoſiano hoc pactum innoteſcere coepiſſe gentibus Germanicis. Sed hanc ſententiam iam profligauit THOMASIVS diſſertatione paulo ante laudata, ex qua, quae huc pertinent, nouae diſſertationis Strauchianae editioni *p.* 49. ſubiecit LAVR. ANDR. HAMBERGERVS. *Ien.* 1715.

TIT. XII.

DE OBLIGATIONIBVS, ET PRIMO QVIDEM DE PACTIS VEL CONVENTIONIBVS GENERATIM.

§. CCCXXVIII.

Obligationes quotuplices apud Romanos?

HActenus de iuribus in re, quantum fieri potuit, a nobis actum eſt. Progrediendum itaque ad IVS AD REM, quod ex OBLIGATIONE, tamquam ex fonte, promanat. Hic nemo, credo, ſibi perſuadebit, diſtinctionem illam inter obligationes MERE NATVRALES, MERE CIVILES et MIXTAS, quae in iure ciuili Romanorum vtramque paginam faciebat, etiam Germanis placuiſſe, quum hi cauſſas illius differentiae procul habuerint, et praetorem, qui ciuilibus quibuſdam obligationibus valorem atque

Digitized by Google

atque effectum ſuum detraheret, numquam viderint in republica ſua *.

* *Ciuiles* obligationes erant Romanis, quae quidem ex iure ciuili ſtricto oriebantur, ſed ita erant comparatae, vt ſummum illud ius ſumma iniuria videretur. Hanc edictis ſuis his obligationibus veluti neruum incidebant praetores, qui ſibi id negotii credebant datum, *vt ius ciuile corrigerent propter vtilitatem publicam. l. 7. §. 1. D. de iuſtit. et iur.* Quod ad *naturales* attinet obligationes, iis ideo non ſemper adſiſtebant leges ciuiles, quia certam negotiis formam dederant: quam qui neglexiſſent, eos perluſorie egiſſe cenſebant. Em. Merill. *Obſ. Lib. VII. cap. 39.* Tam ſubtiliter vero non philoſophabantur Germani, qui quamuis variis negotiis certam formam praeſcripſiſſent, non tamen ideo reiiciebant obligationes naturales, ceu paullo poſt pactorum exemplo demonſtrabimus.

§. CCCXXVIIII.

Quotuplices apud Germanos?

Contra, eoſdem omnino agnouiſſe differentiam obligationum ex CONVENTIONE et DELICTO ortarum, nemo dubitauerit. CONVENTIONES iis vel PRINCIPALES erant, vel ACCESSORIAE: principales vel BENEFICAE, vel ONEROSAE, onerosae denique vel de RE CERTA, vel de LVCRO INCERTO inibantur. Ita enim ex vſu iuris Germanici optime diuidi poſſe obligationes, recte obſeruauit THOMASIVS *not. ad Inſtit. pag.* 211. Hic primum de CONVENTIONIBVS erit dicendi locus.

§. CCCXXX.

An Germani inter pacta nuda et non nuda diſtinxerint?

Romanos porro permagnum ſtatuiſſe diſcrimen inter PACTA et CONTRACTVS, illaque in NVDA et NON NVDA, haec iterum in LEGITIMA, PRAETORIA et ADIECTA diſpeſcere conſueuiſſe, etiam dupondii ſciunt. Aſt Germani hoc diſcrimen plane ignorabant, pactiſque omnibus, modo deliberato animo eſſent inita, non minorem obligandi vim attribuebant, quam Romani contractibus ſuis, quantacumque ſollemnitate perfectis.

§. CCCXXXI.

Eorum fides in pactis ſeruandis.

Miratur hanc Germanorum fidem, quippe Romae inauditam, TACITVS *de morib. Germ. cap.* 24. vbi, quum retuliſſet, Germanos, aleae ſtudioſiſſimos, deficientibus omnibus, extremo ac nouiſſimo iactu de libertate et de corpore contendere, ſtatim ſubiicit: *Victus voluntariam ſeruitutem adit. Quamuis iunior, quamuis robuſtior, adligari ſe ac vinciri patitur. Ea eſt in re praua * peruicacia: ipſi* FIDEM *vocant.* Adeo enim turpe videbatur Germanis, qui, *nullos mortalium armis aut fide ante ſe eſ-*

ſe, gloriabantur, teſte TACITO *Annal. Lib. XIII. cap.* 54. pacti qualiſcumque religionem violare, vt cum perpetua infamia coniunctam huiuſmodi perfidiam exiſtimarent. (*Lib. I.* §. 397.)

* Rem prauam vocat aleam ex principiis iuris Romani. *l.* 1. *D. de aleator.* Vnde et HORATIO *Carm. Lib. III. od.* 24. *v.* 59. hic ludus vocatur *vetita legibus alea.* vid. PETR. PANTOIA DE AYALA *Comment. ad tit. D. et C. de aleat. Tom. IIII. Theſaur. Iur.* At omnes gentes, orientales et ſeptentrionales, maximi faciebant aleam, tamquam ad exercendum ingenium fallendumque tempus inprimis comparatam. Vid. v. c. IVST. CHRIST. DIETHM. *comment. ad Tacitum de mor. Germ. p.* 143. *ſequ.*

§. CCCXXXII.

An a priſca illa fide paullatim deſciuerint?

Quamuis vero illam in ſeruandis promiſſis religionem perpetua cum Romanis conſuetudine exuiſſe paullatim videantur eae ſaltim gentes, quae ſibi in Romanorum prouinciis nouas ſedes quaeſiuerant, * ac proinde ob perfidiam et in promiſſis inconſtantiam male audiant Suevi, qui in Hiſpaniam migrarant, IDAC. *chron. Olymp.* 311. Wiſigothi, SALVIAN. *de gubern. Dei Lib. VII.* ac denique Franci: SALVIAN. *ibid. Lib. IIII. et Lib. VII.* PROCOP. *de bello Goth. Lib. II.* et EVMEN. *panegyr. cap.* 11. omnium tamen gentium Germanicarum leges fidem in pactis vel maxime ſanctam eſſe iubent atque inuiolabilem, quamuis ea vel in ſcripturam referri, vel alio ſollemni ritu firmari vellent.

* Equidem haec PROCOPII, SALVIANI, IDACII, EVMENII teſtimonia odio in Germanos tribuit HERT. *notit. vet. Germ. pop. Part. III. cap. I.* §. *V. p.* 110. et *notit. regn. Franc. cap.* 3. §. 24. *p.* 302. Sed fieri potuit, vt toties a Romanis decepti Germani hoſtes demum ſuis artibus adgredi non dubitarint. Fateor tamen, HERTII ſententiam non parum probabilem fieri: ſi conſideremus, ipſos Imperatores Romanos ad ſaeculum tertium vſque nullis gentibus corporis ſui cuſtodiam libentius crediſiſſe, quam Germanis. Exempla Caracallae, et Maximi ac Balbini, Caeſarum, exſtant apud HERODIAN. *Hiſtor. Lib. IIII. cap.* 7. *et Lib. VIII. cap.* 7. et IVL. CAPITOLIN. *Maxim. et Balbin. cap.* 13.

§. CCCXXXIII.

Leges Wiſigothorum de pactis.

IVRE WISIGOTHICO omnia pacta valebant, quae in ſcripturam fuerant redacta, dummodo in iis expreſſus eſſet annus et dies, ſignaque paciſcentium, vel teſtium, acceſſiſſent: *Lib. II. tit.* 5. §. 1. 2. 3. Sane ab eiusmodi pacto ne filio quidem vel heredi reſilire fas erat, quippe poenam ſcripturae inſertam (§. 299. *) ſoluturo, ſi contra defuncti promiſſum quidquam agere auſus eſſet. *ibid.* §. 5. *et* 8. Nec tamen rata erant pacta ſeruorum,

rum, ſine iuſſu dominorum inita, *ibid.* §. 6. itemque minorum, *ibid.* §. 11. vi et metu coactorum, *ibid.* §. 9. multoque minus de rebus turpibus vlla pactio rata habebatur. *ibid.* §. 7.

§. CCCXXXIIII.

Itemque Boioariorum.

Similia fere legimus in LEGE BAIVVAR. *tit.* 15. *cap.* 13. *Pacta vel placita, quae per ſcripturam quamcumque facta ſunt, vel per teſtes denominatos tres, vel amplius, dummodo in his dies et annus ſit euidenter expreſſus, immutare nulla ratione permittimus.* Itaque in eo vtriſque conuenit, quod pacta quaelibet valeant, modo (1. in ſcripturam redacta ſint, (2. expreſſo ſimul anno et die, quod et LEX LANGOB. *Lib. III. tit.* 38. §. *vn.* in omnibus ſcripturis requirit, (3. et teſtes ſaltim tres adhibuerint paciſcentes.

§. CCCXXXV.

Ritus paciſcentium.

Solebant et aliis ritibus vti, veluti oblata manu, vel digito erecto, itemque ſtipulis e manu eiectis. CAPITVL. *Lib. VI.* §. 285. *edit. Lindenbr. Profitemur omnes, ſtipulas dextris in manibus tenentes, easque propriis e manibus eiicientes, coram Deo et angelis eius, nec talia facere, nec facere volentibus conſentire.* ADELBOLD. *vit. Henrici S. cap.* 11. *Manus ſinguli per ordinem reddunt, redditis manibus fidem ſuam per ſacramenta promittunt.* * LINDENBROG. *priuil. Hamb.* 33. *Ab ipſo Gerardo per* DIGITORVM EXTENSIONEM *promiſſionem confirmationis accepit.* Et quibuſdam interiectis: *Mater ex* LEGE SAXONVM *donationem eius ore laudauit, et* DIGITO *confirmauit.* Item inſequente *priuilegio* 34. *G. confirmationem* DIGITO, *vt mos eſt Saxonibus, fecit.*

* Manus dextra ſemper fidei ſymbolum vilum eſt gentibus fere omnibus, ceu per inductionem, quam vocant, oſtendit v. c. EV. OTTO *iuriſpr. ſymb. Exerc. II. cap.* 10. *p.* 186. vbi inter alia obſeruat, apud Francos *dextram* pro foederibus potuiſſe HINCMARVM *de ord. palat. cap.* 30. dextras datas atque acceptas memorari apud GVIL. TYR. *Lib. XVIIII. cap.* 16. et in ANNAL. FVLD. *ad ann.* 769. in praeſtandis homagiis ſubditos et vaſallos dominis data dextra fidem promiſiſſe: REGINO *ad ann.* 884. *et* 889. quin ipſa promiſſa inde ſaepe vocari *manufirmationes*: CAPITVL. *Lib. VI. cap.* 228. et *fidem, per manum datam*, in diplomate Ludouici Craſſi A. 1138. Add. HERING. *de fideiuſſ. cap.* 11. *n.* 164. *ſequ.*

§. CCCXXXVI.

Hi poſtea non viſi ſunt neceſſarii.

At paullatim ipſis Germanis quodammodo ſorduit anxia illa rituum religio, * praeterquam quod plebs nihil temere ſine dex-

trae oblatione promitteret, et ipſa prudentia ſuaderet, vt nullum temere pactum de re maioris momenti iniretur, cuius leges litteris non conſignarent, in perpetuam rei memoriam. Attamen, et omiſſa hac cautione, obligabant promiſſa quaeuis, animo deliberato facta, quamuis tunc, ſi apud acta quis promiſiſſet, probatio eſſet facilior, ſin priuatim, promiſſor, praeſtito iureiurando, liberaretur.

* Attamen reliquiae quaedam etiam ſtipularum adhibitarum ſuperſunt in IVRE PROV. HENNEB. *P. II. tit.* 10. *art.* 1. §. 3. *Alle verzigt, vermächtniſs vnd vbergab, an vnſerm land-gericht mit mund vnd halm vbergeben. Vid.* SCHILT. *Exerc. VIII.* §. 5. *p.* 255.

§. CCCXXXVII.

Diſpoſitio iuris Sax. et Alam. de pactis.

Pertinet huc locus IVRIS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 7. *Wer etvvas borget, oder* GELOBET, *der ſoll es gelten, vnd vvas er thut, das ſoll er ſtett halten. Will er es aber läugnen darnach, er ervvehret ſich des mit ſeinem eyde, vvo er es vor gericht nicht gethan hat. Was er aber vor gericht thut, da ſoll der mann nicht vmb ſchvveren. Denn das vberzeuget ihn der ſachvvaltige vvol mit zvveyen andern mannen, vnd der richter ſoll der dritte ſeyn.* Quae iiſdem paene verbis repetuntur in SPECVLO SVEV. *cap.* 259. Et eo quidem pertinere veteres iuris Germanici paroemias: *Ein vvort, ein vvort, ein mann, ein mann*, itemque: *Zuſagen macht ſchuld*, obſeruat HERT. *paroem. iur. Lib. I. paroem.* 8.

§. CCCXXXVIII.

Quid haec iura de tranſactionibus ſanciant?

Species pactorum eſt TRANSACTIO, quippe qua res dubia vtriuſque litigantis conſenſu, dato aliquo vel retento, vel promiſſo, deciditur. Eadem ergo omnia hic erant ac in reliquis pactis, niſi quod de nullo crimine, cui per leges poena, vel capitalis, vel corporis adflictiua imminebat, tranſigere quemquam ſalua exiſtimatione * pateretur ius Germanicum. Hinc infames habentur, *die diberey vnd raub ſühnen*, itemque, *die ihren leib, oder haut vnd haar ledigen mit gelde.* IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 37. *et* 65. *Lib. II. art.* 13. IVS SVEV. *cap.* 410.

* Et hoc ipſo differt ius Germanicum a Romano, non eo, quod hoc iure licita fuerit de omni crimine tranſactio, praeterquam de adulterio, ceu ſibi perſuadet ZOBEL. *in diff. iur. ciu. et Sax. P. IIII. diff.* 34. *p. m.* 697. Licita erat iure Romano de delictis priuatis tranſactio, ſed tranſigens infamia

mia notabatur, tamquam delictum famoſum haud obſcure confeſſus. At de crimine publico illicita erat tranſactio, nec tamen qui tranſegerat de capitali, pro confeſſo et infami habebatur, quod ignoſcendum videretur illi, qui ſanguinem ſuum qualiterqualiter redemiſſet: vti rem omnem accuratiſſime expoſuit GER. NOODT *in Dioclet. et Maximiano Augg. cap. 5. ſequ.* At Germani nullum hic diſcrimen ſtatuebant inter delicta priuata et publica, ſed omnes, qui ſuper delicto famoſo tranſegerant, notabant infamia, ſi ipſa poena, quam redemerant, cum infamia eſſet coniuncta.

§. CCCXXXVIIII.

Erant porro et iure Germanico, qui nec paciſci nec tranſigere poſſent. Id patet exemplo captiui, qui non tenebatur ex promiſſo ſuo, quod in vinculis fecerat, praeterquam ſi dimiſſus promiſiſſet, ſe rediturum in carcerem, vel, ſi λύτρῳ oblato, liberationem obtinuiſſet. Hoc enim praeſtare tenebatur, modo iuſto bello captus eſſet. Sin iniuſte captus eſſet, promiſſum omne, tanquam vi metuque extortum, euanidum videbatur. IVS PROV. SAX. *Lib. III. cap.* 41. SPEC. SVEV. *cap.* 343. *

An captiuorum promiſſa fuerint obligatoria?

* Rem paullo prolixius exponit SPECVLATOR SVEVVS, quam SAXO. Hic tantum facta et promiſſa captiui inualida pronunciat; ille et iuſiurandum eiuſdem non magis ratum eſſe ſtatuit. Hic generatim de promiſſis captiuorum loquitur: ille regulam reſtringit ad eos, qui iniuſte capti ſint. Hic vnumquemque iniuria captum ipſo iure ab obligatione liberari exiſtimat, modo iuret, ſe coactum promiſiſſe, (*mag ers vollbringen auf den heiligen, daſs er ihn vntreulich dazu gezwungen hab:*) ille praeterea exigit, vt iureiurando ſoluatur a iudice. Merentur capita iſta tota inter ſe conferri, ſimulque conſuli perilluſtris DANCKELMANNI *diſſertatio de pactis et mandatis Principis captiui.*

§. CCCXXXX.

Itaque pacta apud Germanos ſemper actionem non minus, quam exceptionem, produxerunt, niſi vel perſonae paciſcentes tales eſſent, vt ſeſe obligare non poſſent, vel ex ipſo negotio adpareret, eos non ex animi ſententia, ſed ioco, vel, vt TRAIANVS *l. 24. D. de milit. teſtam.* loquitur, vt plerumque ſermonibus fieri ſolet, aliquid promiſiſſe. Eo enim pertinet notiſſima iuris paroemia: *Ehrenvvorte binden nicht.* Qua ipſa nihil aliud exprimere voluerunt maiores, quam quod monet iureconſultus *l. 19. §. 3. D. de aedil. edict. Ea ſolum promiſſa admittenda ſunt, quaecunque ſic dicuntur, vt praeſtentur, non vt iactentur.* Vid. HERT. *paroem. iur. Lib. I. par. 10. pag.* 411.

Effectus pactorum in Germania.

§. CCCXXXXI.

Axiomata de pactis et tranſactionibus.

Ex his ergo fluunt axiomata: I. quia Germani in doctrina de pactis ſemper iuris naturalis ac gentium ſimplicitatem ob oculos habuerint: ea omnia, quae ex illis principiis adoptarunt ICti Romani, etiam in Germania non poſſe non recepta eſſe: Thomas. *not. ad tit. D. de pact. pag.* 61. II. quaecumque vero iuriſprudentiae Romanae circa hanc doctrinam propria fuerunt, ea et hodie apud nos non magis vſu valere, quam olim, quum iuris Romani ſubtilitates plane exſularent e Germania. III. Idemque etiam de tranſactione eſſe obſeruandum. Thomas. *ibid. pag.* 65.

§. CCCXXXXII.

In Germania etiam non paciſcuntur impuberes, minores, filiifam.

Quum itaque, quae iureconſulti ex principiis iuris naturae ac gentium adoptarunt, etiam in Germania non poſſint non recepta eſſe: (§. 241. I.) conſequens eſt, (1. vt et apud nos paciſci poſſint, qui poſſunt conſentire, et de rebus ſuis diſponere, non autem (2. impuberes, vel minores ſine tutorum auctoritate vel conſenſu, nec (3. filiifamilias ſine parentum iuſſu, quamuis (4. in Germania ſaepe contingat, vt inter ipſos parentes et liberos, nulla licet praeuia emancipatione, * pacta ineantur, dummodo minorennibus conſtituantur tutores, daturi operam, ne quid liberi detrimenti capiant. Vid. Beyer. *ſpec. iur. Germ. Lib. I. cap.* 26. §. 41. *ſequ.*

* Equidem, teſte eodem Beyero *ibid.* §. 47. quidam obiiciunt, liberos eo ipſo, dum pater cum iis paciſcatur, iiſue donet, tacite emancipari: ſed falſo id adfirmari ipſe inde probat, quod pater, facta huiuſmodi donatione, vſumfructum in bonis liberorum aduentitiis nihilominus retineat. Nos addimus, iam inde ab antiquiſſimis vſque temporibus parentes in Germania, ſi liberos, oblata bonorum parte, ſeparaſſent, adhuc gauiſos eſſe tutela fructuaria, id eſt, ipſa poteſtate patria iuris Germanici. (*Lib. I.* §. 166.) Ivs Sax. prov. *Lib. I. art.* 11.

§. CCCXXXXIII.

Nec valent pacta imperfecta.

Sic recte quoque dixeris, (5. ne hodie quidem valere pacta, ex quibus promiſſor alteri ius competere noluit, Leyser. *medit. Spec.* 40. §. 2. *et* 3. nec (6. quibus nihil certi definitur. *l.* 17. *C. mand.* Leyser. *ibid.* §. 1. (7. Interpretationem pactorum et noſtris temporibus fieri oportere aduerſus eum, qui clarius loqui debuiſſet: *l.* 99. *pr. D. de verb. oblig.* et quae ſunt huius generis concluſiones aliae. Neque tamen (8. inde conſequi arbitramur,

Digitized by Google

bitramur, vt tituli digeſtorum de pactis inſignem eſſe vſum in foris Germaniae, contendamus, quum hae ſint concluſiones iuris naturae et gentium, quas Germani procul dubio probarunt, antequam vel fama iuris Romani ad eos perueniſſet.

§. CCCXXXXIIII.

Valent tamen et nuda, et non nuda, nec in contractibus innominatis locus eſt poenitentiae.

Quum contra, quae propria Romanis fuerunt, Germanis in hac doctrina ſe numquam probarint: (§. 241. 2.) facile patet, (9. hodie ex omni pacto deliberato dari et actionem, et exceptionem. STRYK. *vſ. modern. Lib. II. tit.* 14. §. 3. (10. Nihil intereſſe inter pacta nuda, et non nuda, itemque (11. inter legitima, praetoria, et adiecta contractibus: (12. quin et, quod ad haec attinet, parum referre, ſtrictine iuris, an bonae fidei contractibus; item in continenti, an ex interuallo, acceſſerint. STRYK. *ibid.* §. 4. (13. Eamdem, quod ad effectum, naturam eſſe pactorum et contractuum, itemque (14. contractuum nominatorum et innominatorum: maxime quum (15. praecipua, quae inter hos illoſque contractus olim interceſſit, differentia, nempe quod in illis ſit locus poenitentiae, *l.* 1. §. 4. *D. de rer. permut. l.* 4. *C. eod. l.* 5. *D. de condict. cauſſ. dat.* in his non ſit, *l.* 5. *C. de obl. et act.* hodie omnino ceſſet. * STRYK. *ibid.* §. 5.

* Diſſentiunt equidem HAHN. *ad Weſenb. tit. praeſcr. verb. n.* 1. et CARPZ. *Part. II. Conſt.* 33. *Def.* 23. Sed quum iure Romano, qui dederat, alterum ex contractu reali; is vero, qui ex ſua parte contractum nondum adimpleuerat, alterum ex pacto tantum nudo obligatum haberet, atque haec vera ac genuina cauſſa eſſet, quamobrem alter non abſciſſe teneretur: recte collegit STRYK. *ibid.* §. 5. *et de cautel. contr. Sect. III. cap.* 5. §. 4. *ſequ.* quia ſtipulatio, contractui innominato addita, olim excluſerit poenitentiam, *l.* 3. *C. de rer. perm.* omnino hodie eamdem et pacti eſſe oportere efficientiam, quippe quam apud nos vim ſtipulationis habere, ipſe fateatur CARPZOV. *Part. II. Conſt.* 19. *Defin.* 17.

§. CCCXXXXV.

Contractus omnes eſſe conſenſuales et a pactis non differre.

Idem laudatiſſimus STRYKIVS *vſ. mod. ibid.* §. 7. adfirmare non dubitat, (16. hodie etiam differentiam non modo inter pacta et contractus, verum etiam (17. inter contractus reales, verbales, et conſenſuales, (litteralem enim ſingularem et ſecretam a reliquis contractibus naturam habere, ſollicite monet,) nihil eſſe differentiae: ſed (18. omnes contractus eſſe conſenſuales, quamuis (19. reales omnino ſolo conſenſu non perficiantur. *

* Haec

Digitized by Google

* Haec bene monet Strykivs. Quamuis enim recte contendant, pactum etiam de mutuando commodandoue apud Germanos producere actionem: Thomas. *not. ad pand. L. II. tit.* 14. non tamen illae actiones ſunt ex mutuo vel commodato, quale nondum eſt contractum, ſed ex pacto vel promiſſo. Praeterea non ſemper competit actio ex pacto de contractu reali in poſterum ineundo, ſed tantum, ſi actor, ſua intereſſe, oſtendat, contractum illum perfici. Quis enim actionem natam eſſe dixerit Sempronio, apud quem Titius depoſiturum ſe gemmas, vel cui ſe hic negotium mandaturum, promiſerit? Recte ergo Strykivs *ibid. p.* 276. *Vbique ſuppono, intereſſe alterius neceſſarium verti in implemento pacti, alioquin, ceſſante intereſſe, poenitentiae locus eſt in omni contractu, quum exceptio, ſua non intereſt, omnem agentem repellat.*

§. CCCXXXXVI.

De pactis liberatoriis et obligationibus facti.

Sic et ex eadem pactorum natura prono alueo fluit conſectarium, (20. pacta liberatoria, vel de non petendo, iure Germanico non ope exceptionis tollere obligationes, quemadmodum iure Romano: *§. 3. Inſt. de except. l. 27. §. 2. D. de pact.* ſed ipſo iure. Stryk. *ibid. §. 9.* (21. Non conuenire iſti pactorum in Germania indoli ſententiam eiuſdem viri doctiſſimi, * exiſtimantis, (*ibid. §.* 10.) eum qui factum promiſit, iure etiam Germanico liberari, offerendo id, quod intereſt, adeoque (22. veriorem eſſe ſententiam eorum, qui huius regulae apud nos vllum vſum eſſe, negant, veluti, quos ipſe Strykivs laudat, Groenewegii *de legib. abrog. ad l.* 13. *§.* 1. *D. de re iud.* Christinaei *Vol. I. Dec.* 323. *n.* 8. Schilteri *Exerc. VIII. theſ.* 2.

* Ratio Strykii eſt, quod etiamſi iure Romano ſtipulatio acceſſiſſet promiſſioni facti, promittens tamen ad praeſtandum abiciſſe factum non fuerit obſtrictus: *l.* 13. §. 1. *D. de re iud. l.* 114. *D. de verb. obl.* non autem maior in Germania efficacia tribuenda ſit pacto, quam apud Romanos ſtipulationi. Sed praeterquam, quod non abſurdum ſit, gentem aliquam pacto nudo plus efficaciae tribuere, quam Romanos ſtipulationibus: iam ab aliis demonſtratum eſt, hanc regulam ne in iure quidem Romano reperire praeſidium. Cviac. *ad l.* 71. *D. de verb. obl.* Coras. *miſcell. II.* 3. Hvber. *prael. ad tit. Inſt. de verb. obl.* §. 5. Thomas. *diſſ. ſing. an qui fact. promittit, liberetur, praeſtando id quod intereſt?*

§. CCCXXXXVII.

An liceat alteri ſtipulari.

Ex quibus etiam (23. quaeſtio decidi poteſt, an quis iure Germanico alteri, etiam cuius iuri non ſit ſubiectus, ſtipulari poſſit, quamuis eius ſpeciatim non interſit? Recte id adfirmant Mevivs, Cothmannvs, Wissenbachivs, Christinaevs, Groene-

Groenewegen, et, qui hos omnes laudat, Strykius *ibid.* §. 12. Neque enim vlla ratio eſt, cur non alterius negotium et ſtipulando gerere poſſim, et cur promittens non teneatur ex ſtipulatione mea, quam alter, cui ſtipulatus ſim, ratam habuit. (24. Neminem vero alterum promiſſione ſua obſtringere poſſe, tam eſt ipſi rectae rationi conſentaneum, vt, ius hoc in Germania etiam vigere, nemo ſanus ſit negaturus. *

* Quod tamen omnino his limitibus circumſcribendum eſt, vt valeat promiſſum pro alio factum, ſi illi vel factum proprium implicetur, veluti ſi quis fidem dederit, ſe curaturum, omnemque adhibiturum operam, vt alter quid faciat praeſtetue, vel ſi indemnitatem poenamue promiſerit, quale fuit promiſſum Mauritii, Saxonis, et Ioachimi, Brandenburgici, Electorum, Philippum, Haſſiae Landgrauium a Carolo V. non in cuſtodia habitum iri, ſub poena promittentium. Quod promiſſum deinde ſatis amare exegerunt filii Landgrauii, quamuis promittentes pacti religione ſoluiſſet Carolus V. Imp. Thuan. *hiſt. Lib. VI. ad ann.* 1550. Nec dubitare fas eſt, quin valeat huiuſmodi promiſſum, ſi, qui quid praeſtiturus facturuſue eſt, ſub alterius poteſtate imperioue ſit ita conſtitutus, vt in ſolo obſequio ipſi gloria relicta eſſe videatur. Ex inſtituto ea de re egit Hert. *diſſ. de obligat. alterum daturum facturumue. Vol. I. opuſc. Tomo III. p.* 366.

§. CCCXXXXVIII.

Qualis apud Germanos ſit tranſactio?

Ex tertio axiomate (§. 241. 3.) colligimus, (24. veriſſimum eſſe, quod docuit Tabor *ad Barboſae axiom. Lib. XVIII. cap.* 25. *ax.* 14. eam tranſactionem, quae valere non poſſit tamquam tranſactio, poſſe tamen tamquam pactum valere, adeoque, (25. de quibus rebus honeſte paciſcamur, de iis et tranſigere hodie licere, immo (26. ne id quidem iure Germanico exigi, vt negotium, de quo tranſigamus, ratione iuris incertum ſit, ſed ſufficere lubricum euentus. Thomas. *not. ad tit. pand. de tranſact. p.* 65. *ſequ.*

§. CCCXXXXVIIII.

An liceat tranſigere ſuper re iudicata, teſtamento relictis, alimentis.

Itaque hodie (27. tamquam pactionem valere tranſactionem ſuper re iudicata, ipſe non plane diffitetur Stryk. *vſ. mod. Lib. II. tit.* 15. multoque minus (28. dubitari poterit de tranſactione ſuper rebus teſtamento relictis, nondum inſpectis tabulis, inita, quum tantum ex male intellecta *l. 6. D. de tranſaction.* collegerint doctores, huiuſmodi tranſactionem iure Romano fuiſſe prohibitam. Ger. Noodt. *in Iul. Paull. cap.* 7. *p.* 578. *et de pact. et tranſact. cap.* 18. *p.* 535. *Tom. I. Op.* * Nec (29. tranſactionem ſuper alimentis refragari dixeris analogiae iuris Germanici,

quum eam et in Belgio, et in vniuerſa fere Gallia, validam eſſe, ſemper iudicatum ſit. Groeneweg. *ad l. 8. C. de tranſact.* Avtvmn. *cenſ. iur. Gall. ad l. 8. h. t.* At fatendum tamen eſt; (30. orationem D. Marci de tranſactione ſuper alimentis futuris, teſtamento relictis, tam eſſe aequam, vt ea ſe merito commendauerit Germanis, adeoque non eſſe dubitandum, quin, obueniente caſu, ſecundum illam ſit pronunciandum. Exemplum adfert Mencken. *theor. et prax. Dig. Lib. II. tit.* 15. §. 9.

* Eandem ſententiam non modo olim Cviacivs, Aemil. Ferretvs, Baldvinvs, ſed et noſtris temporibus iuriſconſulti eximii defenderunt, veluti illuſtriſſimus Sam. de Cocceı. *iur. controu. Lib. II. tit.* 15. *quaeſt.* 5. Ant. Schvlt. *diſſ. ſingulari*, Hier. Gvndl. cum *diſſert. ſingulari*, tum altera, quam *ſingularia de tranſactionibus* inſcripſit §. 20. *ſequ.* vbi et ea expendit, quae erudite, vti ſolet, huic ſententiae oppoſuit vir ampliſſimus, mihique, dum Franequerae docui, amiciſſimus, Zach. Hvbervs *caſ. enucl. quaeſt.* 16.

§. CCCL.

An ſuper criminibus? Ex eodem axiomate colligas, (31. iure Germanico vix locum habituras tranſactiones ſuper criminibus capitalibus, et non capitalibus, quas ipſa reſpublica apud nos vindicat, niſi quod (32. abolitiones criminum, quales hodie aliquando fiunt, data certa pecuniae ſumma, aliquid tranſactioni ſimile habeant. * (33. De priuatis quidem delictis, qualia hodie ſunt damnum iniuria datum et iniuria, tranſigi poſſe, quod ad priuatam ſatisfactionem attinet, non autem (34. hanc pactionem impedire ſeueritatem diſciplinae publicae, et (35. tranſigentem vix euitaturum ſiniſtram exiſtimationem apud bonos et graues viros, quam olim manſiſſe omnes, de quocumque crimine tranſigentes, ſupra ex ivre Saxonico et Svevico docuimus. (§. 338.)

* Praecipue ipſa perſonarum dignitas iam olim aliquando ſuadebat, vt ei gratia fieret ſupplicii, iam decreti, et quidem dato aliquo, vel retento vel promiſſo. Exemplum, quod vel maxime ad rem pertinet, ſuggerit chron. Bigavg. *a Madero editum* p. 252. *Dein in Wirtzenburg regi praeſentatur Wiepertus ſenior, ab omnibuſque capitali ſententiae adiudicatur. Miles, Conradus, qui decollandus traditus fuit, quum iuſſa moraretur perficere, exſpectans meliorem a rege nuncium, ſuggeſſerunt principes cunctis Wieperto iuniori, vt Groiſtam cum omnibus attinentiis pro patris liberatione regi deuotus offerret. Quod quum feciſſet, Wieperto vitam indulſit, ſed in vrbe ſua Druis per triennium ſeruari ipſum mandauit.* Plura eius generis exempla et extremi aeui annales ſuppeditant, quibus docemur, ſaepe non modo perſonas illuſtres, ſed et inferio-

ris

ſtis foris, capitis damnatos, dato aliquo vel promiſſo, periculo ſeſe exemiſſe, vel leuiorem poenam meruiſſe.

§. CCCLI.

Corollarii loco addimus, (36. quemadmodum olim Germani nullum temere pactum de rebus ſoli, vel aliis maioris momenti, inibant, quod non vel manus dextrae oblatione, vel adhibitis teſtibus, vel confecto inſtrumento, firmarent: (§. 335.) ita eumdem morem ſeruare poſteros, quamuis, (37. omiſſis his ritibus, non illico pactum pro nullo habendum videatur. Magis neceſſaria eſt (38. confirmatio iudicis, iis locis, vbi de rebus immobilibus alienandis paciſci nemo poteſt, niſi apud acta, veluti in Saxonia, et aliis, vbi ſanctior huius iuris Saxonici cuſtodia eſt, prouinciis. Pactis in Germania ſcriptura, dextra et iudicis confirmatio ſaepe accedunt.

TIT. XIII.

DE CONVENTIONIBVS VEL PACTIS BENEFICIS.

§. CCCLII.

QVum Germani differentiam pactorum ac contractuum ignorarint: (§. 330.) ferendi ſane vix videremur, ſi agere conaremur de CONTRACTIBVS, tamquam de negotiis, a pactionibus diſtinctis, multoque minus eſſemus excuſandi, ſi diſtinctiones inter contractus NOMINATOS et INNOMINATOS, itemque REALES, VERBALES, LITTERALEM, et CONSENSVALES, ac denique inter contractus BONAE FIDEI et STRICTI IVRIS, in iuriſprudentiam Germanicam inferremus. Potius itaque, naturalem ſequuti conuentionum diuiſionem, (§. 329.) iam primo de CONVENTIONIBVS PRINCIPALIBVS, et quidem de BENEFICIS, agemus. Tranſitio.

§. CCCLIII.

Per conuentiones BENEFICAS intelligimus illas, quibus nobis ab altero aliquid gratis dari fieriue ſtipulamur: per ONEROSAS, vbi mutuae praeſtationes promittuntur. Prioris generis Quid conuentiones beneficae? et quae?

ſunt

ſunt DONATIONES, COMMODATVM, MVTVVM, * PRECARIVM, MANDATVM: poſterioris EMTIO VENDITIO, LOCATIO CONDVCTIO, PERMVTATIO, SOCIETAS, itemque conuentiones FACIO VT FACIAS, vel DO VT FACIAS, vel FACIO VT DES, quae et iure Germanico ſingularibus nominibus et vocabulis deſtituuntur. De *illis* hoc; de *his* ſequente titulo erit dicendi locus.

* Obſeruat equidem THOMAS. *not. ad inſtit. Lib. III. tit. 14. p. 211.* mutuum, prout vel gratis, vel cum pacto de praeſtandis vſuris detur, modo ad contractus beneficos, modo ad oneroſos, eſſe referendum. Sed quum vſurae non pertineant ad mutui naturam, et hoc etiam ſine illis ſubſiſtat: numquam impetrare a nobis potuimus, vt PVFFENDORFFIO, qui et ipſe *Lib. V. iur. nat. et gent. cap. 7.* mutuum contractibus oneroſis accenſere non veretur, adſentiremur, ac proinde et hic ob vſurarum ſtipulationem, quae plerumque huic contractui accedit, noluimus de eodem bis agere, ne actum ageremus.

§. CCCLIIII.

Germani in donando ſatis liberales.

Et primo quidem; quod ad DONATIONEM attinet; mirum eſt, maiores noſtros in tanta paupertate ſatis tamen liberales, et ad donandum procliues fuiſſe. Vt enim iam non dicamus de donis, quibus ſuos quiſque clientes, confecto bello, remunerabatur: TACIT. *de mor. Germ. cap.* 14. nec de donis et muneribus, quae principibus ciues vltro et viritim conferebant: *ibid. cap.* 15. iam ſupra (*Lib. I. §.* 419.) eorum laudauimus hoſpitalitatem, de qua idem TACITVS *ibid. cap.* 21. *Abeunti, ſi quid popoſcerit, concedere moris: et poſcendi inuicem eadem facilitas. Gaudent muneribus. Sed nec data imputant, nec acceptis obligantur.* *

* Dixeris itaque, ſolos fere Germanos naturam indolemque verae liberalitatis ac beneficentiae perſpexiſſe, de qua SENECA *de benefic. Lib. IIII. cap.* 14. *Non eſt beneficium, quod in quaeſtum mittitur. Hoc dabo, hoc recipiam: auctio eſt. Non dicam pudicam, quae amorem, vt incenderet, repulit, quae aut legem aut virum timuit, vt ait* OVIDIVS:

Quae, quia non licuit, non dedit, illa dedit.

Non immerito in numerum peccantium refertur, quae pudicitiam timori praeſtitit, et non ſic eodem modo, qui beneficium vt reciperet, dedit, non dedit? Romani permulta largiebantur, ſed patronis et clientibus, non vt liberales eſſent, ſed vt imputarent illa munera, et ſcirent illi quidem, ſe clientibus periclitantibus ſubuenire, hi, ſe ſuffragio iuuare patronos debere. Vera liberalitas, et ab omni quaeſtu aliena, Romae rariſſima erat, adeo vt POLYBIVS *in excerpt. Peireſc.* p. 154. ſcribat: Ἁπλῶς γὰρ οὐδεὶς οὐδενὶ δίδωσι τῶν ἰδίων ὑπαρχόντων ἑκὼν οὐδέν. *Quia nullus* (Romanorum) *quicquam ſponte alteri de ſuo donat.*

§. CCCLV.

§. CCCLV.

Quid veteres leges de donationibus ſanxerint?

Inſequentibus etiam ſaeculis frequenter admodum in legibus donationum fit mentio, veluti in LEGE WISIG. *Lib. V. tit.* 2. §. 6. *et tit.* 11. §. 1. BVRGVND. *addition. tit.* 43. *et* 61. BAIVVAR. *tit.* 15. *cap.* 11. §. 2. et maxime in LANGOB. *Lib. II. tit.* 15. et alibi paſſim. Ex quibus locis, inter ſe comparatis, patet, (1. Germanos donationes fieri voluiſſe apud acta, adhibitis teſtibus, * aut confectis deſuper inſtrumentis. Vid. reuerendiſſimus *chronici Gottwicenſis auctor Lib. II. pag.* 78. (2. Donare potuiſſe homines, quibus libera fuerit rerum adminiſtratio. (3. Donationes valuiſſe, non vi et metu extortas, ſed ſponte factas, itemque rerum non alienarum, vel litigioſarum, ſed propriarum, easque, (4. rite factas, fuiſſe irreuocabiles, niſi vel indignum ſe illo beneficio praeſtitiſſet donatarius, vel hic alio migrare voluiſſet, quibus caſibus donatio ad donatorem redibat. LEX LANGOB. *Lib. II. tit.* 14. §. 24. *Lib. V. tit.* 15. §. 3. *Lib. III. tit.* 14.

* Hinc iure LANGOBARDICO donare eſt *thingare*, donatio *thinx* vel *garathinx*: a Germanico *ding*, iudicium. Itaque *thingare* proprie eſt apud acta donare, *thinx* donatio apud acta, vel in iudicio facta. GE. ECCARD. *ad leg. Salic. tit.* 47. §. 1. *p.* 87. Teſtes in eadem lege vocantur *giſiles*, *geiſel*: quo vocabulo tametſi alias obſides notentur, tamen PAPIAS *giſiles* vertit *teſtes*.

§. CCCLVI.

Donationes factae ſollemniter.

Ex diplomatibus autem et medii aeui annalibus praeterea diſcimus, traditionem rerum donatarum fieri conſueuiſſe ſollemniter, maxime ſi quando eccleſiae quidquam ſuarum rerum donatum vellent. Enimuero quum de illa ſymbolica traditione iam ſupra, (§. 74. ſequ.) quantum ſatis eſt, dixerimus, eorumque rituum exempla permulta attulerimus: actum iam nolumus agere, maxime quum huiuſmodi ſymbolicae traditionis paſſim faciant mentionem diplomata et veteres formulae, in quibus et diris imprecationibus, et ſanctionibus poenalibus muniri animaduertimus donationum inſtrumenta. * Vid. MARCVLF. *form. Lib. II. cap.* 3. 4. et alibi paſſim.

* De his imprecandi formulis, Francis aeque aliiſque Germanicae originis gentibus quam maxime familiaribus, ex inſtituto agunt MABILL. *de re dipl. Lib. II. cap.* 8. et reuerendiſſimus *prodromi chronici Gottwicenſis auctor Lib. II. cap.* 3. §. 17. *p.* 174. *cap.* 4. §. 4. *p.* 200. *cap.* 5. §. 12. *ſequ. p.* 217.

Digitized by Google

217. *ſequ.* et alibi paſſim. Exiſtimarunt enim veteres, non poſſe ſe maiore veluti praeſidio munire donationes, maxime eccleſiis factas, quam additis huiuſmodi terriculamentis. Quis enim, cui religionis aliquis ſenſus erat, auſus eſſet rem donatam vindicare, quum donatorem ſciret anathema dixiſſe omnibus, res illas diripientibus, quin eos eiuſdem ſortis ac conditionis eſſe iuſſiſſe ac Iudam, proditorem, Koram, Dathanem et Abiramum; Gehaſaeum, alioſque in quos triſte exemplum ſtatuit diuina Nemeſis, maxime quum annales a monachis aliiſque ſacri ordinis hominibus ſcripti pleni eſſent exemplis horrendis hominum à caelitibus male mulctatorum, qui a bonis Deo dicatis manus non abſtinuiſſent? Sed de his alii ex inſtituto.

§. CCCLVII.

Iuris Saxonici et Sueuici diſpoſitio de donationibus.

Quid IVRE SAXONICO pariter ac ALAMANNICO de donationibus traditum ſit, iam ſatis explicauimus ſupra, vbi de pactis ſucceſſoriis egimus. (*§. 162. ſequ.*) Res eo redibat, vt rerum immobilium donatio fieri non poſſet, niſi apud acta, et conſentientibus heredibus; rerum mobilium vbicumque, et ſine heredum conſenſu, modo donator bene valeret, ſanitatiſque edere poſſet ſpecimen legitimum, de quo ſupra diximus. De donatione eorum, qui lectulo iam erant adfixi, ait IVS MVNIC. SAX. *Art. 65. Kein man oder weib mögen im ſiechbett ihres guts nichts vergeben, das vber fünff ſchilling* * *werth ſey, ohne der erben vrlaub.*

* Obſeruauit SCHILTER. *Exerc. XLII.* §. 16. in codice Ambroſiano legi: *bouen drie ſchilling*, et proinde ſuſpicatur, ſummam hanc legitimam paullatim auctam eſſe, et primum quidem ad quinque ſolidos, poſtea, vti ex gloſſa adparet, *auf das, vvas iemand mit der hand ergreiffen, vnd vber das bettbret reichen mag.* Ex hoc itaque loco explicandus eſt alter IVRIS PROV. *Lib. I. art. 52.* ex quo perperam colligunt, aegrotum plane nihil alicui donare potuiſſe. Verba ita ſe habent: *Wer in kranckheit auch ſeine habe oder gut vergiebet, oder verſetzt zu der zeit, als er es nicht thun mag, das vveib vnd das ingeſind ſoll niemand darum beſchuldigen, ſintemal ſie des mannes gab doch nicht vviederſprechen möchten, ſie vvåre recht, oder vnrecht.* Senſus enim non eſt, donare non poſſe maritum aegrotantem, ſed ſi iniuſte plus, quam per leges licet, donarit, non poſſe conueniri domeſticos, qui ob reuerentiam erga patremfamilias refragari eius voluntati religioni ſibi duxerint. Id quod patet ex verbis proxime ſequentibus: *Giebt man iemand ichts zu vnrecht, das fordert man von dem vvieder, dem es gegeben vvas. Das vveib antvvortet für kein gut, denn für das, das zu der zeit ihres mannes tode vnter ſie erſtorben iſt.*

§. CCCLVIII.

§. CCCLVIII.

An res vtenſiles a feminis donatione in alios transferri poſſint, multis hodie quaeſtio fere Domitiana videtur, quia de vſu huius iuris hodierno in Saxonia dubitari non poteſt. At non obſcure huiuſmodi donationem irritam iudicat SPECVLATOR SAXO *Lib. I. art.* 32. verbis: *Darumb mag kein weib ihrem mann eine gabe geben an ihrem eigen, oder an ihrer fahrender haab, da ſie es ihrem rechten erben mit entfrembde nach ihrem todte.* Add. SCHILT. *Exerc. XXXXII.* §. 14.

Gerada an donari potuerit?

§. CCCLVIIII.

Sed et de donatione omnium bonorum quaedam ſupra praelibauimus, (§. 150. et 156.) eam nimirum iure Francorum et Saxonum ratam fuiſſe, ſi quis rebus ſuis ſupereſſe non amplius potuerit, ac proinde bona ſua tranſtulerit in alium, alimenta ſibi, vel certam praeſtationem annuam, a donatario ſtipulatus. Quod et hodie multis locis obtinere, obſeruauimus, quamuis ſenibus donatoribus male plerumque cedat illa liberalitas. *

An valuerit donatio omnium bonorum?

* Inde enim quotidianae lites, donatoribus, malam ſibi gratiam referri, conquerentibus, donatariis contra accuſantibus moroſitatem donatorum, alimentorum onus intolerabile, vitam denique eorum nimis diuturnam. Vnde factum arbitramur, vt quum in Marchia hic mos donandi nimis frequens eſſet inter ruſticos, maiores publice monendos putarint homines, ne ſe perditum irent, ſuſpenſa in plurium vrbium portis claua, cum verſiculis:

Wer den kindern giebt das brodt,
Vnd leidet ſelber noth,
Den ſoll man ſchlagen mit dieſer keule tod.

§. CCCLX.

Progredimur ad alteram, quam inter beneficas retulimus, conuentionem, puta COMMODATVM. *Commodare* Germanis eſt *leihen* vel *lehnen*: quemadmodum commodato accipere eſt *borgen* vel *entlehnen*. Sed eorum verborum tam laxa eſt notio, vt et ad mutuum, et ad commodatum, et ad conceſſionem dominii vtilis, referantur. Vnde notae phraſes: *geld leihen vnd borgen: ein buch leihen oder entlehnen: ein gut leihen vnd zu lehn nehmen:* neque adeo mirum eſt, veteres haud raro confudiſſe *mutuum* et *commodatum*, quum eae conuentiones communi nomine deſignarentur. * Saltim LEX WISIGOTHICA *Lib. V. tit.* 4. in rubrica

Commodati et mutui eadem vocabula.

rubrica *commodati* meminit, quum §. 4. agat de *mutuo*, vel, vti legiſlator d. §. loquitur, de *pecunia commodata.*

* Itaque et hodie vocabula pleraque, quibus de mutuo vtimur, variis communia ſunt contractibus, veluti *leihen*, *lehnen*, *borgen*, *vorſtrecken*, quae aeque de commodato ac de mutuo accipiuntur, et *austhun*, quod et locationem exprimit. Eamdem aequiuocationem reperiri in lingua Danica et Sueuica, ex LOCCENII *ſynopſi iur. Suec. diſſ. XI.* §. 2. *p.* 333. *ſequ.* et OSTERSSONII *gloſſar. iur. Dan. p.* 86. *ſequ.* et *p.* 300. *ſequ.* iam oſtendit illuſtris a LVDEW. *differ. iur. Rom. et Germ. in mutuo diſſ.* 1. *lit. e. ſequ.* qui et *lit. f. h. i. l.* obſeruat magis propria mutuo eſſe verba *furſetzen*, *vorſchieſſen*, *aufnehmen*, *auſenſtehen haben*, quibus addimus Saxonica *geld belegen*, vel *zinſsbar belegen* vel *beſtäten*, quae ipſa quoque vix aliter, quam de pecuniis creditis vel foenori locatis vſurpare ſolent.

§. CCCLXI.

In commodato an transferatur dominium?

At Germanos, quantumuis confuderint vtriuſque illius conventionis vocabula, rerum tamen ipſarum diſcrimen non plane ignoraſſe, iſtorum leges ſatis ſuperque oſtendunt, quae et hic fere aequitatem naturalem ſequuntur, et a iuris Romani principiis parum diſcrepant, niſi quod nonnulli dominium rei commodatae iure Germanico in commodatarium transferri exiſtimant, WESENBEC. *paratitl. tit. commod. n.* 7. SCHNEIDEW. *in §.* 16. *Inſt. de oblig. quae ex del. n.* 2. quorum ſententiam merito quidem, at ex ratione non admodum probabili, * refellit SCHILTERVS *Exerc. XXV.* §. 4.

* Exiſtimat enim, in loco iuris Saxonici, ex quo illam dominii tranſlationem plerique colligunt, eſſe hoc ex pacto adiecto, quo diſerte commodans in commodatarium tranſtulerit dominium. De re ipſa poſtea videbimus. Iam obſeruamus, ſimilem eſſe ſententiam AND. ALCIATI. *paradox. Lib. II. cap.* 19. de ipſo iure Romano. Si quis enim ſcyphos ſuos alicui dederit, vt hic eorum dominus fieret; at eos tamen reſtituere intra aliquod tempus teneretur, id non contractum innominatum eſſe, ſed commodatum, collegit ex *l. vlt. D. de praeſcript. verb.* quum tamen ibi translati dominii non magis fiat mentio, quam adiectae huiuſmodi pactionis. Vid. VIGL. ZVICHEM *in l.* 2. *D. de reb. credit. n.* 22.

§. CCCLXII.

Negatur ex lege Wiſigothica.

LEGE WISIGOTH. *Lib. V. tit.* 5. §. 1. cauetur, vt, ſi quis quodcumque alterius animal pro certa mercede cuſtodiendum ſuſceperit, idque perierit, aliud eiuſdem generis reſtituat; ſin, qui gratis cuſtodiuerit, animal caſu periiſſe, probare poſſet, is ad damnum reſarciendum non obligaretur, ea tamen lege, *vt praeberet*

Digitized by Google

praeberet ſacramentum ille, qui commendata ſuſceperat, * *quod non* DOMINO *per ſuam culpam, neque per negligentiam, animal morte conſumtum ſit*, ſiquidem tunc nihil cogendus ſit exſoluere. Hinc ſtatim additur: *Similis et de* COMMODATIS *forma ſeruetur.* Quum ergo et dominus maneat commodans, et caſum ferat: iure ſane WISIGOTHICO in alterum non tranſiiſſe oportet dominium.

* COMMENDARE medio aeuo fuit rem alteri cuſtodiendam credere, ſiue hic gratis, ſiue certam ſibi ſtipulatus mercedem hanc cuſtodiam ſuſceperit. Hinc modo de *depoſito* vſurpatur, veluti in LEGE LANGOB. *Lib. II. tit.* 17. §. 1. et LEG. ALAM. *tit.* 5. §. 1. quod et a Latinis fiebat, quibus *commendare nihil aliud erat, quam deponere: l. 186. D. de verb. ſignif.* GLOSSA: *commendauit* παρακατέθετο. Modo de *locatione*, veluti LEG. WISIG. *Lib. V. tit.* 5. §. 1. LEG. BAIVVAR. *tit. XIV.* §. 1. modo de *mandato*, vti LEG. WISIG. *ibid.* modo denique *de dominio vtili* vel *vſufructu* ad dies vitae conceſſo. Vnde loquutiones: *commenda, dare in commendam*, et ſimiles, quas cum cura interpretatur CAR. DV FRESNE *gloſſar. Lat. Tom. I. p.* 1106. *ſequ.*

§. CCCLXIII.

Eadem lex totidem paene verbis repetitur in LEGE BAIVVAR. *tit.* 14. adeoque dubitari non poteſt, quin et Boii tranſlationem dominii rerum commodatarum ignorarint. In LEGE etiam SALICA *titulo* 55. ex inſtituto agitur de commodato, quod ibi vocatur *res praeſtita*, * oſtenditurque, quo ritu eam repetat commodans, ſi reddere noluerit commodatarius. Sed tantum abeſt, vt ibi aliquid occurrat, quod ad tranſlationem dominii pertinere videatur, vt ex formula repetendi, quae ibi praeſcribitur: *Quia res* MEAS *noluiſti reddere, quas tibi praeſtiti in hoc, eas tene nocte proxima*, potius colligi poſſit, dominium penes commodantem omnino manſiſſe. Itemque Baiuuarica et Salica.

* *Praeſtare* quoque, vti Gallorum *preſter*, aeque *mutuum dare*, ac *commodare* ſignificat. Pro *mutuo* accipitur in CAPITVLAR. *Lib. I. cap.* 130. *Iuſtum foenus eſt, qui amplius non requirit, quam* PRAESTITIT. Pro *commodato* a GVIL. BRIT. *Philippid. Lib. XI. v.* 467.

Oſtimarenſis adeſt curſu rapiente, Girardus,
Deſcendenſque ſuum domino, victoris egenti,
PRAESTAT *equum.*

Plura huius notionis exempla ex SALVIANO et VENANTIO FORTVNATO collegit CAR. DV FRESNE *gloſſar. Tom. III. p.* 393.

§. CCCLXIIII.

Nec non Friſica.

Omnium clariſſime LEX FRIS. *in addit. tit.* II. §. I. qui et ipſe *de re praeſtita* agit: *Si homo alii equum ſuum praeſtiterit, vel quamlibet aliam pecuniam, talem, qualis ei praeſtita eſt, reddat* DOMINO EIVS, *et ſi forte peioratam reddiderit, componat ei iuxta quantitatem, qua rem eius impeiorauit.* Vbi manifeſto commodans vocatur dominus, eique damnum culpa ſua factum praeſtare iubetur commodatarius. Quis vero culpam praeſtet in re propria?

§. CCCLXV.

Immo et ex iure Alamannico.

Nec dubium eſt, quin et medio aeuo eadem omnia fuerint. Quamuis enim in IVRE SVEVICO *cap.* 244. dicat SPECVLATOR: *Welch man ainem ain pfärd oder ain gevvant, oder ander varendes gut ſetzet, oder leicht mit ſeinem vvillen, ſo hat yener recht daran, in des gevvalt es chumbt*: ſequentia tamen verba ſatis ſuperque oſtendunt, illud ius non conſiſtere in dominio, quia commodans caſum ferre, commodatarius culpam praeſtare iubetur, quae vberius explicantur *cap.* 246.

§. CCCLXVI.

Locus iuris Saxonici ex quo id colligunt.

Crucem itaque viris doctis figit locus vnicus IVRIS PROV. SAX. *Lib. III. cap.* 22. *Welcher mann einem andern leihet ſein pferd, kleider, oder ander ſein fahrende haab, oder daſs ers verſetzt, oder zu vvelcher vveis dis aus ſeinen gevvehren mit ſeinem vvillen kommt, verkaufft es dann der, der ſolches in gevvähren hat, einem andern, oder verſetzt er das furbas, oder verſpielt es, oder aber vvird ihm geſtohlen, oder abgeraubet: jener der es dieſem verliehen, oder verſetzt hat, mag daran des leihens halben keine forderung haben, ſondern allein vvieder den, dem er es liehe, oder verſetzt.* Inde enim colligunt, non poſſe commodantem manſiſſe dominum, quum ius non habuerit, rem ſuam a tertio poſſeſſore vindicandi. Quum tamen ea concluſio vix iure Romano ſemper procedat. *

* Nam e. g. tigni iuncti idem, qui antea manet dominus: et tamen is illud non poteſt a tertio poſſeſſore vindicare. Diſerte IVSTINIANVS §. 29. *Inſt. de rer. diuiſ. Quum in ſuo ſolo aliquis ex aliena materia aedificauerit: ipſe intelligitur dominus aedificii, quia omne, quod ſolo inaedificatur, ſolo cedit. Nec tamen ideo is, qui materiae dominus fuerat, deſinit* DOMINVS *eius eſſe, ſed tantiſper neque vindicare eam poteſt, neque ad exhibendum agere propter*

pter legem 11. *tabularum.* Nimirum dominus ſoli eſt etiam dominus aedificii, at materiae vel tignorum is, qui antea fuit, manet dominus, ac proinde demta dicuntur in priſtinam cauſſam reuerti. *l.* 59. *D. de rei vind.* vid. VINN. *ad* §. 29. *n.* 1. Ceſſat tamen vindicatio, ſtante aedificio, ne vrbs ruinis deformetur. *l.* 2. §. 17. *D. ne quid in loco publ. vel itinere fiat.*

§. CCCLXVII.

Schilteri interpretatio contorta.

Iam quidem non aliter ſe expedire poteſt SCHILTERVS, quamuis iuris Germanici alioquin callentiſſimus, quam vt exiſtimet, iure etiam Germanico commodantem manſiſſe dominum, eam regulam tamen admiſiſſe exceptionem, ſi commodans, adiecto huic contractui pacto, diſerte cauerit, vt ad commodatarium dominium ac poſſeſſio transiret, idque colligit ex verbis; *zu vvelcher vveis dis aus ſeinen gevvehren mit ſeinen vvillen kommt.* * Enimuero haec verba non inuoluunt pactum adiectum, ſed id tantum innuunt, huic iuris diſpoſitioni locum non eſſe, ſi inuito domino aliquid fuerit ſurreptum.

* Siue rem deponas, ſiue commodes, ſiue loces, ſiue precario des, poſſeſſio naturalis volente domino tranſit in alium. Quis vero ad id ſingulari pacto adiecto opus eſſe dixerit? Ipſorum ſane, quos recenſuimus, contractuum ea eſt natura atque indoles, vt alter poſſeſſionem illam naturalem nobis volentibus nanciſcatur. Nec vocabulum *gevvehr* ſemper ſignificat poſſeſſionem ciuilem, ſed idem eſt, ac recentius *gevvahrſam*, adeoque et de nuda detentione recte vſurpatur.

§. CCCLXVIII.

Vera explicatio.

Res ſatis expedita eſſe videtur. Rem commodatam a tertio poſſeſſore vindicare iure Germanico non poterat commodans, non, quod dominus eſſe deſiiſſet, ſed quod generatim eo iure obtineret regula: *Hand muſs hand vvahren.* Nam dominus, qui alteri rem vltro, (*mit ſeinem villen*) quocumque titulo dederat, eam, non amplius apud hunc exſtantem, non poterat a tertio poſſeſſore * vindicare, ſed actione perſonali conuenire debebat eum, cuius fidem fuerat ſequutus. HERT. *paroem. iur. Germ. Lib. I. par.* 18. *p.* 425. *ſequ.*

* COLERVS *Deciſ.* 7. *n.* 7. *ſequ.* exiſtimat, huic regulae tunc demum locum fuiſſe, ſi tertius ille poſſeſſor fuerit in bona fide. Nihil enim obſtare, quo minus commodans vindicare rem ſuam poſſit ab eo, qui mala fide rem poſſideat, ſciens, rem in ſe translatam eſſe commodantis. Qua in re eum ſequitur HERT. *de commution. dominii tranſlat.* §. 29. Sed id ſaltim iure Saxonico verum non videtur, quia illud dominum non patitur res ſuas etiam furto vel rapina ſubtractas commodatario, a tertio vindicare. Id enim

volunt

volunt verba dicti *art.* 22. *Libr. III. Wird es ihm geſtohlen oder abgeraubet.* Aequam tamen eſſe COLERI ſententiam, facile largimur. Et hinc eam in ſtatuta ſua receperunt HAMBVRGENSES, vti ſtatim adparebit.

§. CCCLXVIIII.

Idem principium ſequuntur Lubecenſes et Hamburgenſes.

Nimirum et IVS LVBECENSE *Lib. III. tit.* 2. *art.* 1. *et* 2. hoc principium ſequitur, nec commodanti actionem dat aduerſus tertium poſſeſſorem niſi refuſo pretio, addita ratione: *dann hand muſs hand vvahren.* Nec aliter rationes ineunt HAMBVRGENSES *Lib. II. tit.* 2. *art.* 7. qui, ſeruatis paene verbis SPECVLATORIS SAXONICI, commodanti denegant actionem aduerſus tertium poſſeſſorem, modo is rem iuſto titulo adquiſiuerit: *vvofern derjenige ſolches mit guten titul an ſich gebracht.* *

* Contradictioni hunc textum implicari exiſtimat SCHILTERVS *Exerc. XXV.* §. 8. Quum enim anteceſſerint verba: *Wird es ihm abgeraubet oder abgeſtohlen*: mox ſequitur: *vvofern derienige ſolches mit gutem Titul an ſich gebracht.* Quae verba tollere priora, nec illa ſimul cum his ſubſiſtere poſſe, ſtatuit vir doctiſſimus. Sed procul dubio id volunt Hamburgenſes, commodantem etiam res furto commodatario ſubtractas vindicare non poſſe a tertio poſſeſſore, qui iuſto titulo rem a fure adquiſiuerit, nihil autem impedire, quo minus eam ab ipſo fure vindicet. Haec vero quam implicent contradictionem, ego quidem me non intelligere fateor.

§. CCCLXX.

Immo et Sueci et alii exteri.

Ceterum commune fuiſſe hoc Germanis principium, vel inde patet, quod illud et extra Germaniam gentes cognatae a maioribus traditum et hodie religioſe ſeruant. (Lib. I. §. 14.) De Suecis ſane ſuis hoc teſtatur LOCCEN. *ſynopſ. iur. Suec. Diſſert.* 12. *quaeſt.* 5. *et Diſſ. vlt. in corollar.* Et in Belgio idem ius viget apud Antuerpienſes. STATVT. ANTV. *tit.* 58. *art.* 5. De vniuerſis quoque Belgis idem adfirmauerat GROENEWEG. *de leg. abrogat. ad* §. 16. *Inſt. de obl. quae ex del.* ſed acriter ideo reprehenſus ab ipſis iureconſultis Belgicis, inprimis a SIM. VAN LEEVWEN *cenſur. Part. I. Lib. IIII. cap.* 7. §. 15.

§. CCCLXXI.

Quae culpa praeſtanda in hoc contractu?

Sed quaeritur porro, quae obligatio iure Germanico fuerit tum commodatarii, tum commodantis, et quod ſibi inuicem damnum cum in aliis contractibus, tum et in hoc, praeſtare debuerint contrahentes? Quamuis enim vix credibile ſit, Germanos de culparum differentia tam ſubtiliter fuiſſe philoſophatos,

ac

ac Romanos: Thomas. *diſſ. de vſu pract. doctr. iur. Rom. de culpar. praeſtat.* nemo tamen dubitauerit, quin ſaltim damnum dolo vel culpa datum praeſtari voluerint. Quare operae pretium facturi nobis videmur, ſi paucis et hic inquiſiuerimus in iuris Germanici principia.

§. CCCLXXII.

Nimirum quamuis Germani damna, dolo, culpa et caſu data, accurate ſatis diſcernerent: culpam tamen non niſi vnius generis agnouiſſe, eamque, ſiue lata, ſiue leuis iure Romano dici poſſet, generali culpae vocabulo denominaſſe videntur. Quemadmodum vero dolum omnem praeſtari in quocumque contractu procul dubio voluerunt: ita de culpa in contractibus gratuitis obſeruaſſe videntur certas regulas, veluti: I. *Quemuis teneri rem alienam maiore diligentia cuſtodire, quam propriam,* * *et, niſi id fecerit, ad praeſtandum damnum, culpa ſua datum, obligari.* Thomas. *not. ad pand. Lib. XIII. tit. 6. pag.* 170. Culpa apud Germanos vna. De ea reg. I.

* Itaque ignoraſſe Germani culpam *in abſtracto* quam vocant, eamque tantum *in concreto* conſideraſſe videntur. Quod non iniquum dixeris. Quum enim ipſum ius Romanum inculcet, *eum, qui cum alio contrahit, vel eſſe, vel debere eſſe non ignarum conditionis eius: l. 19. pr. D. de reg. iur.* quid aequius eſt, quam eum, qui alteri rem ſuam ex quocumque contractu concedit, contentum eſſe debere ea diligentia ac ſolertia, qua illum ſua in re vti, ſatis ſciuerit?

§. CCCLXXIII.

At II. *ſi alter non gratis, ſed pro certa mercede, rem alterius cuſtodiendam ſuſcepiſſet: eum ipſum caſum ferre debuiſſe*, patet ex loco Legis Wisig. *Lib. V. tit.* 5. §. 1. *Si quis caballum, vel bouem, aut quodlibet animalium genus, placita mercede, ad cuſtodiendum ſuſceperit. ſi id perierit, aliud eiuſdem meriti ille, qui commendata ſuſceperit, exſoluat, ſi tamen mercedem fuerit pro cuſtodia conſequutus, vel pro conducto.* In contractibus vero gratuitis III. *is, qui rem cuſtodiendam gratis ſuſceperat, non praeſtabat caſum*, ſed, ſi iureiurando confirmare poſſet, rem ſua culpa non periiſſe, liberabatur *. Lex Wisig. *ibid.* Lex Baiuvar. *tit.* 14. *cap.* 1. §. 1. 2. 3. Itemque reg. 2. et 3.

* Id eſt, ſi oſtendere poſſet, rem alienam ſe magis, quam ſuam, curaſſe. (§. 372.) Hinc eadem lex Wisig. *ibid.* §. 5. cauet, vt ſi res ab altero commendata, incendio, ruina aut naufragio periiſſet, et is, qui eam cuſto-

cuſtodiendam ſuſceperit, ſua omnia eripuiſſet, is, quod acceperit, ſine aliqua excuſatione cogeretur exſoluere: ſin partem rerum ſuarum in tuto collocaſſet, partem etiam damni pro rata alteri reſtitueret: contra ſi quis aliena fatali damno erepturus, ſua omnia perdidiſſet, iudex arbitraretur, quantam damni partem ferre debeat is, qui cum alieno damno res ſuas ſaluas habeat. Quae lex regulam primam egregie illuſtrat.

§. CCCLXXIIII.

Et reg. 4.

Quum ergo ex regula 2. et 3. (§. 373. pateat,) Germanos quoque conſideraſſe, ſolumne commodum, an incommodum quis ex contractu ferret: conſequens eſt, vt non potuerint non veriſſimam exiſtimare regulam IIII. *in contractibus, vbi par vtrimque commodum atque incommodum ſit, parem quoque diligentiam ſibi inuicem praeſtare debere contrahentes*, talem nimirum, qualem quiſque in re ſua adhibere ſoleret. (§. 372. *) Saltim a lucro ad damnum argumentum ducit LEX WISIG. *Lib. IIII. tit.* 2. §. 15. *extr.*

§. CCCLXXV.

Quod damnum in commodato praeſtetur ex legibus vetuſtis.

Itaque iam ſatis patet, commodatarium ad reſarciendum damnum obſtrictum fuiſſe, ſi rem non maiore diligentia cuſtodiuerit, quam ſuam: non tamen tuliſſe caſum, quia rem gratis cuſtodiuerit. (§. 383. 3.) Diſerte enim LEX WISIGOTHICA, *Lib. V. tit.* 5. §. 1. poſtquam has regulas de rebus commendatis inculcauerat, addit: *Similis et de* COMMODATIS *forma ſeruetur.* Add. LEX FRIS. *addit. tit.* 11. §. 1. 2.

§. CCCLXXVI.

Ex iure Sax. et Sueu.

Nec aliter de culpa, a commodatario praeſtanda, philoſophantur SAXONES et ALAMANNI. IVS enim PROV. SAX. *Lib. III. art.* 5. inculcat regulam: *Was man dem mann zu gebrauchen leibet oder zu pfand verſetzt: das ſoll er vnuerderbt wiederbringen dem, der es ihm liebe oder verſatze, oder ſoll es ihm gelten nach ſeinem vůrden.* Quod etiam obtinebat, ſi quis re aliena aliter, ac dominus voluerat, vſus eſſet, e. g. ſi equum diutius, quam dominus eius vſum indulſerat, retinuiſſet. * IVS PROV. SAX. *Lib. III. art.* 22. Similia fere habet IVS PROV. SVEV. *cap.* 243. 244. 246. vbi et regula occurrit: *Wir ſprechen das er dem man frômdes gutz das ſol bůtten, dann ſein ſelbes gutz.* (§. 372. *et* 373. *)

* Eo

* Eo caſu furtum vſus committi ex principiis iuris Romani, eoque nomine actionem furti dari, traditum eſt, nec quisquam ignorat eius rei exemplum, quod eſt apud VALER. MAX. *Lib. VIII. cap. 2. exempl.* 4. At Germani diſerte negabant, eum, qui re commodata aliter ac dominus voluerit, vſus ſit, furti teneri. IVS PROV. SAX. *Lib. III. art.* 22. *Dieberey noch raubes mag er ihm aber daran nicht gezeihen, ſintemal daſs ers ihm ſelber geliehen hat.* Id tamen iure vetere Germanico non vbique obtinuiſſe, nec ignotum plane maioribus noſtris fuiſſe furtum vſus, infra, vbi de furto ex inſtituto agetur, pluribus oſtendemus.

§. CCCLXXVII.

Haec de *commodato*. Proximum eſt MVTVVM, quod quamuis ignotum fuiſſe veteribus Germanis videri poſſit, ideo, quod pecuniae vſum ſatis diu nullum haberent, teſte TACITO *de mor. Germ. cap.* 5, tamen et in alia quauis re fungibili illud conſiſtere poſſe, ſatis notum eſt, adeoque et hic contractus locum habere potuit, quando adhuc auro et argento caruerunt homines. Fatendum tamen eſt, rariorem inter Germanos fuiſſe hunc contractum: eiuſque rei vel hoc argumentum eſſe ſatis luculentum, quod pleraeque veteres Germanorum leges, ſi a WISIGOTHICIS diſceſſeris, huius contractus raro faciunt mentionem *. *Mutuum in Germania olim rarius.*

* Adde quod aeris alieni et foenebris mali origo maxime luxuriae debetur. Ea gliſcente, demum accidit, quod ait SALLVST. *Catilin. cap.* 20. vt pleriſque *ſit domi inopia, foris aes alienum, mala res, ſpes multo aſperior, nihil denique reliqui, praeter miſeram animam.* At quid Germanos cogeret ad aes alienum contrahendum, quibus parabilis cibus, farina recens, poma agreſtia, lac caſeusque, et ſi quid aliud natura prouida offerret, ſufficiebat: quibus corruptum vini in modum frumentum pro potu, humus pro lecto, pellis vrſi vel rhenonis pro ſtragulis, tuguriolum pro palatio erat? quibus denique nec commerciorum, nec artificiorum ad luxum et ſplendorem comparatorum vlla cura erat? Non tales ſane, ſed prodigi, adulteri, ganeones, rapere, conſumere, ſua parui pendere, aliena cupere, bona patria lacerare, alienum aes grande conflare ſolent.

§. CCCLXXVIII.

Ex his vero legibus, quae alioquin Romanas paſſim ſequuntur, obſeruo, I. iis permiſſas fuiſſe vſuras, quas ceteroquin canones iis temporibus paſſim damnabant: II. vſuras ceſſaſſe, ſi vſus pecuniae ſine debitoris culpa ceſſaſſet. Nam *Lib. V. tit.* 4. §. 4. eius legis cauetur, vt ſi pecunia ſub vſuris credita caſu perierit, debitor ſortem reſtituat, ſine vſuris, praeterquam ſi alterum tantum ea ſit lucratus: ſin debitoris dolus vel culpa interceſſerit, et ſortem et vſuras reddere teneatur. *Vſurae admiſſae.*

§. CCCLXXVIIII.

§. CCCLXXVIIII.

Debitor qui non ſoluebat, creditori addicebatur.

Quemadmodum vero nihil erat maioribus noſtris fide ſanctius: ita non modo ſtricte reddi iubebant pecuniam creditam, ſed et debitores moroſos addicebant creditoribus. Iam ſupra (*Lib. I. §. 37.*) id probauimus ex IVRE PROV. SAX. *Lib. III. cap.* 39. WEICHB. SAX. *art.* 27. itemque ex IVRE LVBEC. *Lib. I. tit.* 1. *art.* 3. Iam addimus, ſimilia occurrere in IVRE PROV. SVEV. *cap.* 130. *Wer ainen man beclagt vor gericht vmb gelt; vnd mag er nicht vergelten, der richter ſol im den man für ſein gelt antwurtten, vnd den ſol er behalten, gleich ſeinem hauſsgeſind mit ſpeys vnd auch mit arbait. Wolt aber er in eins lieſſen an ain eyſen pant, daz mag er auch wol tun, vnd anders ſol er in nicht pinden. Lât er in, oder entrint er im, damit iſt er nicht ledig des geltes, alldievveyl er im nicht vergolten hat, ſo ſol er im dienen, als ſein hausgeſind. Vnd will er ſein nicht behalten, ſo ſol der gelter ſvveren gen den heiligen, vven er gevvin vber ſein notturfft dreyſig pfennig oder mer, daz er im gelt.*

§. CCCLXXX.

Precarium in Germania non diſtinctum a commodato.

PRECARIVM, quae quarta eſt conuentio benefica, neſcio an veteres Germani a commodato diſtinxerint. Tam ſubtilis enim eſt differentia inter ea, quae ad certum; et quae ad indefinitum vſum conceſſa ſunt, vt eius rationem habuiſſe Germanos, ſimplicitatis in iure ſtudioſiſſimos, vix veroſimile videatur. Nec huc pertinet locus ex IVR. WISIG. *Lib. X. tit.* 1. §. 12. ſed ad precariam aeque, ac quae in LEGE LANGOB. *Lib. II. tit.* 8. §. 4. *tit.* 10. §. 2. et in CAPITVLARIB. *Lib. V. tit.* 127. et alibi paſſim, occurrunt. Quales vero olim fuerint precariae, iam ſupra, (§. 39. *et* 47.) quantum ſatis eſt, diximus.

§. CCCLXXXI.

Depoſiti indoles.

Progredimur itaque ad DEPOSITVM, cuius non minor Germanis viſa eſt religio, quam vlli alii genti. Hinc non modo reſtitui iubebant depoſitum domino, ſimul ac hic illud repetierit, verum etiam illum, qui iſtud dolo malo non reſtituerat, vel abnegauerat, in certam mulctam condemnabant, veluti in tertiam et quintam partem pretii rei depoſitae, vti eſt in CAPITVL. *Lib.* V. *cap.* 204. Quin LEX LANGOB. eum, qui depoſitum negat, ad ſingulare certamen vocat, ſi illud 20. ſaltim ſolidorum ſit. *Lib. II. tit.* 55. §. 35. Quod vero ad damna attinet,

attinet, hic eadem omnia eſſe videntur, ac in commodato, quia, quae LEGES WISIGOTHICAE et BAIVVARICAE locis paullo ante adlatis de *commendatis* praecipiunt, ea non ad depoſitum minus, quam ad commodatum, pertinent *. (§.

* Similiter IVS PROV. SAX. *Lib. III. art.* 5. omne damnum culpa depoſitarii datum reſarciendum eſſe, ſtatuit, non autem quod caſu accidit: *vvelcher man dem andern ſein gut thut zubehalten, vvird es ihm geſtohlen, oder geraubet, oder verbrendt es ihm, oder ſtierbt es ihm, ob es viehe iſt, er darff da keine noth vmb leiden, thar er ſein recht dann thun, daſs der ſchade ohne ſeine ſchuld ſey geſchen.* At SPECVLATOR SVEVVS *cap.* 266. depoſitarium ad rei depoſitae, etiam furto ſibi ablatae, aeſtimationem praeſtandam eſſe obligatum, docet, additque regulam: *Alſo iſt es vmb alle befehlnuſs, vveſs ſich der mann vntervvindet zu pflegen, oder zu behalten, vnd vvird es ihm geſtohlen, er muſs es gelten.* Quamuis vero totus ille §. 3. *cap.* 246. in BERGERIANA editione *pag.* 266. deſideretur: exſtat tamen cum lacinia, quae in reliquis editionibus deeſt, in SCHANNATIANA *art.* 223. *p.* 295. Tanta eſt exemplarium huius iuris diuerſitas, tanta diſſimilitudo.

§. CCCLXXXII.

Et mandati.

Denique ne de MANDATO quidem ſingulare quidquam occurrit in legibus Germanicis, niſi quod illud apud Germanos non ſemper fuerit gratuitum, nec honorarium ſolum admiſerit, verum etiam *placitam mercedem*, vti eſt in LEGE WISIGOTH. *Lib. V. tit.* 5. §. 1. et in LEGE BAIVVAR. *tit.* 14. *cap.* 1. Quamuis enim haec locatio conductio videri poſſit; culpae tamen praeſtatio alia eſt, vti ſupra iam oſtendimus. Ceterum et IVRE SVEVICO mandatarium reſarcire debuiſſe damnum, ſi furto res ablata eſſet, paullo ante (§. 381. *) monuimus.

§. CCCLXXXIII.

Axiomata de his contractibus.

Et haec quidem ſunt, quae ex vetere iure Germanico de conuentionibus his, quas beneficas vocauimus, eruere licuit. Quum vero pleraque ita comparata ſint, vt in iurisprudentia Romana multo accuratius pleniuſque tradantur, quam in iure patrio: non mirum ſane eſt, I. hodie controuerſias de huiusmodi conuentionibus pleraſque ex principiis iuris Romani decidi, adeoque II. hic perpaucas in foro ſupereſſe iuris patrii reliquias.

§. CCCLXXXIIII.

In plerisque circa hos contractus

Prius inde patet, quod (1. hodie vbique ferme donatio) fit etiam ab infirmo et aegrotante, (2. etiam extra iudicium, modo, ſi quingentos ſolidos excedat, apud acta inſinue-

hodie ius Romanum obtinet.

tur : (3. quod ne in Saxonia quidem heredum conſenſus requiritur, niſi in bonis auitis, ad excludendum ius retractus gentilitii : Schvlz. *ſynopſ. inſtit. Lib. II. tit. 7. pag.* 108. *ſequ.* (4. quod et contractus benefici reliqui per omnia fere ad iuris Romani normam, tum in Saxonia, tum in reliquis Germaniae prouinciis, redacti ſunt, et hinc (5. commodanti etiam hodie in ipſa Saxonia datur rei vindicatio aduerſus tertium poſſeſſorem. Schvlz. *Lib. III. tit.* 15. *pag.* 322.

§. CCCLXXXV.

Iuris patrii reliquiae circa donationes.

Contra inter paucas iuris patrii reliquias ſunt, quae ſequuntur : (6. quod alicubi donatio rerum immobilium, ſine diſcrimine quantitatis apud acta fieri debet : ivs Lvbec. *Lib. I. tit.* 9. *art.* 2. id quod et in Gallia in donationibus omnium rerum, quae non in continenti e manu in manum traduntur, obſeruandum eſſe, monent Greg. Tholos. *ſyntagm. Lib. XXVIII. cap.* 13. §. 17. Avtvmn. *ad l.* 28. *C. de donat.* (7. Quod apud Mindenſes donationem aegroti vel expreſſe, vel tacite, probare debent heredes : Stat. Mind. *Lib. I. tit.* 12. *art.* 1. at (8. ſani et vegeti donatio valet, ſimul ac res tradita eſt. *ibid. art.* 2. (9. Quod iure Lubecenſium non quidem heredum conſenſus requiritur, attamen iis prius danda eſt portio legitima octo ſolidorum et quatuor numorum. Ivs Lvbec. *ibid.* (10. Quod donationem omnium bonorum in ipſa etiam Saxonia apud acta fieri oportet. Moller. *ad Part. III. conſt. Aug.* I. *n.* 7. *ſequ. et ad Conſt. III. n.* 38.

§. CCCLXXXVI.

Circa commodatum.

Sic et, quod ad commodatum attinet, (11. ius illud de commodante, rem ſuam a tertio poſſeſſore non vindicante, obtinet non modo Lubecae, Hamburgi, Antuerpiae, ceu iam ſupra obſeruauimus, ſed et iis locis omnibus, vbi iure Lubecenſi viuitur. (12. Ibidem commodans omnem culpam, immo (13. et caſum, praeſtare tenetur, ſi re contra commodantis voluntatem vſus ſit. * Ivs Hamb. *Part. II. tit.* 2. §. 1. *ſequ.*

* Quod ipſum tamen ne iuris quidem Romani principiis aduerſatur. Nam ex his qui re aliena aliter, quam dominus velit, vtitur, furtum vſus committit. *l.* 40. *t.* 54. *pr. l.* 76. *D. de furt.* Quumque fur res alienas detinens ſemper in mora ſit, et mora periculum in moroſos transferat : *l.* 5. *D. de reb. cred. l.* 23. *ſequ. l.* 82. §. 1. *D. de verb. obl.* non poteſt non conſequi, vt commodans et caſum ferre teneatur, ſi re contra domini commodantis voluntatem vſus ſit. Vlpian. *l.* 8. *§.* 1. *D. de cond. furt. Si ex cauſſa furtiua res* condi-

condicitur, cuius temporis aeſtimatio fiat, quaeritur? Placet tamen, id tempus ſpectandum, quo res vmquam plurimi fuit, maxime quum deteriorem rem factam fur dando non liberatur. Semper enim moram fur facere videtur.

§. CCCLXXXVII.

Circa mutuum, (14. inter has iuris patrii reliquias merito Circa
referes, quod in Germania etiam ob moram, in expungendo mutuum.
nomine admiſſam, vſurae debentur, quantumuis non promiſſae. RECESS. IMP. 1600. *§. So viel nun.* (15. Quod in Saxonia hodie debitores, quos ſoluendo non eſſe, facta excuſſione, adparuit, non quidem creditori addicuntur, attamen in carcere, (*im ſchuld-thurn*,) habitare iubentur, * illis non conceſſo flebili ceſſionis bonorum beneficio. CONSTIT. ELECT. XXII. *Part. II.* (16. Quod in Holſatia etiamnum debitores equeſtris nobilitatis obligant ſe ipſos ad obſtagium, et hinc interpellati intrare tenentur certum diuerſorium, neque inde exire, donec nomen expunxerint. SCHILTER. *de iure obſid. ſub fin.* STRYK. *vſ. modern. Lib. XXXXVI. tit.* 1. §. 15.

* Et quidem non tam cuſtodiae, quam poenae cauſſa. Vnde quum alioquin ad cautionem obſtricti ſint ii, qui alium in vincula coniici petunt, et cum de iudice, tum de ipſo, quem in carcerem duci petunt, indemni praeſtando ſatisdare iubeantur: hac cautione non onerari ſolent creditores, eiusque rei hanc rationem reddunt doctores Saxonici, *quod non tam cuſtodiam carcerem hunc publicum, quam poenam eſſe voluerit Elector, eaque neminem adfici, niſi qui dolo malo non ſoluendo factus fuiſſet, ideoque iuſtiſſimam cauſſam hunc in carcerem coniiciendi creditores habeant.* MOLLER. *ad Part. II. Conſt. Sax.* 22. *n.* 10.

§. CCCLXXXVIII.

In depoſito, mandato, precario, vix quidquam ſingulare ob- Circa
tinet in foris noſtris, quod non aeque facile ex iure Romano, preca-
quam ex patrio, poſſit deriuari, niſi quod (17. in Germania rium.
ſatis frequens eſt mutuum precarium, veluti ius compaſcui, ius conuenationis, ius conlignandi, (*koppel-weyde, koppel-iagd, koppel-holtzung*,) qualia iura (18. ex natura precarii ſemper eſſe reuocabilia, palam eſt, niſi ſint mutuae ſeruitutes. CARPZ. *Part. II. Conſt.* 41. *def.* 9. KOEPPEN. *Part. I. Dec.* 12. *n.* 17. AHASV. FRITSCH. *de conuenat.*

TIT. XIIII.

DE CONVENTIONIBVS ONEROSIS, CERTAM PRAESTATIONEM CONTINENTIBVS.

§. CCCLXXXVIIII.

Tranſitio ad contractus oneroſos.

PRogredimur ad conuentiones, quae ad mutuam contrahentium praeſtationem ſunt comparatae, ac proinde ſatis commode ONEROSAE a doctoribus adpellantur. Eae vel certas habent praeſtationes, vel aleam continent. Nos iam de prioribus agimus, quales ſunt PERMVTATIO, EMTIO VENDITIO, LOCATIO CONDVCTIO, contractus EMPHYTEVTICVS, SOCIETAS, et quicumque a Romanis INNOMINATI adpellantur.

§. CCCLXXXX.

Permutatio olim Germanis fere ſola in vſu.

PERMVTATIO, antiquiſſimum commercii inter mortales genus, priſcis Germanis eo familiarior fuit, quo minus illi initio pecuniae vſum nouerant. TACITVS *de mor. Germ. cap. 5. Proximi*, inquit, *ob vſum commerciorum aurum et argentum in pretio habent, formaſque quaſdam noſtrae pecuniae agnoſcunt, atque eligunt: interiores ſimplicius et antiquius* PERMVTATIONE *mercium vtuntur.* Et ſane hoc commerciorum genus priſcis gentibus omnibus, antequam pretium aliquod eminens noſſe coeperant, commune fuiſſe, recte obſeruarunt PLIN. *hiſt. nat. Lib. XXXIII. cap.* 1. et PAVLLVS noſter *l.* 1. *pr. D. de contr. emt.*

§. CCCLXXXXI.

Poſtea etiam in Germania frequentiſſima.

Quamuis vero poſtea pecunioſi eſſe coeperint Germani, ſaltim ii, qui vel per prouincias Romanorum diuagati, regna ibi potentiſſima conſtituerant, vel piratica et perpetuis excurſionibus locupletati domum redierant: non eo minus tamen illis placuit antiquus ille contrahendi modus, ac proinde permutatione, ſeu, vt medio aeuo vocabatur, *concambio*, * non minus frequenter vtebantur, quam emtione venditione.

* Hinc permutatio modo dicitur *cambium*, in LEGE LANGOB. *Lib. III. tit.* 8. §. 4. modo *concambium*, in FORM. LINDENBR. 139. et LEG. ALAM. *tit.*, 20. modo *concambiatura ibid. form.* 141. et in *charta Alam.* 16. apud GOLDAST. *ſcript. rer. Alam. Tom. II.* a verbo antiquo *cambire* ἀμείβεσθαι, de quo PRISCIANVS et alii veteres. Id vero medio aeuo varie detortum: veluti in

in *cambiare*, LEG. SAL. *tit.* 39. §. 1. *concambire*, FORM. LINDENBR. 170. *concambiare*, LEG. SAL. *tit.* 39. et FORM. LIND. 19. Vid. LINDENBR. et CAR. DV FRESNE *in gloſſar. his vocibus.*

§. CCCLXXXII.

Eam leges veteres aequiparant emtioni venditioni.

Hinc LEGE WISIGOTH. *Lib. V. tit.* 4. §. 1. cauetur, *vt commutatio, ſi non fuerit per vim et metum extorta, talem, qualem et emtio, habeat firmitatem.* Quod ideo procul dubio prouiſum, ne quis exiſtimaret, locum in hoc ſimilibuſque contractibus eſſe poenitentiae. Ac proinde ea lex aliquoties repetitur in aliarum gentium legibus, veluti in LEGE BAIVVAR. *tit.* 15. *cap.* 8. et in CAPITVLAR. *Lib. VI.* §. 150. Quin in legibus vetuſtis coniunguntur aliquando res *comparatae* et *cambiatae*, veluti in LEGE SAL. *tit.* 39. vt facile pateat, apud maiores pari veluti paſſu ambulaſſe emtionem ac permutationem, eamdemque fuiſſe vtriuſque contractus indolem. *

* Et tamen aliquando permutare quibusdam licebat res ſuas, quum non liceret vendere, puta eccleſiis, earumque praelatis. LEX ALAM. *tit.* 20. *Nullus presbyter, nec aliquis paſtor eccleſiae, poteſtatem habeat vendendi eccleſiaſticam terram, niſi contra aliam terram, nec mancipium, niſi contra aliud mancipium receperit.* Vbi notandum, *vendere* dici hoc loco, qui rem re permutat, non ſecus, ac apud HOMERVM *Iliad. Lib. VII.* ὠνίζοντο dicuntur Graeci, qui aes, ferrum, terga bubula, iuuencos et mancipia pro vino dabant. §. 1. *Inſt. de emt. vend.*

§. CCCLXXXIII.

Eius requiſita.

In hoc quoque eadem erat vtriuſque contractus indoles, quod vterque in ſcripturam redigi, vel adhibitis teſtibus perfici ſoleret, quoties res immobiles, aliaeue alicuius momenti, vel venirent, vel permutarentur. Alterutrum enim requirit LEX WISIGOTHICA *Lib. V. tit.* 4. §. 3. At LEX ALAM. *tit.* 39. de permutationibus rerum eccleſiaſticarum praecipit: *Et ſi concambium fecerit*, presbyter vel alius paſtor eccleſiae, *aut de mancipio, aut de terra, ſemper epiſtolam firmitatis faciat, vt contentio non fiat, nec eccleſia perdat, quod legitime poſſidere debeat.* Hinc tot formulae et chartae, ſuper permutationibus conſcriptae, paſſim exſtant, veluti apud MARCVLF. *Lib. II. form.* 23. *et* 24. *adpend. cap.* 17. FORM. BIGNON. *cap.* 14. FORM. BALVZ. *cap.* 48. GOLDAST. *in chart. Alam.* 16. *Tomo II. ſcript. rer. Alam.*

 §. CCCLXXXIIII.

§. CCCLXXXIIII.

Emtio venditio quomodo contracta?

Emtio venditio etiam apud Germanos vix quidquam ſingulare habuit, niſi quod, vti iam monuimus, vel litterarum teſtimonium, vel teſtium accedere ſoleret auctoritas. Add. lex Baivvar. *tit.* 15. *cap.* 2. *§.* 1. Immo de rebus immobilibus vix valebat venditio, niſi apud acta, et ſollemniter facta. Vid. lex Ripvar. *tit.* 59. §. 1. *et tit.* 60. Solebant et arrhae dari, non in ſignum contractus perficiendi, ſed iam perfecti, eaſque amittebat emtor, ſi iuſto tempore non ſatisfeciſſet contractui, ita tamen, vt pretium nihilominus ſoluere teneretur. * Lex Baivvar. *tit.* 15. *cap.* 10.

* At ex lege Wisig. *Lib. V. tit.* 4. §. 4. emtor, qui pretium non ſolueret tempore conſtituto, arrham recipiebat, et contractus pro nullo habebatur, vel, vti loquitur eius legis auctor, *res definita non valebat.* Quae ſane mira eſt iuris diſpoſitio, qualem neſcio an alibi ſis reperturus. Alias enim arrha datur in ſignum vel perfecti contractus, vel certo perficiendi, et hinc vocatur: *haſſi-geld.* Schilt. *Exerc. XXX.* 34. Sed iam textum emendandum putauit Schilt. *ibid.* §. 41. legendumque: *arrhas tantummodo non recipiat, quas dedit, et res definita valeat.*

§. CCCLXXXV.

Venditionis effectus.

Quae ipſa recta ratio inculcat, veluti quod non poſſint vendi res alienae, litigioſae, et extra commercium poſitae, quod emtionem venditionem non oporteat vi et metu eſſe extortam, quod ad euictionem praeſtandam obligatus ſit auctor, et quae ſunt huius generis alia, ea iam non conſectabimur, quamuis de iis multa ſint in legibus iſtis vetuſtiſſimis. Id tantum monemus, emtionem, ſemel perfectam, ratam et firmam fuiſſe, lex Sax. *tit.* 15. *§.* 1. nec reſcindi potuiſſe, vel ob qualemcumque laeſionem, leg. Wisig. *Lib. V. tit.* 4. *§.* 7. leg. Baivvar. *tit.* 15. *cap.* 9. *§.* 1. vel ob rei venditae vitium, niſi venditor illud dolo malo celaſſet, leg. Baivvar. *tit.* 15. *§.* 2. 3. quamuis et hoc caſu intra triduum redhiberi oporteret rem vitioſam venditam, niſi quis venditorem inuenire non potuiſſet, *ibid. §.* 7. Capitvlar. *Lib. V.* §. 210. vel inuentus venditor iuraſſet, ſe tempore contractus vitium hoc ignoraſſe. *ibid.* §. 8.

§. CCCLXXXVI.

Germani res immobiles vendi

Pleraque haec et iure Saxonico et Svevico obtinuerunt. Nam et ex horum praeſcripto venditio rerum immobilium non erat rata, niſi facta eſſet in iudicio, et accedente reſignatione.

Ivs

Digitized by Google

IVS PROV. SAX. *Lib. I. Art.* 51. *et Art.* 9. *Lib. III. Art.* 4. Similia ſunt, quae ex IVRE PROV. SVEVICO adfert SCHILTER. *Exerc. XXX.* §. 41. *An des voigts ding mag niemand ſein eigenes hingeben, daſs es krafft mög haben.* * non patiebantur, niſi in iudicio.

* Haec enim non de donatione tantum, ſed vel maxime de emtione venditione et permutatione ſunt intelligenda. Neque enim alienatarum rerum immobilium dominium tranſibat ad vllum ſine inueſtitura, de qua ſupra, vbi de modis adquirendi iuris ciuilis actum, iam plura diximus.

§. CCCLXXXVII.

Periculum apud SVEVOS tranſibat ad emtorem, ſimul ac perfecta erat emtio venditio, cuius perfectionis ſignum erat arrha, (*der leyhkauff.*) Ita ſaltim IVS PROV. SVEVICVM *cap.* 247. §. 2. in Meichſneriana: *Vnd gib ich einem mann ein gut zu kauff, vnd giebt er mir ſein leyhkauff daran, vnd das gut bleibet in meiner gevvalt, vnd vvird es mir geſtohlen, der ſchad iſt ſein, vnd mein nicht, hab ich ſein gehûtet, als ich von recht ſolt.* * Periculum et commodum rei venditae.

* Ita in Meichſneriana. In Bergeriana enim *p.* 271. legitur: *vnd giebt er mir ſeinen vvert daran.* At ſaniorem hic eſſe priorem, ex duobus codicibus Vindebonenſibus probat SCHILTER. *Exerc. XXX.* §. 107. quorum alter membranaceus habet: *ſin arre;* alter chartaceus: *ſin heſſtunge.* (§. 314. *)

§. CCCLXXXVIII.

Rem vitioſam redhiberi potuiſſe, non magis eſt dubium, quam venditorem obligatum fuiſſe ad praeſtandam euictionem, ſi res vendita euicta eſſet. Duo tamen ſunt, quae notatu non videntur indigna. Primum quod IVRE WEICHB. *art.* 97. venditorum equorum quatuor vitia pro capitalibus habentur: *Wann es ſtetig iſt, oder ſtar-blind, oder vnrechter ankunfft, oder hartſchlegig.* Alterum, quod Iudaeus emtori ſuo ad euictionem non eſt obligatus. * IVS PROV. SAX. *Lib. III. art.* 7. et WEICHB. *art.* 136. Venditio rei vitioſae, et euictionis praeſtatio.

* Idem IVS PROV. SAX. *ibid.* et hoc ſub finem addit: *Was aber der Iude anders dings kaufft, oder zu pfande nimmet, vnuerho..n vnd verſtohlen, bey tages-licht, vnd nich. in b.ſchloſſenen häuſern, vnd mag er des zeugen ſelb dritte, er behält ſeine pfennige daran, die er darum gab, oder darauf that, mit ſeinem eyde, ob es vvol geſtohlen iſt, gebricht es ihm aber an den gezeugen, er verleuſt ſeine pfennige.* Quae quidem iuris Saxonici diſpoſitio originem dediſſe videtur famoſiſſimo priuilegio Halberſtadienſi, de quo pluribus actum in STRYKII *vſu moderno tit. D. de furt.* §. 27.

§. CCCLXXXVIIII.

§. CCCLXXXXVIIII.

Iuris retractus origo.

Ceterum quum hodie nullus ſit reſcindendi venditiones modus magis quotidianus, quam qui fit, vbi exercetur ius RETRACTVS: eius quoque origo vere Germanica paucis oſtendenda eſt. Nimirum iam ſupra vidimus, (§. 162.) alienationes rerum immobilium fieri non potuiſſe, niſi conſentientibus cognatis, maxime ſi eſſent bona a maioribus ad poſſeſſorem profecta. (§. 163.) Itaque facile patet, bona huiuſmodi ſine propinquorum conſenſu extra familiam vendita, retrahi potuiſſe a cognatis, perinde ac ſi non fuiſſent vendita. Illuſtris a LVDEWIG *diff. iur. ciu. et Germ. de donat. Diſſ. V.*

§. CCCC.

Eius veſtigia in lege vetere Saxonica.

Ex hoc itaque principio LEX SAXONICA *tit.* 16. *libero homini, qui hereditatem ſuam, (ſein erbe, ſeine ſtammgüter,) neceſſitate coactus, vendere vellet*, iniungit, *vt offerat eam primum proximo ſuo; ſi ille eam emere noluerit, tutori ſuo, vel ei, qui tum a rege ſuper ipſas res conſtitutus eſt*, (loquitur enim textus de libero homine, in tutela nobilis, exſilio mulctati, conſtituto,) *ſi nec ille voluerit, vendat eam cuicumque voluerit.* Quin eodem pertinet locus eiuſdem legis *tit.* 14. §. 2. *Nulli liceat traditionem hereditatis ſuae facere, vt heredem ſuum exheredem faciat.* Ex quibus ſane prono alueo fluit, iure hoc antiquiſſimo Saxonico retrahere heredes proximos potuiſſe fundos auitos, venditos extraneis *.

* Quamuis vero aliae leges Germanicae id tam ſollicite non inculcent: dubitari tamen nequit, quin iidem fuerint et reliquorum Germanorum mores. Idque vel inde recte colligit illuſtris a LVDEWIG *praefat. Tomi IIII. reliquiar.* §. 5. *p.* 8. *ſequ.* quod et in ſuperiore Germania fere ſemper in alienationibus bonorum auitorum adhibitus ſit conſenſus liberorum, propinquorumque, etiam ſororum, et quorumcumque heredum, ceu patet exemplis, quae ipſe ille *Tomus IIII. p.* 31. 36. 43. 52. 53. 68. 74. 119. 123. ſuggerit, vt iam alia eiuſdem generis omittamus.

§. CCCCI.

Itemque in iure Saxonico recentiore.

Paullo poſt, quum IVS SAXONICVM, a Repkouio collectum, in magna inferioris Germaniae parte auctoritatem iuris communis conſequeretur, multo minus dubium erat, quin bona auita, tamquam vniuerſae familiae communia,* retrahi poſſent a proximis cognatis, ſi illa ſine eorum conſenſu veniſſent. Vbi enim monet IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 52. res immobiles auitas

tas ſine heredum conſenſu alienari non poſſe: ſtatim addit: *Vergiebt er es aber vvieder recht, ohn der erben vrlaub, die erben mögen ſich' ihres gutes vvol vntervvinden mit recht, als ob der todt vvâre, der es gab, darum daſs ers nicht vergeben mochte.*

* De his ſane bonis auitis accipiendum eſſe hunc locum diſerte monet GLOSSA, *ad art.* 34. quamuis ea ad *art.* 52. diſtinguat inter ius municipale et paganum, addatque: *Solches vernimm von angeſtorbenen eigen, nach weichbild-recht; aber nach dorff-recht verſlehet man es, von allerley eigen es ſey gegeben, ererbet, oder erkaufft.*

§. CCCCII.

Nec non in iure Alamannico.

Similis eſt locus IVRIS ALAMANNICI, qui in Meichſneriana *fol.* 66. in Goldaſtina *capite* 308. occurrit, in Bergeriana vero et Schannatiana a me quidem reperiri non potuit, quique apud GOLDASTVM ita ſe habet: *Geit einer ſein eigen vvieder ſeiner erben vvillen hin, vnd on des vogts ding, ſie ſollen vor den richter faren, vnd ſollend es verſprechen, vnd der richter ſolle es da antvvurten den erben.*

§. CCCCIII.

Et in iure Lubecenſium.

Quum vero et IVS LVBECENSE inter iura Germanorum communia quodammodo referendum ſit, quippe quod et ipſum a multis vrbibus ad mare Balthicum ciuitate donatum eſt: etiam eo quid de hoc retractus iure cautum ſit, operae pretium fuerit, inquirere. Eo vero pertinet locus *Lib. III. tit.* 7. *art.* 1. *Wer frey erbgut, oder liegende gründe verkauffen vvil, der ſoll ſie vor allen dingen anbieten den nâchſten erben durch zvveene beſeſſene burger, ob ſie das annehmen vvollen vor den preiſs, vvas andere darumb geben. Wollen ſie das nicht thun, ſo mag er das gut ſo theuer, als er kan, verkauffen, vveme er vvill, ohne alle gefahr. Dem rentener vorbehalten ſeine gerechtigkeit, vvo rente in dem erbegut ſeyn, deme es für allen andern muſs angebothen vverden.*

§. CCCCIIII.

Conſtitutio Friderici V. Feud. 13. qualis?

Quum itaque ex iis, quae hactenus diximus, conſequatur, vt commune hoc ius omnium Germanorum dicendum ſit: facile patet, quid ſtatuendum ſit de auctoritate conſtitutionis Friderici II. Imp. V. *Feud.* 13. Quamuis enim de eius vel αὐθεντίᾳ vel auctoritate forenſi dubitent FACHIN. *controu. Lib. VI. cap.* 17. et BERLICH. *Part. II. concl.* 59. *n.* 15. negari tamen non poteſt, eam conſtitutionem purum putum complecti ius Germanicum,

nicum, et licet ipſa fortaſſis auctoritatem in foro non habeat; iura tamen ipſa, in illa deſcripta, tantum non vbique vſu recepta eſſe.

§. CCCCV.

Locatione conductione aliquando translatum dominium.

Progredimur ad LOCATIONEM CONDVCTIONEM, in qua itidem non adeo multa ſingularia habuerunt veteres Germani, niſi quod aliquando ipſum dominium vtile pro certa mercede in alium videntur transtuliſſe, et conductorem obſtrinxiſſe ad ferendum caſum, vel rem in eodem genere reſtituendam. Talis ſane eſt contractus SOCIDAE, de quo ex inſtituto egerunt OTTO TABOR, STRYK. *vſ. modern. Lib. XVIIII. tit.* 2. §. 8. et BEYER. *ſpec. iur. Germ. Lib. II. cap.* 22. nec alia eſt multorum colonorum Germanorum ratio, veluti *der curmeden*, *landſiedeler*; *meyer*, et ſimilium, in quibus nobis otium fecit illuſtr. cancellarius a LVDEWIG. Sed quum prioris contractus in antiquo iure Germ. vix occurrat veſtigium; * de iuribus praediorum vero iam ſupra quaedam delibata ſint: his iam immorari nolumus.

* Sunt, qui hunc contractum ex ipſo iure Romano deriuant, puta ex *l.* 8. C. *de pact.* vbi memorantur pecora partiaria. OTTO ſane TABOR huius legis ἀνάλογον tractationi ſuae de iure ſocidae, tamquam fundamentum, ſubſtrauit, idque et alii faciunt ICti non imi ſubſellii. Ego vti ſimiles conuentiones ne Romanis quidem ignotas fuiſſe facile largior: ita ab iis haec pacta accepiſſe gentes Germanicas, vix opinabile eſt, quum prius viguerint in Germania, quam in eam ius Romanum penetrauit.

§. CCCCVI.

In ea eadem damni praeſtatio, ac in commodato.

At id notabile eſt, veteres paene pro iiſdem habuiſſe locationem rerum et commodatum, adeo, vt eodem vocabulo, *commodare* vel *leihen*, in vtroque contractu vſi ſint. Sic SPECVLATOR SVEVVS *cap.* 246. *Leihet ein mann dem andern ein pferd vmb lohn.* Et quis ignorat, hodienum frequentiſſime dici, aliquem commodare equos, *er verleihe pferde*, qui illos pro certa mercede aliis locat? Itaque facile intelligitur, recte obſeruaſſe SCHILT. *Exerc. XXXI.* §. 32. et THOMASIVM *not. ad pand. Lib. XVIIII. tit.* 2. conductorem eamdem praeſtare culpam, quam praeſtet commodatarius. Quod etiam ex SPEC. SVEV. *cap.* 244. *ſequ.* non obſcure colligitur.

§. CCCCVII.

§. CCCCVII.

Quid de ſocietate obſeruandum?

Societatis ne mentionem quidem faciunt leges veteres, praeterquam eius, quae fuit inter coniuges, et de qua ſupra ex inſtituto egimus. Neque enim ea tum erat commerciorum ratio, vt ideo in ſocietatem coire vellent mercatores. Neque Hansa, foedus, a pluribus vrbibus contractum, proprie ad commune lucrum comparatum fuit, ſed ad libertatem commerciorum in regnis exteris, communi ſtudio et iunctis viribus tuendam. Conring. *de vrb. Germ.* §. 95. Quum tamen vetus, et paene obſoletum, ſit vocabulum *maſcopey*, * quod ſocietatem apud nos ſignificat: vix dubitandum videtur, quin; gliſcentibus commerciis, huiuſmodi ſocietates particulares inter mercatores coaleſcere ſatis mature coeperint in emporiis Germaniae **.

* At vnde id vocabulum? Procul dubio a vetere *mage*, quod cognatum ſignificat. Vnde *ſhwerdmagen* agnati, *ſpillmagen*, cognati. Inde *magſchaffi* cognatio: *magſchaffiey* ius quaſi cognationis, et contracte *maſcopey*. Inter ſocios enim veluti ius quoddam cognationis erat, vti apud Romanos ius fraternitatis, *l. 63. pr. D. pro ſocio.*

** Edidit vir conſultiſſimus, Herm. Langenbeck, iureconſultus, et reipubl. Hamburgenſis ſenator anno MDCCXXVII. *anmerckungen über das Hamburgiſche ſchiff-vnd ſee-rechts*, cuius prolegomenis inſeruit veteres patriae reip. leges nauticas, anno 1276. ſcriptas, inſcriptasque: *De meine Rahs vnd de börgere van der ſtads Hamborg hebbes dis ſchip-rechts gewillkohres vn vhsgegeven.* In iis ſtatim articulo I. mentio fit ſocietatis, (*der hanſe*) non quidem magnae iſtius, in quam tot ciuitates maritimae ac mediterraneae paullo poſt coaluerunt, et quae κατ' ἐξοχὴν nomen hanſae Teutonicae tulit, ſed a priuatis Hamburgenſibus contractae. Alii enim in Flandria, alii in Anglia, alii alibi negotiabantur, et hi ſuas ſinguli ſocietates vel hanſas contrahebant, de quarum inſtitutis multa in vetuſtis iſtis legibus occurrunt, plura in libro iſto bonae frugis pleniſſimo monuit laudatus Langenbeck, qui inter alia, ad rem pertinentia, laudat diploma Henrici III. Angliae regis, Hamburgenſibus anno 1266. conceſſum, in quo et haec legas: *Concedimus mercatoribus de Hamburg pro nobis et heredibus noſtris, quod ipſi habeant* HANSAM *ſuam per ſe ipſos per totum regnum in perpetuum.*

§. CCCCVIII.

Itemque de contractibus innominatis?

Multo minus itaque eſt, quod veterum Germanorum doctrinam de contractibus innominatis hic exſpectes. Quae enim de permutationibus ſtatuerint, iam ſuo loco vidimus. Reliquorum non fit mentio. Quum vero omni conuentioni, animo deliberato initae, plenum effectum tribuerint Germani: non videtur dubitandum, quin et ex his perfecta nata ſit obligatio, neque in illis vllus locus fuerit poenitentiae.

§. CCCCVIIII.

Axiomata de his contractibus.

Hic ergo repetenda ſunt, quae ſupra de contractibus beneficis (§. 383.) monuimus, nimirum I. omnia fere haec hodie magis ex iure Romano, quam patrio, aeſtimari, adeoque II. fieri non poſſe, quin et, quod ad has conuentiones attinet, pauciſſimae ſuperſint iuris Germanici reliquiae. Eas tamen conſectari, quoad licuerit, non pigebit.

§. CCCCX.

Concluſiones de permutatione.

Inter has reliquias merito retuleris, (1. quod et ex pacto de permutandis rebus hodie datur actio, Stryk. *vſ. mod. Lib. XVIIII. tit.* 4. §. 1. adeoque (2. in foris noſtris locus non eſt poenitentiae, ſi alter ex ſua parte nondum adimpleuit contractum. Schilter. *Exerc. XXXII.* §. 11. neque (3. ob hunc contractum aduerſus illum, qui ex ſua parte contractui non ſatisfecit; datur condictio cauſa data, cauſſa non ſequuta. Schilt. *Exerc.* 24. §. 8. Stryk. *vſ. mod. Lib. XII. tit.* 4. §. 1. *et* 3. Beyer. *poſit. pandect. ibid.* §. 11.

§. CCCCXI.

De venditione rerum immobilium apud acta.

Sic et, quod ad emtionem venditionem attinet, inter iuris Germanici reliquias merito retuleris, (4. quod et hodie res ſoli multis locis vendi non poſſunt niſi apud acta, ſubſequente reſignatione iudiciali, idque non modo in Saxonia, et vbicumque ius Saxonicum et Lubecenſe viget, verum etiam (5. in Belgio obſeruatur, ſiue ex ſtatutis antiquis, vti Lugduni Batauorum, ſiue ex nouella Caroli V. conſtitutione die 10. Maii 1529. edita, vti in vniuerſo paene Belgio. Sim. van Leevwen. *cenſ. Part. I. Lib. IIII. cap.* 19. §. 3. *et* 6.

§. CCCCXII.

De iure retractus gentilitii.

Maxime tamen huc pertinent, quae hodienum obtinent circa ius retractvs gentilitii. Quamuis enim (6. eo deuenerimus, vt raro in venditionibus requiratur cognatorum conſenſus: (7. his tamen competit ius retrahendi, ſed ita (8. eorum perſonis inhaerens, vti cedi non poſſit. Richt. *deciſ.* 176. *n.* 174. Gail. *obſ. Lib. II. cap.* 19. *n.* 8. Quo caſu (9. idem per omnia praeſtare tenetur retrahens, non modo quod ad pretium attinet, ſed et quod ad impenſas neceſſarias ab emtore factas. Beyer. *ſpecim. iur. Germ. Lib. II. cap.* 21. §. 10. *et* 17.

Ex

Ex quo facile patet, (10. retractui locum eſſe tantum in venditionibus,, non in permutationibus, vbi non poteſt idem a retrahente praeſtari. CARPZ. *Part. II. conſt.* 32. *def.* 15.

§. CCCCXIII.

Et iure vicinitatis et congrui.

Addimus, (11. ex iure Germanico eſſe videri etiam IVS VICINITATIS, *das nachbar-recht* et IVS CONGRVI, quod vocant *das geſpilde*, quod vtrumque vulgo ex iure Romano, *l. vn. C. ne lic. habit. metrocom.* vel *l.* 4. *C. de locat. praedior. ciu.* deriuare malunt. Nam et in antiquiſſimis ſtatutis, quorum plura edidit SIM. VAN LEEVW. *cenſ. for. Part. I. Lib. IIII. cap.* 20. eius occurrunt veſtigia, et ipſa ſollemnitas, a retrahentibus in Belgio adhibenda, mores Germanicos ſapit. * Attamen (12. alibi ſufficit, retrahentem proximum vicinum eſſe, alibi (13. huic retractui non eſt locus, niſi quis iam partem praedii poſſideat. COTHM. *vol.* 4. *conſil.* 42. *n.* 5. Quin (14. qui alterutro iure vult vti, eum, receptam eſſe eo loco conſuetudinem, probare debere, facile largior, niſi de eo ex ſtatutis manifeſto conſtet. STRYK. *vſ. hodiern. Lib. XVIII. tit.* 1. §. 18.

* Sollemnitatem hanc ex GROT. *introd. Lib. III. cap.* 16. ita deſcribit VAN LEEVW. *ibid.* §. 1. *Retrahens coram magiſtratu loci rei ſitae, vel alioqui ſeptem vicinis, compareat, ſub quorum praeſentia, ſe retractus iure vti velle, declaret, ſimulque in ipſius actus confirmationem terrae et graminis rei venditae faſciculum manu ſua attingat, radicitusque exſecet: vulgo* aard ende gras-roeringe, *quo facto emtori diem iudicii praefigere debet.*

§. CCCCXIIII.

De vtriuſque duratione.

Vt tamen aliquando finis adeſſet litium et ſollicitudinis: (15. pleriſque locis breue ſatis tempus anni, a die notitiae numerandi, ei rei praefixum eſt, quumque alias in huiuſmodi breuiore praeſcriptione plerumque anno ſuperaddatur dies Germanicus, id eſt, tempus ſex hebdomadum et trium dierum: hic (16. naturalem annum ſufficere, contendunt: CARPZ. *Part. II. Conſt.* 32. *def.* 4. quamuis (17. in hoc ducatu ſuperaddi diem Saxonicum iuſſerit reſcriptum regium apud STRYK. *vſ. modern. ibid.* §. 17.

§. CCCCXV.

De iure ſocidae ex contractu.

Quod ad LOCATIONES CONDVCTIONES attinet, (18. ne hodie quidem ignotus eſt CONTRACTVS SOCIDAE, eoque inito, (19. conductor ſuſtinet periculum, omnemque fert caſum, etiam inſolentiſſimum, veluti peſtilentiam, niſi quoſdam diſerte excepe-

 rit:

rit : et contra (20. omne commodum atque incrementum lucratur. BEYER. *ſpecim. iur. Germ. Lib. II. cap.* 22. §. 4. *ſequ.* Ex quo facile patet, (21. cur haec pecora rebus immobilibus accenſeantur. CHASSAN. *conſu. Burg. rubr. IIII.* §. 2. *n.* 28. et (22. cur aliquando certus pecorum numerus ita in feudum detur, vt, feudo finito, totidem eiuſdem generis reſtituantur. ANTON. *diſp. feud. XIII.* §. 4. *D.* 6.

§. CCCCXVI.

Et iure dominii competenti.

Quin (23. et ius ſocidae quibuſdam locis animaduertimus eſſe legitimum, competens dominis in praediis colonorum, eatenus, vt ſi hi emigrare velint, in praediis relinquere teneantur certum pecorum numerum, qui vocatur *die vvebrung*, quia pertinet ad inſtrumentum fundi. (*zum hoff-gevvebr.*) Viget ſane hoc ius in Haſſia et Thuringia, de eoque pluribus agunt HVSAN. *de homin. propr. cap.* 8. *n.* 10. BEYER. *ibid.* §. 34. *ſequ.* qui etiam obſeruant, (24. in agnitionem huius iuris domino, maxime qui et paſcua ſimul locauit colonis, quotannis certos agnos, et pelles, vel certam quantitatem ſeui praeſtari.

§. CCCCXVII.

De ſocietate et contractibus innominatis.

Quum denique de SOCIETATE et CONTRACTIBVS INNOMINATIS nihil omnino ſingulare in vetere iure Germanico occurrat : per ſe patet, (25. has conuentiones ſecundum axioma I. (§. 409.) ex iure Romano, tamquam communi, eſſe aeſtimandas, praeterquam quod (26. in poſterioribus non eſſe locum poenitentiae, ſaepe monuimus, quam doctrinam veram eſſe, agnoſcunt omnes, etiam qui alioquin, vniuerſum ius Romanum in Germania vſu receptum eſſe, magnopere contendunt.

TIT. XV.

DE CONVENTIONIBVS ONEROSIS, ALEAM CONTINENTIBVS.

§. CCCCXVIII.

Tranſitio ad conuentiones

CONuentiones, quas ſuperiore titulo expendimus, certam ac conuentam habent praeſtationem : iam pro inſtituti ratione

Digitized by Google

tione et de iis, quae ALEAM CONTINENT, pauca ſubiicere animus eſt, quum eas maximi ſemper feciſſe maiores noſtros, argumento non vno compertum habere videamur. aleam continentes.

§. CCCCXVIIII.

Studioſiſſimos enim aleae fuiſſe Germanos, aeque ac alias gentes, tum ſeptentrionales, tum orientales, iam ſupra (§. 331. *) obſeruauimus ex TACITO *de morib. Germ. cap.* 24. ex quo loco etiam diſcimus, tanta religione ac fide colluſiſſe inter ſe maiores noſtros, vt quamcumque conditionem, etiamſi duriſſimam, ex pacto ſubire non dubitarint, vt merito inde colligamus, I. aleam, omneſque conuentiones aleam continentes, Germanis fuiſſe licitas: II. in iis fidem religioſe ſeruandam, et legibus conuentis accurate ſatisfaciendum fuiſſe. Germani aleae ſtudioſiſſimi.

§. CCCCXX.

Equidem poſtea, quum Chriſto nomen darent Germani, odioſa eſſe coepit alea, ſed maxime, ſi illi indulgerent epiſcopi et clerici, quos Carolus M. excommunicari; CAPITVL. *Lib. VI.* §. 203. Ludouicus vero Pius per tres annos ſacro miniſterio priuari volebat. CAPITVL. *addit.* 3. §. 53. quamuis priore loco et in laicos vibretur hoc fulmen, *qui in alea permanſerint.* Quamuis eam leges parum probarent.

§. CCCCXXI.

At non obſoleuiſſe ideo conſuetudinem alea ludendi, nec minorem fuiſſe poſterorum in legibus ludorum ſeruandis ſiue fidem, ſiue peruicaciam, quam Germanorum tempore TACITI, lepido exemplo Ezonis Palatini oſtendi poteſt, quod fuſius retulit MONACHVS BRAVWIL. *de Ezone et Mathilda cap.* I. *apud* LEIBNIT. *ſcript. rer. Brunſu. T. I. p.* 315. Hoc enim alea ludente cum Ottone III. Imp. placet conditio, *vt cui per tres continuas vices victoria proueniret, alterius potiretur rebus optimis, etiam quibus vellet.* Ter victor Ezo, Mathildam, Ottonis ſororem, praemium victoriae, poſtulat, eamque impetrat ab imperatore, exiſtimante, *non eſſe regii honoris, ſi mendax fieret ſuae ſponſionis.* * Exemplum e ſaeculo X.

* Ibidem obſeruat MONACHVS, *inter reliqua admirandae ſagacitatis indicia* Ottonem III. adhuc puerum *ſatis effulſiſſe peritum in conſtruendo ſiue diſſoluendo flexuoſo alearum ſchemate, vt neminem crederet fore, qui in hac arte praeualeret aduerſum ſe.* Ex quo loco ſane diſcimus, tum inter praecipuas

puas aulae voluptates fuiſſe luſum aleae, vel vti ex deſcriptione recte colligit Leibnitivs, *ſcacchorum* vel latrunculorum.

§. CCCCXXII.

Quid iuris in Sax. circa aleam?

Fatendum tamen eſt, inſequentis aeui leges non aeque fauere aleae, omnibusque ludis, in quibus fortuna dominatur. Hinc ivs prov. Sax. *Lib. I. art. 6.* heredem non obſtringit ad ſoluendum, quod defunctus luſu perdidit: *Dieberey, raub oder ſpiel-geld iſt der erbe nicht pflichtig zu gelten.* Quin ne ipſum quidem colluſorem teneri ſtatuit ivs Weichb. *Art.* 101. *Beklagt jemand den andern vmb ein geld, er ſoll benennen vor dem richter, vvarumb man ihm das ſchuldig ſey. Wenn es iſt vmb ſpiel, da darff er ihm nich vmb anvvorten, noch der richter auch nicht richten.* Conf. ivs prov. Sax. *Lib. III. art.* 41.

§. CCCCXXIII.

Quid iure Suenico?

Similis eſt specvlatoris Svevi ſeueritas. Nam et is *cap.* 255. negat, heredem teneri ad ſoluendam pecuniam luſu perditam. Idem *cap.* 34. pecuniam, a filio minorenne alea perditam, a patre condici patitur, non quam perdidit maiorennis, niſi mente captus fuerit vel fatuus. Denique idem *cap.* 250. dat domino vindicationem rerum ſuarum, quas ſeruus luſu perdidit, non earum, quae ipſius ſerui fuerunt. Qualia etiam legimus in ivre prov. Sax. *Lib. III. art. 6.* *

* Non praetermittenda hic videntur, quae de aleatoribus, ad hunc articulum addit glossa, quum et iſta ad ius non ſcriptum medii aeui pertineant. Primo de colluſore, qui teſſeras talosue adulterinos circumfert, obſeruat ſequentia: *Bey vvelchem ſpieler man falſche vvürffel findet, über den ſoll man richten als über einen dieb. Auch ſind alle dieſelben recht-vnd ehrloſs, vnd mögen in keinen rechten eines biedermans ſtatt haben, noch vortreten. Auch iſt all ihr gut ein vervvürckt gut.* Deinde de illo, qui talis huiusmodi vſus eſt, additur: *Wer mit falſchen vvürffeln ſpielet, der verleuſt die hand, ob er des übervvunden vvird.* Denique de illo, qui talario ludo facultates ſuas perdidit, obſeruat glossae auctor: *Hätte einer auch ſein gut verſpielet, vnd hätte ferner nichts zu geben, vvas er verſpielet hat, man darff ihn darumb vor keinen richter beklagen. Man mag ihn auch höher nicht pfänden, dann vmb das, ſo er vmb vnd an hat. Entlauffi er aber: ſo iſt er gar loſs.* Haec priſcae ſeueritatis ac diſciplinae exempla eo minus omittenda putauimus, quo magis credibile eſt, haec ſcripturos non fuiſſe viros bonos, quos in concinnanda gloſſa elaboraſſe nouimus, niſi ſatis illis compertum fuiſſet, haec omnia vſu in patria ſua ſeruari.

§. CCCCXXIIII.

§. CCCCXXIIII.

Sponſionis exemplum.

Talia ſunt, quae de ipſa alea ac ceteris ludis cauent leges Germanicae. Ad huiuſmodi vero conuentiones recte etiam referas SPONSIONES, quibus aliquando, poſito aliquo, vel promiſſo, de rei incerto euentu inter ſe Germani quoque contendebant. Illuſtriſſimum eſt exemplum Ottonis IIII. Regis Rom. et Philippi, Regis Francorum, quorum hic ſibi ſtipulabatur vnum ex illius equis, promittens contra tres ciuitates optimas, ſi vel ſolius Saxoniae proceres electionem illius ratam eſſent habituri. Rem fuſius narrant ARNOLDVS LVBEC. *chron. Slau. Lib. VII. cap.* 17. et MONACH. PADVAN. *ad ann.* 1210. CHRON. BRVNSV. RHYTHM. *cap.* 48. *v.* 35.

§. CCCCXXV.

Quid iuris circa ſponſiones?

Sed haec quidem ſponſio magis ad irridendum Ottonem comparata, quam ex animo promiſſum praeſtandi profecta, videtur. Alioquin non eſt dubium, quin et ſponſio de re honeſta ex Germanici iuris principiis eo magis valuerit, quo certius conſtat, pacta quaelibet, bonis moribus haud aduerſa, religioſe ſeruanda exiſtimaſſe maiores noſtros, fidei, vt par eſt, ſtudioſiſſimos. *

* Ceterum Germani ſponſiones huiuſmodi pro poena conuentionali habuiſſe videntur, quaſi quis ſibi ipſe voluntate ſua certam poenam decreuiſſet, qui parum felice ingenio ac ἀστοχὴς fuiſſet in diuinando. Id ſane ſibi vult verbum *wetten*, quod poenam ſignificaſſe maioribus noſtris, lippis ac tonſoribus notum eſt. Eſt hoc verbum a Germanico *wette*, quod legem etiamnum ſignificat apud Belgas, adeoque *vetten* eſt poenam legitimam praeſtare, vt ineptire videatur gloſſator ad IVR. PROV. SAX. *Lib. III. cap.* 62. dum ſcribit: *Wetten heiſt ſo viel, als vvehe thun.* Quae etymologia per omnia ſimilis eſt illis veterum iureconſultorum, veluti, quod *mutuum* dicatur, quod *ex meo fiat tuum*, teſtamentum quaſi *teſtatio mentis.*

§. CCCCXXVI.

Bodmeriae antiquitas.

Eiusdem indolis quodammodo eſt conuentio, quae BODMERIAE nomine venit, qua nauis patrono ſpe maiorum vſurarum certa pecuniae ſumma credebatur, ea lege ac omine, vt, ſalua redeunte carina, tantumdem cum foenore redderetur. MARQVARD. *de iure mercat. Lib. II. cap.* 8. Certe ſatis antiquum hoc eſſe conuentionis genus, et natum in Germania, ſimulac illa negotiationibus maritimis operam dare coepit, patet ex IVRE WISBYENSI *Art.* 40. Hoc enim ius iam ſaeculo XII. condi coepiſſe, ſatis conſtat ex praefatione, quam ex codice antiquo ex-

tulit LEIBNITIVS *ſcript. rer. Brunſu. Tom. III. pag.* 750.

§. CCCCXXVII.

Emtio fructuum futurorum prohibita.

Et quamuis aliarum eius generis conuentionum vix mentio fiat in legibus Germanicis : eadem tamen omnium videtur fuiſſe ratio, nempe vt omnes contractus, aleam continentes, vel in quibus fortuna dominatur ſeruandi viderentur, nec quisquam conqueri poſſet de laeſione, modo alter a dolo eſſet alienus. Attamen ſemper Germani abhorruerunt ab emtione futurorum fructuum, non quod, ſpem emi pretio non poſſe, exiſtimarent, ſed quod illa emtio plerumque cum inſigni dardanariorum nequitia eſſet coniuncta. LEX LANGOB. *Lib. II. tit.* 31. *§. vn. Nemo propter cupiditatem pecuniae aut auaritiam det pretium, vt futuram emtionem ſibi praeparet, vt duplum vel triplum recipiat, ſed tunc tantum, quando praeſentes ſunt* FRVCTVS, *ſibi illos comparet.*

§. CCCCXXVIII.

Axiomata de contractibus aleam continentibus.

Itaque vel ex his exemplis ſatis patet, (I. Germanos et in conuentionibus aleam continentibus fidei fuiſſe ſtudioſiſſimos, adeoque (II. omnes huiusmodi pactiones ratas eſſe voluiſſe, quae nec de rebus turpibus, nec dolo malo, nec contra bonos mores, eſſent initae.

§. CCCCXXVIIII.

Ii iure Germ. et hodie ſunt liciti.

Itaque facile reddideris rationem, (1. cur et hodie omnes, quibus eſt libera res ſuas adminiſtrandi facultas, et ludendo fortunam experiri, et (2. ſpem emere, et (3. bodmeriis, adſecurationibus, lotariis, olla fortunae, ſimilibusque conuentionibus, ſeſe obſtringere, et (4. ſponſionibus alios prouocare poſſint, et cur (5. in his omnibus, ea, quae ab initio ſunt voluntatis, ex poſt facto neceſſitatis eſſe cenſeantur, (6. eatenus ſaltim, vt et, quae alea, alioue luſu, perdita ſunt, ne ex legibus quidem Germanicis tamquam indebita repeti poſſint. * FVS-KNECHTS-BESTALLVNG *Spirae* 1570. *cap.* III. ORD. POLIT. MAGDEB. *cap.* 55. §. 5. STRYK. *vſ. modern. Lib. XI. tit.* 5. §. 4. *ſequ.*

* Id et alibi vſu ſeruari docet SIM. VAN LEVWEN. *cenſ. Part. I. Lib. IIII. cap.* 24. *§.* 10. eiusque rei hanc reddit rationem, quod quum vterque colluſor in pari turpitudine verſetur, melior merito cauſſa eſſe debeat poſſidentis. *l.* 12. *C. de cond. ob turp. cauſſ.* Enimuero vti hoc verum eſſe facile largimur eo caſu, ſi quis luſu, publica lege prohibito, pecuniam perdide-

rit,

rit, quamuis tunc fiſco ius ſit, lucrum illud, tamquam ſcelere, quaeſitum, victori extorquendi: ita haec ratio reddi nequit, ſi ludus in ſe non prohibitus eſt. Eſt enim tunc ex pacto ſolutum id, quod naturaliter ſaltim debetur. Id vero condici non poſſe, tamquam indebitum, ex ipſo etiam iure Romano ſatis notum eſt. *l. 66. D. de condict. indeb.*

§. CCCCXXX.

Speciatim bodmeria. Quis hunc contractum ineat?

Hinc, quod ad BODMERIAM attinet, ob axioma I. eiusque conuentionis finem, recte cauent leges nauticae, (7. vt magiſtri nauium pecuniam quidem hac lege mutuam accipere poſſint, ſed non niſi exercitorum, ſi praeſentes ſint, conſenſu, vel, (8. iis abſentibus, vrgente neceſſitate: * *Wann ein ſchiffer bevveiſslichen ſchaden an dem ſchiff oder ſchiffsreitſchafft genommen, vnd der oerter kein geld auf vvechſel an ſeine reder vberzuſchreiben bekommen kônte, oder er hâtte auch im ſchiff keine gûter, die er zu beſſern vortheil der reder verkauffen kônte.* IVS NAVT. HANSEAT. *Art.* 6. §. 2. (9. Vt, ſi dolo malo magiſter nauis pecuniam mutuam ſumat ſub lege bodmeriae, non exercitores, ſed ipſe, eo nomine teneatur. *ibid.* §. 3. quin infamia notetur, ſi plus ſumſerit mutuum dolo malo, et ſine neceſſitate, quam nauis, merces illi debita, et armamenta nauis, *die ſchiffs-geredſchafft*, valeat STATVT. HAMB. *part. II. tit.* 18. *art.* 3. 4. immo hoc caſu aliquando plane poena corporis adflictiua vel capitali adficiatur. IVS NAVT. HANS. *tit.* 6. §. 3.

* Caſus hos neceſſitatis, quibus fas ſit magiſtro talem conuentionem inire, accuratius recenſet STYPMANN. *in iur. maris. Part. III. cap.* 5. *n.* 70. *ſequ.* quamuis non adeo accurate eo referat caſum, ſi quis ad nauim fabricandam pecuniam crediderit. (§. 433. *)

§. CCCCXXXI.

Periculum ſuſtinet creditor.

Eadem natura huius contractus exigere videbatur, (10. vt periculum in ſe ſuſciperet creditor, adeoque, (11. pereunte vel intercepta naue, nec magiſter, nec exercitores tenerentur; niſi quod (12. poſteriore caſu aequum videretur, vt debitor iura ſua in naue cederet creditori. STATVT. HAMB. *ibid.* §. 6. (13. Vt nauta, naue bodmeriae onere obſtricta, breuiore quidem, at non longiore via, ſine creditorum conſenſu iter facere poſſet: *Ibid.* §. 7. ac (14. iactu facto, et iis, quorum res ſeruatae ſunt, in partem damni venientibus, non ſimul aeſtimaretur pecunia ſub lege bodmeriae credita. Id quod volunt

verba STATVTI HAMB. *ibid.* §. 6. *Von boddemerey-geld iſt man nicht ſchuldig, einige haverey zu bezahlen.*

§. CCCCXXXII.

Vſuras maiores capit ſalua carina.

Ceterum quum aequiſſimum ſit, pro magnitudine periculi etiam vſuras intendi: conſequens eſt, (15. vt et hic creditor ſibi maiores, quam vulgo permittitur, vſuras ſtipulari poſſit, e. g. centeſimas. MARQV. *de iure marit. Lib. II. cap.* 8. *n.* 5. Et ex eadem ratione collegerunt doctores, (16. adpellente in portum carina, adeoque ceſſante periculo, vſurarum curſum ſiſti, ſed tunc debitorem ſtatim obſtrictum eſſe ad expungendum nomen, niſi quod ei dantur viginti dierum induciae ad merces diſtrahendas. SCHOTTEL. *von vnterſchiedlichen rechten in Teutſchland cap.* 22. §. 8. *p.* 424.

§. CCCCXXXIII.

Creditoris quae iura ſint in carina?

An (17. pignori ſit creditori carina, nondum inter doctores conuenit, pluribus id negantibus, niſi carina expreſſe ſit oppignorata: STYPMANN. *iur. marit. Part. III. cap.* 5. *n.* 55. *ſequ.* STRYK. *ad Lauterb. p.* 407. et 631. et *de action. inueſtig.* I. 7. 28. at certiſſimum tamen eſt, (18. concurrentibus pluribus creditoribus, eos, qui ſub lege bodmeriae crediderunt, priuilegio aliquo gaudere prae chirographariis: STYPMANN. *ibid. n.* 59. nec ire in tributum, ſed, qui priores tempore ſunt, potiores iure haberi, ſaltim ex STATVT. HAMB. *Part. II. tit.* 18. §. 2. quum (19. iure Hollandico praeferatur tempore poſtremus, VINN. ad PECK. *in l* 1. §. 8. *D. de naut. foen. lit. a.* quod merito miratur SCHOTTEL. *ibid* §. 9. Nec minus in confeſſo eſt, (20. creditoribus huiusmodi praeferendos eſſe eos, qui in conſtruendam nauem pecuniam crediderunt. Hinc Belgae, *Een byl-brief gaet vor bodemerie-brief.* * VINN. *ad* PECK. *ad l. non autem D. de exerc. act. lit. a. p.* 95.

* Differunt ergo quam maxime inſtrumenta, quae vocantur *bylbrieffe*, et quae dicuntur *bodmereybrieffe*. Illa enim pertinent ad pecuniam fabricandae nauis cauſſa creditam; haec ad pecuniam creditam in carinam nauis. Praefertur autem ſemper illa pecunia, adeo vt inter cauſſas, ob quas periclitantur creditores, qui in carinam nauis aliquid crediderunt, praecipua ſit, ſi adſint, qui ad fabricandam nauem crediderint. VINN. *ibid.*

CCCCXXXIIII.

Digitized by Google

§. CCCCXXXIIII.

Sponſiones iure Germ. licitae.

Ex eodem principio (§. 428. 1.) patet, (21. ne SPONSIONES quidem iure Germanico in ſe illicitas eſſe, ac proinde (22. vel maxime probari eas, quae inter mercatores ſunt frequentiſſimae, quas defendunt SANTERNA *de adſecur. et ſponſ. Part. II.* STRACCHA *de ſponſ. Part. III. n.* 2. WEHN. *obſeruat. pract. voce wetten.* STYPMANN. *iur. marit. Part. III. cap. 6. §. 60. ſequ.* quamuis (23. merito deneganda ſit actio ei, cuius vel dolus malus pellucet, vel (24. qui de re inhoneſta huiusmodi ſponſionem fecit. STYPM. *ibid. §.* 87.

§. CCCCXXXV.

Et maxime adſecurationes. Earum natura.

Si ergo ſponſiones inter mercatores valent: (§. 434. 22.) ne dubitare quidem fas eſt, (25. quin iuſtiſſimam omnino cauſſam habeant ADSECVRATIONES, per quas intelligimus conuentiones de periculi mercium, alio transuehendarum, auerſione pro certo praemio ſuſcipienda. * STYPM. *iur. marit. Part. III. cap. 7. n.* 262. Ex qua definitione illico patet, (25. tria huius contractus ſubſtantiam ingredi, conſenſum, periculi auerſionem, et praemium: *ibid. n.* 263. (26. ipſasque prudentiae regulas exigere, vt leges huius contractus referantur in litteras, quae a mercatoribus POLIZZA vocantur, quasque accurate deſcribit WERLH. *diſſertatione de polizza.*

* Veteres etiam Romanos ſimile quid habuiſſe huic contractui oſtendunt CVLPIS. *colleg. Grot. diſp. 6. ad lib. II. cap.* 12. §. 6. IO. LOCCEN. *iur. marit. Lib. II. cap.* 5. §. 2. immo et GROT. *ibid.* §. 3. *n.* 5. Attamen ipſius adſecurationis originem alii ad ſaeculum XIIII. referunt, vti HERT. *paroem. iur.* 43. *§.* 7. alii ad Iudaeos, qui iam ſub Dagoberto, Philippo Auguſto et Philippo Longo, regibus Franciae, vſi ſint litteris adſecurationis (*polices d'aſſurance*) ad Gallos aere emungendos, maxime poſtquam, Gallia extorres facti, in Italiam aliasque prouincias ſeceſſerint. Pluribus haec exſequitur AVCTOR VSVVM CONSVETVDINVMQVE MARIS, *Part. II. art. 1. in addit. p.* 218. ex quo luculentiſſima excerpta dedit IO. WERLHOFF. *diſſ. de polizza. ſect.* II. §. 8. *p.* 28. *ſequ.*

§. CCCCXXXVI.

Quis adſecurare poſſit, et quid?

Quum itaque haec conuentio conſenſu, auerſione periculi, et praemio conſtet: (§. 435. 25.) conſequens eſt, (27. vt adſecurationem inire poſſint, quicumque poſſunt conſentire et negotiari. STYPM. *ibid.* §. 274. (28. Vt recte ſuſcipiatur periculum rerum, quarum certa eſt aeſtimatio, immo et perſonarum, non modo ſeruilis conditio-

tionis, e. g. aethiopum Afrorum in Americam transuehendorum, ſed et liberarum,* multoque (29. magis nauis, et (30. mercium illi impoſitarum, tum paruarum, tum magnarum, ORDIN. ADSEC. *Philippica Art.* 4. modo, (31. praeuia aeſtimatione, a peritis facienda, eae in indicem referantur, nec (32. ſint legibus publicis inuehi euehiue prohibitae. STYPM. *ibid.* §. 286. *ſequ. et* 343. GROENEW. *ad introduct. Grot. Lib. III. p.* 24. **

* Quamuis enim liberi hominis nulla ſit aeſtimatio: poteſt tamen conueniri, vt e. g. perſona a Turcis, vel piratis capta, certa pecuniae ſumma, vel lytrum ab adſecuratoribus praeſtetur pro certo praemio. Formulam reperies apud WERLHOFF. *de polizza p.* 72. vbi quidam ſuſcipiunt *elle den riſico ende prykel van de perſoon, die van den Turckſe of barbariſe ſee-rovers overkomen mochte.* Totam formulam paullo poſt dabimus §. 438. *

** Legibus et moribus excluſae ſunt et aliae quaedam res, veluti cibaria, quae et facile corrumpuntur, COCCEI. *de adſecur.* §. 37. et inter nauigandum abſumi ſolent, adeoque raro eum in finem imponuntur naui, vt ſalua in portum veniant. Eiusdem generis ſunt ſtipendia nautarum, militumque, quae excipit ORD. AMSTELOD. *art.* 10. 11. et 20. In rationes inquirit STYPM. *Part. IIII. n.* 279. *ſequ. p.* 116.

§. CCCCXXXVII.

Quod periculum ſuſcipiatur?

Ex eodem colligunt, (33. vnius periculi expreſſo genere, e. g. naufragio, adſecurantes de reliquis non teneri: alias (34. periculi vocabulo omnes caſus fortuitos comprehendi, damnaque, quae extrinſecus per vim maiorem obueniunt, non, quae ex vitio rei oriuntur, e. g. ſi vinum aceſcat, aut ligna a teredine corrodantur. Adeoque (35. optime ſibi conſulere contrahentes, qui caſus in polizza exprimant, quos adſecuratores praeſtare velint, e. g. *aan der zee, vur, vvinde, vrienden, vianden, brieven van marque vnd contremarque, van arreſte, ende detentie van kônigen, prinzen ende heren, ende van alle pericul, ende fortuinen, die dar ſouden mogen overkomen*, etc. ORD. PHIL. *Art.* I. STYPM. *ibid.* §. 335. WERLH. *ibid.*

§. CCCCXXXVIII.

Quibus legibus?

Quin ex ipſa huius conuentionis indole colligi poteſt, (36. adſecuratores et certas leges addere poſſe contractui, e. g. vt nauis certam viam teneat, certos portus euitet, locis periculoſis viae peritos, (*piloten*) adhibeat. (37. Perinde eſſe, ſiue praemium ſtatim ſoluatur, ſiue promittatur in certum diem: idque (38. pro magnitudine periculi intendi poſſe, ac in ciuita-

Digitized by Google

tatibus maritimis et emporiis plerumque iam tum notum, et veluti legitimum eſſe (39. Id quoque exprimendum eſſe in polizza, cuius hic formulam ſubiicere, operae fuerit pretium *.

* Et quidem quum rariores ſint adſecurationes perſonarum liberarum: formulam huc transferemus, cuius ſupra meminimus, ex Werlhoffio p. 72. et quidem lingua Belgica, qua plerumque vti ſolent mercatores in hoc contractu: *Wy ondergeſchreuene aſſeuradeurs beloven ende bekennen hiermede, te verſekeren, ende verſekern ock mits deſen aen u N. de ſomme van elk een by ons hier ondergeſpecificeert, tegens 5. pro cento praemie. Dienvolgonde nemen vvy aſſeuradeurs alle den riſico ende perykel van de perſon von N. ſo demſelven van de Turckſe of barbariſe ſee rovers overkomen mochte, tot onſen laſte, in diervoegen, das ingevall voornoemden N. op voorſeide reiſe van gemelde ſee-rovers (das Gods verhoede) genomen werden ſoude, ſo willen wy aſſeuradeurs, hier onder geſchreven, dan ſchuldig zyn, elk een onſe geteekende ſomme ſonder eenige Kortinge en tydverlopinge, exceptie, of tegenſpraeck, ſo haeſt dar tyding ſal gekommen, en ons geintimeert zyn, aen den brenger deſer police promptelyk te betalen, en of dito N. met minder geld geranzioneert vvierde, als deſe aſſeurantie bedraegt, ſo ſal ſulcks ons niet tot vordeel gerechent vvorden, beginnende den riſico van de tyre aen, dat voorſeide N. gemeldte ſchip van N. te ſeyl gegaen, en ſal duyren, tot dat deſelue tot N. gearriveert ſal vveſen. Waer von vvy alle den riſico dragen, ende tot onſen laſten nemen; ende verobligeeren ons, in cas van verlieſs of ſchade, (das Gods vvil verhoeden,) deſe aſſeurantie van alſulken krachten vaerde houden, als vvanneer dar een police in de beſte een behoorlykſte form over gemaeckt, en by ons ondertekent vvare, ſulks dat ons't ſelve tockomende beydertzyeds in 't miniſte niet en ſal praeiudiceren. Alles ter goeder trovven, ſonder enige arg ofte liſt. Gedaen tot H. den -- Anno.* Formulae huiusmodi ſubſcribere ſolent adſecuratores, expreſſa ſumma, et praemio, et quidem ſi illud praenumeratum ſit: *Ek Ian Ianſsen ben tho freden in deeſe aſſeurantie, (de Gods bevvare,) de ſomme van 3000. M. Lub. van Cadix p. Hamborg tegens 12. pro cento, ende bekenne, betaelt te zyn van den pryſs van deeſe aſſeurantie dor de banden van Cornelis Martens. Dat.* Sin nondum ſolutum ſit praemium: *Eck Dierick Poppe bin tho freden in deſe aſſeurantie, (die Gods bevvare,) för 500. M. Lub. die praemie a 3. pro cento gereknet, over dryy maenden tho entſangen. Datum.* Et ſic reliqui quoque ordine ſubſcribere ſolent, vt adpareat, quantae quisque partis, et cuius ſpe praemii, periculum in ſe ſuſceperit.

§. CCCCXXXVIIII.

Vbi ergo de damno certiores facti ſunt adſecuratores: (40. omnes tenentur ſoluere ſummam, quam ſe eum in caſum ſoluturos, receperunt, modo (41. damnum extra portum, et ſine culpa nautarum, obuenerit, et (42. contractui per omnia ſatisfactum ſit. Vnde nemo dubitauerit, (43. quin ſi in dolo fue- Effectus adſecurationis.

fuerit adſecuratus, veluti, ſi ſciuerit, iam tum illo tempore, quo contraxit, nauem periiſſe, ei nihil debeatur, at (44. nec adſecuratores acceptum praemium lucrari poſſint, ſi nauis impedita ſit, quo minus portu ſolueret, quamuis (45. eo caſu dimidium pro centenis lucrari ſoleant. * ORDIN. AMST. *Art.* 22.

* Vocatur ea praemii reſtitutio *reſtorno*, eaque peti poteſt intra menſes quatuor, quando adſecurator non fert periculum, ſiue adſecurato merces, quas naui imponere decreuerat, non miſſae ſint, ſiue eae iuſto ſerius nauclero traditae ſint, ſiue hiems aliaque iuſta cauſſa inciderit, quae moram iniecerit nauclero, vt portu ſoluere non potuerit. Vid. ORDIN. ADSEC. PHILIPPI II. *Reg. Hiſp. eiusdemque ius marit. Part. III. tit.* 1. *art.* 16.

§. CCCCXXXX.

Actiones inde natae.

Quare (46. ex hac conuentione plures naſcuntur actiones. Nam (47. certior de nauis interitu vel alio caſu aduerſo factus adſecuratus agit aduerſus adſecuratores, eorumque heredes, ad damnum pro ea parte, quam quiſque ſe praeſtiturum recepit, reſarciendum. * (48. Si quis adſecuratorum ſuſpectus ſit de non ſoluendo, eidem datur actio ad praeſtandam cautionem. LOCCEN. *iur. marit.* II. 5. 8. (49. Naue impedita, iure repetit praemium, ſaluo lucro, quod *riſtorno* vocant, (§. 438. 45.) Denique (50. naue rebusue ſaluis, nec praemio ſoluto, adſecuratoribus competit actio ad praemium, idque, quod intereſt, ſi moras nectat adſecuratus, conſequendum. WERLHOFF. *de pojizza cap.* 1. *§.* 17.

* Quum vero bis dare videatur, qui cito dat, et plerumque maxime interſit adſecurati, vt quamprimum indemnis praeſtetur: moribus receptum eſt, vt adſecuratores, qui, facta denunciatione, illico repraeſentant pecuniam, detrahere poſſint ſingulis centenis imperialem vnum, Hamburgi duo, alibi tres. WERLHOFF. *de poliza Sect. II.* §. 16. *p.* 20. vbi verba *conuentionis adſecur. Hamb. anni* 1677. §. 3. adducit: *Wann ſchade fället, ſo ſollen die Aſſeureurs denſelben von der zeit ab, da behörlicher bevveiſs davon eingebracht, in zvvey monath völlig, oder mit kürzung* 2. *pro* 100. *alsbald zu bezahlen ſchuldig ſeyn.* His gemina ſunt illa in *conuentione anni* 1697. *§.* 2. *Vnd ſo innerhalb* 2. *monathe von dem dato an, daſs die anforderung geſchehen iſt, die zahlung nicht erfolget: ſollen die zvvey pro cento nicht gekurzet. vverden.*

§. CCCCXXXXI.

De fructuum futurorum emtione.

Sed, ne his conuentionibus nimis diu immoremur, paucis adhuc obſeruamus, (51. emtionem fructuum futurorum, quam iam Langobardos pro illicita habuiſſe obſeruauimus, (*§.* 427.) etiam

Digitized by Google

etiam iure Germanico recentiore eſſe prohibitam, ORDIN. POLIT. *anni* 1548. *tit. von verkauffung der früchte auf dem felde*, ET REFORM. POLIT. *anni* 1577. *tit.* 19. §. 1. Quod quum ob infames dardanariorum artes conſtitutum ſit: facile patet, (52. nihil impedire, quo minus futuri fructus emi poſſint pretio, quod tempore meſſis iuſtum eſſet futurum. STRYK. *vſ. modern. dig. Lib. XVIII. tit.* 1. §. 9.

TIT. XVI.

DE CONVENTIONIBVS ACCESSORIIS.

§. CCCCXXXXII.

SVperſunt eae conuentiones, quae reliquarum firmandarum cauſſa repertae ſunt, quarum quaſdam Germani communes cum Romanis habuerunt, veluti PIGNORA et FIDEIVSSIONES, quasdam ſibi proprias, veluti obligationem ad OBSTAGIVM, et ad patiendam DEPRAEDATIONEM, * de quibus hoc titulo erit agendum. Conuentiones acceſſoriae variae.

* Vtimur eo vocabulo, quod et in IVRE FEVDALI LANGOBARDICO occurrere, adeoque gentibus originis Germanicae hoc ſenſu proprium fuiſſe nouimus. Ait enim FEVDISTA *II. Feud.* 22. *fin. Et ſi dominus ei iuſtitiam facere noluerit: poterit eum* DEPRAEDARE. Vbi rectiſſime CVIACIVS: *Ad extremum in eadem contumacia perſeuerantem dominum vaſallus poterit* DEPRAEDARE, *id eſt, graſſari in eum impune, quaſi omni fide ſolutus, vt contra, ſi vaſallus rebellis et contumax eſſe perſeueret, ex iurisconſultorum ſententia apud* RADEVICVM *et* GVNTHERVM, *res vaſalli direptioni adiudicatur.* Et CVIACIVS quidem in animo habuit locum RADEVICI, *de geſt. Fridr. I. Imp. Lib. II. cap.* 7. qui Fridricum de conſilio ac ſententia iureconſultorum ſanxiſſe refert, *vt bona eius publicentur, et domus deſtruantur, qui pacem iurare et tenere noluerit, et leges pacis non ſeruet.* Id enim ita expreſſit GVNTHERVS *in Ligurino Lib. VIII. v.* 698.

> *Qui pacis iurare modum, formamque tenere*
> *Improbus abnuerit, quae poſſidet, omnia vulgo*
> DIRIPIENDA *patent, euertendique penates.*

Quemadmodum vero hanc depraedationem inuitus patiebatur dominus contumax: ita non deſunt exempla, quod quis in eum caſum, ſi in mora ſoluendi futurus ſit, creditori per modum pacti conceſſerit facultatem ſe depraedandi, resque ſuas impune diripiendi: de qua conuentione, Germanorum moribus maxime concinna, hic loquimur.

§. CCCCXXXXIII.

Pignora rerum immobilium apud acta conſtituta.

Pignoris ius, quale iure Germanico fuerit, iam ſupra ſuo loco vidimus. Iam de conuentione, qua pignus conſtituebatur, dicendum: vbi id tantum monemus, iure Germanico non valuiſſe oppignorationem rerum immobilium, niſi ea apud acta, vel coram iudice, eſſet facta. Quum enim rei oppignoratae dominium moribus plerarumque gentium ad creditorem tranſiret, adeoque oppignoratio a venditione cum pacto de retrouendendo parum diſcreparet; (§. 313. ſequ.) venditiones autem rerum immobilium ſemper fere apud acta et ſollemniter fierent: (§. 394.) fieri non potuit, quin et oppignorationes, non niſi a iudice firmatae, rite factae viderentur.

§. CCCCXXXXIIII.

Moris huius probatio.

Id tametſi ex legibus antiquis, quae de pignoribus pauca ſanciunt, tam luculenter probari nequeat, niſi quod LEX LANGOB. *Lib. II. tit.* 21. §. 18. meminit WADIAE, * *in praeſentia regis, vel iudicis, ſeu liberorum hominum, qualicumque modo datae:* tamen ſaltim iure Francorum pignora non aliter conſtituta eſſe, inde non abſurde colligit SCHILTERVS *Exerc.* XXXIII. §. 7. quod et hodie iſte mos obſeruetur in Gallia, teſtante CHOPPINO *de morib. Pariſ. Lib. III. tit.* 2. §. 20.

* WADIA, WADII vel WADIAE, modo fideiuſſores erant, modo pignora, et quidem non modo, quae ſtatim dabantur, veluti arrhae, in ſecuritatem eius, qui fieri quid ſtipulatus erat, verum etiam quaecumque in ſecuritatem crediti vel tradebantur, vel obligabantur. Priore ſenſu *charta vetus Alamannica* 90. apud GOLDAST. *Tomo II. p.* 57. *Poſt hoc teſtimonium dedit Odelhartus* WADIVM *Pro crodo miſſo, vt eſſet paratus in praeſentia domini imperatoris in placito generali iuſtitiam faciendi.* Poſteriore CHRON. LAVRISH. apud FREHER. *ſcript. rer. Germ. T. I. p.* 134. *Ornatum eccleſiaſticum* VADIO *expoſuerat.* Et paullo poſt *p.* 143. *Crucem quoque auream in* VADIO *exponendam conceſſit.* Eſt autem *wadium* vel *vadium* a vadibus dictum, quaſi vadimonium. Vid. CAR. DV FRESNE *gloſſar. Lat. Tom. III. p.* 1235. et GONZALEZ TELLEZ *ad cap.* 1. *X. de pign.*

§. CCCCXXXXV.

Pignora ſollemniter tradita.

Quin vti aliae conuentiones, quae traditione abſoluuntur, cum ſollemnitate aliqua erant coniunctae: ita idem etiam in pignoris traditione videbatur neceſſarium. Hinc ſaepe iunguntur pignus vel *wadium* et *andelangus.* FORM. LINDENBR. CLXXXIII. *Per meos wadres* (leg. wadios) *et andelangos.* Et in char-

charta Heccardi, Comitis Auguſtodunenſis, apud Car. dv Fresne, *ibid. Sicut per inſtrumenta chartarum vobis tradidi et per quadium et andalugum*(lege *andalangum.*) Ex quo loco ſimul diſcimus, non temere quidquam alicuius momenti oppignoraſſe maiores noſtros, quin litterarum monimentis id, quod geſtum eſſet, conſignarint, quod eos et in aliis contractibus feciſſe, iam ſupra obſeruauimus.

§. CCCCXXXXVI.

Fideiuſſores quem in finem dati?

Frequentes quoque inter Germanicas gentes erant fideivssiones, i. e. conuentiones, quibus quis alterius accedebat obligationi, ſeque, quod a debitore principali non praeſtaretur, praeſtiturum pollicebatur. Hanc qui in ſe ſuſcipiebant obligationem, et ipſi *wadii*, nec non ſi a rep. darentur, *giſiles* (*Geiſel*) vocabantur. Et quidem non ſolum in creditorum ſecuritatem dabantur fideiuſſores, verum etiam de iudicio ſiſti. Quoties enim quis in ius eſſet vocatus, aut criminis accuſatus: vadibus vel fideiuſſoribus datis cogebatur cauere, ſe ante certum diem adfuturum, * ceu multis teſtimoniis demonſtrauit Car. dv Fresne *gloſſ. Lat. voce fideiuſſores pag.* 426. Si fideiuſſores deeſſent, in carcere habitare reum oportebat. Capitvl. Pipini *reg. Ital. cap.* 36. apud dv Fresne *ibid. pag.* 427.

* Hoc quoties faciebant iudices, dicebantur fideivssores tollere. Hinc frequenter ſibi de priuilegio proſpiciebant eccleſiae, *ne quis iudex earum fundos ad audiendas altercationes ingredi, freda de quibuslibet cauſſis exigere, aut manſiones vel paratas facere, aut fideiuſſores tollere praeſumeret.* Exempla exſtant innumera. Vid. Marcvlf. *Lib. I. form.* 3. 27. 28. Mir. *donat. piar. cap.* 14. *diplom. Belg. Lib. I. cap.* 6. 10. 11. *Lib. II. cap.* 2. 10. *donat. Belg. Lib. II. cap.* 7. 12. et alibi paſſim.

§. CCCCXXXXVII.

Burgundiones non adeo ſtricte obligabant fideiuſſores.

Ceterum obligatio fideiuſſoris apud Evrgvndiones erat ipſo iure ſubſidiaria. Neque enim prius ille conueniri poterat, quam excuſſus eſſet debitor principalis, et ſi creditor prius pignora a fideiuſſore cepiſſet, quam a debitore principali, ille in duplum tenebatur. Lex Bvrg. *addit. cap.* 7. Quin ne tunc quidem abſciſſe obligatus erat, ſi debitor non ſoluendo eſſet, ſed liberabatur, ſi illum creditori veluti noxae daret. * Lex Bvrg. *tit.* 19. §. 7. Multo minus ad heredes tranſibat fideiuſſorum obli-

obligatio, ſed, iis iudicem interpellantibus, creditor cogebatur liberare fideiuſſoris heredes, alioſque fideiuſſores * a debitore accipere. LEX BVRG. *tit.* 82. §. 2.

* Ita et apud Langobardos fideiuſſor interpellatus poterat a debitore pignora capere, eaque offerre creditori, quae ſi debitor vi ſurripuiſſet, ad *octogild*, id eſt, non, vt LINDENBROGIO *in gloſſ. hac voce* videtur, in duplum, ſed in octuplum, tenebatur. *Octogild* enim eſt mulcta octupli, quemadmodum *nouigild*, mulcta, qua reus rei ablatae aeſtimationem nouies praeſtare tenebatur. CAR. DV FRESNE *gloſſar. Lat. his vocibus.*

§. CCCCXXXXVIII.

Immo nec Franci.

Paullo benigniores etiam fideiuſſoribus erant Franci, qui optionem quidem faciebant creditori, fideiuſſorem, an debitorem principalem conuenire mallet: at, ſemel pulſato debitore, aduerſus fideiuſſorem eiuſue heredem nullam amplius actionem dabant. CAPIT. *Lib. VII.* §. 334. *edit.* BALVZ. Quod aliter ſe habere iure Romano, ex *l.* 23. *et l.* 28. *C. de fideiuſſ.* docuit SCHILTER. *Exerc.* XXXXVIII. §. 21.

§. CCCCXXXXVIIII.

Reliqui Germani iis non dabant beneficium ordinis.

Aſt reliquae gentes Germanicae tantum abeſt, vt vllo modo pepercerint fideiuſſoribus, vt optionem darent creditori, hos, an debitorem principalem prius conuenire mallet, non conceſſo fideiuſſoribus beneficio ordinis vel excuſſionis. Luculenter hoc patet ex conſtitutione Ottonis II. Imp. apud GOLDAST. *conſt. imp. Tom. III. pag.* 309. *et collect. conſuet. ex leg. imper. pag.* 166. quam emendatiorem protulit SCHILT. *Exerc.* XXXXVIII. §. 19. *et* 22. quippe quae fideiuſſorem non vult vti exceptione ordinis vel excuſſionis, ſed probare eum iubet, debitorem principalem ſoluiſſe. Vnde recte HERT. *paroem. iur. Lib. I. par.* 94. huc refert illud πολυθρύλλητον: *Den bürgen muſs man würgen.*

§. CCCCL.

Quod principium et Saxones retinuerunt.

Nec alia eſt IVRIS PROV. SAX. *Lib. III. Art.* 85. ſententia, cuius verba ita ſe habent: *Wer bürgen ſetzt alſo, daſs er ſelbſt gelten will, oder ſeine bürgen vor ihn: mag ers vollbringen oder beweiſsen, daſs er es ſelbſt gegolten habe, er hat ſeine bürgen geledîget. Wer aber bürge wird vor den andern, vnd gelobet ein beſcheiden geld ſelbſt zu gelten, das muſs er vollbringen*

mit

mitt gezeugen, daſs er es gegolten hat. Quae totidem paene verbis repetuntur in WEICHB. *Art.* 31. Itaque vel debitor conueniri poterat, vel fideiuſſor, et neuter liberabatur, niſi liquido probaret, nomen eſſe expunctum. Beneficii vero excuſſionis nec vola nec veſtigium exſtat in toto illo iure Saxonico.

§. CCCCLI.

Speculator Alamannus et beneficii ordinis et diuiſionis meminit.

Aſt IVRIS ALAMANNICI auctor *cap.* 325. vti beneficium diuiſionis ex iure Romano in collectionem ſuam tranſtulit, idque tribuit *einem meiſter, der da haiſſet Adrianus, der landrechtes viel gemacht habe:* ita non obſcure, et beneficium ordinis competere fideiuſſoribus, tradit verbis: *vnd hat er nicht zu vergelten, des bürgen ſie da worden ſind, ſie müſſen ſelbſt gelten.* Ita editio MEICHSNERIANA, et GOLDASTINA *cap.* 327. In codicibus enim MSCC. ea verba deſiderari, obſeruat SCHILTER. *Exerc.* XXXXVIII. §. 25. nec ea reperiuntur in editione BERGERIANA *pag.* 17. nec in SCHANNATIANA *cap.* 164. *pag.* 264. vt recte inde colligi poſſe videatur, voluiſſe quidem huius libri auctorem id ius peregrinum inuehere in Germaniam, ſed id viſum non eſſe publici ſaporis, ac proinde ea verba in plerisque codicibus eſſe omiſſa.

§. CCCCLII.

Obligatio ad obſtagium qualis?

Progredimur ad OBLIGATIONEM ad OBSTAGIVM, Germanis propriam, qua vel ſe ipſum obſtringebat debitor, vel vaſallos ſuos, vt, nomine ante certum diem non expuncto, interpellati ingrederentur diuerſorium publicum, neque inde prius exirent, quam creditori ſatisfeciſſent. Quam obligationem vocabant *das einlager, den einritt, die leiſtung, vel leiſtmahnung*, eaque tam digna videbatur Germanis, vt eam pignoribus et fideiuſſoribus longe anteferrent.

§. CCCCLIII.

Eius origo an a Bertholdo Zäringenſi.

De origine huius conſuetudinis SCHILTERVS *de iure obſid. cap.* 11. §. 3. certiora adferre non potuit, quam quae reperit apud BESOLD. *theſaur. pract. voce leiſtung. p.* 584. vbi ex libello FR. IO. PAVLLI *ſchimpff vnd ernſt tit. von den bublern cap.* 161. adducit locum: *Das recht erdacht vnd funden hat dem adel zu leyd hertzog Berchtold von Zäringen: wann der adel ihm zween ſöhn mit gifft ertödt hat, vnd vergeben, die zu Soloturn*

 im

im ſarch liegen, zu S. Vrſulen, als Felix Hemmerlein davon ſchreibet. *

* Quae FELIX MALLEOLVS ea de re ſcripſerit, ignoro. Eius enim ſcripta, Baſileae edita, non ſunt ad manus. At FELIX FABER *hiſt. Suevor. Lib. I. cap. 19. apud* GOLDAST. *ſcript. rer. Suev. p.* 74. interitum illuſtris Zaringenſium familiae his paucis verbis deſcribit: *Poſtea obiit Berchtoldus, et duos filios reliquit, quos nobiles minoris Burgundiae veneno peremerunt, et ita poteſtas illorum et germen exterminata ſunt.*

§. CCCCLIIII.

Contrarium oſtenditur ex monimentis coaeuis.

Sed quidquid hac de re frater ille IOANNES PAVLLVS et FELIX MALLEOLVS ſcripſerint: nihil veri tamen ineſſe huic fabulae, facile poteſt demonſtrari. Berchtoldus enim ille, qui filios, vxoris et ordinum Burgundicorum ſcelere, amiſit, fuit eo nomine quintus, idque accidit inter annum Dionyſ. 1215. et 1218. GVILLIMANN. *Habsb. Lib. VI. cap. 2. p.* 342. At eodem tempore iam iuris obſtagii meminit SPECVLI SAXONICI auctor *Lib. II. Art.* 11. *Hätte er auch ienem gelobet davor einzureuten: er iſt des einreutens ledig: aber nicht des geldes, noch der ſchuld, da er vor einreuten ſolt.* Nec minus iisdem temporibus, immo ante illa tempora, puta anno 1212. huiuſmodi pacto obſtagiali ſeſe obſtrinxerunt ipſi principes, Otto IIII. Imp. Theodoricus, Miſniae Marchio, Albertus, Marchio Brandenb. et Ludouicus, Dux Bauariae, ceu patet ex diplomatibus editis a IOACH. IOANN. MADERO *in antiquit. Brunſuic. num.* 10. 11. *et* 12. Quis vero crediderit, ius, in extremo Burgundiae angulo in odium nobilium inuectum, vno momento ita ſeſe probaſſe Germanis omnibus, vt vbique in Germania, eodem fere momento, inoleſceret?

§. CCCCLV.

Nec non ex antiquioribus.

Quin tantum abeſt, vt hac occaſione, et ineunte demum ſaeculo XIII. in Burgundia inoleuerit haec conſuetudo, vt iam anno 1180. monachos ſeſe obſtrinxiſſe ad obſtagium, notiſſimum ſit *ex cap. 9. X. de iureiur.* Quin GVICHENONIVS *in bibliotheca Sebuſienſi cent. I. n.* 24. exhibet exemplum, quinquaginta annis epocham illam anteuertens. Anno enim 1156. Guilielmus et Roſtagnus de Sabrona Raymundo Berengarii promittunt iurati, *ſe venturos in huius poteſtatem, vel nepotis eius, vel eorum, qui locum earum tenuerint, ad decem*

cem dies, ex quo ab illis commoniti fuerint, vel illud ſciuerint, in Volubricis inſula, ſicut vndique circumclauditur Rhodano, ita tamen, quod ibi ſecuri eſſe debeant a Raymundo, eiuſue hominibus, per omnia, praeter OSTATICVM *tenendum, ſine huius enganno, quod inde aliquo modo non egrediantur, donec ſoluta ſint decem millia ſolidorum Melgorienſis monetae, ſine Raymundi enganno.*

§. CCCCLVI.

Merito ergo dixeris, antiquiſſimam hanc eſſe Germanorum conſuetudinem, nec rationem fuiſſe SCHILTERO *ibid. cap.* 11. §. 3. et STRVVIO *hiſt. iur. cap. 6. §. 36.* huius moris originem referendi ad ius manuarium Germanorum, a ſaeculo XIII. potiſſimum gliſcens, quocum nihil commune habet ius obſtagii. Potius vera origo repetenda eſt ab incredibili Germanorum fide, qua omnibus aliis gentibus antecellere ſtudebant. * (§. 377. 16.)

Hic mos non eſt ex iure manuario.

* Et hinc nobiles potiſſimum, quibus promiſſum *bey adlicher ehre vnd wort* vel *canalliers-parole* pro iureiurando erat, ſeſe ad obſtagium obſtringebant, quum plebeii potius iureiurando, pignoribus conſtitutis, datisque fideiuſſoribus, ſecuros praeſtarent eos, quibuscum contraherent. Exſtant tamen et ciuitatum chartae, quibus hae ciues aliquot obligant ad obſtagium. Talis eſt illa ciuitatis Francofurtenſis, ſcripta anno 1368. apud SENKENB. *ſelect. iur. et hiſt. Tom. I. p. 646. ſequ.* vbi ſenatus Iudaeis dat fideiuſſores (*bürgen vnd Giſel,*) Sifridum de Paradiſo, Scultetum, Conradum de Glauborg, Iacobum Klobelauch, Conradum de Levvenſtein, promittitque, *alſo wanne ſie gemanit werden, von vorgenandten Iuden, oder iren erben, odir iren boden zu huſze odir zu hoffe, odir munt wider munt, ſie ſollent zu ſtont vnverzehlichen binnen acht tagen nach der erſten manunge zu Menze infaren in giſels wis in ein offen herberge zu Menz, da ſie die vorgenanten Iuden inwiſent.* etc.

§. CCCCLVII.

Ceterum vel ipſe DEBITOR ſe obligabat ad obſtagium, id quod potiſſimum equeſtris nobilitatis viri, immo et comites aliquando faciebant, ceu praeter exemplum Guilielmi et Roſtagni, paullo ante ex GVICHENONIO adlatum, (§. 455.) docet diploma Dietmari de Witerſtete apud SCHILTER. *in addend. ad diſſ. de iure obſid. p.* 153. vel debitor vna cum fideiuſſoribus quibuſdam, quo pertinent exempla Balduini de Wenden apud MEIBOM. *not. ad Leu. de Northoue chron. Marcan. p.* 411. et SCHILTER. *ibid. p.* 154. vel denique vaſallos ſuos ad obſta-

Vel ipſe debitor, vel fideiuſſores eius, vel vaſalli ad obſtagium obſtricti.

obſtagium obligabant, * vti apud MADER. *ibid.* et SCHILTER. *Exerc.* XXXXVIII. §. 22.

* Eo iure inprimis gauiſos eſſe ſuperioris nobilitatis viros, recte obſeruauit doctiſſimus IO. AD. KOPP *de iure pignor.* §. 2. *p.* 5. idque probauit ex charta Fridrici, Reg. Rom. et Lupoldi, Auſtriae Ducis, anno 1315. ſcriptae apud SENCKENB. *ſelect. iur. et hiſt. Tom. II. p.* 275. *So ſollen die vorgeſchriebenen bürgen, wenn ſie gemanet werden, von ime, oder von ſeinem gewiſſen botten, rechte griſelſchafft laiſten zu Reitlingen oder zu Newenſtatt, zu Rottenburg alle, wann Graue Rudolff von Hohenburg, der ſoll zu Reitlingen laiſten. Welcher auch der vorgenannten bürgen die herrn ſein ſelber nicht laiſten wolte, der ſoll einen erbaren knecht mit zweyen pferden legen ann ſein ſtatt.*

§. CCCCLVIII.

Obſtagium coniunctum cum comiſſationibus.

Obſtagium hoc cum maximo eorum, qui ad illud obſtricti erant, incommodo erat coniunctum. Suis enim impenſis in illo diuerſorio viuere tenebantur, quod innuunt verba apud GVICHENONIVM: *ſine veſtro enganno.* Quin non modo ipſi ibi ſuis ſumtibus viuebant, ſed et quotidie cum illis pro lubitu epulabantur creditores, tam laute excipiendi a debitoribus, vt vel maxime huic oneri ſuccumberent, et ad mendicitatem redigerentur. *

* Hinc idem FR. IOANNES PAVLI, ex quo quaedam decerpſiſſe BESOLDVM diximus, ait, *Köſtliche mahl heiſſen gieſelmahl, da man etwa auff ein ſtads, oder auff einen edelmann, mit einem reiſigen hengſt leiſtet. Die eſſen köſtliche mahl, damit daſs groſer koſten aufgang, daſs man ſie deſto foerderlicher bezahl vnd außricht: warumb dann man leiſtet.* Et LEVOLDI A NORTHOVE *chron. comit. Marc. p.* 380. catum hoc conſilium eſt: *Et ſi quando ex quocumque vos oportet mutuum contrahere, cauete vobis ab mutuis vſurariis, in quantum poteritis, et maxime ab illis periculoſis mutuis, et damnoſis, pro quibus vos oporteat multitudinem fideiuſſorum ponere ad* COMESTVS, *ſicut in Colonia conſuetum eſt fieri. Huiusmodi enim debita mortuorum debitores creditorum ſubiiciunt ſeruituti. Scriptum eſt enim in libro ſapientiae: Qui accipit mutuum, ſeruus eſt foenerantis.*

§. CCCCLVIIII.

Obligationem ad ferendam depraedationem.

Quemadmodum ergo Germani licitum ſibi exiſtimabant, ſe ipſos oppignorare pro aere alieno, *addit. Caroli M.* ad LEG. SAL. §. 8. LEX LANGOB. *Lib. II. Tit.* 34. §. 1. ſeque vel ad obſtagium, obligare, immo et famae atque exiſtimationis periculo aliquid promittere: ita non mirum eſt, debitores creditoribus ſuis etiam dediſſe poteſtatem inuadendi res ſuas, eaſque pignorandi, vel diripiendi, ſi in mora ſoluendi eſſent futuri. Quae

Quae ipſa eſt obligatio illa ad patiendam DEPRAEDATIONEM, quam ſupra, (§. 442.) propriam Germanis fuiſſe, monuimus.

§. CCCCLX.

Huius pignorum capionis mentionem paſſim faciunt leges Germanicae, ſed ita, vt ob inſignem abuſum eam non aliter, quam auctore iudice, fieri patiantur. Vid. LEX WISIG. *Lib. V. tit. 5. §. 1.* LEX BAIVVAR. *tit. 12. cap. 1.* LEX ALAM. *tit. 85.* LEX LANGOB. *Lib. II. tit. 21. §. 1. ſequ.* Sed id fortaſſis de eo caſu eſt intelligendum, ſi quis creditori hanc pignorandi licentiam pacto ſingulari non conceſſerit. Alioquin enim vix dubium eſt, quin ante inuectum in Germaniae fora iuris Romani vſum vnusquiſque ſe huiuſmodi pacto obſtringere potuerit, quum id ne ipſi quidem Imperatores facere dubitarint, veluti Ludouicus Bauarus, teſte charta. A. 1315.* apud LERCH. *von des reichs ritterl. herkomm. Part. I. p. 5.* et ill. de LVDEWIG. *diſſ. iur. Rom. et Germ. de donat. diſſ. I. cap. 4. §. 6. p. 25.*

Itemque pignorationem.

* Meretur ea et hic integra legi: *Ich Gotfried Paider, Vicedom an dem Rheine, des hochgebornen herrn, herrn Ludewigen, des Römiſchen Königs, vnd herrn Rudolffen, des edlen Pfalz-graffen bey Rhein, vnd Hertzog in Bayern, verricht vnd thun kund allen denen, die dieſen brieff anſehent, oder hörent leſen, daſs ich von meiner vorgenandten herrn wegen han gelobet Iacob Lerckeln von Dürmſtein ſechzig pfund heller. Vnd ſo ſoll er ietzund vmb dienen meinem vorgenandten herrn, dem Könige. Die vorgenandten heller ſoll man dem vorgenandten Iacoben geben auff ſanct Georgen tag, der nu nechſt kompt. Gebe man aber vorgenandten Iacob das vorgenandte geld nicht auf das vorgenandte ziel: ſo möchte vnd ſolt der vorgenandte Iacob meinen vorgenandten herrn, den König,* PFENDEN, *vnd die pfand treiben vnd führen in meines herrn, Hertzog Rudolf veſten, ohne ſeinen zorn, vnd ohne ſeiner armen leuth zorn. Ware es aber, daſs der vorgenandt Iacob meinen vorgenandten herrn, den König, nicht möchte gepfenden, ohne alles geſehrde, ſo möchte er, vnd ſolte meinen vorgenandten herren, Hertzog Rudolffen,* ANGREIFEN (en depredationem!) *vnd pfenden ohne ſeinen, vnd ſeiner armen leuth zorn. Vnd daruber zu einem vrkund, ſo gibe ich ihme dieſen brieff mit meinem inſiegel verſiegelt, der ward geben, da man von Chriſti geburt zahlte dreyzehen hundert iahr, vnd darnach in dem funffzehenden iahr, an dem nächſten dienſtag nach Bartholomaei tag.* Plura huius generis mira diligentia collegit doctiſſimus IO. AD. KOPP. *de iure pignor. conuent. apud Germ.* vbi §. 4. oſtendit, quodnam diſcrimen ſit inter IVS EMBATERTICVM Romanorum, de quo ſingularis exſtat CHRIST. WILDVOGELII *diſſertatio*, et hoc ius pignorandi conuentionale Germanicum. Deinde §. *6.* vſum huius pignorationis oſtendit in tranſactionibus, §. 7. in mutuo et hypothecis, §. 8. in retrouenditionibus, §. 9. in emtionibus venditionibus, et euictionibus promiſſis, §. 10. in locationibus conductionibus, §. 11. in conductionibus villaribus, (*landſideleyen*,) §. 12. in contractibus vitalitiis, §. 13. in donationibus piis, §. 14. in contractibus feu-

feudalibus, §. 15. in delictis, ac denique inſequentibus paragraphis in vſum hodiernum huius iuris erudite inquirit, omnia haec illuſtrans ex chartis et diplomatibus medii aeui, quorum etiam mantiſſam haud poenitendam ſub finem adiecit. Prodiit doctiſſimum hoc iuris Germanici ſpecimen *Francof. ad Moen.* 1735.

§. CCCCLXI.

Ad quam ſe et priuati obſtrinxerunt.

Si ergo ipſum Romanorum Regem tum non puduit, equeſtris nobilitatis viro, cui ne ex mutuo quidem, ſed ob praeſtita ſeruitia, ſummam mediocrem debebat, poteſtatem dare pignorandi, reſque ſuas inuadendi diripiendique: (quemadmodum et Carolum IIII. Imp. non puduit ciuitati Geilnhuſanae ſeſe ad obſtagium obligare: HERT. *de iuriſpr. cauente* §. 9.) nemo profecto dubitauerit, quin multo minus huiuſmodi pactis ſe obſtringere dubitarint alii inferioris dignitatis homines. * Et huius quidem moris originem rectius, quam obſtagii, repetere licebit a iure manuario, quod iis temporibus et priuati ſibi adrogabant. KOPP. *de iure pign. conuent.* §. 4.

* Sane in ipſa etiam Gallia morem hunc pignorandi manuque ſibi ius dicendi inualuiſſe, patet ex fragmento regeſti veteris Parliamenti apud CAR. DV FRESNE *gloſſ. Lat. voce guerra regis: Rex arreſtum pro communi vtilitate et neceſſitate regni ſui ſtatuit, quod, durante guerra ſua, nulla alia fiat in regno, et ſi forte inter aliquos iam mota ſit guerra, quod, datis treugis vel adſecuramentis, ſecundum conſuetudines locorum duraturis, per annum, et anno finito, iterum continuentur et prorogentur, omnes aliae guerrae ceſſent, donec guerra regis fuerit finita. Item quod* GAGIA BELLI *nullatenus admittantur, ſed quilibet in curiis regis et ſubditorum ius ſuum via ordinaria proſequatur.*

§. CCCCLXII.

Immo et ad infamiam, proſcriptionem, inediam.

Itaque multo magis vnuſquiſque ſe obligare poterat ad alias poenas conuentionales, veluti INFAMIAE, PROSCRIPTIONIS, AMISSIONIS OMNIVM BONORVM. De poena conuentionali *infamiae* iam ſupra quaedam monuimus, (Lib. I. §. 412. * et Lib. II. §. 459.) quibus nunc addi poſſunt, quae ex charta Waltheri, pincernae de Limpurc, anno 1237. ſcripta apud illuſtrem LVDEWIG. *reliqu. MSSC. Tom. II. pag.* 222. attulit laudatus IO. AD. KOPP. *de iure pign. conuent.* §. 2. *p.* 4. qua ſeſe obligat Waltherus, ſi quid contra datam fidem facturus ſit, *ſe futurum exlegem, quod in vulgari dicatur echtlos vnd rechtlos, et omnia bona ſua, tam propria, quam feudalia, vacatura eſſe collationi domini Imperatoris, et alia feuda, quae ab aliis habeat, reuerſura*

ra ad ipſos dominos. Quin idem laudatus KOPPIVS adlato exemplo probauit, ad inediam et ferias eſuriales ſeſe aliquando obſtrinxiſſe eos, qui ſecuros alios eſſe vellent. *

* Id quoque probauit ex diplomate vel decreto Henrici, abbatis Volkerodenſis, ſcripto anno 1259. apud illuſtrem a LVDEWIG *reliqu. MSSC. Tom. I. p.* 361. quo cauetur, *vt, qui ſecus fecerint, pro qualibet vice tranſgreſſionis ſuae vna ſexta feria ſequente, ſint in* PANE *et* AQVA, *diſpenſatione quacumque non obſtante.*

§. CCCCLXIII.

Itaque ex his iam ſatis intelligitur, I. Germanos oppignorari res immobiles vix paſſos eſſe, niſi in iudicio, et accedente magiſtratus conſenſu. II. Eoſdem fideiuſſores ad ſoluendum ſtrictiſſime obligaſſe. III. Cuiuis licuiſſe, ſe ipſum vel ad cuſtodiam, vel ad obſtagium, obligare, nec non IIII. creditori facultatem dare vel pignorandi, vel ſe depraedandi, ſi in mora ſoluendi futurus ſit. *Conſectaria quaedam de his conuentionibus acceſſoriis.*

§. CCCCLXIIII.

Quemadmodum itaque Germani veteres vix oppignorari paſſi ſunt res immobiles, niſi in iudicio, et accedente magiſtratus conſenſu: (§. 462.) ita non mirum eſt, (1. idem et hodie requiri alicubi, veluti IVRE SAXONICO, *part. II. conſtit. Sax.* 23. Itemque IVRE LVB. *Lib. III. tit.* 4. *art.* 1. IVRE HAMB. *Part. II. tit.* 4. §. 4. et Viennenſi GAIL. *obſeru. Lib. II. cap.* 25. *n.* 10. Nec minus inde reddetur ratio, (2. cur et in terris Pruſſicae ditionis hypothecae referendae ſint in librum ſingularum iuriſdictionum publicum, (*in das grund- vnd hypothekenbuch*) et niſi id rite factum ſit, eae nulla praerogatiua gaudeant. KÔN. PREVSS. HYPOTHEK. VND CONC. ORDN. §. 5. Cur, (3. omiſſa ea ſollemnitate, alibi plane nullius effectus ſit hypotheca priuatim conſtituta, alicubi iiſdem effectibus gaudeat, ac priuata, adeoque publicis omnino poſtponatur. * *Pignora et hodie in rebus immobilibus conſtituuntur apud acta.*

* Sic in Saxonia electorali hypotheca immobilium, priuatim conſtituta, effectum habet aduerſus debitorem eiuſue heredes, non aduerſus tertium poſſeſſorem, immo nec aduerſus reliquos creditores, qui eam querela nullitatis poſſunt impugnare. CONSTIT. AVG. XXIII. *Part. II.* At iure Lubecenſium hypothecam, priuatim conſtitutam, etiam a tertio poſſeſſum adficere fundum, ſtatuit MEV. *ad ius Lubec. ibid. n.* 64. *ſequ.* Quod et in terris Pruſſicis obtinere, nemo dubitat.

§. CCCCLXV.

Fideiuſſoribus paſſim denegatum beneficium ordinis.

Quumque Germani fideiuſſores ſtrictiſſime obligarint : (§. 462. 2.) facile animaduertes, (4. cur et hodie beneficium ordinis vel excuſſionis ex multarum vrbium ſtatutis ceſſet. Sane (5. SCHILTERVS *Exerc. XXXXVIII.* §. 23. id non modo de foris mercatorum obſeruauit, verum etiam (6. de ſtatutis Venetis, Florentinis, Lucenſibus, Noribergenſibus, Auſtriacis, Hiſpanicis, Dithmarſicis, Lubecenſibus : quamuis (7. quod ad ius Lubecenſe attinet, ei plane alium ſenſum tribuat MEV. *ad Part. III. tit. 5. art. 1. n. 34. ſequ.* ac (8. ſaltim Stralſundi et in aliis Pomeraniae ciuitatibus, quibus ſanctior alioquin iuris Lubecenſis cuſtodia eſt, id beneficium fideiuſſoribus non denegari, obſeruet.

§. CCCCLXVI.

Vsi et feminis intercedentibus vſus SC. Velleiani.

Ex eodem principio reddenda eſt ratio; (9. cur ne SC. quidem Velleianum et *authentica ſi qua mulier C. de SC. Velleian.* in Germania vbique proſit mulieribus, pro aliis, ſiue extraneis, ſiue maritis, intercedentibus. Id ſane luculenter et ex inſtituto demonſtrauit illuſtris a LVDEWIG., *in diſſertationibus de SC. Velleiano in Germ. exſule. Halae* 1720. vbi *diſſert. 2. diſſ. 2. pag. 13. ſequ.* eam in rem adducit ſtatuta ac leges Noribergenſium, Hamburgenſium, Lubecenſium, Colonienſium, Luneburgenſium, Haſſorum, Nordhuſanorum, Mulhuſinorum, Holſatorum, Serueſtanorum, aliaque plura, quae veluti ex compacto mulieres denudant illo praeſidio, eaſque non minus, ac maſculos, ſi iuſtae aetatis ſint, promiſſis ſtare iubent, tantum abeſt, (10. vt eorum, quae eo nomine ſoluerunt, repetitionem illis concedant.

§. CCCCLXVII.

Obſtagia quando in Germania ſublata?

Quod rariores hodie in Germania ſunt obligationes ad obſtagium, non tam iuris Romani ſanctionibus tribuendum eſt, quam inſigni iſtius conſuetudinis abuſui. Videbantur enim bacchanalia, et ſumtibus miſeri debitoris quotidie epulis et comeſſationibus indulgebatur, eoque fieri non poterat, quin ille ad incitas redigeretur. * Itaque (11. iſte mos abrogatus eſt primum in Saxonia, *Parte II. conſtit. D. Auguſti* 22. deinde (12. quum antea in REC. IMP. *anno* 1548. *tit. von wucherlichen contracten* non obſcure probatum eſſet illud ius obſtagii, modo, qui

qui ſe ad id obligauerant, non extra imperium euocarentur: (13. triginta fere annis poſt, nimirum in REC. IMP. 1577. *tit.* 17. illud ex imperio plane proſcriptum eſt.

* Hinc in obligationibus ad obſtagium diſerte ea exprimebatur conditio, ne ſumtibus parceretur. Vidimus iam ſupra, quid de coenis obſtagialibus, (*von geiſel-mahlzeiten*) ſcripſerit frater IO. PAVLLI. Iam addimus ipſam formulam, qua ſe ad hos ſumtus obligare ſolebant debitores, quam exhibet MOLLER. *ſemeſtr. Lib. III. cap.* 30. *n.* 7. *Daſs ſie vngedinget von mahlen zu mahlen, von knechten zu knechten, von pferden zu pferden, vnd ohn auff hören leiſten vnd zehren ſollen vnd wollen; wie leiſtungs recht vnd gewonheit iſt.* Simile quid apud Heluetios olim vſu obtinuiſſe, vt poſita ante fores debitoris imagine, quam vocant *die mazen*, praetereuntes inuitarent, *daſs ſie ſolten bey demſelben einziehen, vnd all ſein hab vnd gut helffen verzehren*, ex MVNSTERI coſmographia obſeruat BEYER. *ſpec. iur. Germ. Lib. III. cap.* 12. *§.* 31.

§. CCCCLXVIII.

Enimuero vti iurium et conſuetudinum patriarum tenaciſſimi ſunt Germani: ita (14. publica illa lege prohiberi non potuit, quo minus ius illud antiquiſſimum in Germaniae aliqua parte, puta in Holſatia, ſaluum maneret, et nobiles eius prouinciae impetrarent, vt illis haec conſuetudo de nouo permitteretur. INSTR. PAC. OSNABR. *art.* 8. *§.* 5. *Iedoch bleibt bey dem allen die Holſteiniſche conſtitution in ihrer gültigkeit.* * Quin (15. et alibi hodieque valere pactum, quo debitor vel fideiuſſor promittit, ſe, in ſolutione ceſſantem, ſe ſtiturum in certo loco, et inde, antequam creditori ſatisfactum ſit, non receſſurum, modo comiſſationes abſint, ſtatuit MOLLER. *ibid. n.* 6. quod (16. et STRYK. *caut. contr. Sect. II. cap.* 6. *§.* 18. *in fin. et vſ. modern. Lib. XXXXVI. tit.* 1. *§.* 15. admittit, modo promiſſio illa iureiurando firmetur, ob *cap.* 9. *X. de iureiur.* Eius conſuetudinis reliquiae.

* Conſtitutio illa Holſatica primum edita eſt a CHRISTIANO IIII. Rege Daniae et ADOLFO, Duce Holſatiae, per modum decreti iudicialis anno 1604. eaque cauetur, vt qui ſe ad obſtagium obligarent, interpellati ſtatim ingrediantur diuerſorium, de quo conuenerit, ſub poena infamiae, ſin plures interpellent, eius qui primus interpellauit rationem habeant, et in diuerſorio ſuis ſumtibus viuant, nec egrediantur, *es ſey dann, daſs feuers, peſtilentz vnd dergleichen vnvermeidliche noth vorſtünde*, quo caſu tamen, volente creditore, alio loco ſe ſiſtere debeant: vt porro in poſterum ceſſent omnes comiſſationes, et ſi caupo vel ſtabularius eorum fidem ſequi nolit, creditor iis alium locum, attamen non domi ſuae, adſignet, et quotidie pro ſingulis nobilibus ſoluat *drey ſchilling Lubiſch*, pro plebeiis *ein*

wenigeres, donec carcer aliquis publicus, (*ein ſchuld-thurn*,) fuerit exſtructus. Prodiit et recentior conſtitutio CHRISTIANI IIII. Regis Daniae, et FRIDRICI, Ducis Holſatiae, Rendsb. 1630. qua prior illa confirmata, eidemque adſtructum eſt, vt obſtagio obſtrictis non adſignetur coenobium aliquod, nec vxores eo rigore obſtagiali vtantur aduerſus maritos. Vtraque conſtitutio inſerta eſt *der revidirten land-gerichts ordn. der Hertzogthümer Schleſſwig vnd Holſtein Part. IV. tit. 14. 15. p. 144. ſequ.*

§. CCCCLXVIIII.

Et hodierna ratio.

Ceterum (17. quid hodie iuris ſit circa obſtagia, et quis procedendi modus in Holſatia obſeruetur, accurate ſatis oſtenderunt OTTO TABOR *de iure obſtagii*, et FVCHS. *introd. ad prax. forenſ. Lib. I. cap. 12. §. 7. et ſequ.* Operam enim dederunt optimi ſapientiſſimique principes, vt ius illud, quantum fieri poterat, a tot abuſibus purgaretur: eoque in primis pertinent conſtitutiones Holſaticae, quibus ius illud anno 1604. et 1630. certis limitibus circumſcriptum eſſe, diximus.

§. CCCCLXX.

Depraedatio hodie omnino ceſſat.

Multo minus ergo exiſtimandum eſt, (18. hodie locum eſſe obligationi ad ferendam depraedationem. Quum enim per tot ſaecula bellis priuatorum, ex quibus et depraedationes natae, miſerum in modum lacerata adflictaque eſſet Germania: demum illis finem attulit MAXIMILIANI I. Imp. prudentia: ex eoque tempore et pignorationes ad certum modum redactae ſunt, (de quibus ex inſtituto egerunt ANDR. GAILIVS *de pignorationibus*, et IO. AD. KOPP. *de iure pignorandi conuentionali §. 16. ſequ.*) et quaecumque olim fiebant ab iis, qui ſibi ius manu dicere conabantur, ſeueris ſanctionibus et accuratiore diſciplina abolita. Vid. GE. AD. STRVV. *de vindicta priuata.*

TIT.

TIT. XVII.

QVIBVS MODIS OBLIGATIONES SOLVVNTVR.

§. CCCCLXXI.

An Germanis fuerint quaſi contractus?

SI ad Romanae iuriſprudentiae veluti menſuram exigendum eſſet ius Germanicum: dicendum iam etiam eſſet de obligationibus, quae QVASI EX CONTRACTV naſcuntur. Sed merito dubites, an fictum illum vel praeſumtum conſenſum, ex quo quaſi contractus repetebant iureconſulti Romani, Germani vmquam agnouerint: quamuis contra nemo neget, maiores noſtros, aequitatis ſtudioſiſſimos, vnumquemque, qui vel alterius opera, vel cum eiuſdem damno, factus eſſet locupletior, vel alterius negotium gerendum ſuſcepiſſet, tum ad reſtituendam rem, tum ad indemnitatem, et ad rationes reddendas obligatum eſſe, ſtatuiſſe. Sed quum de his negotiis vel nihil omnino, vel ſaltim nihil, a iure Romano diuerſum, iure antiquo Germanorum proditum eſſe reperiamus: pauciſſima tantum de MODIS, QVIBVS OBLIGATIO SOLVITVR, ſubiiciemus.

§. CCCCLXXII.

Modi ſoluendi obligationem, ſolutio et compenſatio.

Et primo quidem SOLVTIONE, ſeu praeſtatione eius, quod in obligatione erat, nec non COMPENSATIONE ſublatam eſſe omnem obligationem, nemo dubitauerit. Sunt enim hi modi tam naturae et rectae rationi conſentanei, vt non poſſit non ea in re gentibus omnibus conuenire. Immo tantum abeſt, vt compenſationem reiecerint Germani, vt eos, qui illam non admitterent, iure crediti priuarent. CAPITVL. *Lib. VII. §. 303. edit.* BALVZ. *Si quis debeat alicui ſolidos decem, et illi, qui debet, de quacumque ratione debeantur a creditore ſuo ſolidi quinque, et veniens creditor totos decem ſolidos a debitore petat, ſi probauerit ille debitor, ſibi ab eo quinque deberi ſolidos, qui illum in ſolidum pro totis decem ſolidis conuenit, cauſſam perdat, qui noluit debitum compenſare. Similis ratio eſt de frumentis, et aliis ſpeciebus.* Sed haec ex iure Romano depromta eſſe, facile vnuſquiſque animaduertet. *

* Et quidem ex antiquo, quod ante Zenonem, Imp. et Iuſtinianum in orbe Romano viguit. Ait enim PAVLVS *recept. ſent. Lib. II. tit.* 5. §. 2. *Compenſatio debiti ex pari ſpecie et cauſſa diſpari admittitur: velut ſi pecuniam tibi debeam, et tu mihi pecuniam debeas, aut frumentum, aut cetera huiuſmodi, licet ex diuerſo contractu, compenſare vel deducere debes. Si* TOTVM *petas, plus petendo* CAVSSA CADIS. Cui periochae in codice Alariciano ſubiicitur interpretatio, iiſdem verbis, quae in capitularibus reperimus, concepta. Ex quo conſequitur, vt Franci hic ſubtilitates iuris Romani anteiuſtinianei de pluſpetitione in fora ſua receperint.

§. CCCCLXXIII.

Singularia quaedam de ſolutione.

Sed de vtroque illo obligationes ſoluendi genere adhuc quaedam monenda ſunt. Nimirum I. moribus Francorum inualuerat, vt qui iuſto tempore non ſolueret, is vel duplam ſortem praeſtaret, ſi illam ſibi ſtipulatus eſſet creditor, (cuius rei exempla exſtant apud MARCVLFVM *Lib. II. cap.* 25. 26. et in eiuſdem *adpendice cap.* 15.) vel aliquid amplius, tamquam morae poenam, ſolueret. LEX SALICA *tit.* 55. *Et ſi per tres vices ſolem collocauerit, et ſi nec tunc reddere voluerit, aut fidem facere, ſuper illos 9. ſolidos, qui per tres admonitiones adcreuerunt, ſolidis 15. culpabilis iudicetur.* II. Mos erat apud Francos, vt, facta ſolutione, redderetur cautio, quod ſibi diſerte ſtipulari ſolebant debitores. * MARCVLF. *Lib. II. cap.* 26. *et* 27. & in eiuſdem *adpend. cap.* 15. et ſi illa fortaſſis amiſſa eſſet, alia daretur cautio, quam EVACVATORIAM vocabant, qua profitebantur, *ſi cautio vllo vnquam tempore inuenta aut reperta fuerit, nullum eam obtenturam effectum, vacuam et inanem permanſuram, et nec creditorem nec vllum de heredibus eius, vel quemlibet de eius parte, nullo vnquam tempore debitori ex hoc calumniam facturum.* Exempla ſunt apud MARCVLFVM *form. Lib. II. cap.* 35. *et in adpend. cap.* 36.

* Itaque ad probationem ſolutionis non ſolum faciebat apocha, quae illo aeuo SECVRITAS dicebatur, CASSIOD. *Var. Lib. XI. cap.* 7. verum etiam redditio chirographi, quum ex eo et remiſſionem eſſe factam, ex ipſius iuris Romani principiis colligeretur *l.* 2. §. 1. *D. de pact.* Ceterum *vacuare* veteres dixiſſe pro *liberare*, iam obſeruauit BIGNON. *ad Marculf.* p. 947. *edit.* BALVZ.

§. CCCCLXXIIII.

Debitores ſeipſos in ſolutum dabant.

Id quoque notatu dignum videtur, III. apud Francos, qui minus ſoluendo eſſent, ſe ipſos in ſolutum dediſſe, idque in ipſis chirographis promittere conſueuiſſe debitores. MARCVLF. *formul. Lib. II. cap.* 27. *Quod ſi exinde negligens aut tardus adparuero:*

paruero : licentiam habeatis , ſicut et ceteros ſeruientes veſtros ; diſciplinam corporalem imponere. Et paullo ante *cap.* 25. debitor et ſe, et heredes ſuos , eo caſu creditori eiuſue heredibus vel ceſſionariis ſeruituros , ſpondet : *Quod ſi non fecero , et dies placitus mei praefinitus tranſierit , pro duplum in craſtinum me aut heredes meos , vos aut heredes veſtri , aut cui hanc cautionem dederitis exigendam , teneatis obnoxium.* Et exſtat ſane eiuſmodi obnoxiatio , quam vocabant , apud eumdem MARCVLF. *in addend. cap.* 16. *p.* 446.

§. CCCCLXXV.

Denique quod ſpeciatim ad compenſationem attinet , obſeruandum eſt , IIII. SCHILTERO *Exerc. XXVIII. §.* 15. *et* 17. eam non videri agnouiſſe reliquos Germanos , ex quo ſemel actio ab alterutro creditore eſſet inſtituta , ſed eos compenſare volentem remiſiſſe ad reconuentionem, conuentione finita inſtituendam. IVRE ſane PROV. SAX. *Lib. III. art.* 12. cauetur : *Welcher mann auf den andern klagt , vnd jener vvieder auf ihn : der vorerſt klagt , der hat dem andern nicht zu antvvorten , er ſey denn erſt ledig von ihm.* Sed his verbis non compenſatio reiicitur , quam omnino admiſerunt omnes gentes , ſi debitum vtrimque eſſet liquidum , et certae aeſtimationis : ſed tantum negatur , inſtitutam reconuentionem prius eſſe admittendam , quam finita conuentione , quod ius et multo poſt in Saxonia viguiſſe, et nec hodie plane extra vſum eſſe, nemo ignorat. * An compenſatio iure Sax. admiſſa?

* Et hinc recte ſuſpicatus eſt HERT. *paroem. iur. Lib. I. par.* 39. *§.* 3. *p.* 451. vere Saxonicam eſſe paroemiam : *Geld vor , recht nach* , quia, qui Saxonum iure viuntur , admittere non ſoleant reconuentionem , niſi in cauſſis connexis , et poſt litem , quae prius mota fuerit , finitam : eoque referendum eſſe locum illum IVR. PROV. SAX. *Lib. III. art.* 12. Migrauit ille iuris Saxonici articulus , eodem obſeruante HERTIO , etiam in IVS LVBEC. in quo ille *Lib. V. tit.* 3. *art.* 3. paullo planius etiam ita legitur : *Wer erſt geklaget hat , der darff dem andern auf ſeine gegenklag vnd reconuention keine antwort geben , er ſey denn zuvorn von ihme mit recht geſcheiden.* Et tamen Lubecenſes admittere exceptionem compenſationis , nemo ignorat.

§. CCCCLXXVI.

CONFVSIONE apud Germanos quoque ſublatum eſſe debitum , ne dubitari quidem poſſe videtur. Vbi enim idem ſimul eſt debitor , ſimul creditor : vix poteſt contingere , vt a ſe ipſo aliquis petat , ſibique ipſi ſoluat. Hanc vero confuſionem impediuiſſe beneficium inuentarii, tanto minus credibile eſt, quanto An confuſione ſublata obligatio ?

to certius conſtat, quantoque ſolidius ſupra probatum eſt, apud Germanos hoc non fuiſſe inſtar beneficii, ſed generatim apud eos iuris fuiſſe, vt heres, etiam non confecto inuentario, vltra vires hereditatis non teneretur, dummodo, interueniente iureiurando maniſeſtationis, indicem rerum hereditariarum (*eine eydliche ſpecification*) edidiſſet. (§. 305.)

§. CCCCLXXVII.

An depoſitione, obſignatione et rei interitu.

Nec de DEPOSITIONE et OBSIGNATIONE PECVNIAE in legibus Germanorum quidquam me reperiſſe fateor, quamuis et hic modus ſoluendi obligationem tam ſit aequus, vt eo in Germania etiam debitorem liberatum eſſe, nulli dubitemus. Quod an etiam de SPECIEI, quae debetur, INTERITV dicendum ſit; non facile dixerint. Sane, quae ſupra diximus de exſtincto debito, ſi pignus amiſſum eſſet, (§. 321. *ſeq.*) ea a principio illo, quod qui ſpeciem debet, exſtincta ſpecie liberetur, non parum aliena eſſe videntur.

§. CCCCLXXVIII.

Itemque nouatione, delegatione, acceptilatione.

Ita et NOVARI debitum, et DELEGARI alium, qui pro debitore ſoluat, et GRATIAM fieri obligationis, et eamdem MVTVO DISSENSV diſſolui potuiſſe, non eſt dubium, quamuis prioribus caſibus et ſtipulationum ambages, et omnes reliquas iuris Romani ſubtilitates, non viſas fuiſſe neceſſarias, facile ſit ad exiſtimandum.

§. CCCCLXXVIIII.

In his omnibus hodie ius Romanum receptum, niſi quod ſtipulationes exſulent in Germ.

Itaque quum leges Germanorum veteres haec paene inſuper habeant, omniaque multo accuratius explicet ius Romanum: generatim obſeruandum eſt, ex eo hodie omnia, quae de tollendis ſoluendiſque obligationibus in quaeſtione ſunt, definiri ſolere, praeterquam quod Germani nec in ſimplici *nouatione*, nec in *delegatione*, nec in *acceptilatione*, ſtipulationibus vtuntur, nec poſtremam ad obligationes, verbis initas, reſtringunt, adeoque nec STIPVLATIONE AQVILLIANA vllo caſu indigere ſibi hodie videntur.

LIBRI

* * * * * * * * * *

LIBRI II. PARS II.

DE

DELICTIS ET CRIMINIBVS.

TIT. XVIII.

DE DELICTIS ET CRIMINIBVS GENERATIM.

§. I.

PRiore huius libri parte non modo, quae de iuribus IN RE dicenda videbantur, diximus, verum etiam iura AD REM, quae quidem ex CONVENTIONIBVS oriuntur, explicauimus, quantum ſatis eſt, addituri etiam hanc partem terribilem, quae de MALEFICIIS, eorumque poenis praecipit, niſi praeter opinionem adeo excreuiſſet libelli moles, vt conſultius videretur, librum ſecundum in duas ſectiones partiri, eamque, quae ſupereſſet, doctrinam in poſteriorem huius libri partem reiicere. Cur de delictis hic demum agatur?

§. II.

Quo ſanctiores erant maiorum noſtrorum mores: eo magis illi ab omnibus delictis ac flagitiis abhorrebant, eoque magis dabant operam, ne ſpes improba impunitatis homines ad peccandum inuitaret. Hinc totam paene veterum Germanorum iurisprudentiam in vindicandis criminibus verſari, animaduertimus. * *Nemo enim eorum,* vti eleganter ſcribit TACITVS *de mor. Germ. cap.* 19. *vitia ridebat, neque corrumpere et corrumpi ibi ſaeculum vocabatur.* Germani de delictis diligenter in legibus ſuis egerunt.

* Hinc in prologo LEGIS SALICAE legimus, *Francis ideo viſum eſſe leges condere, vt iuxta qualitatem cauſſarum ſumeret* CRIMINALIS ACTIO *terminum.* Quin ex hac iurisprudentiae Germanicae facie non abs re collegit THOMAS. *diſſ. de iurisdict. et magiſtratuum differentia ſecundum mores Germ.* §. 52. *ſeque* iurisdictionem omnem primario conſtitiſſe in coercitione criminum, et cauſſarum ciuilium diiudicationem partem veluti acceſſoriam fuiſſe iurisdictionis criminalis. Parcius certe negotia ciuilia attingunt LEGES SALICA, RIPVARIA, ALAMANNICA, SAXONVM, FRISIORVM, ANGLIORVM et WERINORVM, quae paene in ſolis diſtinguendis puniendisque criminibus verſantur. Contra leges earum gentium, quibus cum Romanis conſuetudo paullo maior interceſſit, veluti GOTHORVM, BVRGVNDIONVM, et LANGOBARDORVM in explicanda iurisprudentia priuata reliquis ſunt paullo prolixiores, vt eos Romanos imitari voluiſſe, omnino credibile ſit.

§. III.

Quid delictum?

DELICTVM Germanis erat quoduis factum vel reipublicae, vel ſingulis, noxium, aduerſus legum ſanctionem admiſſum. Quamuis enim alioquin ex dolo malo, vel ſaltim ex culpa profectum eſſe oporteat, quidquid delicti nomine venit, ac proinde nihil apud Romanos diuiſione obligationum in eas, quae ex DELICTO, quaeue QVASI EX DELICTO naſcuntur, frequentius: Germani tamen, ne CASVM quidem ab omni animaduerſione exemerunt, * inter dolum vero et culpam vix quidquam diſcriminis ſtatuerunt.

* Exemplo eſſe poterit LEX SAXONICA, quae quum *tit.* 12. ex inſtituto agat de damnis caſu datis, mulctam tamen et aeſtimationem ſeu compoſitionem et weregeldum praeſtare iubet eorum auctores, eosque §. 5. a ſola *faida*, quam vocabant, et de qua paullo poſt agemus, abſoluebat. Gemina his ſunt, quae legimus in LEGE FRIS. *addit. tit.* 3. immo et in legibus inſequentium temporum, veluti IVRE PROV. SAX. *Lib. II. art.* 14. vbi de eo, qui moderamine inculpatae tutelae vſus eſt, (*der den andern durch nothwvehr zu todt geſchlagen,*) ſancitur, *Bekennet er es, ehe man über ihn klaget, vnd beut ſich darumb zu recht, man ſoll ihm ſeinem hals nicht vertheilen. Dem richter aber ſoll man ertheilen auff ihn das höchſte gewvette der pfenninge, die man ihm pflegt zu wvetten, vnd den freunden ihr wvehrgeld.* Et art. 38. (a quo tamen aliquantulum diſcrepant, quae in IVRE PROV. SVEV. *cap.* 164. occurrunt,) de eo, qui, auem petiturus, hominem occidit: *Darumb vertheiles man ihm ſeinen leib nicht, noch ſeinen geſund, ob der man wvol ſtierbet. Er muſs ihn aber gelten als ſein wvehrgeld ſtehet.* Conf. WEICHB. MAGD. *art.* 38. et SPEC. SVEV. *cap.* 217. Et videntur ſane maiores noſtri exiſtimaſſe, non facile huiusmodi incidere caſum, quocum non aliqua ſaltim hominis culpa vel ſocordia coniuncta fuerit.

§. IIII.

§. IIII.

Delicta vel vera vel quaſi delicta.

Quamuis vero Germani ne caſum quidem a poena omni eximerent, inter culpam vero et dolum vix aliquid diſcriminis ſtatuerent: (§. 3.) poſſes tamen ſtatuere, iis quoque delicta vel VERA, vel QVASI DELICTA fuiſſe, et ad illa quidem ea, quae ex dolo malo, vel culpa ſaltim latiore; * ad haec, quae ex caſu proficiſcuntur, non incommode referri.

* Hinc paſſim leges Germanicae animaduerti iubent in eos, qui non quidem dolo malo, vel data opera, aut occiderint, aut aliud dederint damnum, ſed tamen non eam adhibuerint diligentiam, quam negotii indoles requirit, veluti ſi quis alium petiturus, alium verberaſſet; LEX WISIG. *Lib. VI. tit.* 5. §. 4. vel chirurgus venam male ſecando cauſſam mortis dediſſet; IBID. *Lib. XI. tit.* 1. §. 6. vel mulier dormientem ſecum infantem noctu oppreſſiſſet: CAPITVLAR. *Lib. VII.* §. 297. *edit. Lindenbr.* vel filiam culpa quacumque incendiſſet. LEX WISIG. *Lib. VIII. tit.* 2. §. 2. et 3. Permultum enim intereſſe videbatur humani generis, homines non modo non improbos, ſed et cautos, nec vllius incuriam alteri detrimento eſſe.

§. V.

An et furioſi et infantes delinquant?

Neque tamen omnia ad viuum reſecabant Germani, nec ſemper vrere aut ſecare boni iudicis eſſe exiſtimabant, ſed rationem habebant et fati, et infirmitatis humanae, * ſi forte furioſus, mente captus, vel infans deliquiſſe dicerentur. Quamuis enim ne hos quidem plane impune peccare vellent: vitae tamen et corpori eorum parcebant leges veteres. IVRE PROVINC. tum SAXON. *Lib. III. art.* 3. tum SVEV. *cap.* 145. cauetur: *Vber ainen rechten toren vnd vber ainen ſinnloſen man ſoll man nicht richten*, quamuis damnum ab eo datum curator eius reſarcire teneatur. Et *cap.* 116. *Am chind, das vnder viertzehen iaren iſt, das mag ſeinen leib noch ſeines leibes ain tail nicht vorvvürchen.* Attamen ex peculio huiuſmodi impuberis reo poena; et ex bonis propriis et huic poena et iudici mulcta debebatur, ſi ſeptennio maior eſſet. Gemina his ſunt, quae repeiuntur in IVRE PROV. SAX. *Lib. II. art.* 65.

* Quin quemadmodum olim Auguſtus reorum nomina abolebat, *quorum ex ſordibus nihil aliud, quam voluptas inimicis, quaereretur*: SVETON. *Aug. cap.* 32. ita aliquando legiſlatores Germani veniae dabant locum, ſi quem admiſſi criminis adhuc occulti mox poeniteret. Sane CAROLVS M. in *capitular.*

tular. de part. Sax. quum pleraque delicta atrociora ſummo ſupplicio coerceri vellet, tamen *cap.* 13. ſubiecerat: *Si vero pro his mortalibus criminibus, latenter commiſſis, aliquis ſponte ad ſacerdotem confugerit, et, confeſſione data, agere poenitentiam voluerit: teſtimonium ſacerdotis de morte excuſet.*

§. VI.

Delicta quaedam a populo in comitiis vindicata tempore Taciti.

Deinde iudicia de delictis Germanis vel POPVLI erant, vel PVBLICA, vel PRIVATA. Quemadmodum enim Romae in caput ciuis Romani animaduertere iniuſſu populi nemo poterat: *l.* 2. *§.* 16. *D. de orig. iur.* SIGON. *de iudic. Lib. III. cap.* 1. *et* 2. ita et Germani in comitiis ſuis agebant de criminibus, ad rempublicam pertinentibus. TACITVS *de mor. Germ. cap.* 12. *Licet apud concilium * accuſare quoque, et diſcrimen capitis intendere.*

* Quum vero paullo ante *cap.* 11. animaduertat TACITVS, in conciliis illis Germanorum coercendi ius penes ſacerdotes fuiſſe: de his ipſis fortaſſis iudiciis non minus, quam de poenis, quae tempore belli infligebantur, intelligendus eſt eius locus *cap.* 7. *Ceterum neque animaduertere, neque vincire, neque verberare quidem, niſi ſacerdotibus, permiſſum, non quaſi in poenam, nec ducis iuſſu, ſed velut Deo imperante, quem adeſſe bellantibus credunt.* Ita non opus erit interpretatione IVSTI LIPSII, qui de pacis tempore accipit TACITI locum, quum de temporibus belli manifeſto agat.

§. VII.

Et temporibus Francicae ſtirpis regum.

Et ſatis diu quidem hunc morem viguiſſe in Germania, vt maleficiorum, rempublicam turbantium, ſi a principibus vel ordinibus imperii eſſent admiſſa, coercitio penes regni ordines eſſet, iam pridem obſeruauit HERM. CONRINGIVS *de iudic. reip. Germ. §.* 23. Ita ſane anno erae Chriſtianae 614. Aletheum, patricium, in Maſſalacenſibus comitiis capitis damnauit Chlotharius: FREDEG. *chron. cap.* 44. anno 792. Carolus M. Pippino, filio, eiuſque coniurationis ſociis, in comitiis Ratisponenſibus vitam ac bona abiudicauit: ANNAL. MOISSAC. *ad ann.* 792. denique et Taſſilonem, Bauariae Ducem, et Albertum, Bambergenſem, regni procerum ſuffragiis periiſſe, neminem ignorare arbitramur. ANNAL. REVBERIAN. *ad ann.* 788. et REGINO *annal. ad ann.* 855.

§. VIII.

Nec non inſequentibus temporibus.

Quid? quod, ne exſtincta quidem Carolidarum ſtirpe, a more illo patrio deſcitum eſt. Nam et multo poſt ordinum ſuffragiis capitis damnati fortuniſue euoluti ſunt ſub Conrado I. Erchangerus et Berchtholdus, comites: ECCARD. *de caſib. mon. S. Galli*

Digitized by Google

S. Galli p. 16. 18. ſub Ottone M. Guntramnus, comes: CHRISTOPH. HARTMANN. *annal. Heremi pag.* 56. 62. ſub Conrado II. Erneſtus, Dux Alamanniae: WIPPO *vit. Conradi p.* 416. ſub Henrico III. Conradus, Dux Bauariae: HERM. CONTRACT. *ad ann.* 1053. ſub Henrico V. Henricus, Dux Lotharingiae. ANNAL. HILDES. *ad ann.* 1106. Eadem denique fuiſſe Henricorum, Superbi et Leonis, fata ſub Conrado III. et Fridrico I. in vulgus notum eſt *.

* Ita non modo de ciuilibus principum cauſſis, verum etiam de criminalibus, non alio fere, quam vniuerſi imperii principum iudicio actum eſt, maxime ſi quid aduerſus Imperatoris ac imperii maieſtatem moliti eſſe dicerentur. Exemplis pluribus id ex inſtituto demonſtrarunt HERM. CONRING. *de iudic. reip. Germ.* §. 49. GVNDL. *de lege maieſtat. cap.* 2. et IO. GEORG. CRAMER. *de natura et indole delictor. et poenarum in cauſſis Statuum imp. Romano-Germ. Francof. iuxta Viadr.* 1728.

§. VIIII.

Quaedam erant publica.

Reliqua crimina, non a principe aliquo vel ordinibus imperii, ſed a priuatis, admiſſa, nec ad rempublicam *ἀμέσως* pertinentia, vindicabantur iudiciis publicis, qualia et hodie ex vltima antiquitate ſuperſunt, dicta *die hochnothpeinliche halſsgerichte.* Vt adeo crimina, ob quae ſollemni ritu iudicium huiuſmodi inſtituitur, recte vocentur PVBLICA.

§. X.

Haec qualia ſub Francis?

Maleficiorum huiuſmodi puniendorum inſtituendique iudicii publici poteſtas olim erat penes COMITES et SCABINOS, quibus eam iuriſdictionem dari animaduertimus CAPITVLAR. *Lib. III.* §. 50. *edit. Lindenbr.* quamuis aliquando et miſſi regii cauſſas criminales cognoſcerent, ſi vel ſui copiam non facerent, vel litem ſuam feciſſe viderentur comites. CAPITVL. *Lib. IIII.* §. *66. et* 183. *

* Quamuis enim comites haberent optiones ſuas, veluti *centenarios*, et *thunginos*, vel *decanos*: quorum illi de rebus minoribus, hi de minimis iudicabant: non tamen ad tribunal ſuum reuocare poterant cauſſas criminales, ſi eſſent capitales. CAPITVLARE III. anni 812. *cap.* 4. *Vt nullus homo in placito centenarii neque ad mortem, neque ad libertatem ſuam amittendam, aut ad res reddendas vel mancipia iudicetur. Sed iſta aut in praeſentia*, COMITIS, *vel* MISSORVM *noſtrorum, iudicentur.* Quae reperiuntur totidem verbis CAPITVLAR. *Lib. III.* §. 79. *Anſegiſi.*

§. XI.

§. XI.

Qualia eadem inſequentibus temporibus?

Sed fieri non potuit, quin paullatim haec iudiciorum publicorum ratio paullulum immutaretur. Comitibus enim dignitate ſua, non tamquam officio, ſed tamquam honore auito, fruentibus, haec iudicia regum, principum ac comitum auſpiciis exercere coeperunt aduocati et ſculteti cum ſcabinis ſuis, quamuis et hi paſſim adhuc vocarentur comites, * *graſen*, *burggrauii*, *gograuii*, cetera.

* Hinc recte obſeruat GVILLIMANN. in Habſp. *Lib. IIII. cap.* 4. ex eoque HERT. *de conſult. legib. et iudic. in ſpecial. imp. Rom. Germ. rebuſp.* §. 19. pagis et comitatibus ad comites iure hereditario paullatim deuolutis, Imperatores *alios ſuperimpoſuiſſe comites, qui res fiſcales, tamquam curatores, diſponerent, ſaepius de controuerſiis cognoſcerent, praecipue* CRIMINALIA *iudicarent, ante omnia, vt maieſtas imperii obſeruaretur, curam adhiberent.* Eſt ſane apud ipſum GVILLIMANNVM *Lib. III. cap.* 7. charta ann. 903. in qua Luitfridus, Habsburgicus Comes, quaedam donat monaſterio S. Trudberti, et tamen id facere ſe ait, comitatu fungente Wolvvino. En verba *p.* 135. *Ego itaque Villegerus in ipſo monaſterio, in vice cancellarii, anno tertio, regnante Ludouico, filio Arnolphi,* SVB COMITE WOLVVINO, *octauo Kal. Mai. Luna X. rogatus* etc. At poſtea, ut fit, haec iudicia pleraque adquiſiuerunt ipſi imperii ordines, vt rariſſime hodie iudicia publica in territoriis ordinum exerceantur auſpiciis imperatoris auguſtiſſimi, ſed principes ea exercenda curent per ſculteros, praefectos, gograuios, et ſimiles. Argumento ſunt iudicia VEHMICA, vel WESTPHALICA, quae quum initio ipſius auſpiciis Imperatoris, (*vnter Königs-banne*) inſtituerentur, MARQV. FREH. *de iudic. Weſtph. p.* 11. poſtea territoriorum quibuſdam dominis ceſſerunt, dictis ideo *freyſtuhl-herren*, quemadmodum qui his tribunalibus praeerant *freygraffen*, et adſeſſores *freyſchöppen*, vel *ſtuhlgenoſſen*. THOMAS. *diſſ. de vera orig. nat. et proc. iudic. Weſtphal.* §. 17. 25. *et paſſim.*

§. XII.

Quaedam delicta priuata.

PRIVATA denique delicta vocamus, quaecumque magis ad priuatorum patrimonium, quam ad rempublicam, pertinent, quaeque proinde, non inſtituto iudicio criminali ſollemni, (*vor öffentlich gehegten hochnothpeinlichen halſsgerichte*,) ſed iudicio ordinario cognoſcuntur ac coercentur. De iis loquutum arbitror TACITVM *de morib. Germ. cap.* 12. *Sed et leuioribus delictis pro modo poenarum, equorum, pecorumque numero, conuicti mulctantur.* Ea vero ad iudicum etiam inferiorum iuriſdictionem pertinuiſſe, facile poteſt probari *.

* Immo iam probatum eſt. (§. 10.*) Quum enim ex CAPITVLARIBVS demonſtratum ſit, comitum vicarios, centenarios, tunginos vel decanos, non

non potuiſſe ad cognitionem ſuam reuocare cauſſas, quae cum poena capitali vel libertatis aut rerum iactura coniunctae eſſent: conſequens eſt, vt de reliquis criminibus, quae mulcta vel carcere expiari poſſent, cognoſcere potuerint minores illi magiſtratus. Hinc recte, et, κατ' ἀναλογίαν iuris Germanici, ſcripſit GE. BEYERVS *poſit. Digeſt. Lib. XXXXVII. tit.* 1. §. 1. *et* 2. *delicta, quae carcere vel mulcta puniantur, Germanis priuata eſſe*, quamuis ei ſententiae calculum ſuum adiicere vereatur THOMAS. *not. ad Pandect. ibid. p.* 342.

§. XIII.

Haec de delictis *publicis* et *priuatis* dicta ſufficiant. Praeterea vero Germanis non minus, quam Romanis, alia CAPITALIA, alia NON CAPITALIA fuiſſe, facile eſt ad intelligendum, quamuis paullo alia notione Germanis CAPITALIA dicantur, non quae caput etiam ciuile, quippe illis ignotum, ſed quae naturale tollunt, NON CAPITALIA, quae corporis cruciatibus vel mulcta expiantur. Inter quas poenas ac cruciatus quum praecipua eſſet decaluatio cum ictu fuſtium, ſi, vti ipſi loquebantur, reo *corium et capilli tollerentur*, vel ſi iſte *cute et capillis priuaretur*: *conſtitut.* HENRICI II. *Imp. apud* ECCARD. *ad leg. Salic. pag.* 202. facile patet, cur delicta huiuſmodi medio aeuo deſcribi ſoleant, *daſs ſie an haut und habre geben*, IVR. PROV. SAX. *Lib. II. art.* 13. quemadmodum de capitalibus dici ſoleret, *daſs ſie an hals vnd hand geben.* IBID. *Lib. II. art.* 26. * — Delicta, alia capitalia, alia non capitalia.

* Iudicia *capitalia* vocabantur, *das hohe* VNGERICHT, eoque pertinebant homicidia, furta, rapina, ſtupra violenta, et quaecumque accuſabantur cum clamore, *mit geſchrey vnd geruffte.* IVS WEICHB. *art.* 35. Reliqua non capitalia dicta ſunt *das ſchlechte vngericht*, quemadmodum iuriſdictio ciuilis ſimpliciter audit *richte* vel *gerichten.* Vnde facile patet, quid in litteris feudalibus ſibi velint verba: *mit richt vnd vngericht.* V. C. KRESS. *de iurisd. omnimoda, formula richt vnd vngericht in feudum conceſſa* §. 26.

§. XIIII.

Quemadmodum vero et aliae gentes antiquiſſimae rarius vltore gladio in reos criminum ſaeuiebant, quum, rarioribus adhuc maleficiis, pro magno peccato pauxillum poenae ſatis eſſe bono principi ac magiſtratui, exiſtimarent: FEITH. *antiqu. Homer. Lib. II. cap.* 8. ita quo vetuſtiores ſunt Germanorum leges, eo rarius illas vrere et ſecare, id eſt, ſupplicia capitalia facinoroſis irrogare, animaduertas. Attamen pauca quaedam, quae contra rempublicam officiumque boni ciuis, vel contra pudorem naturalem, admiſſa fuerant, ſanguine eluenda putabant tem- — Capitalia pauciſſima antiquis Germanis fuerunt.

temporibus etiam antiquiſſimis. * HERT. *notit. regn. Franc. cap.* 5. §. 50.

* Pertinet huc locus paullo obſcurior TACITI *de mor. Germ. cap.* 12. *Diſtinctio poenarum ex delicto. Proditores et transfugas arboribus ſuſpendunt. Ignauos et imbelles et corpore infames caeno ac palude, iniecta inſuper crate, mergunt. Diuerſitas ſupplicii illuc reſpicit, tamquam* SCELERA *oſtendi oporteat, dum puniuntur,* FLAGITIA *abſcondi.* Quid vero SCELVS? quid FLAGITIVM? et quid adeo inter vtrumque intereſt, vt poenis quoque ea diſcernenda exiſtimarint? Saepiſſime veteres diſtinguunt *ſcelera* vel *facinora* et *flagitia*, veluti LIV. *Lib. XXXVIIII. cap.* 16. *Minus tamen eſſet, ſi* FLAGITIIS *tantum effeminati forent, (ipſorum id magna ex parte dedecus erat,) a* FACINORIBVS *manum, mentem fraudibus abſtinuiſſent.* SALLVST. *de bello Catilin. cap.* 23. *Sed in ea conuentione fuit Q. Curius, natus haud obſcuro loco,* FLAGITIIS *ac* FACINORIBVS *coopertus.* Sed rem pleriſque ignotam in aprico ponit locus inſignis AVGVSTINI *de doctr. Chriſt. Lib. III. cap.* 10. quem ad ſuperiorem Salluſtii locum attulit GOTTL. CORTIVS: *Quod agit*, inquit, *indomita cupiditas ad corrumpendum animum et corpus ſuum,* FLAGITIVM *vocatur. Quod autem agit, vt alteri noceat,* FACINVS *dicitur, et haec ſunt duo genera omnium peccatorum.* Itaque male NON. *de propr. ſerm. cap.* 4. *n.* 215. et ISIDOR. *Orig. V.* 26. obſeruant, *flagitium* dici *vitium*, *quod virgini inferatur*: quamuis verum ſit, ſtupra quoque ad flagitia referenda eſſe. Latius enim patere vocabuli notionem, et omnem turpitudinem in ſe ipſo admiſſam eo nomine venire, ex loco AVGVSTINI patet.

§. XV.

Praeterquam Saxonibus.

Atrocior reliquis eſt LEX SAXONVM, quae non ſolum plura delicta capitalia eſſe iuſſit, ſed et ſupplicia aliquando ad ipſos cognatos porrexit, quod praeter Perſas vix vllam gentem probaſſe, nouimus. BARN. BRISSON. *de regno Perſ. Lib. II. §.* 227. *pag.* 591. *edit. Lederlin.* Ita ſane lex illa *tit.* 2. §. 5. de lito, qui hominem occiderat: *Si autem abſque conſcientia domini hoc fecerit, dimittatur a domino, et vindicetur in illo, et* ALIIS SEPTEM *conſanguineis eius, a propinquis occiſi, et dominus liti ſe in hoc conſcium non eſſe cum vndecim iuret* *.

* Senſus eſt, dominum liti, ſi ſe ſeptem conſacramentalium ſuffragio purgarit, et deteſtandi criminis cauſſa ſeruum expulerit, ab omni poena immunem eſſe: at familiae occiſi ius fore, litum illum ſicarium vna cum ſeptem eius cognatis occidere, niſi cum ea tranſegerint. Quod quam iniquum ſit, nemo non animaduertit. Vt hinc rationem reddere liceat, cur *legem Saxonum crudeliſſimam* vocet WIPPO *in vita Conradi p.* 430.

§. XVI.

Effectus delicto-

Quamuis vero rariora in vetere Germania eſſent ſupplicia capitalia: non tamen impune facinora ſua ferebant homines improbi.

probi. Nam et flagella ac virgae illis in mundo erant, et, ſi redimerentur illa, rei criminum cum iudici FREDVM, tum aliquando laeſae familiae FAIDAM, aliquando et COMPOSITIONEM vel WIDRIGILDVM, vel CAPITALE, nec non DILATVRAM debebant. De quibus ſingulis dicendum paullo accuratius.

rum non capitalium.

§. XVII.

Quid fredum?

FREDVM eſt a Germanico *friede*. Qui enim delictum atrocius admiſerant, ii, veluti ſacri homines, nuſquam ſecuri erant, vel, vti medio aeuo loquebantur, nuſquam pace fruebantur, (*ſie vvaren aus dem frieden in den vnfrieden geſetzet*, quia indignum ſuo praeſidio iudicabant tam exſecrabile caput. *) Vt ergo hanc defenſionem publicam recuperaret reus, praeſtanda erat fiſco pecunia, quae FREDVM, quaſi redemtio pacis dicebatur. Ita ſaepiſſime vocatur in LEGIBVS SALICA, RIPVARIORVM, CAPITVLARIBVS, ALAMANNORVM, BAIVVARIORVM, SAXONVM, FRISONVM, ANGLIORVM, LANGOBARDORVM, vt dubitare nefas ſit, fuiſſe hanc communem Germanorum omnium conſuetudinem. GLOSSA LEG. LANGOB. *Freda bannum, fredum regalis compoſitio pacis.* Exemplum eſt apud GREGOR. TVR. *de virtut. B. Martini Lib. IIII. cap.* 26.

* Attamen ex medii aeui legibus ſecuritatem reo praeſtabant ſua cuique *domus*, *templum* et iudicium, vt eo ire et redire ſine fraude ſua poſſet. Vid. LEX SAX. *tit.* 3. §. 4. FRIS. *addit. tit.* §. 1. LEG. OPSTALBOM. *art.* 17. Vti enim templa iure aſyli gaudebant, domuſque ſine pacis domeſticae violatione inuadi non poterat: ita iudicium non auſpicabantur Germani, quin ſecuritatem ſancirent. Id quod vocabant *dem gericht einen frieden vviircken*. Qua de re paullo poſt plura dicemus.

§. XVIII.

Quid faida? Ea recepta tempore Taciti.

Non fiſcus vero tantum facinoroſos homines perſequebatur: verum etiam ipſa, quam laeſerant, familia, cui fas erat, eos bello priuato adgredi, niſi hi in tempore cum illa tranſegiſſent. TAC. *de morib. Germ. cap.* 21. *Suſcipere inimicitias ſeu patris, ſeu propinqui, quam amicitias, neceſſe erat.* Et paullo poſt: *Nec inimicitiae implacabiles durant. Luitur enim homicidium certo armentorum ac pecorum numero, recipitque ſatisfactionem vniuerſa domus, vtiliter in publicum, quia periculoſiores ſunt inimicitiae iuxta libertatem.* Quemadmodum igitur ipſum libellum priuatum vocabant *eine fehde*: ita et ſatisfactionem illam, quam recipiebat vniuerſa domus, FAIDA dicebatur, quaſi quae ad redimendum illud bellum priuatum daretur *.

* Hic mos quantumuis barbarus videatur pleriſque, tamen cum reliquis Graecis, tum humaniſſimis eorum, Athenienſibus, placuit. Nam et apud hos homicidae aut ſolum vertendum erat, aut tranſigendum cum laeſa familia. Homer. *Iliad. Libro VIIII. v. 628.*

Καὶ μέν τίς τε κασιγνήτοιο φόνοιο
Ποινὴν ἢ οὗ παιδὸς ἐδέξατο τεθνειῶτος;
Καί ῥ' ὁ μὲν, ἐν δήμῳ μένει αὐτοῦ, πόλλ' ἀποτίσας,
Τοῦ δέ τ' ἐρητύεται κραδίη, καὶ θυμὸς ἀγήνωρ
Ποινὴν δεξαμένου.

Et enim quis fraternam ob caedem
Satisfactionem, aut ſui filii accepit occiſi.
Quin homicida in patria maneat, qui multa dedit.
Et illius adquieſcat cor, et animus magnanimus,
Accepta ſatisfactione?

ad quae verba illuſtranda plura notauit ſcholiaſtes, Evstathivs. Quin huius conſuetudinis paſſim meminit Demosthenes.

§. XVIIII.

Legibus gentium Germ. probata.

Et hic quidem noxios bello priuato perſequendi mos vniuerſam Germaniam peruaſerat. Hinc et *inimicitiae* ſeu *faidae* mentio fit in legibus paene omnibus, veluti Salica *tit.* 2. §. 2. Baivvar. *tit.* 2. §. 8. Saxonvm, *tit.* 2. §. 5. *tit.* 3. §. 4. *tit.* 13. §. 3. Fris. *tit.* 2. §. 5. Langob. *Lib. I. tit.* 4. §. 5. et alibi paſſim. Huiuſmodi homo dicebatur *faidoſus*, neque prius ea conditione liberabatur, quam, ſoluta faida, cum laeſa familia tranſegiſſet. Quod perſpicue exprimit lex Fris. *tit.* 2. §. 2. *Si homicida non fugerit, nihil ſoluat, ſed tantum* INIMICITIAM PROPINQVORVM *occiſi hominis patiatur, donec* QVOMODO POTVERIT, *eorum amicitiam adipiſcatur.*

§. XX.

Eius exempla ſub Francis.

Exſtant talis belli priuati, et ſubſequutae tranſactionis exempla quam plurima, non modo in formularum ſcriptoribus, veluti apud Marcvlf. *Lib. II. cap.* 18. nec non in formvl. Sirm. *cap.* 39. et in form. Bignon. *cap.* 8. inprimis vero apud Eginardvm *Epiſt.* 17. et Greg. Tvron. *Lib. V. cap.* 5. et 32. *Lib.* 6. *cap.* 17. *Lib. VIII. cap.* 18. *Lib. X. cap.* 27. et maxime *Libro* 7. *cap.* 47. vbi pluribus refert, quae pericula ab occiſi Auſtregiſili propinquis paſſus ſit Sicharius, antequam, interuenientibus Gregorio, Turonenſium archiepiſcopo, et ipſis iudicibus, pecuniaque ab ipſa eccleſia Turonenſi ſoluta, cum familia iſta in gratiam rediiſſet. *

* Ceterum ex his omnibus exemplis patet, (1. non ſolum in homicidio, verum etiam in rapina, aliisque grauioribus delictis locum fuiſſe faidae: (2. Ho-

(2. Homicida fugiente, familiam occiſi de eo occidendo perſequendoque fuiſſe ſollicitam: (3. Plerumque ſeſe interpoſuiſſe ſacerdotes, et viros illuſtres, et dediſſe operam, vt tranſactione concordia coaleſceret: (4. eam in rem non ſolum pecuniam ſolutam, verum etiam (5. litteras, quas vocabant ſecuritatem de homicidio, datas: quin (6. familiam, occiſi, iacta in ſinum homicidae feſtuca, quam vverpitionem Franci vocabant, iuri ſuo et accuſationi ſollemniter renunciaſſe, vel praeſtito iureiurando adfirmaſſe, ſe bona fide in gratiam rediiſſe. CAPITVL. CAROLI CALVI *tit.* 34. §. 10. Quare haec exempla praecipue notanda ſunt, tamquam quae maxime faciunt ad rem illam intelligendam.

§. XXI.

An et poſt Francorum imperium manſerit?

Quamuis vero ex CAPITVLAR. *Lib. V.* §. 332. *edit. Baluz.* conſtet, improbaſſe hanc conſuetudinem Reges et patres concilii VI. Pariſienſis: tantum tamen abeſt, vt ea ideo exoleuerit, vt potius multo poſt expreſſiſſima eius occurrant veſtigia. Nam REGINO *de diſcipl. eccleſ. Lib. II. cap.* 22. agit de poenitentia eccleſiaſtica, imponenda iis, qui pro *vindicta fratris, aut aliorum parentum, hominem occiderint*: et quamuis nulli dubitemus, quin et poſtea caedes ſaepe fuerint armis vindicatae, idque facile nobis perſuadeat maxima, quae tum vbique graſſabatur, armorum licentia: non tamen legere me memini, ei furori leges eorum temporum ſuffragari. *

* At quamuis leges illi conſuetudini non amplius ſuffragarentur: non deſunt tamen exempla. Auctor ſane CHRONICI GOZECENS. *p.* 219. *Miniſterialis quidam domini comitis palatini nomine Amelongus, a quodam Alberto de Suderenheym excoecatus, manſis quinque in Ninſtede, et quatuor in Trauinckele ab eo ſuſceptis, eſt* ILLI RECONCILIATVS, *quem dominus palatinus, ipſo rogante, cum iisdem manſis noſtrae obtulit eccleſiae.* Quale exemplum aliud quoque eadem pagina occurrit.

§. XXII.

Quid compoſitio, widregildum, wergeldum?

Cum FADA quodammodo conuenit COMPOSITIO, quae et ipſa mulcta erat, laeſo vel eius agnato ſoluenda, et hinc etiam WIDREGILDVM, quaſi *eine vviedergeltung*, et, ſi homo occiſus eſſet, *vveregeldum* * quaſi *mann-geld* vocabatur. CAR. DV FRESNE *gloſſar. med. et infim. Latin. voce componere et compoſitio, pag.* 1137. *Tom. I.* ECCARD. *ad leg. Salic. p.* 64. 78. Ea compoſitio vel LEGITIMA erat, CAPITVLAR. CAROLI CALVI *tit.* 29. vel ARBITRARIA, quae, tametſi lege definita, tamen pro atrocitate delicti multiplicari poterat. Vnde dicebatur *compoſitio duplex*, in LEGE LANGOB. *apud Herold. p.* 256. *compoſitio tripla*,

CAPITVLAR. *Lib. III. cap.* 43. *ſatisfactio quadrupla*, apud GREGOR. TVRON. *hiſt. IIII.* 38.

* Differunt WIDREGILDVM et WERGELDVM. Illud enim eſt a *vviedergelten*, hoc a *vvere* vel *vvair*, quod virum notabat, et *geld*, quaſi *mann-geld*. ECCARD. *ibid. p.* 97. Vocatur etiam LEVDIS, vel LEODIS. LEG. SAL. *tit.* 39. et *Tit.* 44. §. 16. LEG. ANGL. *tit.* 6. §. 5. Conf. CANG. *voce leudis et* ECCARD. *ibid. p.* 43.

§. XXIII.

Poenae etiam capitales redimi poterant pecunia.

Haec vero compoſitio in capitalibus etiam delictis, nec non, quae poena corporis afflictiua coercebantur, habebat locum. Nullum enim fere Germanis erat delictum, cuius poenam non liceret pecunia redimere, ſi ſimul ſatisfieret laeſis, praeter crimen laeſae maieſtatis. LEX BAIVVAR. *tit.* 2. *cap.* 1. §. 4. *et ſequ. Vt nullus Baiuuarius * alodem, aut vitam, ſine capitali crimine perdat, id eſt, ſi aut in necem ducis conſiliatus fuerit, aut inimicos in prouinciam inuitauerit, aut ciuitatem capere ab extraneis machinauerit, et exinde probatus inuentus fuerit, tunc in ducis poteſtate ſit vita ipſius, et omnes res eius, et patrimonium. Cetera vero, quaecumque commiſerit peccata, quouſque habet ſubſtantiam, componat ſecundum legem.* Conf. *tit.* 1. *cap.* 7. §. 3.

* Neque Boiorum tantum haec conſuetudo fuit, verum etiam aliarum Germanicae originis gentium. Sic e. g. LEGE SALICA *tit.* 61. cauetur, vt ſi quis, admiſſo homicidio, non habeat, vnde ſecundum legem componat, is, certo ritu adhibito, profiteatur, ſibi nihil facultatum eſſe quod *chrenechrudam*, (ex ECCARDI *p.* 104. ſententia *reene herute*) vocabant. Et tunc demum, *ſi nullus ſuorum per compoſitionem voluerit redimere, de vita componat.* EGINARD. *Epiſt. XVIII. Duo ſerui fugerunt ad limina Chriſti martyrum, Marcellini et Petri, pro eo quod frater eorum quemdam ſocium ſuum occidiſſet, rogantes, vt eis liceat ſoluere illum vveregeldum pro fratre ſuo, et vt ei* MEMBRA PERDONENTVR.

§. XXIIII.

Quid capitale? quid delatura?

Hinc facile intelligitur, quid CAPITALE, quidque DELATVRA ſit. Quemadmodum enim fur, condictione furtiua conuentus, rem furtiuam eiuſue aeſtimationem reſtituere tenetur: ita et apud Francos, aliaſque gentes Germanicas, idem obtinebat, eaque praeſtatio CAPITALE vocabatur, LEG. SAL. *tit.* 2. §. 1. De DELATVRA, cuius ibidem fit mentio, ECCARDVS *ibidem p.* 15. ſententiam ſuam his verbis exponit: *Delatura ſunt illi ſumtus, qui fiunt in cauſſae perſequutione, dum inficiando lis creſcit. Proprie delatura idem eſt, ac dilatura, hoc eſt, mora ſua, cuilibet nociua.*

nociua. Sic quoque ex dilatio Gallorum delay *factum eſt. Sumtus, qui cauſſae impenduntur, Gallis* frais *dicuntur, a fredo. Vnde Gloſſa vetus delaturam expoſuit fredo.* *

* Haec, quamuis eruditionem viri doctiſſimi prodant, non tamen adeo multum extricant. Certiſſimum eſt, delaturam non eſſe fredum. Nam ab hoc eam diſerte diſtinguunt LEGES SALICA *tit.* 14. et ANGL. et WERIN. *tit.* 7. *§.* 2. *et* 3. Nullo etiam idoneo argumento nititur clariſſimi ECCARDI coniectura de lite inficiando creſcente, ſed coniectura mera eſt. VIX porro dubitandum videtur, quin ſcribendum ſit *dilatura*, et hinc aliquid, quod pro mora datur, intelligendum ſit. Potuiſſet vir doctus ex ipſo DV FRESNE *gloſſario tit.* 2. *p.* 47. diſcere, *delaturam* in LEGE RIPVAR. *tit.* 35. *§.* 3. *edit. Heroldi* dici DILATIONEM, adeoque nihil eſſe veroſimilius ſententia CVIACII, BIGNONII et WENDELINI, qui DELATVRAM vel DILATVRAM interpretantur de eo, quod intereſt accuſatoris, propter dilationem et moram, id eſt, vti hodie loquuntur, de *impenſis protractae litis, vel retardati proceſſus.*

§. XXV.

Sequentibus temporibus, quum ius Saxonicum et Sueuicum in foris Germaniae vigeret, is ſaltim mos manſit, vt, praeter aeſtimationem rei, tum iudici, tum accuſatori, poena deberetur, illaque vocaretur *die* WETTE; haec *die* BVSSE. Hinc VOCABVLARIVM VETVS IVR. SAXONICI: BVSSE *iſt das geld, ſo ein man giebet in burgerlichen ſachen,* * *die er verbûhret hat.* WETTE *heiſſet die buſs, die man dem richter giebet.* Saxones quoque diſtinguebant *die vvette und die buſſe.*

* In cauſſis enim criminalibus vocatur *das vvehrgeld.* Ceterum *vvette* in genere eſt quaeuis poena, qua ſatisfit reipublicae, non modo pecuniaria, verum etiam capitalis. Hinc verſiculi veteres apud MEIBOM. *de Irmenſula cap.* 4. *p.* 10. de principe, diis poſt infauſtum praelium immolando:

Sol ich nun in Gottes fronen hende
In meinen allerbeſten tagen
Geben vverden, und ſterben ſo elende,
Das muſs ich vvol höchlich klagen.
Wann mir das glück ſieget hette,
Des ſtreites einen guten ende,
Dürfft ich nicht leiſten dieſe WETTE,
Netzen mit blut die hire vvende.

Veteres pro *vvette* dicebant *vvitze*, ceu patet ex NOTKERI *Pſalm. VI.* 4. *Pſalm. XVIII.* 9. OTTFRIED. *euangel. II.* 9. *v.* 157. Vnde Goslariae iudicium vrbanum hodie vocatur *das wet-ambt*, rectius *das wett-ambt*, vti alibi *das wett-gericht.* Quum vero Belgis lex hodieque dicatur *die vvette*: opinabile profecto eſt, *vvette* idem eſſe ac poenam legitimam, ſeu legibus definitam.

§. XXVI.

Ita generatim de delictis philoſophabantur maiores noſtri. Harum vero obſeruationum vſum forenſem oſtendere, facillimum foret, niſi ad ſpecialiora properaremus. Vt tamen vel paucis Inde reddi poteſt ratio iudiciorum

criminalium ſollemnium, (*der halſs-gerichte.*)

paucis tantum argumentis hunc vſum monſtremus, iam vnusquiſque animaduertet, (1. cur in cauſſis criminalibus et hodie iudici adſidere oporteat ſcabinos, et alias pro nullo habeatur iudicium, *wobey die gerichts-bank nicht beſetzt geweſen.* (2. Cur etiam in praefecturis et nobilium iudiciis, vbi non niſi ruſticorum imperitorum iurisprudentiae criminalis, copia eſt, ex his tamen etiam non nulli, paene dicis cauſſa, adhibeantur. (3. Cur haec iudicia, ſaltim poſtrema vice, dum ſententia feralis fertur, peragantur ſub dio, (4. iudice gladium euaginatum vel bacillum, vel vtrumque praeferente, quin (5. alicubi manu dextra chirotheca ferrea munita, et (6. area armatis hominibus circumdata.

§. XXVII.

Et cur iis praemittatur ſanctio ſecuritatis, (*die hegung des gerichts.*)

Quumque ſupra dictum ſit, homini criminis capitalis reo, nullum locum praeter templum, iudicium et domum, ſatis tutum fuiſſe: (§. 17.) non obſcurum eſt, (7. cur praecipua ſollemnitas iudiciorum publicorum conſiſtat in eo, vt pax ſanciatur, (quod vocant *dem gericht einen frieden vvürcken*, vel *das hochnothpeinliche halsgericht hegen*,) idque fiat (8. non ſolius auctoritate iudicis, ſed de ſcabinorum ſententia *.

* Iudex enim, occupato tribunali, et adſidentibus vtrimque ſcabinis, et actuario ante eum ſedente, praecone pone eumdem ſtante, interrogat ſcabinum ordine primum: *Ich frage euch, ob es ſo hoch am tage ſey, daſs, ich des allerdurchlauchtigſten, N. N. hochnothpeinliches halſs-gericht hegen möge, einem ieden zu ſeinen rechten?* Quod adfirmante ſcabino, verbis vſo: *herr richter, dievveil euch die gerichte befohlen, und leute ſeynd, die hochnothpeinlich halſs-gerichts und rechts begehren, ſo iſt es an der zeit, daſs ihr des allerdurchlauchtigſten N. N. hochnothpeinliche halſs-gerichte hegen möget,*: noua ſequitur quaeſtio: *Ich frage euch, vvie ich des allerdurchlauchtigſten N. N. hochnothpeinliche halſsgerichts hegen ſolle?* ad quam alter ſcabinus: *herr richter, gebietet recht, verbietet vnrecht, vnd dinges vnluſt, vnd daſs niemand ſein ſelbſt, oder eines andern vvort für euch in gehegter banck rede, er thue es dann mit vrlaube.* Eo facto iudex ita decernit: *Ich hege des allerdurchl. N. N. hochnothpeinliches halſs-gerichts zum erſten mahle, ich hege es zum andern mahle, ich hege es zum dritten mahle mit vrthel vnd recht. Ich gebiete recht: vnd verbiete vnrecht, vnd dings vnluſt, vnd daſs niemand ſein ſelbſt, oder eines andern vvort vor gerichte rede, er thue es dann mit gerichts, vrlaub.* Nihilominus et ex tertio ſcabino quaerit: *Ich frage euch, ob ich des allerdurchl. N. N. hochnothpeinlich halſs-gerichte, einem ieden zu ſeinen rechten, gnugſam geheget habe?* Ad quae hic reſpondet: *herr richter, ihr habet es gnugſam geheget einem jeden zu ſeinem rechte.* Demum officium ſuum facere iuſſus praeco, et ipſe gladio euaginato armatus, exclamat: *Des allerdurchl. N. N. hochnothpeinlich halſs-gericht iſt geheget mit vrtheil vnd recht zum erſten mahle, zum*

zum andern mahle, zum dritten mahle. Hat jemand vor dieſen hochnothpeinlichen halſs-gerichs zu klagen, der komme für, vvie recht iſt, die gerichte vvollen einem jeden rechts verhelffen: Carpz. *von inquiſitions vnd achts-proceſſ. tit.* 11. *art.* 2. & 3.

§. XXVIII.

Nec non quid ſibi velit clamor vel quiritatio: (*das zetergeſchrey.*)

Nec minus ex his facile quis explicauerit rationem, (9. cur accuſator quoque gladio inſtructus euaginato, tamquam qui rei familiam metuat, accuſationem inſtituat, et quidem (10. cum clamore vel quiritatione, *mit geruffte oder zeter-geſchrey.** Const. Crim. *art.* 87. Carpz. *von inquiſ. vnd achts-proceſſ. tit.* 11. §. 4. Iudicii enim capitalis, *des hohen vngerichts* eam eſſe naturam ac indolem, vt accuſatio proferatur cum clamore, (*mit geſchrey vnd gerüffte,*) iam ſupra monuimus. (§. 13. *)

* Hinc quoque ambages, quas praecipue in Saxonia, tamquam iuris Germanici veteris reliquias, ſanctius cuſtodiri, animaduertimus. Primum enim accuſator veniam petit conſiſtendi coram iudice: *Herr richter, ich bitte vmb vrlaub vor dieſes hochnothpeinliche halſs-gerichs zu treten, vnd mein eigen vvort zu reden.* Data deinde venia, pergit: *Herr richter, dieſes verbrechen iſt von N. N. in eurem gerichs begangen vvorden, derovvegen gedencke ich ihn mit rechs zu beklagen, vnd bitte mir ſolches zu verſtatten, vnd mich zu berichten, vvie ich mit ſolcher meiner peinlichen klage für dieſs hochnothpeinliche halſs gerichs ſolle vorkommen?* Ad quam quaeſtionem ſcabinus, rogatus a iudice ſententiam reſpondet: *Er ſolle verkommen mit gevvaffneter rechten hand, mit ausgezogener geſchliffenen vvehre, vnd mit gerüffte, zvveyer vnd eins, wie recht vnd gewöhnlich iſt.* Pergit accuſator: *herr richter, ſo bitte ich denn mir den fröhn-bothen zu leyhen, daſs er ſeine geſchliffene wehr ausziehe, vnd mir dieſelbe mit gewaffneter hand vortrage.* Quo conceſſo, ter clamatur: ZETTER *vber N. N. als thäter, daſs er N. N. vvieder Gott vnd recht von leben zum todte gebracht.* Eo demum peracto, accuſator accuſationis formulam recitat, et, conteſtata cum reo lite, petit ſententiam. At quid illud ZETTER, quod tametſi hodie pauciſſimis intellectum, homines tamen non minus, quam dirum aliquod Circes carmen, abominantur? Nihil aliud hoc vocabulum ſignificat, quam arma. Nam praeterquam quod alibi loco ZETTER vociferantur: Wapen vel Waffen, immo Bremae Iodvvt. Kress. *ad Conſt. Crim. art.* 87. etiam Fridericvs I. Imp. II. *Feud.* 27. ZITTERHAND vocat *calidam manum.* *Calida* autem *manus* veteribus idem, ac armata manus. Lex Alam. *tit.* 10. *Si quis curtem epiſcopi* ARMATVS *contra legem intrauerit, quod Alamanni* Haisterhandi *dicunt.* Vbi ſane *haiſter-hand*, idem eſt ac *heiſse hand*, et ea vox Alamannica ibi de armata manu exponitur. Nullum ergo eſt dubium, quin hic clamor adumbrarit bellum iſtud priuatum, quo familia laeſa reum criminis capitalis perſequebatur.

criminalium ſollemnium, (*der halſs-gerichte.*)

paucis tantum argumentis hunc vſum monſtremus, iam vnusquiſque animaduertet, (1. cur in cauſſis criminalibus et hodie iudici adſidere oporteat ſcabinos, et alias pro nullo habeatur iudicium, *wobey die gerichts-bank nicht beſetzt geweſen.* (2. Cur etiam in praefecturis et nobilium iudiciis, vbi non niſi ruſticorum imperitorum iurisprudentiae criminalis, copia eſt, ex his tamen etiam non nulli, paene dicis cauſſa, adhibeantur. (3. Cur haec iudicia, ſaltim poſtrema vice, dum ſententia feralis fertur, peragantur ſub dio, (4. iudice gladium euaginatum vel bacillum, vel vtrumque praeferente, quin (5. alicubi manu dextra chirotheca ferrea munita, et (6. area armatis hominibus circumdata.

§. XXVII.

Et cur iis praemittatur ſanctio ſecuritatis, (*die hegung des gerichts.*)

Quumque ſupra dictum ſit, homini criminis capitalis reo, nullum locum praeter templum, iudicium et domum, ſatis tutum fuiſſe: (§. 17.) non obſcurum eſt, (7. cur praecipua ſollemnitas iudiciorum publicorum conſiſtat in eo, vt pax ſanciatur, (quod vocant *dem gericht einen frieden vvürcken*, vel *das hochnothpeinliche halsgericht hegen*,) idque fiat (8. non ſolius auctoritate iudicis, ſed de ſcabinorum ſententia *.

* Iudex enim, occupato tribunali, et adſidentibus vtrimque ſcabinis, et actuario ante eum ſedente, praecone pone eumdem ſtante, interrogat ſcabinum ordine primum: *Ich frage euch, ob es ſo hoch am tage ſey, daſs, ich des allerdurchlauchtigſten, N. N. hochnothpeinliches halſs-gericht hegen möge, einem ieden zu ſeinen rechten?* Quod adfirmante ſcabino, verbis vlo: *herr richter, dievveil euch die gerichte befohlen, und leute ſeynd, die hochnothpeinlich halſs-gerichts vnd rechts begehren, ſo iſt es an der zeit, daſs ihr des allerdurchlauchtigſten N. N. hochnothpeinliche halſs-gerichte hegen möget,*: noua ſequitur quaeſtio: *Ich frage euch, vvie ich des allerdurchlauchtigſten N. N. hochnothpeinliche halſsgerichte hegen ſolle?* ad quam alter ſcabinus: *herr richter, gebietet recht, verbietet vnrecht, vnd dinges vnluſt, vnd daſs niemand ſein ſelbſt, oder eines andern vvort für euch in gehegter banck rede, er thue es dann mit vrlaube.* Eo facto iudex ita decernit: *Ich hege des allerdurchl. N. N. hochnothpeinliches halſs-gerichte zum erſten mahle, ich hege es zum andern mahle, ich hege es zum dritten mahle mit vrthel vnd recht. Ich gebiete recht: vnd verbiete vnrecht, vnd dings vnluſt, vnd daſs niemand ſein ſelbſt, oder eines andern vvort vor gericht rede, er thue es dann mit gerichts vrlaub.* Nihilominus et ex tertio ſcabino quaerit: *Ich frage euch, ob ich des allerdurchl. N. N. hochnothpeinlich halſs-gerichte, einem ieden zu ſeinen rechten, gnugſam geheget habe?* Ad quae hic reſpondet: *herr richter, ihr habet es gnugſam geheget einem jeden zu ſeinem rechte.* Demum officium ſuum facere iuſſus praeco, et ipſe gladio euaginato armatus, exclamat: *Des allerdurchl. N. N. hochnothpeinlich halſs-gerichte iſt geheget mit vrtheil vnd recht zum erſten mahle,*

zum

zum andern mahle, zum dritten mahle. Hat jemand vor dieſen hochnothpeinlichen halſs-gericht zu klagen, der komme für, vvie recht iſt, die gerichte vvollen einem jeden rechts verhelffen. Carpz. *von inquiſitions vnd achts-proceſſ. tit.* 11. *art.* 2. & 3.

§. XXVIII.

Nec minus ex his facile quis explicauerit rationem, (9. cur accuſator quoque gladio inſtructus euaginato, tamquam qui rei familiam metuat, accuſationem inſtituat, et quidem (10. cum clamore vel quiritatione, *mit geruffte oder zeter-geſchrey.** Const. crim. *art.* 87. Carpz. *von inquiſ. vnd achts-proceſſ. tit.* 11. §. 4. Iudicii enim capitalis, *des hohen vngerichts* eam eſſe naturam ac indolem, vt accuſatio proferatur cum clamore, (*mit geſchrey vnd gerüffte*,) iam ſupra monuimus. (§. 13. *) Nec non quid ſibi velit clamor vel quiritatio: (*das zettergeſchrey.*)

* Hinc quoque ambages, quas praecipue in Saxonia, tamquam iuris Germanici veteris reliquias, ſanctius cuſtodiri, animaduertimus. Primum enim accuſator veniam petit conſiſtendi coram iudice: *Herr richter, ich bitte vmb vrlaub vor dieſes hochnothpeinliche halſs-gerichs zu treten, vnd mein eigen vvort zu reden.* Data deinde venia, pergit: *Herr richter, dieſes verbrechen iſt von N. N. in eurem gericht begangen vvorden, derovvegen gedencke ich ihn mit recht zu beklagen, vnd bitte mir ſolches zu verſtatten, vnd mich zu berichten, vvie ich mit ſolcher meiner peinlichen klage für dieſs hochnothpeinliche halſs gericht ſolle vorkommen?* Ad quam quaeſtionem ſcabinus, rogatus a iudice ſententiam reſpondet: *Er ſolle verkommen mit gevvaffneter rechten hand, mit ausgezogener geſchliffenen vvehre, vnd mit gerüffte, zvveyer vnd eins, wie recht vnd gewöhnlich iſt.* Pergit accuſator: *herr richter, ſo bitte ich denn mir den fröhn-bothen zu leyhen, daſs er ſeine geſchliffene wehr ausziehe, vnd mir dieſelbe mit gewaffneter hand vortrage.* Quo conceſſo, ter clamatur: zetter *vber N. N. als thäter, daſs er N. N. vvieder Gott vnd recht von leben zum todte gebracht.* Eo demum peracto, accuſator accuſationis formulam recitat, et, conteſtata cum reo lite, petit ſententiam. At quid illud zetter, quod tametſi hodie pauciſſimis intellectum, homines tamen non minus, quam dirum aliquod Circes carmen, abominantur? Nihil aliud hoc vocabulum ſignificat, quam arma. Nam praeterquam quod alibi loco zetter vociferantur: Wapen vel Waffen, immo Bremae Iodvyt. Kress. *ad Conſt. Crim. art.* 87. etiam Fridericvs I. Imp. II. *Feud.* 27. zitterhand vocat *calidam manum. Calida* autem *manus* veteribus idem, ac armata manus. Lex Alam. *tit.* 10. *Si quis curtem epiſcopi* armatvs *contra legem intraverit, quod Alamanni* Haisterhandi *dicunt.* Vbi ſane *haiſterhand*, idem eſt ac *heiſse hand*, et ea vox Alamannica ibi de armata manu exponitur. Nullum ergo eſt dubium, quin hic clamor adumbrarit bellum iſtud priuatum, quo familia laeſa reum criminis capitalis perſequebatur.

§. XXVIIII.

Cur poenae quaedam redimantur, et delicta leuiora a iudice ciuili coerceantur?

Denique eaedem obſeruationes ad id proſunt, vt poſſis reddere rationem, (11. cur et hodie quaedam poenae, veluti fuſtigatio, relegatio, carcer, certa pecuniae ſumma poſſint redimi. (12. Cur in Saxonia, et alibi paſſim, ii quoque, quibus ciuilis, quam vocant, eſt iuriſdictio, et delicta quaedam leuiora coercere poſſint, veluti vulnera minus cruenta, iniurias minus atroces, et alia huius generis, quorum recenſum ſatis prolixum dant ORD. POLIT. MAGDEBVRG. *cap.* 58. §. 2. et CARPZ. *prax. crim. quaeſt.* 109. *n.* 26. *ſequ.* (13. Cur iiſdem concedatur ius erigendi numellas, quibus (14. ſubditos, qui quid contra bonos mores admiſerint, coerceant, et exempla faciant, alios obſequii admonitura. BERLICH. *Part. I. concl.* 1. *n.* 13. *

* In alia omnia diſcedunt COLER. *Deciſ.* CCXLI. *n.* 3. BESOLD. *theſaur. pract. voce halſſeiſſen.* Sed hi, diſtinctioni Romanae inter imperium *merum* et *mixtum* adſueti, ex principiis iuris Romani aeſtimant iurisdictionem Germanicam. Id vero quam abſonum ſit, ex inſtituto demonſtrauit THOMAS. *de iuriſdict. et magiſtratuum differ. ſecundum mores Germanor.*

TIT. XVIIII.

DE FVRTIS.

§. XXX.

Connexio et ordinis ratio.

QVamuis delicta paullo ante in PRIVATA et PVBLICA etiam a Germanis diſtincta eſſe, oſtenderim: (§. 6.) difficillimum tamen eſt, ea diſcernere accurate, quia hac de re non fuit eadem omnium gentium Germanicarum ſententia, et, quod aliis priuatum viſum eſt delictum, id aliae pro publico crimine habuerunt. Itaque delicta promiſcue, et eo quidem ordine, quem in iurisprudentia Romana obſeruari nouimus, expendere iuuabit.

§. XXXI.

Furtum Germanis delictum publicum.

Et ad FVRTVM quidem quod attinet, de quo primo loco erit agendum, ſatis exploratum videtur, Germanos plerosque illud non pro priuato, ſed publico delicto habuiſſe, quippe quod non minus, quam aliud crimen quodcumque, ad perturbandam reipu-

reipublicae tranquillitatem comparatum ſit, ac proinde publicam mereatur animaduerſionem. Quamuis enim more aliarum gentium vix a latrociniis vicinorum populorum abſtinerent: Caes. *de bell. Gall. Lib. VI. cap.* 23. tamen res hoſpitum vel ciuium nemo impune vel furtim, vel vi, ſurripiebat, ceu ipſae patriae leges ſatis ſuperque probant. *

* Attulit huiuſmodi legem, vel conſuetudinem ſaltim, quae pro lege eſt, ex veteribus Nic. Damascenvs *de mor. gent.* p. 8. vbi de Celtis, id eſt, Germanis et Gallis: *Μείζων ἐστὶν ἐπιτιμία κατὰ τοῦ ξένον ἀνελόντος, ἢ πολίτην. Ὑπὲρ τοῦ μὲν γὰρ θάνατος ἡ ζημία, ὑπὲρ τοῦ δὲ πολίτου φυγή. Multo maior eſt poena eius, qui hoſpitem, quam qui ciuem occidit. Quum enim ille capitis damnetur: hic exſilio tantum mulctatur.* Quum ergo exteri impune occiderentur, latrociniis quippe nullam infamiam habentibus, et tamen hoſpitis caedes morte, ciuis exſilio expianda videretur: quis dubitet, quin idem ius circa furta et rapinas obſeruarint? Quamuis, ſi dicendum quod res eſt, rariora furta fuiſſe videantur, in tanta veterum frugalitate, idemque de maioribus noſtris dici poſſit, quod de Scythis refert Ivstinvs *hiſt. Lib. II. cap.* 2. *Nullum ſcelus apud eos furto grauius, quippe ſine tecto munimentoque pecora et armenta inter ſiluas habentibus quid ſaluum eſſet, ſi furari liceret? Aurum et argentum perinde adſpernantur, ac reliqui mortales adpetunt. Lacte et melle veſcuntur. Lanae iis vſus ac veſtium ignotus, quamquam continuis frigoribus vrantur: pellibus tamen ferinis aut murinis vtuntur. Haec continentia illis morum quoque iuſtitiam edidit, nihil alienum concupiſcentibus. Quippe ibidem diuitiarum cupido eſt, vbi et vſus.*

§. XXXII.

Sed vt ad has ipſas Germanicarum gentium leges progrediamur, primum obſeruandum eſt, Germanis non minus, quam Romanis, furti eſſentiam in contrectatione magis rei alienae, quam in ablatione, conſiſtere viſam eſſe. Nam furti poſtulabant non ſolum eos, qui alteri rem clam abſtulerant, ſed et, qui res alienas clam domi habebant: leg. Wisig. *Lib. VII. tit.* 2. §. 7. leg. Ripvar. *tit.* 78. Capitvlar. *Lib. VI.* §. 192. Leg. Baivvar. *tit.* 8. *cap.* 7. §. 3. Decret. Thassilon. §. 8. eaſque dolo malo non reſtituebant vero domino: leg. Baivvar. *tit.* 8. *cap.* 14. §. 4. immo et eos, quorum ope et conſilio furtum factum eſſe dicebatur. Capitvlar. *Lib. V.* §. 190. *Lib. VII.* §. 259. Lex Baivvar. *tit.* 8. §. 6. Langob. *Lib. I. tit.* 25. §. 8. *ſequ.* *

Furtum in contrectatione olim conſiſtebat.

* Hinc formulae veterum: *Quaſi conſentiens furi*, fvrtvm *componat*; capitvl. *Lib. VI. tit.* 192. *ſocius criminis habeatur*: Lex Baivvar. *tit.* 1. *cap.* 6. §. 3. et aliae, quibus ſimillimae ſunt veteres iuris Germanici paroemiae:

roemiae: *Der hehler iſt ſo gut, als der ſtehler*, vel: *hehler und ſtehler gehören an einen galgen.* HERT. *Lib. I. paroem. iur.* 102. *p.* 567. Eodem ſenſu PHOCYLIDES *Nuthetic. v.* 128.

Φωρῶν, μὴ δέξῃ κλοπίμων ἀνδρῶν παραθήκην.
Ἀμφότεροι κλῶπες, καὶ ὁ δεξάμενος, καὶ ὁ κλέψας.

Depoſitum, quod ſubtractum eſt, ne ſuſcipe, furto.
Fur, tam qui recipit, quam qui furatur, habendus.

§. XXXIII.

Erat vel rei, vel vſus, vel poſſeſſionis.

Ipſa quoque recta ratio Germanos aeque, ac Romanos, docuit, furtum vel REI, vel VSVS, vel POSSESSIONIS eſſe. De primo furti genere rem extra omnem dubitationis aleam poſitam eſſe, arbitramur. Alterius veſtigium deprehendimus in LEGE BVRG. *tit.* 4. §. 7. 8. *additam.* I. *tit.* 17. De tertio luculentiſſimus eſt locus in LEGE WISIGOTH. *Lib. V. tit.* 5. §. 2. *Si quis pignus alteri depoſuerit pro aliquo debito, et illud ipſe, qui depoſuerit, furatus fuerit, pro fure teneatur.* Quamuis a Romanis haec diſcere potuerint WISIGOTHI, eaque in vſus ſuos vel ideo transferre, quod rectae rationi viderentur vel maxime conuenire.

§. XXXIIII.

Itemque vel manifeſtum, vel nec manifeſtum.

Ex eodem fonte ad Germanos notitiam aliquam furti non modo MANIFESTI et NEC MANIFESTI, verum etiam CONCEPTI, OBLATI, PROHIBITI, et NON EXHIBITI, permanaſſe exiſtimamus. De fure ſane, bis terue deprehenſo, id eſt, *manifeſto*, niſi fallimur, agitur, in DECR. THASSIL. *de legib. popul.* §. 18. et LEGE LANGOB. *Lib. I. tit.* 25. §. 70. et multo clarius in LEG. BAIVVAR. *tit.* 8. *cap.* 5. De *nec manifeſto* cautum eſt a Ludouico Pio, Imp. CAPITVL. *addit. I.* §. 64. *vt de furto* INCERTO *oratio et excommunicatio a corpore et ſanguine Chriſti fiat, quouſque culpabilis confiteatur.* *

* Pertinet hoc capitulum ad furta incerta a monachis patrata, contra quos orationes fundi, et excommunicationis fulmen ſpargi iubet imperator, et quidem, vti STEPH. BALVZ. *in not. ad Capitular. p.* 1090. obſeruat, contra morem illius ſaeculi, immo contra *canonem XV. concilii Wormatienſis*, quod tantum abeſt, vt monachos, furti nec manifeſti reos, abſtentos reddiderit, vt iuſſerit eos *in vltima miſſae celebratione pro expurgatione ſua corpus et ſanguinem domini noſtri, Ieſu Chriſti, percipere, quatenus ita inde innocentes ſe eſſe oſtendant.* Quod quum moris parum pii ac probi videretur optimo Imperatori: illi legem hanc plane contrariam oppoſuiſſe videtur, vt diris his recitatis metu ab vſu illo ſacroſancto arcerentur. Vid. BALVZ. *ad Reginon. de diſcipl. eccleſ. Lib. II. cap.* 256.

Digitized by Google

§. XXXV.

Vel conceptum, tum apud Wiſigothos,

De CONCEPTO id mirum eſt, quod, quum ritum illum ipſi Romani iampridem lege Aebutia ſuſtuliſſent, Germani non modo priuatis ius eſſe vellent, in res furtiuas inquirendi, ſed et ritus quoſdam, priſcae illi conceptioni per lancem et licium non plane abſimiles, recepiſſent. Et quidem LEGE WISIG. *Lib. VII. tit.* 2. §. 1. praecipitur, *vt, qui rem furtiuam requirit, quid quaerat, iudici occulte exponat, oſtendatque per manifeſta ſigna, quid perdiderit, ne veritas ignoretur, ſi non euidentia ſigna monſtrauerit.* Quae antiqua et vere Germanica eſſe, probatu facile eſt *.

* Permittit igitur haec lex, rem furtiuam priuata etiam auctoritate requiri, ſed vt, qualis res ſit, quam quaerat, apud iudicem prius profiteatur. Id vero WISIGOTHOS non a Romanis didiciſſe, ſed ex maiore patria in nouas, quas condiderant, colonias intuliſſe, vel inde patet, quod in Suecia expreſſiſſima eius moris veſtigia multo poſt ſuperfuerint. LOCCENIVS enim *antiqu. Sueo-Goth. Lib. II. cap.* 6. *p.* 48. ex LEG. OSTROGOTH. *cap.* 32. et IVR. PROV. SVIC. *cap.* 13. profert inſignem hunc locum: *Si quid alicui furto ſit abreptum, hoc indicandum erit vicinis. Si vero quis alicuius domum ſuſpectam habeat, quaſi furto ablata res eo deportata ſit, is, comitantibus eum ſex viris, inueſtigari illam iſtic legitime deſiderabit, indicio tamen,* QVAE ET QVALIS *ſit antea, facto.* Quin ibidem ex LEG. WESTROGOTHICIS *tit. de furto* obſeruat, homines iſtos, furtum requirentes, ingredi debuiſſe *diſcinctos*, et NVDIS PEDIBVS, *et femoralibus ſuper genua conſtrictis.* Quae omnia ipſe LOCCENIVS erudite contendit cum ritu furta concipiendi Attico et Romano, de quo nos plura *antiqu. Rom. Lib. IV. tit.* 1. §. 16. *ſequ.*

§. XXXVI.

tum apud Burgundiones et Francos.

Sollemnem et BVRGVNDIONIBVS fuiſſe rerum furtiuarum inquiſitionem, ex eorum LEGE, et quidem *tit.* 16. §. 1. patet, vbi additur, *nec mulieri* rerum furtiuarum, et maxime *animalium inquiſitionem eſſe denegandam.* FRANCI hanc animalium perſequutionem vocabant *veſtigii minationem*, de qua prolixe LEX SALICA *tit.* 40. et multo dilucidius LEX RIPVAR. *tit.* 47. §. 1. *Si quis animal ſuum per veſtigium ſequitur, et tertio die in domo cuiuſlibet, vel in quolibet loco, inuenerit, liceat ei abſque intertiato reuocare* *.

* MINARE vocabulum ſatis Latinum, idemque eſſe ac ducere, cum ab aliis, tum a GR. ECCARDO *ad leg. Sal. p.* 73. eſt demonſtratum. At Francis non modo eſt ducere, ſed et ductum ſequi, per veſtigiorum ductum ire. INTERTIARE vero erat per tertiam manum ſequeſtrare: nam et Graeci ſeque-

ſequeſtrem [illegible] vocabant. ECCARD. *ibid.* Senſus ergo legis Ripuariae eſt, ſi res furtiua intra triduum concepta fuerit, eam ſibi ſtatim vindicare poſſe dominum, ſin poſt triduum, eam ſequeſtrari oportere, et tertio cuſtodiendam dari. Quae ſequeſtratio vel *intertiatio* quo ritu apud Francos facta ſit, docet LEX SALICA *tit.* 40. *et* 50. nec non RIPVAR. *tit.* 33.

§. XXXVII.

Vel oblatum, vel prohibitum,

Furti OBLATI veſtigium exſtat in LEGE SALICA *tit.* 37. *§.* 4. *Si quis per malum ingenium in curtem alterius vel caſam, vel vbilibet aliquid de furato miſerit, neſciente domino, cuius poſſeſſio eſt, vbi inuentum fuerit, qui hoc miſerat,* 2500. *den. qui faciunt ſol.* 62. *cum dimidio culpabilis iudicetur.* Et in RIPVARIA *tit.* 45. *Si quis, neſciente homine furtiuam rem in domum, vel in eius poſſeſſionem introduxerit, et ibidem inuenta fuerit,* 45. *ſol. culpabilis iudicetur, vel, quidquid ei damni acceſſerit, aliud tantum* (id eſt, alterum tantum, vel duplum) *reſtituat.* De PROHIBITO in LEGE BVRG. *tit.* 16. *§.* 1. *Quiſquis per veſtigium quodlibet animal ſequutus fuerit, et ad domum alterius, veſtigio ducente, peruenerit, ſi is, ad cuius domum venerit, eum* PROHIBVERIT *domum ſuam intrare, ad res ſuas requirendas, pro hoc, quod res repoſcit, is qui eum de domo ſua ab inquiſitione repulerit, pro fure teneatur obnoxius.* Similia ſunt in LEGE RIPVARIA *tit.* 47. *§.* 2. *Quod ſi in domo fuerit, et ei ſcrutinium, cuius eſt domus, contradixerit, vt* FVR *habeatur.*

§. XXXVIII.

vel non exhibitum.

Denique et furti NON EXHIBITI crimen maioribus non ignotum fuiſſe, dicendum eſt, ſi recte capimus verba LEG. BAIVVAR. *tit.* 8. *§.* 4. *Et ſi,* (qui furtiuam rem domi ſuae depoſitam recepit,) *quaerenti domino* * *eam negauerit, ille* FVR *eſt, ſicuti qui furauerit, et ita componat, ſicut lex habet.* Loquitur ſane legis auctor non de inquiſitione domino denegata: (id enim ad furtum *prohibitum* pertineret, (ſed de *re* furtiua, *negata quaerenti domino*, quod ad furtum *non exhibitum* pertinere, vnuſquiſque intelligit.

* Hanc tamen inquiſitionem procul dubio, non niſi praeuiis iuſtis indiciis, fieri oportuit: qualia non erant ſortilegia, quibus ad inueſtigandos fures plus iuſto indulgebant Germani veteres, non modo ſuperſtitionis paganae tenebris adhuc immerſi, ſed et poſtquam Chriſtianae lucis primum veluti diluculum viderant. Quin et hodie eius ſuperſtitionis veſtigia expreſſiſſima ſuperſunt in plebe, veluti *cribationes, clauis gyratio,* (*das ſieb-vnd ſchluſſel-lauffen,*) *oracula mulierum fatidicarum,* (*der klugen frauen,*) qua-

los

les olim Velleda apud Tac. *hiſt. Lib. IIII. cap. 61. et 65.* Aurinia apud evmd. *de morib. Germ. cap.* 8. et Ganna apud Svidam *in voce* θειάζουσι.

§. XXXVIIII.

Denique vel diurnum, vel nocturnum.

Mirus vero legum, non modo Germanicarum, ſed et reliquarum gentium, tantum non omnium, concentus eſt in diſtinctione furti DIVRNI et NOCTVRNI. Quemadmodum enim leges tum diuinae, tum Graecae et Romanae, furem nocturnum impune occidi patiebantur, diurnum non aliter, quam ſi ſeſe telo defendiſſet: ita eamdem διαίρεσιν et leges Germanicae faciunt, veluti Wisigothicae *Lib VII. tit.* 2. *§.* 15. *et* 16. Bvrg. *Addit. l. tit.* 16. *§.* 2. 3. *et* 4. Capitvl. *Lib. V.* §. 191. et *Lib. VI. §.* 19. *edit. Lindenbr.* Baivvar. *tit.* 8. *cap.* 5. Attamen Lex Fris. *tit.* 5. *§.* 1. agens *de hominibus, qui ſine compoſitione occidi poſſint*, in eum numerum refert etiam *furem, qui in foſſa, qua domum alterius effodere conatur, fuerit repertus*, nec vllum diſcrimen inter furtum diurnum nocturnumque hoc caſu ſtatuit.

§. XXXX.

Poena furti apud omnes gentes Germ. non eadem.

Quod ad poenam furum attinet, quaedam gentes Germanicae, et in hoc crimine maiorum ſequutae exemplum, fures non temere capitis damnabant: (*§.* 14.) quaedam diſtinguentes furta MAGNA et PARVA, illa poenis capitalibus: haec mulcta, aliiſque poenis leuioribus, expianda eſſe, ſtatuebant. Quamuis vtroque caſu et laeſo ſatisfactionem deberi, facile animaduerterent. (§. 24.) Sed quum ea in re non eadem omnium fuerit ſententia: diuerſas diuerſarum gentium leges hic expendere, operae pretium fuerit.

§. XXXXI.

Qualis illa apud Wiſigothos?

Primum Wisigothi receperant regulam: *cuiuslibet rei furtum, et quantalibet pretii aeſtimatione taxatum, ab ingenuo nouies, a ſeruo vero ſexies, ei, qui perdidit, ſarciatur, et vterque reus centum flagellorum verberibus coerceatur.* Qui vero non ſoluendo erant, fures, vel pro quibus ſeruis furacibus dominus aeſtimationem illam nouemcuplam inferre recuſabat, ii *ſeruituri rei furtiuae domino, perenniter ſubiacebant.* Lex Wisig. *Lib. VII tit.* 2. §. 13. *

* Idem exemplum fiebat in furti conſcios, lex Wis. *ibid.* §. 7. itemque in eos, qui theſauros regios vel fiſcum expilauerant. ibid. §. 10. vel qui inſtrumenta molendinaria ſuffurati erant. ibid. §. 12. Minore tamen

poe-

poena atque aeſtimatione defungebantur, qui animalibus domeſticis tintinnabula furtim ſubtraxerant. Iumento enim vel boui ſubtractum ſolido, vaccae tremiſſibus duobus, veruecibus vel quibuscumque pecoribus tremiſſe vno luebatur. IBID. §. 11. De quo ritu tintinnabula adpendendi pecoribus quaedam non vulgaria collegit LINDENBROG. *in gloſſar. voce tintinnabulum.* Multo minus itaque heredi furis vlla poterat poena irrogari, quamuis et ipſe ad rei aeſtimationem ſimplicem teneretur, ſi hereditas ſufficeret. IBID. §. 19. Quod ad ſeruos attinet, ii, ſi vna cum ingenuis furtum feciſſent, pro parte dimidia praeſtabant aeſtimationem, et vtrique centum ictibus flagelli emendabantur. IBID. §. 4. ſin cum ipſo domino; hic ſolus et poenam et ſatisfactionem debebat. IBID. §. 5. Quod et tunc aequum videbatur, ſi quis ſeruum alienum corrupiſſet, eique furtum perſuaſiſſet, IBID. §. 6. Si ſeruus vel domino, vel ſeruo, furtim quid ſubtraxerat, id ad diſciplinam domeſticam, non ad iudicis cognitionem, pertinere videbatur. IBID. §. 21. Denique pro ſeruo aeſtimationem inferebat dominus, aut ſeruum noxae dabat, IBID. §. 2. 3. *et* 13.

§. XXXXII.

Qualis apud Burgundiones?

Apud BVRGVNDIONES multum intererat, furtumne cum effractione coniunctum, an ſine violentia admiſſum eſſet. Priore enim caſu generalis illa erat legis ſanctio *tit.* 29. §. 3. *Effractores omnes, qui aut domos, aut ſcrina exſpoliant, iubemus occidi.* Poſteriore caſu ingenuus, ſi res maioris pretii, et quidem equum, equam, bouem, vaccam, ſubtraxiſſet, capitis damnabatur: IBID. *tit.* 4. §. 1. et nihilominus aeſtimatio rei furtiuae erat ex eius hereditate praeſtanda. Sin alias res aeque pretioſas, ſimplum reſtituebat domino, et poenae nomine triplum praeſtabat, ſeruus fuſtuario 300. ictuum ſupplicio deputabatur. *Tit.* 4. §. 1. 3. *tit.* 70. §. 1. ADDIT. *I.* §. 1. *et* 2. Si minus pretioſas, veluti porcum, veruecem, capram, opes, mulcta exigebatur 12. ſolidorum, ſeruusque 300. ictibus emendabatur. *tit.* 4. §. 4. *tit.* 70. §. 2. *et* 3. Id vero notatu dignum eſt, leges has tranſactionem cum fure adeo non permittere, vt is, qui cum fure tranſegerat, ipſe pro fure haberetur, iudex vero, huiuſmodi tranſactionis auctor, 12. ſolidorum mulctam ſoluere teneretur. * IBID. *tit.* 71. §. 1. *et* 2.

* Non minus ſeuere transactionem omnem ſuper criminibus prohibebant LEGES aliae, veluti DECRET. CHLOTHARII §. 11. et LEX BAIVVAR. *tit.* 8. *cap.* 15. Quod eo magis mirandum, quo notius eſt, ipſum ius Romanorum transactionem ſuper delictis priuatis non prohibere, quamuis pacti ſuper illis pro confeſſis, et infamibus habeantur. *l.* 54. §. *vlt. D. de tranſact. l.* 13. *C. de furt. l.* 4. §. *vlt. D. de his, qui not. infam.* Sed non obſcura adeo videtur diſcriminis ratio. Iure enim Romano poena dupli vel quadrui

drupli non fiſco, ſed ipſi actori cedebat: Germanico et fiſco et laeſo multa debebatur, ac proinde tranſactio et in huius praeiudicium inita cenſebatur, ſecus ac iure Romano.

§. XXXXIII.

Apud FRANCOS quoque capitale fuiſſe furtum maius, conſtat partim ex LEGE RIPVAR. *tit.* 79. qui ex inſtituto de *homine penduto*, id eſt, in furcam vel crucem acto, agit: *Si quis homo propter furtum comprehenſus fuerit, et legitime ſuperiuratus, et iudicio principis pendutus, vel in quocumque libet patibulo vitam finierit, omnes res eius heredes poſſideant, exceptis capitali et dilatura quae in locum reſtituant:* partim ex MARCVLFI *adpend. form. cap.* 50. vbi aliquis profitetur, *ſe caballum ab homine aliquo in texaga* * *ſubduxiſſe, ac inde de furto victum adparuiſſe, et vitae periculum exinde incurrere potuiſſe*, additque, ſe, quia laeſo ſatisfacere non potuerit, ideo ſe illi in ſeruitutem addixiſſe. Qualis apud Francos ob furtum maius?

* TEXAGA idem ac clanculum procul dubio a Germanico *decken*, *verdeckt*, ac proinde *ſubducere equum in texaga*, eſt eum furtim ſubducere, vel furtum equi nec manifeſtum admittere, vti in LEGE SALICA *tit.* 11. §. 1. 2. et 8. *tit.* 12. §. 2. *tit.* 17. §. 14. edit. HEROLDI. Multa de hoc vetuſto vocabulo notauit Io. GE. ECCARD. *ad leg. Salic. tit.* 9. *p.* 27. *ſequ.*

§. XXXXIIII.

Ob furtum tantum maius locum apud Francos fuiſſe ferali huiuſmodi ſententiae, vel inde patet, quod alioquin furta certa pecuniae ſumma expiari iubeat LEX SALICA, veluti porcorum, *tit.* 2. boum et vaccarum, *tit.* 3. ouium, *tit.* 4. caprarum, *tit.* 5. canum, *tit.* 6. auium, *tit.* 7. arborum, *tit.* 8. apium, *tit.* 9. frugum, *tit.* 10. mancipiorum, *tit.* 11. Quin et furta, ab ingenuis cum effractione admiſſa, ſecundum *tit.* 12. certae pecuniae aeſtimatione coercentur, quum ſerui, qui ſeſe huiuſmodi delicto polluerant, ſi minus quam 40. denarios, et plus, quam duos furati eſſent, 120. ictus pati, aut totidem denarios exſoluere; ſin plus, quam 40. denarios ſubtraxiſſent, caſtrationis poenam ſubire, aut 240. denariis hoc ſupplicium redimere tenerentur. * Itemque ob minus.

* At quid caſtrationi, inquis, cum furto? Id quidem me neſcire fatebor, ſed non magis tu fortaſſis ſcies, quid furto cum patibulo et laqueo? Id non ignoro, veteribus hanc poenam fuiſſe ſatis frequentem. Eam enim et ſacrilegis irrogarunt Friſii, LEX FRIS. *addit. tit.* 12. Franci vero ſeruos potiſſimum, in quocumque delicto grauiore, veluti furto, vel adulterio deprehenſos,

ita puniebant, LEG. SAL. *tit.* 29. §. 6. *tit.* 43. §. 1. RIPVAR. *tit.* 58. §. 17. Wiſigothi neſandae Veneris reos. LEG. WISIGOTH. *Lib.* III. *tit.* 5. §. 5. *et* 7. Exemplum habet auctor VITAE S. DEICOLI *cap.* 4. Veneris nepotulos, domi deprehenſos aliquando et priuatim eo eſſe priuatos, quo viri cenſebantur, hiſtoria Petri Abaelardi in vulgus nota ſatis docet: nec alio pertinet fabula, quam luſit Periplectomenes apud PLAVT. *mil. glorioſ. Act. V. ſcen. VII.*

§. XXXXV.

Poena furum apud Boioarios.

Non magis furibus pepercerunt BOIOARII. Apud illos enim fures in furcam ibant, vel ſaltim capitis damnabantur, *ſi aurum, argentum, iumenta vel pecora, aut quaſcumque res vſque ad ſolidos* 10. *vel amplius furati eſſent.* Neque capitale iſtud ſupplicium eos liberabat obligatione, rei furtiuae aeſtimationem laeſo praeſtandi, ſiquidem *non prius damnabantur ad mortem, quam vel ſimplex de facultatibus ſuis prius compoſuiſſent.* LEG. BAIVVAR. *tit.* 8. *cap.* 8. Alioquin minoris furti poena erat *nuingeldum*, id eſt, nouemcuplum, vel, ſi quid ex templo, principis palatio, baſilica, vel molendino, * furtim ſubtractum eſſet, fur *triniungeldum*, id eſt, pro vno ſolido ſeptem et viginti pendere cogebatur. IBID. *cap.* 2. §. 1.

* Additur elegans ratio, *quia quatuor iſtae domus caſae publicae ſunt, et ſemper patentes.* Ex quo facile patet, cur et molendina quibusdam, ceu ſupra obſeruauimus, et hodie habeantur ſancta, eatenus, vt grauius puniantur, qui pacem vel ſecuritatem ibi violarint, quod nomine *des Bu[illegible]frie-dens* venire ducimus *Lib. II. tit.* 1. §. 20.

§. XXXXVI.

Alamannos.

At ex ALAMANNORVM lege fures capitis damnari, non animaduerto. Ordinaria enim furti poena erat nonigeldum, ſeu nouencuplum, ipſaque rei aeſtimatio, *tit.* 69. §. 1. *et* 2. *tit.* 70. §. 1. *tit.* 72. §. 1. niſi res furtiuae eſſent minoris pretii, quae aliquot ſolidorum mulcta luebantur. IBID. *tit.* 72. §. 2. *et* 3. *et tit.* 75. *tit.* 99. Plenius puniebatur, qui eccleſiae, vel duci quidquam ſubtraxerat. Vtrique enim tres nonigildos, id eſt, pro vno ſolido 27. pendebat: IBID. *tit.* 7. §. 1. *et tit.* 32. Qui non duci quidem, at alii ex ducis palatio, quidquam ſubduxerat, duplum laeſo, et *pro fredo* 60. *ſol.* debebat. IBID. *tit.* 31. §. 1. quam aeſtimationem et dominus pro ſeruo praeſtare tenebatur, niſi hunc noxae dare mallet. IBID. §. 2. Si quis denique in ipſius regis, vel ducis exercitu aliquid furatus eſſet, prio-

priore caſu *nouem nonigeldis*, id eſt, pro vno ſolido 81. poſteriore *ternis nonigeldis*, id eſt, pro vno ſolido viginti ſeptem mulctabatur. IBID. *tit.* 27.

§. XXXXVII.

Apud Saxones, Anglios, Werinos.

Seueriores multo SAXONES pleraque furta, vel cum effractione coniuncta, vel ſaltim intra alterius aedes vel ſepe admiſſa, nec non maiora, capitalia eſſe volebant. * LEG. SAX. *tit.* 4. §. 1. 2. 3. 4. 5. Magnum autem furtum dicebatur, quod maioris erat tribus ſolidis: ad quam ſummam ſi non pertingeret rei furtiuae pretium, noncuplum, vna cum *fredo* praeſtandum erat. IBID. §. 6. 7. Sed haec omnia tunc demum locum habebant, ſi quis intra Saxonum limites furtum feciſſet. Si enim extra eos tale quid admiſiſſet: ſecundum prouinciae, vbi furtum admiſerat, leges, ei poena ſolebat irrogari. IBID. §. 7. Contra apud ANGLIOS et WERINOS, furtorum omnium poena triplum erat, quamuis *dilatura*, ceu vocabant, non eadem ſemper eſſet. LEX ANGL. *tit.* 8. §. 1. *ſequ.*

* Hinc frequens in illo titulo ſanctio: *capite puniatur.* Quale vero fures manſerit ſupplicium, non additur, niſi quod in furcas eos iuiſſe, ibique ſemiuiuos lapidibus ſudibusque occiſos eſſe, exemplis quibusdam ſatis antiquis videtur probari poſſe. Iam vnum nobis ſuffecerit ex ALFREDI vita B. Ludgeri *Lib. III.* §. 21. apud LEIBNIT. *ſcript. rer. Brunſu. Tom. I. p. 97. Ferebant autem veraciſſimi viri de diſcipulis eius, quod quodam tempore, dum ad comitatum pergens, per prouinciales, qui Haſſi dicuntur, iter ageret, per orationes eius homo mortuus reuixerit, qui ſcilicet propter furtum caballorum Widekindi, ducis Saxonum, huic morti adiudicatus fuerit, vt in campo ad ſtipitem ligatus, iactatis in eum ſudibus acutis et lapidibus, necaretur.* Sed inſequentibus ſaeculis verum inualuit ſuſpendii ſupplicium, cuius exemplum, quod ſub Ottone III. Imp. factum eſt, habes apud DITHMAR. *chron. Lib. IIII. p.* 363. *edit.* LEIBNIT.

§. XXXXVIII.

Apud Friſios.

Apud FRISIOS poena furti, quod THIVBDA (*eine deube*) vocabant, dupli erat, ſimul tamen a fure conuicto exigebatur FREDVM, regio fiſco ſoluendum, a nobili 80. ſolidorum; ab ingenuo et lito ordinaria ſumma, quam *vveregildum* vocabant.* LEX FRIS. *tit.* 3. §. 2. 3. 4. Paullo durius animaduertebatur in ſeruos; quippe qui flagris caedebantur, niſi dominus *corium eorum* ſolidis 4. *redimeret.* IBID. §. 7. Quin ſacrilegos *ductos eſſe ad mare*, ibique in ſabulo aures eorum fiſſas, quin ipſos et caſtratos, et diis immolatos eſſe, iam ſupra monuimus. FRIS. LEG. *addit. ſapient. tit.* 12. §. 1.

* Poſtea tamen et Friſii fures ad furcam damnabant, ſaltim Dithmarſi, apud quos quatuor viros ſecundum LEGEM FRISONVM ob furtum ſuſpendio interiiſſe, patet ex CHRON. HOLSAT. *cap.* 38. *apud* LEIBNIT. *Tom. I. acceſſion. hiſtor. pag.* 101. niſi hic forte lex Friſiorum transalbinorum ſit intelligenda. Attamen et LEG. OBSTALBOM. §. 2. fures ſuſpendi iubent anno 1323.

§. XXXXVIIII.

Ac denique Langobardos.

Longa eſt fabula de poena furti apud LANGOBARDOS, quorum LEX *Lib. I. tit.* 25. de eo delicto fuſius agit. Ex ea vero diſcimus, poenam ordinariam furti manifeſti, ſi *ad decem ſiliquas* pertigiſſet rei furtiuae pretium, fuiſſe octuplum, vel noncuplum, (poena enim non omnium temporum eadem fuit,) vna cum compoſitione 80. ſolidorum, quam ſummam ſi ſoluere non poſſet, fur animae periculum incurrebat. IBID. §. 2. Nec manifeſti poena erat noncuplum, ſed ſine compoſitione vel mortis periculo. IBID. §. 4. Plures furti vnius rei octuplum pendebant. IBID. §. 12. Sed hic multae tricae ob diuerſam hominum, qui hoc delictum admiſerant, conditionem, quibus iam immorari vix operae pretium fuerit. *

* Liceat tamen triplicem iuris Romani et Langobardici differentiam ſubiicere, quam notauit ANDR. DE BARVLO *in ius Langob. tit.* 24. *De iure Romano*, inquit, *poena furti manifeſti eſt quadrupli, non manifeſti eſt dupli: de iure autem Langobardico poena furti eſt octogild. Differunt etiam, quia de iure Romano ſi plures deliquerint, quilibet tenetur in ſolidum, et, vno ſoluente poenam, alter non liberatur. De iure autem Langobardico ſecus: nam non tenetur quilibet in ſolidum, ſed omnes ſimul tenentur in ſolidum, et ſi vnus conueniatur, poteſt ſe adimare cum ſociis ſuis, et poenam inſimul praeſtare. Differunt etiam, quod de iure Romano ſi quis furetur poſſeſſionem vel vſum rei tantum, tametſi non habet animum furandi rem, ſed vſum tantum, tunc enim non tenetur furti ad ipſam rem, nec quadruplicatur ipſa res, ſed vſus et poſſeſſio tantum. De iure autem Langobardico ſecus eſt: quia licet aliquis furetur vſum ſine poſſeſſionem, tamen tenetur furti pro tota re, et quadruplicatur tota res.* Illud addo, furtum manifeſtum in LEGE LANGOB. *Lib. I. tit.* 25. §. 2. 33. 47. et 59. et *tit.* 36. §. 3. vocari *ſegangi*, vel, vti in aliis codicibus eſt, *fengangi*, quod videri poſſet a Germanico *fangen*, quaſi qui in ipſa via, quae Germanis eſt *gang*, captus et ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehenſus ſit. GLOSSA vetus apud LINDENBR. *in gloſſar. p.* 1139. FENGANGI *furtum manifeſtum.* Sed magis eſt, vt corruptum putemus ex antiquo *vvargus* vel *vargus*, adeoque *ſegangus* ſit quaſi *vergangus. Vargus* autem non modo latronem ſignificabat, vid. SIDON. APOLLIN. *Lib. I. Epiſt.* 4. verum etiam *exſulem*, LEX RIPVAR. *tit.* 87. Nimirum a Germanico *verſſen*: cou vel inde patet, quod GLOSSA interlinearis FHVANI vocabulum ita interpretatur: VVARGVS *deiectus.* Vid. IO. GE. ECCARDVS *ad leg. Salic. p.* 100.

§. L.

§. L.

Poena ſuſpendii a Fridrico I. ſancita.

Sic quas poenas veteribus Germanis dederint fures, ſatis nobis videmur expoſuiſſe, ac proinde iam nihil ſupereſt, quam vt et medii aeui mores ex variis iuribus ſtatutariis eruamus, quae paene in eo conueniſſe animaduertimus, quod furta magna fracta in patibulo gula eſſent expianda, quamuis non omnibus gentibus idem furtum magnum videretur, aut paruum, ſed diuerſa veluti lance aeſtimarent furti grauitatem. *Quinque ſolidos* pro menſura habuit Fridricus I. Imp. * II. *Feud. XXVII.* §. 8. dum legem tulit: *Si quis quinque ſolidos valens, aut plus, fuerit furatus, laqueo ſuſpendatur: ſi minus, ſcopis et forcipe excorietur et tundatur.* Quamuis haec ad violenta furta pertinere, probabile ſit.

* At multo minoris vita furum olim veniebat Bertolpho, Palatino de Wittlenbach, de quo memoriae prodidit HEISTERBAC. *Lib. VI. cap.* 26. eum ob vnius oboli furtum capitalem ſententiam tuliſſe, ac proinde ipſum morte non ſua periiſſe, miſericordia indignum, quam miſeris ſaepenumero denegarit. Sed non abs re ſuſpicamur, tanta exempla a Bertolpho facta eſſe, ſi fures vi et armis aliorum inuaſiſſent cuſtodiam, vel effregiſſent aedes, parietesque perfodiſſent: de quo caſu et Fridrici I. ſanctionem vulgo interpretantur.

§. LI.

Eadem obtinet iu re Saxonico.

Quod circa eadem tempora compilari coepit IVS PROV. SAX. *Lib. II. Art.* 13. trium ſolidorum furtum capitale eſſe ſtatuit: *Den dieb ſoll man henken. Geſchicht aber in einem dorffe des tages einem diebheit, die minder, dann drey ſchilling: die mag der bauermeiſter vvol richten deſſelbigen tages zu haut vnd haar, oder mit dreyen ſchillingen zu lôſen geben.* Seuerius tamen animaduerſum eſt, in eos, *die den pflug berauben*, (id eſt, vti ZOBELIVS in additionibus Latinis interpretatur, *ſo die pferde von dem pfluge ſtehlen, nicht vvann iemands ein pflugſchar vom pfluge ſtiehlet,*) *oder mûhlen, oder kirchen, oder kirchhôffe.* Nam illi crurifragio plectebantur. IBID. *art.* 13. Denique *Lib. II. art.* 28. additur: *Wer auch des nachts gehauen holz, oder geſchnitten graſs ſtielt, den ſoll man richten mit der vvyde.* * *Stielt ers des tages, es gebet ihm zu haut vnd zu haar.*

* At quid, quaeſo, *die weyde*, vel vti in vetuſtioribus codicibus eſt, *de Wede*? Interpres Latinus vertit: *Nocturnali tempore ligna caeſa vel gramina iam falciata furatus qui fuerit*, SVSPENDITVR. Et in LOSSIANA aeque ac ZOBELIANA editionibus additur gloſſa: *Das iſt, man ſoll ihn hengen, vnd dis darum, daſs daran*

des menſchen fleiſs vnd arbeit iſt gewand geweſen. Vocabulum eſt antiquiſſimum, quod Franci pronunciabant : *wizi* vel *wizze*, vnde Saxonum *dee vvette*, poena. Vtitur ſane hoc vocabulo NOTKERVS *Pſalm.* 6. 4. et *Pſalm.* 18. 9. pro ſupplicio, et *Pſalm.* 84. 13. pro tormentis. KERO *interpret. voc. barbar. in regula S. Benedicti apud* GOLDAST. *ſcript. rer. Alam. Tom. II. pag.* 87. Poenam *vvizzi*, poenam *vvizze*, poenas *vizzi*. Non mirum itaque ſi *wyde* vel *wede* ſpeciatim de patibulo vſurpatum ſit.

§. LII.

Et iure Alamannico.

Eadem paene omnia repeti videas in IVRE PROV. SVEV. *cap.* 114. niſi quod ibi pro tribus ſolidis quinque requiruntur : *Den diepp ſoll man henkchen. Geſchicht aber ain devvpphait, devv minder iſt, dann fünff ſchilling, devv hört tze haut vnd tze har.* Sed et paullo fuſius ibidem explicantur, quae ius Saxonicum de furto, in aratro vel molendino admiſſo, ſanxerat : *Die den pflug raubent, ſo er des morgens von hauſs vert, vnd den gepauren icht tunt, oder nemmet, das dreyer pfenning vverd iſt, oder vver in müln icht ſtillt, daz fünff ſchilling vvert iſt, den ſol man radprechen, oder ſtilt er dreyer pfennig vvert, man ſol im haut vnd har abſlahen pey dem höchſten; das ſind vierzig ſleg.* Quae in ſacrilegos ſtatuit ius Saxonicum, cum iure Sueuico plane conueniunt in editione BERGERIANA *p.* 199. non in SCHANNATIANA et MEICHSNERIANA. * Ea vero, quae de gramine et lignis noctu ſubductis ibidem occurrunt, in MEICHSNERIANA ſpeculi Sueuici editione plane deſiderantur.

* De ſacrilegio eodem *cap.* 114. in editione Bergeriana ita legimus: *Wer in kirchen oder in kirchhöffen icht ſtillt, das dreyer pfenning wert iſt, den ſoll man radbrechen, oder man ſoll ihm haut vnd haar abslaben bey dem höchſten, vnd iſt doch darzu in dem pann. etc.* At in MEICHSNERIANA multo aliter: *Der in kirch- vnd kirchhöffen ſtiehlt, das dreyſig pfennig werth iſt, darum ſoll man ihn zu haut vnd har ſchlahen bey dem höchſten, vnd iſt auch darzu in dem bann.* Vbi nihil de crurifragio. Denuo aliter editio SCHANNATI *cap.* 198. *Stielt man in der kirchen icht, man zeugt den deup vvol mit recht heraus, alſo, ob er es des nachtes tut : tut er es des tages, ſo giltet das pfennig vvert den rechten daumen, vnd das ſchilling wvert oder mer die hant : tut er dis getat ander ſtat, man ſchlecht in den andern daum ab, tut er es zu dem dritten mal, ſo ſchlecht man ihn die hand ab.* Sic et de ſupplicio eius, qui ligna et gramina noctu furatus eſt, nihil in MEICHSNERIANA legimus: quum in BERGERIANA *p.* 219. *capiti* 317. addita ſit lacinia : *Wer aber nachtz gemâtes gras oder geſlagen holtz ſtilt, man ſoll vber im richten mit der vvid, ſtils er es aber tags, es get im cze haut cze har.* Vbi SCHANNATIANA *cap.* 201. *Wer des nachtes gemâtes gras ſtilt, oder gehauts holtz, man ſoll vber in richten mit dem* GALGEN, *ſtilt er es bei dem tag, es get im an haut vnd haar.* Tam parum hic ſibi ipſi conſtant Alamanni, vt vix vlla editio alteri per omnia ſimilis ſit.

§. LIII.

§. LIII.

Nec non iure ſtatutario multarum ciuitatum.

Et hanc ſuſpendii poenam et reliqua ſtatuta tantum non omnia receperunt, quamuis et in his diuerſa ſit furti magni aeſtimatio. IVS SVSAT. *art.* 25. *Vortmer, vvey by ſlapender tydt in eines mannes huis gehet, vnd ſyn gud mit gevvalt offte ſtillekens nehmet, vvert he des vervvunnen, den vverdt man dôden.* STATVTA GOSL. *Lib. II. tit. van vredebrake.* §. 55. apud LEIBNIT. *Tom. III. rer. Brunſu. pag.* 500. *Wer ſteblet* 5. *ſchillinge vvehrt, der verſchuld den galgen, is dat myn, ſau ſchal man ohne dor de tâne bernen, vnde to der ſtupen ſchlaen.* Quae repetuntur etiam §. 63. STAT. BREM. *Ordel* 102. *Den deeff ſchall men hangen, vmme dûbe, de beter is, dan eine halbe marck, vnd beneddere eines halben marck ſoll men ine tor ſtupe ſchlahn, vnd mit einem glôenden ſchlôtel an ſyne eene backe bernen, vnd darto ſchall he de ſtadt verſvveren.* Similia ſunt in STATVTIS STADENS. MSC. *part. XI. cap.* 7. niſi quod haec ſummam octo ſolidorum requirunt.

§. LIIII.

Quae poena etiam receptatores et adiutores furum manſit.

Illud vero notatu digniſſimum eſt, ex horum fere omnium iurium principiis non minorem poenam mereri viſos eſſe omnes, quorum ope et conſilio furtum factum eſſe diceretur, quam ipſos fures. IVS PROV. SAX. *Lib. II. art.* 13. *Wer diebe behauſset, oder raub behelt, oder einem mit hûlffe darzu ſtârcket, vvird er des ûberwunden: man ſoll ûber ihn richten, als ûber ienen, der es ſelbſt gethan hat.* Eadem fere repetit SPECVLATOR SVEVVS *cap.* 114. §. 11. edit. MEICHSN. et BERGER. At in SCHANNATIANA *cap.* 198. *et ſequ.* licet multa occurrant, quae a reliquis editionibus plane diſcrepant, tamen demum *pag.* 282. haec regula adiicitur: *Wer ratt oder hilf tut ainem menſchen, das er ſtel, der iſt der deuphait ſchuldig. Wer ſtelen vvill, vnd gehe hin zu ainem mann, vnd pitt in ainer laitter, er vvel in aint hauſs ſteigen durch ſtelen, oder der ainem deup ain tur, oder ain venſter, oder ain ſmitt, mit vviſſen deubenſchluſſel machet, oder ander eiſen, die zu deuphait gehôrent, oder ander hilff deuppen tut das vviſſent is, der iſt als ſchuldig, als der deupp, vnd man ſoll in haben zu den deuppen.*

§. LV.

Axiomata quaedam inde deducta.

Iam vero ex his omnibus, quae adhuc diximus, ſatis patet, I. gentes Germanicas licet initio pleraeque mitiores in fures

res fuerint, tamen poſtea, gliſcente inter homines luxu, et frequentioribus inde factis furtis, quin et periculo grauiore imminente, eoſdem capitis damnaſſe. * II. Eas tamen diſcrimen ſtatuiſſe inter furta violentiora et ſine vi maiore admiſſa, itemque inter magna et parua, nocturna et diurna, adeoque omnes facinoris περιστάσεις expendiſſe, antequam de vita hominis durius quid ſtatuerent.

* Et quidem antiquiſſimum fuiſſe apud Germanos ſuſpendii ſupplicium, ſupra ex LEGE RIPVARIOR. demonſtrauimus. (§. 43.) Videntur id ex moribus maiorum, qui iam tempore TACITI viguerunt, retinuiſſe. Veteres enim SCELERA, id eſt, delicta, aduerſus alios admiſſa, ſuſpendio puniuiſſe, ratos, *illa oſtendi oportere, dum puniantur*, ſupra oſtendimus (§. 14.*).

§. LVI.

Carolina ſanctio poenam ſuſpendii retinuit, ſed variis modis temperauit.

Quum itaque gentium plerarumque Germanicarum magna fuerit aduerſus fures ſeueritas: (§. 55. I.) in promtu cauſſa eſt, (1. cur Carolus V. Imp. in conſtitutione criminali, quamuis *Art.* 104. profiteatur: *in fällen, darumb vnſere kayſerliche rechte nicht ſetzen vnd zulaſſen, iemand züm tod zu ſtraffen, haben wir in dieſer vnſer vnd des reichs ordnung auch keinerley todtesſtraff geſetzt*, nihilominus tamen retinuerit poenam furti capitalem, et quidem in maſculis ſuſpendii, in feminis cullei, ſed (2. eam tamen, quod iuſto ſeueriores ei fuiſſe viderentur maiores noſtri, * paullo anguſtioribus veluti limitibus circumſcripſerit. *Art.* 159. *et ibi* BEYER. §. 18.

* Hinc, quum in prioribus conſtitutionis iſtius delineationibus, quas ſub nomine *proiectorum* laudauit et cum textu ipſius conſtitutionis contulit KRESSIVS *p.* 485. fures effractores, vel vi qualicumque vſi, abſciſſe capitis damnarentur, in ipſis tamen comitiis 1532. ab iſto quoque rigore aliquid remiſſum eſt, addita clauſula: *Darumb in dieſem fall der man mit dem ſtrange, vnd das weib mit dem waſſer, oder ſonſt nach gelegenheit der perſon, vnd ermeſſung des richters mit der ausſtechung der augen, oder abhauung einer hand, oder einer andern dergleichen ſchweren leibesſtraffe geſtrafft werden ſoll.* Vbi ſane et hoc caſu non nihil relinquitur arbitrio iudicis.

§. LVII.

Ipſam illam ſanctionem anguſtius interpretantur ICti.

Quare non mirum eſt, (3. quod et conſtitutionis iſtius interpretes, illud legislatoris ſequuti principium, eam legem tam anguſte interpretantur, vt aliquando ne admittere quidem huiuſmodi interpretationem videantur verba conſtitutionis, veluti dum in *art.* 159. verba: *gebrochen oder geſtiegen*, ita exponunt,

nunt, ac ſi ſcriptum eſſet: *gebrochen vnd geſtiegen*. Quin (4. ex eodem reddi poteſt ratio, cur multa, quae de furum ſupplicio ſanxit Carolus V. Imp. plane extra vſum ſint, veluti in hoc ipſo *articulo* 159. ſuffocatio feminarum in aquis, effoſſio oculorum, et abſciſſio manus, quarum poenarum primam iam dudum ab vſu receſſiſſe; poſteriores numquam in vſum veniſſe, conſtat.

§. LVIII.

Quumque illa poenae atrocitate ideo opus videretur, quia a furibus non modo rebus hominum, verum etiam ipſi eorum vitae maximum imminere periculum, experientia edocti maiores intelligerent: intellectu non difficile eſt, cur Carolus V. (§. 55. 1.) (5. mitius, ac fere extra ordinem tantum puniendos exiſtimarit fures, qui alienam cuſtodiam non inuaſerint, ac proinde regulariter capitis non damnentur (6. fures frugum, ligni, piſcium et ſimilium, immo (7. et ferarum. CONST. CRIM. *art.* 167. *ſequ.* quamuis in hos alicubi multo ſeuerius ſoleant animaduertere. SEIDENSTICKER. *de furib. ferar.* (8. Cur, quamuis Nemeſis Carolina *artic.* 170. depoſitarios, res depoſitas interuertentes, eodem cum furibus loco haberi iubeat: vltra ictum tamen fuſtium hodie vix procedendum videatur doctoribus. GE. BEYER *ad conſt. crim. art.* 167. *ſequ.* §. 10. STRYK. *vſ. pand. tit. de furt.* §. 17. KRESS. *ad conſt. crim. art.* 170. §. 1. *not.* †.

Non damnantur capitis, niſi qui alienam cuſtodiam inuaſerunt.

§. LVIIII.

Quum porro, etiamſi alterius inuaſa eſſet cuſtodia, ob poenae tamen atrocitatem varias furti diſtinctiones adhibuerit Carolus V. (§. 55. 2.) non obſcurum eſt, (9. cur primo omnium diſtinxerit inter furtum VIOLENTVM, *einen geſliſſenen, gefährlichen diebſtahl*, quod et QVALIFICATVM vocant doctores, et SIMPLEX; illudque (10. definiuerit, *ſo ein dieb iemandes bey tag, oder bey nacht, in ſeine behauſung oder behaltung bricht, oder ſteiget, oder mit vvaffen, damit er iemand, der ihm vviederſtand thun vvolte, verletzen möchte.* (11. Cur his tribus caſibus * non ſolum ob doli, ſed et ob periculi magnitudinem fures, etiam primo artis tirocinio facto, ad ſuſpendium vel culleum damnet, niſi (12. [illegible] quaedam, a prudentioribus aeſtimandae, mitiorem ſuadeant ſententiam. CONST. CRIM. *art.* 159.

Quid iuſtum circa furtum qualificatum?

* At duos caſus priores *brechen oder ſteigen*, Nemeſeos Carolinae interpretes in vnumconflare, et effractionem et adſcenſum ſimul et coniunctim requirere eatenus, vt adſcenſus ſaltim ſine effractione non ſufficiat, iam ſupra monuimus. (§. 57.) Quin et tertium caſum cum duobus prioribus in vnum conflare, et praeter adſcenſum et effractionem arma quoque requirere HARPRECHTVM *ad* §. 5. *Inſt. de oblig. quae ex del.* obſeruat KRESS. *ad d. art.* 159. §. 1. *not.* 4. *p.* 487. recte tamen monens, eam interpretationem et verbis legiſlatoris vim facere, nec in iudicando obſeruari. Praeterea non modo maiorem vim requirunt, adeo, vt nec effractionem, claue adulterina factam, ſufficere exiſtiment, diſſentiente tamen BERG. *Elect. crim. pag.* 35. nec effractionem ianuarum vel arcarum male munitarum: verum etiam arma ſeditioſa, et coadunatos homines, talem denique adhibitam vim, quae publicae ſpeciem habeat, et vnde facile oriri potuerit ſeditio. CARPZ. *prax. crim. quaeſt.* 79. quamuis ne id quidem ex verbis: *ſo iſt eine vergevvaltigung vnd verletzung zu beſorgen*, fluere, facile credamus CLASEN. *ad art.* 159. et TABORI *ad art.* 159.

§. LX.

Quid circa ſimplex, ſed magnum tamen?

Deinde (13. furtum SIMPLEX aliud MAGNVM aliud PARVVM eſſe ſtatuit Carolus V. et (14. magnum iudicat, quod ſit *quinque florenorum*, (*der fünff gülden oder darüber vverth iſt,*) quamuis (15. et hic doctores non ſimplices florenos Rhenanos, ſed aureos, et quidem Hungaricos, intelligant, eorumque ſententiam ſequutus etiam ſit AVGVSTVS, Saxoniae Elector, *Part. IIII. Conſt.* 32. Eo vero caſu (16. Imperator expendi iubet furti quantitatem, furis conditionem, damnum, quod inde paſſus ſit laeſus, denique, furne ἐν αὐτοφώρῳ fuerit deprehenſus, nec ne. (*ob der dieb darob berüchtiget oder betreten ſey.*) Iis vero caſibus omnibus (17. poenam de collegiorum iuridicorum ſententia definiendam eſſe monet. * CONST. CRIM. *Art.* 160.

* Quamuis vero legiſlator vtatur verbis: *Vnd die ſtraff darnach an leib vnd leben vrtheilen*: plerisque tamen locis in furto ſimplice, primum admiſſo, poena capitalis exſulat, veluti iure prouinciali Magdeburgico, quod vocant *die policey-ordn. tit.* 71. §. 1. Bauarico, MALEFIZ ORDN. *art.* 5. Salisburgenſi: BLVMBLACH. *ad conſt. crim. art.* 160. immo et paſſim alibi STRYK. *vſ. pand. tit. de furt.* §. 3. Ienenſes tamen eo caſu capitis damnare fures, ſi plus quam XX. Ioachimicos abſtulerint; Tirolenſes, ſi furtum maioris ſit 25. libris (*funff vnd zvvanzig pfund Perner*,) obſeruat KRESS. *ad d. art.* 160. §. 2. *not.* 4. *p.* 501. *ſequ.*

§. LXI.

Quid circa ſimplex,

Vbi infra quinque ſolidorum pretium ſubſidit furtum, intereſſe ait Carolus V. (18. PRIMVM furatus quis ſit, an ITERVM, an TERTIVM. Sed et (19. primum furtum ſimplex et paruum vel MA-

NI-

NIFESTVM, vel NEC MANIFESTVM eſſe, tradit, illudque (20. in honeſtioribus quadruplo; in vilioribus numellis, fuſtigatione et relegatione, puniri, ac furem praeterea rem furtiuam reddere, vel eius aeſtimationem praeſtare iubet; CONST. CRIM. *Art.* 158. (21. hoc vero, id eſt, nec manifeſtum, duplo aut certe ſimplo reſarciendum, vel, ſi fur ſoluendo non ſit, carcere expiandum eſſe, monet, ſimulque (22. praecipit, vt ſatisfactio ſimplex mulctae magiſtratui debitae praeferatur, laeſus, qui duplum recipit, magiſtratui poſtponatur. CONST. CRIM. *art.* 158. * ſed paruum, ſiue manifeſtum, ſiue nec manifeſtum?

* Enimuero huius totius articuli vix vllum hodie vſum eſſe, fere omnes fatentur. Quamuis enim ſupra oſtenderimus, diuiſionem furti in MANIFESTVM et NEC MANIFESTVM Germanis non minus, quam Romanis, ſollemnem fuiſſe, (§. 34.) adeoque non poſſimus hic ſuffragari celeberrimo KRESSIO, eam tamquam peregrinam faſtidienti, in *comment. ad conſt. crim. art.* 157. §. 1. *not.* 7. veriſſimum tamen eſt, eius fere nullam in foro hodie haberi rationem: veriſimum, ceſſare apud nos actionem in duplum, adeoque furtum huiusmodi plerumque carcere, vel relegatione, ſi furti aeſtimationem fur praeſtare nequeat, expiari.

§. LXII.

Non multo grauior eſt hominis, ITERVM ſine effractione furati, poena. Nam (23. ſi tam parum abſtulerit, vt vtraque expeditione ne quinque quidem florenorum praedam reportarit, arbitrarie numellis, relegatione perpetua vel confinatione; * ſin (24. vltra quinque florenos vtroque furto lucratus ſit, grauiore poena, pro facinoris circumſtantiis (§. 60. 16.) coercetur. CONST. CRIM. *Art.* 161. Quid circa ſecundum?

* Id eſt, prohibendus eſt fur, quo minus loco, vbi deliquit, excedat: *Er ſoll in demſelben zirck oder ort, darinnen er verwirckt hat, ewiglich zu bleiben verſtrickt werden.* Quod quamuis in Palatinatu et terris Wurtenbergicis vſu receptum eſſe, obſeruet KRESS. *in comment. ad conſt. crim. art.* 161. §. 1. *not.* 2. in his tamen ac vicinis prouinciis extra vſum eſt, vbi pro ratione *meritorum* fur potius ergaſtulo includi, vel ad operas publicas condemnari ſolet.

§. LXIII.

At bonae ſpei decoxiſſe, omnemque frontem perdidiſſe exiſtimatur, qui tertium furatus eſt. Ac proinde (25. hunc ſanctio Carolina vocat furem famoſum, (*einen mehrern verlâumdten dieb,*) eumque (26. effractori aequiparat, (*er iſt einem vergewaltiger* Quid circa tertium?

 gleich

gleich geacht,) adeoque (27. maſculum laqueo, feminam aqua ſuffocari, vel alio ſupplicio capitali pro loci cuiuſuis conſuetudine adfici iubet. * *art.* 162.

* Attamen et hoc non ſemper tam rigide obſeruatur. Nec enim (1. furta tantum numeranda putant doctores, ſed et ponderanda, et probe explorandum, an omnia ſimul quinque florenorum ſummam excedant, vel attingant ſaltim. BERLICH. *Part. IIII. concl.* 43. *n.* 39. Deinde (2. mitius agendum putant cum fure, qui ablata reſtituerit: Quin (3. ne tunc quidem locum huic ſupplicio eſſe contendunt, ſi fur iam antea non bis poenas dederit improbitatis. STRYK. *vſ. pand. tit. de furtis* §. 9. Quod et IVS MAGDEB. *cap.* 71. §. 1. adprobat. Ex quibus omnibus ſane facile intelligitur, poenam furti capitalem, quamuis ſatis antiquam, ac ex iure patrio ſuperſtitem, rarius tamen decerni, quam exigere videbatur ſaeculi improbitas. Nimirum plerumque, ſi quando Irus in caſſes incidit, vrnam mouet Minos, opulentiores facile abſoluit. *Dat veniam coruis, vexat cenſura columbas.*

§. LXIIII.

Quaedam furta aliquid ſingulare habent.

Denique quum omnes facti circumſtantias expendi voluerit legiſlator: (§. 55. 2.) facile patet, (28. cur poena capitalis non irrogetur ob furta domeſtica, (29. res amotas, (30. expilatam hereditatem. CONST. CRIM. *art.* 165. Cur (31. furtum, ad quod quis imperioſa longi ieiunii neceſſitate adactus eſt, aliquando extra poenam ſit. IBID. *art.* 166. et ibi KRESS. (32. Cur in plagio, peculatu, crimine de reſiduis, ſacrilegio, arboribus furtim caeſis, abigeatu, quaedam ſingularia occurrant, de quibus fortaſſis alio loco quaedam monebimus.

TIT. XX.

DE RAPINIS.

§. LXV.

Germanis quoque rapina crimen fuit, ſi quis ciui non peperciſſet.

PRogredimur ad alterum delictum, quod Romanis *priuatum*, Germanis ſemper *publicum* fuit, puta RAPINAM. Quamuis enim Germani, ceu iam ſuperiore titulo oſtendimus, id commune haberent cum gentibus aliis, etiam humaniſſimis, quod a latrociniis nulla eos religio, nullus pudor, vel infamiae metus

Digitized by Google

tus prohiberet: Caes. *de bello Gall. Lib. VI. cap.* 23. quia tamen hanc ſibi licentiam non aduerſus ciues vel hoſpites, ſed aduerſus exteros tantum, et extra fines ciuitatis ſuae, indulgebant: non magis inde colligitur, rapinam eos impune fieri paſſos eſſe, * quam caedes et furta.

* Sunt, qui id ſibi perſuadent, ac proinde Germanos non minus proteruos ſibi fingunt, ac ſeruum illum Plautinum *Epidic. Act. I. ſcen.* 1. *v.* 10. qui *ſe ideo minus furtificum eſſe, quam antehac*, putabat, *quod raperet propalam*. Sed ſic rapinam impune admiſſam dixeris non modo a Germanis, ſed et a gentibus tantum non omnibus, quas extra fines latrocinari olim non puduiſſe, iam alii obſeruarunt. Et quis ignorat, licitas ex lege ipſius Solonis *l.* 4. *D. de col. et corp.* fuiſſe *φορτηγίας τῶν ἐπὶ λείαν οἰχομένων*, *ſeu ſocietatum praedatum exeuntium*, quas ill. van Bynkershoek *obſeru. Lib. I. cap.* 16. de iis, qui aduerſus hoſtes excurrunt, Grotius *de iure belli et pac. Lib. II. cap.* 15. §. 5. etiam de non hoſtium depraedatione intelligit? Deinde ſi extra fines duntaxat praedas agere licuit: conſequens ſane eſt, vt id non licuerit promiſcue intra ciuitatis limites, niſi exiſtimare velis, Germanos plane nullam habuiſſe rempublicam, quin vitam piſcium vixiſſe, vbi maior deuorat minorem.

§. LXVI.

Quidam et ab exterorum non hoſtium rebus manum abſtinebant.

Immo ne omnes quidem Germani rapinis illis ac latrociniis vacabant, ſed quidam ab illis abhorrebant maxime. Tales praecipue Chauci, *populus inter Germanos nobiliſſimus, quique magnitudinem ſuam malebat iuſtitia tueri, ſine cupiditate, ſine impotentia. Hinc quieti, ſecretique nulla prouocabant bella, nullis* raptibus *aut latrociniis poſtulabantur*, teſte Tacito *de mor. Germ. cap.* 35. qui id praecipuum virtutis ac virium argumentum iudicat, *quod vt ſuperiores agant, non per iniurias adſequantur.* Nec dubium eſt, quin plures aliae ciuitates hanc Chaucorum abſtinentiam ſint imitatae, maxime, quas inopia et virium debilitas alios laceſſere vetuit.

§. LXVII.

Poena rapinae apud Wiſigothos.

Sed operae pretium fuerit, ipſa legum verba audire. Wisigothi quemadmodum furum, ita et raptorum, vitae parcebant. Neque tamen hi impune rapto viuebant. *Qui enim in itinere, vel in opere ruſtico conſtituto aliquid violenter intulerat, vel abſtulerat, vbi ex hoc a iudice fuerat interpellatus is, qui abſtulit, quadruplum reſtituere, et ſi adhuc aliquid caedis vel damni fecerat, legaliter ſatisfacere tenebatur.* Si ſeruus quid rapuerat, centum ictus flagello accipiebat, et dominum pro ſeruo ſolue-

re, vel eum noxae dare oportebat. * LEX WISIG. *Lib. VIII. tit.* 1. §. 12.

* Vere ergo WISIGOTHI receperant a Romanis actionem *vi bonorum raptorum*, vti multa alia. Quod ſaltim argumento eſt, iſtos non paſſos eſſe rapinas impune fieri. Si cui vero mollior videatur poena quadrupli, quam pro delicti magnitudine: eum cogitare velim, ne Romanos quidem, qui gentibus Germanicis ob latrocinia et rapinas famam, quam maxime differebant, ſeuerius in raptores animaduertiſſe.

Quis tulerit Gracchos de ſeditione querentes?

Id vero de ſuo addiderant Wiſigothi, quod in raptorum receptatores, et auctorum facinoris nomina non deferentes, grauius paene quam in ipſos fures animaduerterent. Honeſtioris enim loci perſonas in vndecupli reſtitutionem damnabant, ſimulque centum ictibus flagelli mulctabant; ſeruos expanſos in eculeo ducentis ictibus adigebant ad edenda ſociorum nomina. IBID. §. 10.

§. LXVIII.

Apud Burgundiones.

Seueriores in coercendis raptoribus erant BVRGVNDIONES; quorum cautum erat LEGIBVS *tit.* 9. vt *ſi quis Burgundio aut Romanus, per vim aliquid abſtulerit, vſque ad pullum, in nouigildo, ſimulque pretium a lege conſtitutum ſolueret.* Ex quibus verbis patet, nihil interfuiſſe apud Burgundiones, in itinere vel inter operas ruſticas, an quocumque alio loco et tempore, itemque minoris pretii, an maioris, rem quis ſurripuerit.

§. LXVIIII.

Apud Francos.

FRANCI in LEGE SAL. *tit.* 16. §. 1. *ſequ.* ex inſtituto agunt de SVPERVENTIS, quibus nihil aliud, quam rapinas, intelligunt, ſtatuuntque, vt, ſi quis Romanus hominem ingenuum Salicum, *ſuperuentum exſpoliauerit, ſolidis* 62. *cum dimidio; ſin Salicus Romanum*; 30. *ſolidis*, ſi denique quicumque quemcumque hominem iter facientem, aut in ius ambulantem, aut mandata regis perferentem inuaſerit, vel moratus ſit, 200. *ſolidis culpabilis iudicetur.* *

* Hic varia occurrunt vocabula Francorum forenſia. Sic inuaſio violenta vocatur *ſuperuentus, ein überfall*, vel *adſultus*, quemadmodum *adſilire* eſt *überfallen*. Qui moram in via publica alicui obiiciebant, dicebantur *viam lacinam* vel *viae lacinam* facere, LEX SAL. *tit.* 25. §. 1. *tit.* 34. §. 2. LEX RIPVAR. *tit.* 83. quod nihil aliud eſſe, quam Germanorum *vvegelagern*, vnde raptores et latrones in concilio Toloſano apud DACHERIVM *lachinones* dicantur, erudite docuit IO. GE. ECCARD. *ad leg. Salic. p.* 40. In his quamuis non conſiſtat

Digitized by Google

ſiſtat rapina, tamen, quia plerumque cum rapina coniuncta ſunt, et in titulis eo pertinentibus frequenter occurrunt, ea hic ſemel explicare viſum eſt.

LXX.

Apud quos raptor impune occidebatur.

Nec poenam tantum raptoribus ſtatuebant Francorum leges, verum etiam eos impune occidi patiebantur, tamquam ipſius reip. ſecuritatem violantes. Ita enim CAPITVLARIA *Lib. VII.* §. 122. *edit.* LINDENBROG.: *Si quis ad faciendam rapinam adgreditur, aut iter agentem in praediis adſederit, aut domum alterius nocturnus ſpoliator intrauerit, et occiſus fuerit, mors latronis ipſius a nemine requiratur.* Praeterea in raptores, interiecto tempore, paullo ſeuerius animaduertere placuit, quam antea. Exſtat enim in CAPITVLAR. *Lib. VI.* §. 96. decretum ſynodi Ingelheimenſis, quod raptores rei ipſius triplum domino dare, regi autem mulctam 60. ſolidorum exſoluere, ac praeterea eoſdem *in baſtonico * retruſos, vſque dum regi placuerit, ibi poenas luere* iubet.

* BASTONICVM CAR. DV FRESNE aeque, ac LINDENBROGIVS *in gloſſariis* interpretantur *arctiſſimam cuſtodiam.* Ille etiam SPEELMANNO ſuffragatur, id vocabulum deriuanti a Gallico *baſton*, quia cuſtodes carceris illius, tum in muneris ſui indicium, tum ad coercendos eos, qui in vinculis aliquid turbarent, baculos geſtarint, adeo, vt et ipſi commentarienſes apud Anglos a pictis, quos geſtarint, baculis *baſtons* fuerint dicti. Sed quum haec paullo longius petita ſint: probabilius dixeris, intelligi ergaſtulum, vocabulumque eſſe a Germanico *batten* vnde *battere* in LEG. SAL. *tit.* 38. §. 4. quod idem, ac verberare vel flagellis caedere. *Baſtonicum* ergo eſt ergaſtulum, vbi homines improbi perpetuis operis exercentur, vapulantque, quoties extra officium viuunt.

§. LXXI.

Ab Henrici IIII. temporibus mira bellorum ciuilium licentia.

Et talis quidem diſciplina Francorum ſub imperio viguit. Paullo poſt, ſaltim ab Henrici IIII. regis imperio * triſte iſtud fatum Germaniae incubuit, vt quae iure dirimenda erant, armis diſcernerentur, adeoque homines:

non ex iure manu conſertum, ſed mage ferro,

rem, vti olim ENNIVS loquebatur, *repeterent.* In qua rerum perturbatione, quum omnes ius belli gerendi ſibi adrogarent, fieri non potuit, quin tota rapinis et latrociniis infeſta eſſet Germania, et facinora haec omnia iure belli excuſarentur. * DATT. *de pace publ. Lib. I. cap.* 4.

* Hen-

* Henrico IIII. rege impubere, quum ſuo quiſque omnia arbitrio ageret, vel maxime inualeſcere coepit hoc malum, quod deinde per tot ſaecula Germaniam paene ad incitas redegit. Teſtis eſt auctor VITAE HENRICI IIII. *apud Reuber. cap.* 1. *p.* 159. *edit. Ioann.* cuius verba verſibus non peſſimis expreſſit AVCTOR *hiſt. belli Henrici IIII. contra Saxon. Lib.* I. *v.* 11. *apud eumdem p.* 287.

Domni regis, adhuc pueri, gens effera laxis
Dum fluit imperiis, nec habebat iura timoris:
Non falſum vero, nec iniquum ſegregat aequo:
Quod fuerat libitum ſibi, quiſque ſequuntur eorum,
Eccleſias ſpoliant, viduis ſua diripiebant,
Pupillos miſeroſque premunt, vt cuncta geruntur.
Pauperis heredem ſtatuit fortuna potentem.
Plus nocuit, qui plus potuit, lex nulla coercet,
Faſque nefaſque ſibi fuerat cuiuſque voluntas.

Et quamuis adultior iam Henricus IIII. et moleſtiſſima epiſcoporum tutela liberatus, nihil reliqui faceret, vt peſte illa liberaret patriam, *bella, violentiam ac rapinas prohiberet, pulſam pacem ac iuſtitiam reuocaret, neglectas leges reſtitueret, et ſceleris licentiam reſecaret:* VIT. HENRICI IIII. *cap.* 1. adeo tamen iam inualuerat malum, vt nec vitia ſua, nec remedia pati poſſet Germania. Nam vt denuo audiamus poetam *v.* 25. *ſequ.*

Talia quod populus tolerabat fraena ſuperbus,
Perdoluit, multumque timens, ne poena ſequatur
Tot malefacta ſui, ſtuduit contraria Regi
Viribus atque dolis. Furor hinc euenerat omnis,
Hinc belli cauſſae veniunt ſub imagine recti.

Origo hinc bellorum, quae perpetuo geſſit Henricus, quaeque et ſucceſſoribus paene omnibus fatalia fuerunt, in quibus turbis tanta fuit rapiendi ac latrocinandi licentia, vt nemo paene tutus iter faceret, et, pace licet ſubinde ſancita, ad Maximiliani tamen vſque tempora ſubinde repullularit inueteratum malum, quia laudi ſibi ducebant viri nobiles et ingenui, rapinis ſibi opes quaerere obtentu bellorum priuatorum, ſeu *faidarum*, vti tum ea vulgo adpellabantur. FRAGMENTVM HISTOR. apud VRSTIS. *Tom. II. p.* 93. *Medio tempore in parentibus aliarum circumiacentium per diuerſos* SPOLIATORES VIARVM *et* NOBILES *ipſius terrae fuerunt inſolentiae perpetratae quam plurimae.* Addatur GVIL. FRIDR. PISTORII *lebens-beſchreib. Götzens von Berlichingen Norib.* 1731.

§. LXXII.

An ideo impune rapinae factae ſint?

Quum ergo toto illo tempore non modo ingenui ſanguinis homines non puderet latrociniorum ac rapinarum, ſed et faex hominum bella potentioribus indicere non dubitaret, quale clarigationis exemplum, id eſt litterae coqui, quibus comiti Solmenſi bellum indicitur, exſtat apud MVLLER. *in reichstags-theatro pag.* 96. non abs re ſuſpicari ſibi viſi ſunt viri docti,

cti, rapinam tum non amplius pro crimine; et extra legum ciuilium poenas fuiſſe. * Quod tamen tantum abeſt, vt verum eſſe fateamur, vt potius multo ſeuerius tum animaduerſum eſſe in raptores exiſtimemus, ac temporibus vetuſtis, quibus vel mulcta mediocri, vel aliquot ictibus, expiari poterat ſcelus tam nefandum.

* Sic v. c. Io. Pavll. Kress. *ad conſt. crim. art.* 126. §. 1. *not.* 2. *Conſtat alias, quod olim vſque ad tempora Alberti II. qui anno* 1438. *faidas in vniuerſum prohibuit, et auſtregas ſubſtituit, curamque inueterati mali ſero adgreſſus eſt, graſſationes et robariae, modo non contra tabulas foederis, nec contra treugas, ad tempus inita, nec contra pacem Dei cum certis hominibus concluſam, nec abſque praeuia clarigatione exercerentur, ad licitos adquirendi modos ſpectarent.* Sed vel haec ipſa verba ſatis oſtendunt, ne his quidem temporibus promiſcue licuiſſe in Germania rapere ac latrocinari, quia ad ſola bella priuata pertinere videbatur illa rapto viuendi licentia. Potius Wern. Rolevink. qui *cap.* 10. *de mor. Sax.* apud Leibn. *Tom. III. rer. Brunſu. pag.* 646. ſuo tempore inter nobiles iactatum eſſe refert prouerbium:

Ruten, roven, dat en is ghein ſchande:
Dat doynt die beſten van dem lande,

ſtatim tamen addit: *Videres in eis non ſinet lacrymis, vt puto, formoſos domicellos pro vili victu et veſtium quotidie agonizantes,* PATIBVLO *et* ROTIS *ſe offerentes, vt inediam famemque repellant.* Et hinc *pag.* 647. eos *martyres* vocat, *ſi non Dei, tamen diaboli.*

§. LXXIII.

Nimirum bellis iſtis priuatis hanc legem dixerant veteres, vt primum rite indicerentur, de quo clarigationis ritu Pistor. *diſſert. von den fehden* §. 10. *pag.* 92. deinde ne quid fieret contra foedera, quae tum TREVGAE vocabantur, quippe quam perfidiam manus abſciſſione puniri iuſſerat Fridricus II. Imperator: Alberic. *chron. ad ann.* 1234. *pag.* 549. tum porro ne violaretur TREVGA DEI, quam vocabant, id eſt ne certis diebus, quibus inducias ſanxerant concilia et metropolitani, * vis vlli hominum inferretur. Hanc enim treugam Dei et in Germania receptam, ſed male ſeruatam fuiſſe, conqueritur Abb. Vrsperg. *ad ann.* 1116. Denique vt parceretur certis hominibus, quos ſanctos in bellis priuatis eſſe iuſſerant leges, veluti mercatoribus, agricolis, peregrinantibus religionis cauſſa, et clericis *cap.* 2. *X. de immun. cleric.* IVS PROV. Sax. *Lib. II. art.* 66. IVS PROV. Svev. *cap.* 248. Quicumque haec non obſeruarant, tamquam rapinae rei, poenas dabant, capitiſque damnabantur.

Quae differentia inter depraedationem et rapinam fuerit?

* Fuſius huius treugae Dei hiſtoriam perſequitur Car. du Fresne *in gloſſar. Tom. III. p.* 1180. vbi ex genuinis vetuſtatis monimentis docet, (1. id nominis primum auditum eſſe in Gallia, primamque pacem huiuſmodi in quinquennium in variis ſynodis ſancitam eſſe, circa annum Chriſtianum 1034. ab Aquitaniae, Lugdunenſis et Arelatenſis prouinciarum epiſcopis. Eam tamen (2. non omnes prouincias recepiſſe, et hinc ei refragatos eſſe plures, et maxime Gerardum, Cameracenſium epiſcopum. (3. Poſtea hanc pacem vel treugam Dei ad certos tantum dies reſtrictam eſſe anno 1041. ſancitumque, *vt nemo mortalium a feriae quartae veſpera vſque ad ſecundam feriam incipiente luce auſu temerario praeſumeret quidpiam alicui hominum per vim auferre.* Glab. Radvlf. *Lib. V. cap.* 1. (4. Quamuis vniuerſa paene Gallia hanc ſanctionem tum probarit: tamen eam reieciſſe Neuſtriam, quae ſerius demum illam receperit, quam deinde et alii populi fuerint imitati, quamuis, (5. non eosdem vbique dies *treugae Dei* ſtatutos eſſe, comparatis inter ſe variis decretis et legibus, obſeruet.

§. LXXIIII.

Poena raptorum capitalis ex iure Sax. et Sueuico.

Quemadmodum igitur, qui haec omnia obſeruarant, iure belli a rapinae poena erant immunes: * ita a raptoribus eo maius ſupplicium ſumebatur. Ivs prov. Sax. *Lib. II. art.* 13. *Die einen man berauben, den ſoll man das haupt abſchlagen.* Et ivr. prov. Svev. *cap.* 114. *Wer ainen man ze tod ſlecht, oder in beraubet, den ſoll man das haubt abſlahen.*

* Et huc pertinet locus Wernheri Rolevink. *de antiqu. Sax. cap.* 10. ab ipſo celeberrimo Kressio obſeruatus, Leibnit. *Tom. III. p.* 646. vbi Weſtphalorum ſuorum excuſaturus rapinas, *ſolo neceſſitatis articulo eos eſſe violentos,* ait, *ſi ad ſoluendum ſymbolum reditus haberent; numquam ob rapinas eos de tabernis exituros eſſe, multa docere eos mala, et impellere infauſtam paupertatem.* Et paucis interiectis p. 647. *ſcire eos, quo in loco, et contra quos, et quomodo, et quando res talis peragenda ſit. Vnde non ſemper omnia eſſe in malam partem accipienda.*

§. LXXV.

Itemque ex ſtatutis antiquioribus.

Quum vero vtrumque illud ius in Germania tantum non vniuerſa vſu viguerit: non mirum profecto eſt, eamdem ſanctionem poenalem etiam in statvta pleraque migraſſe. Goslariensia ſane *Lib. II. tit. van vredebrake* §. 63. apud Leibnit. *Tom. III. rer. Brunſu. pag.* 500. *De enen dodet oder vet, eder* rovet, *eder bernet ſunder mortbrandt, eder wiff, eder maget notteget, deme ſchall me dat houet affslan.* Et ivre Lvbec. *Lib. IIII. tit.* 2. *art.* 1. graſſatores, (*die iemanden auff freyer ſtraſſen berauben,*) abſentes proſcribuntur, (*man mag ſie in die acht bringen, vnd friedloſs machen,*) deprehenſi capitis dam-

damnantur, (*es gebet ihnen an ihr höchſtes, leib vnd leben.*) Gemina ſunt, quae in aliis ſtatutis paullo vetuſtioribus occurrunt. Nam recentiora pleraque conſtitutionem criminalem, tamquam normam, ſequuntur.

§. LXXVI.

Quam poenam et ſanctio Carolina retinuit.

Quemadmodum itaque in aliis delictis, ita et in rapina vindicanda, Nemeſis Carolina ſequuta eſt principia non iuris Romani, ſed Germanici, et quidem non vetuſtioris, ſed medio aeuo vſu recepti, ac proinde publicum ac capitale eſſe voluit rapinae crimen, dum *art.* 126. ita ſtatuit: *Ein ieder boshafftiger vberwundener räuber ſoll nach vermög vnſerer vorfahren vnd vnſer gemeiner kayſerlichen rechten mit dem ſchwerd, oder vvie an iedem ort in dieſen fällen mit guter gevvonheit herkommen iſt, doch am leben, geſtrafft vverden.* * Adeoque I. ex hac ſanctione capitalis eſt rapina, ſiue priuatim, ſiue in via publica admiſſa, nec hic II. tam damni dati, vel perſonae, quam turbatae ſecuritatis publicae, ratio habeatur.

* Sequi ſe hic ait Carolus V. Imp. partim ius Romanum, partim conſuetudines Germanicas, partim deceſſorum conſtitutiones. Sed ius Romanum actionem tantum vi bonorum raptorum, vel, quia et raptores fures improbi eſſe videbantur, actionem furti manifeſti dederat in quadruplum, *pr. inſt. de vi bon. rapt.* ſolos graſſatores, qui ferro inſtructi vel ſaepius rapuiſſent, et latrones, qui ſpolia cruenta detraxiſſent, capitis damnauerat. *l.* 28. *§.* 10. 15. *D. de poen.* Adeoque graſſatorum tantum et latronum poenam, a iure Romano raptoribus propoſitam, probat Carolus, in reliquorum poena definienda ob oculos habuit conſuetudines patrias, veluti iura Saxonum et Sueuorum, nec non conſtitutiones deceſſorum, qui ab aliquot ſaeculis ſancientes pacem publicam, proſcriptionis poenam comminati fuerant raptoribus omnibus. Vid. *der königl. land-fried zu Worms* 1495. §. *vnd ob iemands.*

§. LXXVII.

Omnis rapina vi et lucri faciendi cauſſa facta hodie capitalis eſt.

Ex primo itaque axiomate patet, (1. rapinam hodie eſſe capitalem, ſiue quis eam in loco priuato, ſiue in via publica, ſiue vna cum caede, ſiue ſine illa, admiſerit: Beyer. *poſit. ad conſt. crim. art.* 126. *§.* 2. at (2. plerumque tamen poenam capitalem ita temperari, vt gladio feriatur raptor, graſſatoris cadauer praeterea, ſaltim in Saxonia, rotae illigetur, latro et rota tundatur, et mortuus eidem imponatur. Idem *ibid.* §. 4. Kress. *ibid.* §. 1. *not.* 3. At (3. requiri tamen vim adhibitam, lucrique cupiditatem, adeoque ad poenam capitalem infligendam

 non

non ſufficere minas, KRESS. *ibid.* §. 4. *not.* 1. nec (4. ſolum rapiendi conſilium, IDEM §. 5. *not.* 1. nec (5. excubias ſine lucro ex rapina capto actas, nec (6. lucrum poſtea perceptum ab eo, qui a criminis admiſſi ſocietate fuerit alienus, nec (7. rapinam iuſſu et in rem domini factam, IDEM *ibid.* §. 5. BEYER. *ibid.* §. 7. nec denique (8. permutationem, vi extortam. * BEYER. *ibid.* KRESS. *ibid.* §. 4. *not.* 2.

* Eo pertinet πολυθρύλλητον iſtud: *Tauſch iſt kein raub*, quam tamen paroemiam abſurdam putant CARPZ. *prax. crim. Quaeſt.* 91. MEV. *ad ius Lubec. Lib. IIII. tit.* 2. *art.* 1. et HERT. *Lib. I. paroem. iur.* 97. *pag.* 538. ſi quis in fraudem ſeuerae iſtius ſanctionis rapinae permutationis titulum praetexat, vel pro re nihili rem pretioſam extorſerit, adeoque ad talem permutationem adegerit viatorem, qualem HOMERVS factam ait inter Glaucum et Diomedem, diſſimilia quippe permutantes, id eſt,

χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων.

§. LXXVIII.

Non hic vel damni vel perſonae habetur ratio.

Quumque hic magis turbatae ſecuritatis publicae, quam perſonarum vel damni, alteri illati, ratio habeatur, (§. 126. 2.) conſequens eſt, (9. vt non excuſetur, qui vel rem minoris pretii, * vel ſemel iterumque tantum, rapuerit: nec (10. ideo parcendum ſit reo, quod primum fecerit nefandae artis tirocinium, nec (11. quod res raptae redditae, vel (12. earum aeſtimatio ſit praeſtita, KRESS. *ibid.* §. 2. vel (13. raptor inermis homines inuaſerit. BEYER. *ibid.* §. 5. (14. Vt nec ſexus hic ratio habeatur, nec dignitatis. BEYER. §. 5. *et addend.* §. 12. KRESS. *ibid.* §. 2.

* Eſt hoc veriſſimum, et ipſis conſtitutionis criminalis verbis, quin et rationi ſeuerae iſtius ſanctionis, conſentaneum. Et tamen ſunt, qui et hic paullo mitius agendum exiſtimant cum raptoribus, ne vita hominum ob rem minimam iactetur. Hinc KRESS. *ibid.* §. 2. *not.* 1. *Aliter*, inquit, *quondam pronunciaſſe Wittebergenſes, et in caſu rapinae vi armata inque via regia factae, quia res rapta exigui pretii erat, tantum deportationem dictitaſſe, referunt* ZIERIZ *et* BESOLDVS. *Idem hodienum attendunt Francones.* KIRCHGESN. *pag.* 305. *n.* 5. *Sic in Auſtria inferiori quoque ad rei exiguitatem, item ad reiterationem et cum laeſo compoſitionem reſpicitur.* FROELICH. *n.* 349.

§. LXXVIIII.

Quibusdam tamen caſibus paullo mitius

Ex vtroque tamen axiomate recte colligunt legum criminalium interpretes, (15. mitius merito agi cum iis, qui vias non rapiendi conſilio, ſed ob aliam cauſſam, obſident, id quod vocant *das vvegelagern*, BEYER. *ibid.* §. 7. quique (16. proſcriptum,

tum, vel (17. raptorem eiuſque ſocium, ſe ſpoliantes, in via publica deprehenſos, ſpoliarint: Kress. *ibid.* §. 5. Beyer. *ibid.* §. 7. vel denique, (18. vrgente dura neceſſitatis lege, veluti fame intolerabili, alieni quidquam ſurripuerint. Kress. *ibid.* §. 4. *not.* 2. * puniuntur raptores.

* Cauſſis mitigantibus et eam accenſet v. c. Gust. Henr. Mylius *addend. ad Beyerum* §. 17. ſi Chriſtianus ſynagogam Iudaeorum ſpoliarit. Aſt vix vlla ratio eſt, cur miſereri Chriſtianos oporteat Chriſtiani, qui relicta poſt tergum non dicam Chriſtiana pietate, ſed humanitate, homines innocentes ſpoliauit, et offendiculum obiecit miſeris, quos doctrina vitaeque ſanctimonia ad ſanitatem reuocari oportebat. Sequutus ergo videtur vir clariſſimus ius Romanum, et quidem *l. 6. C. de pagan.* quamuis ea ſanctio et de poena tantum ciuili quadrupli agat, et vel ſic ſatis prodat feruens illud in alterius ſectae homines odium, quo principes imbuere ſolebant ii, quorum vel maxime intererat, iudaeos, paganos, haereticos vix homines haberi.

TIT. XXI.

DE DAMNO INIVRIA DATO.

§. LXXX.

Damna iniuria data eſſe reſarcienda, eoſque, qui illa dederint, poenam omnino mereri, apud omnes gentes tam fuit extra omnem dubitationis aleam poſitum, vt neminem futurum credamus, qui Germanorum hac in re diuerſum ab vniuerſo genere humano iudicium fuiſſe, contendat. *Neque enim*, vti ait Pufendorffius, *citra neceſſitatem reſtitutionis abs ſe inuicem laedendis abſtineret vmquam mortalium prauitas: nec ei, qui damnum paſſus eſt, facile fuerit, animum ad agendam cum altero pacem componere, quamdiu iſtius reparationem non obtinuerit.* Quod vero et ipſa recta ratio, et reipublicae exigit tranquillitas, id et apud Germanos vſu obtinuiſſe oportet, niſi eos Centaurorum Lapatharumque vitam vixiſſe, tibi perſuadeas *.

Damna iniuria data eſſe reſarcienda, et Germani cenſuerunt.

* Qua occaſione non poſſumus, quin eorum notemus *ἀκρισίαν*, qui quidquid de Scytharum, Thracum, populorumque nomadum barbarie, ſtatuque horum extraſociali, memoriae prodiderunt veteres, id omne et de Germanis veteribus dici poſſe exiſtimant. A quo ſiue errore, ſiue morbo,

morbo, ne PHILIPPVS quidem CLVVERIVS plane immunis eſt, de quo recte HVGO GROTIVS *in proleg. ad hiſt. Gothor. Eius ego diligentiam ac eruditionem ſic laudo, et audaciam tamen ſpernentis ſaepe ſine vllo firmo ſatis argumento codicum auctoritatem; conſenſumque vetuſtatis, et acceptas ab vltimis ſaeculis famas, multaque fingentis ex inanibus valde coniecturis, nec prolaturum vmquam, nec ſim probaturus.*

§. LXXXI.

Delictum tamen hoc inter leuiora fuit.

Itaque damnum iniuria datum et apud Germanos procul dubio inter delicta, et quidem priuata, vt videtur, fuit, eoque nomine rei et ad ſatisfactionem, et ad poenam procul dubio fuerunt obſtricti. (§. 16. ſequ.) Nam eo quoque pertinet locus TACITI *de morib. Germ. cap.* 12. *Sed et leuioribus delictis pro modo poenarum equorum pecorumque numero conuicti mulctantur. Pars mulctae regi vel ciuitati; pars ipſi, qui vindicatur, vel propinquis eius, exſoluitur.*

§. LXXXII.

Quamuis et caſu datum reſarciendum videretur.

Id vero magis intelliges, ſi per variarum gentium Germanicarum leges iueris, poenaſque, quibus damna iniuria data vindicarint, expenderis paullo accuratius. Sed hic quidem repetendum eſt, quod ſupra iam monuimus, (§. 3.) Romanos damna, dolo tantum vel culpa quacumque: quaſdam Germaniae gentes et caſu data vindicaſſe, LEX SAX. *tit.* 12. LEX FRIS. *Addit. tit. 3. §. 69.* quamuis et fatendum ſit, paullo aliter hic philoſophatos eſſe WISIGOTHOS *Lib. VIII. tit.* 3. §. 3. et LANGOBARDOS, *Lib. I. tit. 19. §. 20.* *

* Immo ſi dicendum, quod res eſt, non tam caſum poenae ſubiiſſe voluerunt Germani, quam culpam qualemcumque, etiam leuiſſimam. Vix enim adeo ſolo caſu homo dat damnum, vt non vel negligentia quaedam vel ſaltim factum laedentis concurriſſe praeſumitur, quod hunc ex ipſa lege aequitatis atque humanitatis ad damnum reſarciendum obliget. Vid. THOMAS. *differt. de larua legis Aquill. act. de damn. dat. detract. §. 4,* GAERTN. *ad leg. Sax. tit. 12. pag.* 95. Caue vero, id iniuſtum eſſe exiſtimes. Nam non modo ius ciuile et ob lapidem finalem caſu ablatum hominem verberari, *l. 2. D. de term. mot.* et eum, qui ſtruem frumenti caſu, non conſulta opera, combuſſerat, noxiam ſarcire, vel, ſi ſoluendo non ſit, extra ordinem coerceri iuſſit: *l. 9. D. de incend. ruin. naufr.* verum etiam ipſa lex diuina ſimile quid ſtatuit EXODI XXII. 6. quin non niſi inuoluntariorum homicidiorum cauſſa ius aſyli in ſex vrbibus ſtatuit, DEVT. XVIIII. 5. Apud Graecos quoque et Romanos tantum abeſt, vt delicta inuoluntaria extra poenam ciuilem fuerint, vt ipſam legem PAPINIANVS *l. 1. D. de leg.* et DEMOSTHENES *l. 2. D. eod.* ἐπανόρθωμα τῶν ἑκουσίων καὶ ἀκουσίων ἁμαρτημάτων, *delictorum, quae ſponte vel ignorantia contrahuntur, coercitionem eſſe*, dixerint. Vid. CVIAC. *Obſeru. Lib. XVIIII. cap.* 16.

§. LXXXIII.

§. LXXXIII.

Quemadmodum vero damnum aliud alio grauius eſt, et pro diuerſa rei familiaris ratione vnum idemque facinus in alia prouincia plus, in alia minus poteſt adferre detrimenti, veluti ſi quis arbores in terris, vel arborum parum feracibus, vel ſiueſtribus, inciderit: ita poena non poterat vbique eadem eſſe. Apud WISIGOTHOS, qui hortum alienum deuaſtaſſet, damni praeſtabat aeſtimationem, ſimulque ſi ſeruus eſſet, 50. ictibus flagellorum mulctabatur: *Lib. VIII. tit.* 3. §. 2. qui ſiluam alienam deuaſtare deprehenſus; vehiculum cum bouibus, quibus ligna auehere voluerat, cum omnibus rebus, quas dominus apud illum repererat, amittebat. IBID. §. 8. Arbores furtim caeſae certo pretio aeſtimabantur, veluti pomiferae ſolidis *tribus:* oliuae quatuor, glandiferae maiores duobus, minores vno, reliquae minus fructiferae proceriores itidem duobus. Sin non caeſae, ſed inciſae eſſent, aut ſimiles arbores, aut duplum pretium, reddere debebat reus. IBID. §. 1. Sed et vitis inciſae dupli poena erat, praeterquam quod ſeruus pro ſingulis decies flagris caedebatur, dominuſque pro eo aeſtimationem praeſtare, aut ſeruum noxae dare cogebatur. IBID. §. 5. In aliis rebus data damna certa aeſtimatione, et aliquando poena legibus conſtituta, vindicabantur. IBID. §. 6. 7. *ſequ. et tit.* 4. §. 1. *ſequ.*

Quomodo damna perſequuti ſint Wiſigothi?

§. LXXXIIII.

Quemadmodum vero iam intelleximus, hanc gentem et noxales recepiſſe actiones, dominoſque ſeruorum, qui deliquiſſent, aut damnum ſarcire, aut ſeruos noxae dare coegiſſe: ita non minus frequens apud illos erat vſus actionis de pauperie. LEX WISIGOTH. *Lib. VII. tit.* 4. §. 12. *Si cuiuscumque quadrupes aliquid fecerit fortaſſe damnoſum, in domini poteſtate conſiſtat, vtrum quadrupedem noxium tradat, an ei, qui damnum pertulit, et aliquid excepit aduerſi, iuxta iudicis aeſtimationem componat.* Vbi ſane ICtorum Romanorum ſcrinia expilaſſe Wiſigothos, * nemo non animaduertit.

Speciatim a quadrupedibus data.

* Immo et Oſtrogothi, non modo ſi ſerui, ſed et ſi quadrupedes damnum dediſſent, noxales actiones receperant. EDICTVM THEODERICI §. 109. *Si ſeruus aut colonus domino reſciente violenter aliqua rapiat, dominus eius intra annum in quadruplum, poſt annum in ſimplum conueniatur. Aut pro noxia certe ſi hoc magis elegeris, ipſum ſeruum vel colonum nouerit ad poenam iudici contradendum.* Sed haec fortaſſis non tam noxae deditio fuerit, quam

deditio

deditio ad poenam. Addere ergo iuuabit §. 117. *eiuſdem edicti*, vbi Theodericus: *Seruus*, inquit, *ſi furtum fecerit, vel damnum cuilibet dederit, niſi eius dominus hoc pro ſui quaſitate reddere vel ſarcire paratus ſit; noxae eum dare cogitur: quod et de animalibus facies, ſi alicui damna generauerint.*

§. LXXXV.

Quomodo Burgundiones?

Geminae fere ea in re fuerunt LEGES BVRGVNDICAE, quae ſatis prolixe *tit.* 10. agunt de ſeruis occiſis, *tit.* 11. 48. de inflictis vulneribus, *tit.* 13. de *exartis*, id eſt, de caſu, ſi quis alienam ſublucaſſet ſiluam, vel nouale feciſſet, (vid. LINDENBROG. et DV FRESNE *in gloſſar. voce exartus*,) *tit.* 23. et *addit. tit.* 2. *et* 20. de animalibus alterius agrum depaſcentibus *, *tit.* 47. *et* 72. de tenſuris, ad lupos occidendos vel pedicis poſitis, *tit.* 58. de cane occiſo, *tit.* 73. de aliis animalibus proterue corruptis. Sed omnia capita in eo conueniunt, quod rei par pari referre, et rem eiuſdem generis vel certam rei aeſtimationem, quam compoſitionem vocant, praeſtare, et ſimul tamen poenam fiſco inferre tenerentur.

* Noxae deditionem BVRGVNDIONES videntur ignoraſſe. Quamuis enim aliquando dederetur animal, quod feciſſet pauperiem, attamen fere ignorabant actionem, qua quis alternatiue ageret ad ſarciendum damnum, vel ſeruum noxae dandum. Hinc eorum LEGE *tit.* 18. §. 1. cautum eſt, *vt, ſi de animalibus ſubito caballus caballum occiderit, aut bos bouem percuſſerit, aut canis momorderit, vt debilitetur ipſum animal aut canis, per quem damnum videtur admiſſum, tradatur illi, qui damnum pertulit.*

§. LXXXVI.

Leges Francorum de pecoribus agros depaſcentibus.

LEGES Francorum, tum SALICA, tum RIPVARIORVM, varia diſtinguunt damna. Illa enim *tit.* 10. §. 1. *ſequ.* ne pecora quidem, quae depaſcendo damnum dederint, laedi voluerunt Franci, quamuis ea abigi, immo et includi, paſſi ſint, dummodo id fieret palam, nec animo pecora iſta ſibi habendi. * Si quis nocuiſſet animali: praeter *capitale* et *dilaturam*, et certam mulctam iudici ſoluere tenebatur. Vbi id notatu digniſſimum, quod lis inficiando creuerit, eatenus vt 15. ſolidorum mulctam ſoluere cogeretur, qui factum negaſſet, alioquin ſolam damni aeſtimationem praeſtiturus. IBID. §. 1. 4. *et* 5.

* Hinc poenam LEX SALICA *ibid.* §. 2. minatur iis, *qui caballum vel iumentum* IN FVRTVM FINXERINT. Vbi recte notat ECCARDVS, *in furtum* hic idem eſſe, ac *propter furtum*, ſeu vt quis furari illud commode poſſit: *pingere* autem notam animali adpingere. Paullo poſt §. 3. ſimilis poena ſtatui-

ſtatuitur, ſi quis pecora ita incluſerit, *vt nulli penitus innoteſcat.* Quae omnia eo pertinent, vt diſcrimen adpareret inter furtum vel rapinam et pignorationem animalium, neue illa huius obtentu fierent. Vt adeo hoc ius in Germania antiquiſſimum eſſe, extra omnem dubitationis aleam poſitum ſit.

§. LXXXVII.

Eadem LEGE SALICA *tit.* 20. agitur de vulneribus, quae ibidem varie diſtinguuntur, ita, vt pro periculi magnitudine maiore, vel minore mulcta expientur. Nec alia eſt LEGIS RIPVARIAE diſpoſitio, quae *tit.* 1. *et ſequ.* de variis ictibus, de effuſo ſanguine, oſſibus confractis, ſimilibuſque damnis et vulneribus, praecipit, ſed omnia illa damna certa mulcta iubet expiari, maiore plerumque, quam LEX SALICA, adeo, vt eum, qui oculum excuſſerat, centum: qui ingenuum exſecare auſus fuerat, 200. ſolidis mulctari velit. Similis aeſtimatio obſeruatur *tit.* 19. *ſequ.* vulnerum vel plagarum, ſeruo illatorum, quamuis ibi quoque varia vulnerum genera diſtinguantur *. De inflictis vulneribus.

* Sic ictus, quo ſanguis non elicitur, ibi vocatur BVNISLEGI, vel potius, vti ex LEGE LANG. *tit.* 4. §. 30. *edit. Herold.* LEG. BAIVVAR. *tit.* 3. *cap.* 1. §. 1. et ALAM. *tit.* 59. patet, BVLISLEGI vel PVLSLAHI, PVLESLAC, PVLISLAC, PVLESCHLACH, a Germ. *beule et ſchlag.* Maior mulcta inferenda erat, ſi quis ſanguinem elicuiſſet, ac multo maior, ſi os ſerui confregiſſet, maxima ſi eumdem mutilaſſet, vel caſtraſſet. Quamuis tunc non niſi 36. ſolidorum mulcta eſſet, quae et, occidente ſeruum ſeruo, exigebatur, vid. LEX RIPVAR. *tit.* 18. vt adeo caedi aequiparaſſe videantur hoc crimen, aeque ac Hadrianus Imp. ſenatuſque Rom. *l.* 5. *l.* 6. *D. ad leg. Corn. de ſicar.*

§. LXXXVIII.

Nec minus LEGES SALICA *tit.* 32. et RIPVARIOR. *tit.* 5. certa pecunia aeſtimant membra, quibus alter alterum mutilauerit, quamuis apud hos maioris eſſent, quam apud illos, ſiquidem pro manu abſciſſa vtraque lex ſolidos centum, pro ita vulnerata, *vt pendeat*, illa 62. haec 50. pro pollice abſciſſo illa 45. haec 50. pro *pendente* illa 30. haec 25. pro ſecundo vel indice digito, illa 25. haec 36. ſolidos exigit. Atque ita LEX vtraque et reliqua membra, veluti digitos, pedes, oculos, naſum, auriculas, linguam, dentes, ſuo quaeque pretio aeſtimat, nec vllius poenae facit mentionem. Si quadrupes feciſſet pauperiem: vtriuſque legis diſpoſitio aliquid habet ex Romana noxae deditione et iure Germanico mixtum. * Vid. LEX SAL. *tit.* 39. et RIPVAR. *tit.* 46. §. 1. *et* 2. De membris corruptis vel abſciſſis.

* Lex Salica : *Si aliquis homo ex quolibet quadrupede, qui domeſticus fuerit, occidatur, et hoc cum teſtibus potuerit adprobari, dum illius dominus, cuius pecus erat, ſi ante legem non adimpleuit, medietatem de ipſa leudi componat, et pro alia medietate ipſum quadrupedem homini donet. Si vero pecoris dominus vitium in eo non intellexerit, ſecundum legem exinde, ſe poteſt defendere, et de ipſo pecore nihil ſoluat.* Eadem ſanctio eſt legis Ripvariorvm; niſi quod haec *leudem* vocat *weregildum* ſimulque monet, ob pauperiem, factam a quadrupede, *fredum non ſolui.* Id vero de nouo addit, ſi quadrupes quadrupedem interfecerit, dominum prioris quadrupedem occiſum accipere, ſuumque domino laeſo noxae dedere, ſimulque occiſi aeſtimationem praeſtare cogendum eſſe.

§. LXXXVIIII.

Diſpoſitio legum Alamannicarum, Langobardicarum, et Baiuuaricarum de damnis.

De damnis variis agunt etiam lex Alam. *tit.* 59. *ſequ.* 73. *ſequ.* 90. 99. et Baivvar. *tit.* 3. *ſequ.* lex Langob. *Lib. I. tit.* 7. *et* 8. *tit.* 21. Sed ne hic quidem, quod a principiis reliquorum Germanorum diſcrepet, reperias. Omnes enim damna, quae lex Baivvaria vocabulis Germanicis exprimit, * certo pretio vel compoſitione farciri iubent, nec abſimilis eſt illa quadrupedum, qui pauperiem faciunt, deditio, cuius meminit lex Langob. *Lib. I. tit.* 21. §. 5. illi, quam ſuperiore §. ex lege Ripuariorum deſcripſimus.

* Sic ictum, quo ſanguis non elicitur, haec lex vocat pvleslac, quod ſupra iam expoſuimus : manus iniectionem infanc, ab *infangen* vel *einfangen* : venae laeſionem athargrati ab *ader*, i. e. vena, capitis laeſionem, talem ob quam *teſta adpareat*, gebvlskini, a *giebel* vel *gebul*, vertex, et *skini*, *erſcheinen*, adparere : ictum, quo os, integra pelle, fractum, pvleprvst a *pule* vel *beule* et *bruſt*, quo vtebantur pro *bruch* a *brechen*, vnde eine *wolkenbruſt*, *preshaffi* : laeſionem interiorum membrorum hrefawvnt a *href*, venter, ceu ex Odfredi euangeliis probauit Lindenbrogivs *in gloſſar. pag.* 1412. fortaſſis a Germ. *ribbe* coſta, et *wund* vulneratus : ligationem vi factam hropant, a *raub* vel *rob*, et *band*, quaſi vincula per rapinam iniecta : cicatricem ſiue in auricula, ſiue in alio membro, lidiscarti a *lid* vel *glied*, membrum, et *ſcart* vel *ſcharde*, cicatrix. Sic et *orſcardi* cicatrix in aure : leg. Alam. *tit.* 60. dentem maxillarem excuſſum marchzan, non quaſi terminalem, vti viſum eſt Lindenbrogio, ſed a *march*, medulla et *zahn*, dente : deiectionem a ponte vel ripa invnwant, quod, quid ſit, neſcire me fateor : deiectionem ex equo marchfalli, a *mare*, Saxonice *mâre*, *equus* et *fall*. Sunt in eodem titulo vocabula Germanica : herireita, pro turba ſaltim 42. clypeorum, quae liberum hominem circumdat, ab *heer* et *reita*, quaſi *gerathe*, *heer-gerathe*, vnde nos hodie *mit heeres-kraffi.* Neque enim probabilis eſt coniectura Lindenbrogii, *reita* eſſe a *reuten* vel equitando : heimzvht pro turba minore, hominem circumdante, quod eſt ipſum noſtrum *heimſuchung*. Nam et specvlator Svev. cap. 226. §. 2. viri ar-

mis

mis ſactam vocat *eine heimſuchung.* (Conf. LEHMANN. *chron. Spir. Lib. IIII. cap.* 16. et DV FRESNE *gloſſar. lat. Tom. I. pag.* 696. *ſeq.*) WANCSTODAL, ſimulata ſtatio, a *wahn*, opinio, perſuaſio, et *ſtadel*, ſtatio: TAVDREGIL, (quod et in LEG. ALAM. *tit.* 60. §. 31. hoc ſenſu occurrit,) pro claudo, quid ſit, ego quidem ſcire me fateor iuxta cum ignariſſimis.

§. LXXXX.

Sed et LEX SAX. non modo *tit.* I. varia vulnera, more Germanorum, certo pretio aeſtimat: ſed et *tit.* II. *et* 13. reliqua damna, vel culpa, vel caſu alicui illata, praeſtita aeſtimatione ſarciri iubet, nec impune id ferre patitur illum, cuius quadrupes alicui fecit pauperiem. Nec abſimilis eſt LEX ANGL. *tit.* 2. 3. 4. 5. 16. *et* 17. niſi quod haec damnum nobili vel *adalingo* datum ſeuerius vindicat: quam quod ingenuus paſſus ſit, dominumque non modo *tit.* 16. pro ſeruo, ſed et *tit.* II. pro quadrupede ſatisfacere iubet. Nec LEX FRISIONVM, quae de damnis agit *tit.* 4. 12. *et* 22. et *in addit. tit.* 2. *et* 3. quidquam habet ſingulare, cui immorandum hic videatur. * Nec non Saxonicarum, Anglicarum, et Friſicarum.

* Nullam tamen legem eſſe, quae vulnera varii generis, quae *tit.* 22. DOLG vocantur, maiore cura diſtinguat, ſingulorumque certiorem aeſtimationem ſtatuat, quam Friſicam, recte obſeruavit SICCAMA *ad rubr. tit.* 22. id ſimul notans, eam legem et a poſteris eadem cura ac diligentia obſeruatam, immo et ſtatutis, anno 1602. recognitis, paucis mutatis inſertam eſſe *Lib. II. tit.* 2. Ceterum DOLG veteribus non modo ſica erat, qua vulnera infliguntur, quam et pugionem vocamus, verum etiam ipſum vulnus. GLOSSA KERONIS: *Vulnera* TOLC. Alia apud LINDENBR. *pag.* 1390. DOLEC *exitialis*. OTFRID. *euangel. Lib.* 3. *cap.* 25.

Thaz ſy gheſunt therſelve folk.
Thuruh thes einen mannes dolck.

i. e. vt ſaluetur omnis populus, per vulnera vnius viri. Et *cap.* 26.

Thuruh ſinan einem dolk.
War al gehalten ther folk.

id eſt, per vnius eius vulnera ſaluus erat vniuerſus populus. Quin et in LEGIBVS INAE et ALFREDI, Regum Anglosaxonicis *tholigen* idem eſſe, ac occidere, obſeruat LINDENBROG. *ibid.*

§. LXXXXI.

Sed ſatis diu nos detinuerunt leges gentium Germanicarum antiquiores. Proximum eſt, vt ad inſequentia tempora, quibus SAXONUM et ALAMANNORUM iura per vniuerſam paene Germaniam viguerunt, progrediamur. Haec vero iura itidem ſatisfieri iubent laeſo, ac ne poenam quidem ei perſolui volunt, quamuis mulctam iudex exigeret, ſi culpa interceſſiſſet. Pertinent huc ex IVRE PROV. SAX. *Lib. I. art.* 68. *Lib. II. artic.* 34. 38. 46. *et* 47. *Lib. III. art.* 48. 51. *et* 86. vbi variae variorum damnorum aeſtimationes, quas wergelda vocabant, occurrunt, * quales etiam repe- Quid ius Saxonicum et Sueuicum de damnis ſanxerit?

Digitized by Google

reperias in IVRE PROV. ALAMANN. *cap.* 187. 189. 191. 354. 365. *ſequ.* et alibi paſſim.

* Id vero hic non videtur praetermittendum, quod hoc ius tam accurate diſtinguit varia vulnera. Alia enim vocat FLEISCHWVNDEN, quae profunda, non lata, nec mortem minantur, nec debilitatem membrorum. Alia OFFENE WVNDEN, quae lata, ſed non profunda, ipſa quoque ſine periculo ſunt. Alia KAEMPFER-WVNDEN, vulnera, *die eines nagels tieff, ſo ſie noch friſchvnd vngeſchwollen ſind*, item vulnera collo, brachiis, pedibus, vel aliis membris; *da ſie die tieffe vnd länge vor den knochen nicht gewinnem können*, in primis vero cranio inflicta, oculi excuſſio, naſi abſciſſio, vulnera in facie, quae capillus non tegit, et mutilationes omnes, ac vulnera cum vitae periculo coniuncta. Eſt, vbi et BLVTHRVNSTIGE et BEINSCHROETIGE VVVNDEN occurrunt, quorum naturam ex ipſis vocabulis facile intellexeris.

§. LXXXXII.

Et ſpeciatim de pauperie a quadrupedibus facta?

Quod ad pauperiem, quam quadrupes fecerit, attinet, IVRE PROV. SAX. *Lib. II. art.* 40. cautum eſt, vt dominus veram aeſtimationem ſeu wergeldum eo nomine praeſtet, (*ſein herr ſoll den ſchaden gelten, nach rechten vvergeld, oder nach ſeinem vverth beſſern*,) niſi domo expulerit animal, quod tunc ſibi iure vindicat laeſus. At SPECVLATOR SVEVVS *cap.* 211. diſtinguit, occideritne quadrupes hominem, an eundem, ſalua vita, laeſerit. Priore caſu ad exemplum legis Moſaicae quadrupedem lapidibus obrui iubet, ac carne eius, quippe impura, veſci quemquam, vetat; poſteriore ſanctionem SPECVLATORIS SAXONIS retinet.

§. LXXXXIII.

Axiomata iuris Germ. de damnis.

Ex quo incredibili gentium Germanicarum in vindicandis damnis conſenſu colligimus, I. numquam eos in vſum recepiſſe legem Romanorum Aquilliam: ſed II. ſemper damnorum, ſiue aeſtimabilia eſſent, ſiue inaeſtimabilia, certam aeſtimationem praeſtari voluiſſe: nec tamen III. ſemper impunem eſſe paſſos dolum vel culpam latam, cum eiusmodi facinore coniunctam. IIII. Seruos Germanorum, ſi quid ſibi adquirerent, ipſos; ſin pleraque domino: hos damna ſarcire debuiſſe. * V. Idem etiam obtinuiſſe, ſi quadrupes feciſſet pauperiem, niſi dominus animal pro derelicto habere mallet.

* Quemadmodum ne hodie quidem vna ſeruorum omnium vbique conditio eſt, dominis alibi plus, alibi minus per illos adquirentibus: (Lib. I. §. 38.) ita iam olim pleraque ſerui adquiſiuiſſe dominis videntur apud WISIGOTHOS, (§. 83.) Francos, (§. 88.) et quasdam alias originis Germanicae gentes, quae vel domino arbitrium dabant, damnum reſarcire, an ſeruum noxae dare mallet:

let: vel eumdem abſciſſe ad ſatisfactionem pro ſeruo praeſtandam obſtringebant.

§. LXXXIIII.

Lex Aquillia ex Germania exſulat.

Quemadmodum itaque actionem legis Aquilliae numquam olim vſu receperant Germani: *(§. 93. 1.)* ita certiſſimum eſt, (1. ne cum Romana quidem iurisprudentia eam ſibi viam in fora Germaniae muniuiſſe, ac (2. proinde ſua opinione falli, qui hodie de damno iniuria dato agi poſſe putant non modo ad reſarciendum damnum, verum etiam in tantum, quanti res intra annum, vel menſem proximum, plurimi fuerit. * SCHILT. *Exerc. XVIIII.* §. 66. Contra (3. nihil eſſe verius ſententia THOMASII, qui ſingulari, eaque pererudita, diſſertatione actioni, qua damna in foris noſtris perſequimur, laruam legis Aquilliae primus detraxit. *Halae* 1703.

* Niſi quod legis Aquilliae diſpoſitionem permanaſſe in IVS PROV. PRVSSICVM *Lib. VI. tit.* 11. *art.* 1. §. 5. oſtendit THOMAS. *diſſert. de larua leg. Aquill. act. de damno dat. detracta* §. 45. Id quod et in noua huius iuris emendatione, quae Regiom. 1721. prodiit, relictum eſſe, animaduerto, quamuis ibi quadrupedes ab animalibus reliquis non diſtinguantur. Contra in Friſia, vbi ſanctior, quam vſquam terrarum legum Romanorum cuſtodia eſt, actionem quidem, de damno iniuria dato, vix alio nomine, quam actionis ex lege Aquilliae nomine venire obſeruaui: attamen numquam agi in tantum, quanti res intra annum vel triginta dies proximos plurimi fuit, ſed ad id, quod intereſt actoris, fatetur HVBER. *praelect. ad inſtit. Lib. IIII. tit.* 3. §. 6. *et ad pandect. Lib. VIIII. tit.* 2. §. 18. quod et de aliis Belgii prouinciis oſtendunt GROENEVVEGEN *ad tit. de leg. Aquill.* et alii.

§. LXXXXV.

Adeoque et concluſiones iuris Romani, quae ex illa fluunt.

Ex quo porro conſequitur, (4. vt apud nos nihil diſcriminis ſit, ſiue quadrupedem pecudem aliquis occiderit, ſiue aliud damnum in quacumque re dederit: ſiue (5. corpore corpori datum ſit, ſiue non, adeoque (6. nullus apud nos vſus ſit diſtinctionis in actiones *directam*, *vtilem*, et *in factum*: vt multo minus (7. lis apud nos inficiando creſcat, vel (8. vmquam peti poſſit tantum, quanti res intra annum vel triginta dies proximos plurimi fuit. STRYK. *vſ. hod. ad Lib. VIIII. tit.* 2. §. 2. GISEB. *Iuſtinian. harmon. eod. n.* 53. Quibus in rebus, quum praecipue poſita fuerit legis Aquilliae diſpoſitio: eam legem Germanos numquam adoptaſſe, facile intelligitur.

§. LXXXXVI.

Actio de damno

Quumque damnorum certam aeſtimationem praeſtari voluerint maiores noſtri: (§. 93. 2.) eos & hodie imitantur poſteri, ac proinde,

hodierna eſt rei perſequutoria. inde, (9. vel ſingulis damnis certam aeſtimationem ſtatuunt, quod leges Friſicae aliaeque faciunt, vel (10. iudicis religioni relinquunt aeſtimationem damni iniuria dati, vel (11. ipſi actori iniungunt probationem eius, quod ſua intereſſe contendit. Ex quo facile patet, (12. actionem hodiernam de damno dato, quod ad actorem attinet, rei perſequutoriam tantum eſſe, non poenalem, vel mixtam, ac proinde (13. etiam aduerſus heredes dari, * MEV. *part. 5. deciſ. 39.* diſſentientibus licet CARPZOVIO *part. IIII. conſt. 12. def. 9. et aliis*: immo et (14. aduerſus furioſos et infantes, eatenus, vt damnum ab iis datum ex eorum bonis reſarciatur. THOMAS. *diſſertatione laudata §. 62.*

* Videtur hoc primum ius canonicum inuexiſſe, ut et ex delictis defuncti heredes tenerentur ad damnum reſarciendum, quatenus id vires hereditatis ferre videantur. Eo enim pertinent *can. 3. cauſſ. 16. quaeſt. 6. cap. vlt. X. de ſepult.* et *cap. 5. X. de raptor.* quo vltimo capite et ratio additur: *vt ſic defunctus a peccato valeat liberari*, id eſt, ut reatu ſoluatur anima, et, praeſtita ab heredibus ſatisfactione, ex igne purgatorio tanto citius euolet. Quae ratio, quamuis non quadret purioris eccleſiae principiis: ipſa tamen iuris canonici deciſio vel ideo ſatis concinna eſt moribus noſtris, quod apud nos naturam actionis rei perſequutoriae plane induit actio, qua damnum iniuria datum perſequimur.

§. LXXXXVII.

Quomodo, ſi plures damnum dederint aduerſus ſingulos agatur in ſolidum? Nec (15. difficile iam erit intellectu, quatenus hodie actio de damno a pluribus dato aduerſus ſingulos inſtitui poſſit in ſolidum? Quum enim actionibus ex delicto rei perſequutoriis ita a ſingulis ſolidum exigi ſoleat, vt vno ſoluente reliqui liberentur, actio autem de damno dato hodie fere ſit rei perſequutoria: (§. 96. 11.) recte ſtatuit SCHILTERUS *Exerc. XVIIII.* §. 70. vno reſarciente damnum, reliquos liberari, quamuis (16. ipſe recte aliud obtinere exiſtimet, ſi actio ſimul ſit poenalis, in eo vero (17. fallatur, quod vno ſoluente tunc quoque non liberatum iri reliquos cenſeat, ſi quis in foro noſtro ex lege Aquillia agere velit. Talem enim actionem extra vſum eſſe, iam antea obſeruauimus.

§. LXXXXVIII.

Poenam etiam iudex recte irrogat. Attamen recte obſeruauit SCHILTERVS *ibid. §. 67.* et nos idem paullo ante inculcauimus, (§. 93. 3.) non ſemper impunem eſſe velle Germanos dolum, vel culpam latam eius, qui aliis damnum dederit. Ex quo colligimus, (18. a iudice aliquando et poenam irrogari poſſe, (19. ſiue illa ſtatutis definita ſit, ſiue (20. a iudice pro ratione *περιστάσεων* definiatur. Eam vero poenam (21. ab heredibus

dibus exigi non poſſe, ex ipſa natura actionum poenalium facile intelligitur.

§. LXXXXVIIII.

Quum porro hodie ſerui raro omnia adquirant dominis: ex quarto, quod (§. 93.) praemiſimus, axiomate conſequitur, (22. vt et noxales hodie actiones extra vſum ſint, nec (23. Germani ſeruos noxae dare, aut dominis damni aeſtimationem iniungere, ſed (24. ipſos homines proprios ad reſarciendum damnum condemnare, et (25. ſi ſoluendo non ſint, eos carcere, aliisue poenis corpus adfligentibus, coercere ſoleant. THOMAS. *not. ad inſt. Lib. IIII. tit.* 8. *pag.* 268. (26. Vt ea coercitio ipſis ſaepe dominis permittatur, et, (27. ſi hi illam denegent, vel ſerui facinus tacite probent, ipſi directa actione teneantur. Conf. BEYER. *poſit. dig. tit. de nox. act.* et HOPPIVS *ad tit. eumd. inſt.* §. 5.

Quomodo in Germ. agendum ob noxiam ſeruorum?

§. C.

Denique ex vltimo axiomate noſtro (§. 93. 5.) reddi poteſt ratio, (28. cur hodie quoque dominum damnum datum reſarcire oporteat, ſi in culpa fuit, quadrupedemque vel aliud, quod pauperiem fecit, animal, gnarus licet ferociae eius, non pro eo, ac decet, cuſtodiuit. SCHILT. *Exerc. XVIIII.* §. 3. *ſequ.* (29. Cur plerumque etiam damni depaſcendo dati aeſtimationem praeſtare cogatur dominus, ſi pignori captum ſit animal in re praeſente. (30. Cur in Saxonia nulla actione pulſari poſſit, qui pecudem illico domo expulit, at, (31. ſi illam ſecum retinuerit, wergeldum laeſo vel eius familiae debeat. (32. Cur adeo nec actionis de pauperie, nec (33. actionis ex aedilitio edicto vllus vſus ſit in foris Germaniae. THOMAS. *not. ad Inſt. Lib. IIII. tit.* 9. *pag.* 268. *ſequ.*

Quomodo ob quadrupedariam pauperiem?

TIT. XXII.

DE INIVRIIS.

§. CI.

QVam exiſtimationis ſuae ac famae ſtudioſi fuerint Germani, ex iis, quae ſupra de his, qui notantur infamia, diximus (Lib. I. §. 391. ſequ.) ſatis ſuperque intelligimus, ex eoque facile patet, non paſſos illos eſſe quemquam impune aliquid agere in alterius contumeliam, adeoque et hoc delictum, tametſi mere priua-

Germani ſeuere vindicarunt iniurias.

priuatum, ea, qua decet, ſeueritate vindicaſſe, et ita quidem, vt non minus laeſo, quam ipſi reipublicae, ſatisfieri eo nomine oportere ſtatuerint, ſiue VERBALIS, ſiue REALIS alicui illata eſſe iniuria diceretur, * quamuis huius exempla pleraque ad damna iniuria data retuliſſe videantur.

* *Scriptae* vel per *picturam* illatae iniuriae exempla ſaltim vetuſtiſſimis temporibus eo rariora fuiſſe videntur, quo minus ſcribendi pingendique Germani eſſent periti. At medio aeuo huiusmodi iniuriarum non deſunt exempla, quamuis ea commode ad verbales ac reales referri poſſint. Quin quemadmodum ſcripturae aeque, ac picturae, ad aliquem infamandum pertinebant: ita ſaepe illis vtebantur poenae cauſſa, ſi quem ob turpe facinus infamem ad omnem poſteritatem eſſe vellent. Quin ſolebant ſe medio aeuo ipſi contrahentes obligare ſub poena picturae famoſae. Quo pertinet docta SAM. BRVNQVELLI *diſſertatio de pictura famoſa. Ien.* 1733.

§. CII.

Veteres iniurias fere priuatim vlciſcebantur.

Et antiquiſſimis quidem temporibus per multum relictum fuiſſe videtur priuati cuiusuis arbitrio, vt viri honeſti, quacumque adfecti contumelia, ipſi cum familia exiſtimationem ſuam armis tuerentur, eiusque contumeliae auctorem perſequerentur tamdiu, donec is palinodia, vel alio modo laeſo ſatisfeciſſet. Eo enim vel maxime pertinere videntur illa TACITI *de mor. Germ. cap.* 21. *Suſcipere inimicitias * ſeu patris, ſeu propinqui, quam amicitias, neceſſe eſt. Nec implacabiles durant.*

* Pleraeque inimicitiae ex iniuriis naſcuntur, eaeque et hodie communes eſſe ſolent laeſis cum vniuerſis familiis, in quas iniuria non minus, quam in ipſum laeſum, videtur redundare. Nemini ergo mirum videbitur, iniurias potiſſimum occaſionem dediſſe ſingularibus certaminibus, belliſque priuatis, in gente, armis diſcernere ſolita, quae alibi iure finiebantur. VELLEI. PATERC. *Lib. II. cap.* 118. Sane de Vmbris, quos Gallorum propaginem fuiſſe tradit SOLINVS *cap.*8. auctor eſt NIC. DAMASCEN. *in excerpt. Peireſcian. pag.* 513. eos, *ſi controuerſiam inter ſe habuerint, pugnaſſe armatos, perinde ac in bello, et qui ſuos aduerſarios interemerint, eos iuſtiorem habuiſſe cauſſam viſos eſſe.* Et de Frothone M. Danorum Rege, qui tempore Chriſti nati vixiſſe fertur, memoriae prodidit SAXO GRAMM. *Lib.V.* eum tuliſſe legem, *vt de qualibet controuerſia ferro decerneretur, ſpecioſius viribus, quam verbis confligi, ratum*, quumque Hithino quidam exprobraſſet Hoginus, quod filiam ſuam ante ſponſalia ad ſtuprum ſollicitaſſet, eam iniuriam non niſi ferro purgari poſſe, ſtatuiſſe Frothonem, eumque ideo eos commiſiſſe, quod *id ſolum dirimendae controuerſiae remedium viſum eſſet.*

§. CIII.

Poſtea et leges iis

Iſte mos, quamuis et ad poſteros tranſiret, non tamen prohibuit, quo minus & leges tantum nefas citarent, quas pro inſtituti ratione

ratione paucis iuuabit enarrare. Lex Wisigothica nihil admodum de verbalibus iniuriis ſancit, niſi quod *Lib. VI. tit.* 4. §. 7. ſeruum, in perſonam nobilem vel illuſtrem contumelioſum, quadraginta; vel ſi vilioris ſortis ſit, quinquaginta ictibus caedi iubet. Quod ad reales attinet, pleraſque poena talionis vindicari animaduertimus, * *Lib. VI. tit.* 4. §. 3. niſi reus tranſegiſſet cum actore, aeſtimationemque, quae ibidem multis verbis deſcribitur, praeſtitiſſet. Serui et liberti, et ſi qui ſoluendo non eſſent, flagellis caedebantur. oppoſitae ſunt, a Wiſigothis.

* Pleraſque dico. Nam quum Reccaredvs, legislator, difficilem talionis exſequutionem non minus animaduerteret, quam Fauorinus apud Gell. *noct. Attic. Lib. XX. cap.* 1. quosdam ille caſus nominatim excepit, in quibus paullo difficilius aequalitatem delicti ac ſupplicii obtineri poſſe praeuidebat: *Pro alapa vero*, inquit, *pugno, vel calce, aut percuſſione in capite prohibemus reddere talionem, ne, dum talio rependitur, aut laeſio maior, aut periculum ingeratur. Sed ſi quis haec ſine periculo membrorum, aut aliqua laeſione, praeſumtuoſus intulerit, pro alapa* 10. *flagella, pro pugno vel calce* 20. *pro percuſſione vero in capite, ſi ſine ſanguine fuerit, ab eo, quem percuſſerit,* 30. *flagella ſuſcipiat.*

§. CIIII.

Lex Bvrgvndionvm non minus, quam Wisigothica iniurias verbales fere diſſimulat: nec de realibus quidquam ſancit, niſi quod *tit.* 32. eum, qui hominem liberum ligauerit, ſolidos 12. qui libertum ligauerit, 6. qui ſeruum, 3. laeſo praeſtare, & tantundem iudici exſoluere iubet, et inſequente *tit.* 33. ſequioris ſexus pudori conſulit, * et ob capillos, ei in via euulſos, ſimilem poenam pro diuerſa mulieris conditione ſtatuit, ſeruosque, matronae ingenuae hanc inferentes iniuriam, 200. libertam decaluantes, 100. ancillam denique iſthoc decore ſpoliantes, 75. ictibus caedi iubet. Burgundionibus.

* Quod ipſum argumento eſt, Burgundiones quoque, maiorum ſequutos conſuetudinem, exiſtimaſſe, viris ipſis curae fore iniuriarum vindictam, eosque armis potius, quam actione forenſi perſequuturos eos omnes, a quibus contumeliae quidquam paſſi eſſent. Nullam enim fere Germanicae originis gentem plus vi atque impetu egiſſe, quam Burgundiones, eosque multo facilius, quam alias gentes, in id certamen, quod *μονομαχίαν* vocant, iuiſſe, ex Lvdovici Cellotii *opuſculo de populari iudicio Dei* obſeruat Conr. Sam. Schvrzfl. *de vet. regno populoque Burgund. cap.* 4. *§.* 4. *p.* 56. *ſequ.*

§. CV.

Accuratiſſime iniuriarum verbalium aeſtimationes deſcribit Lex Saliis,
Salica *tit.* 33. ex eaque lege antiquiſſima ſimul diſcimus, quae quorum

leges de iniuriis verbalibus,

iis temporibus conuicia fuerint cum maxima ignominia coniuncta. * Quisquis enim alterum *cinnitum* vel *falſatorem* vel mulierem *meretricem* vocaſſet, 15. ſolidos, qui *concacatum* vel *vulpeculam*, ſolidos 3. qui *leporem*, ſolidos 6. qui ingenuo exprobraſſet, quod ſcutum abiecerit, vel eum tamquam delatorem traduxiſſet, 15. ſolidos ſoluere tenebatur. Atrociſſimam iniuriam intuliſſe videbatur, qui alterum tanquam *chereburgum*, vel *ſtrioportium*, vel ingenuam mulierem tamquam *ſtriam* diffamaſſet, ac proinde vtrumque conuicium magna ſatis poena, et prius quidem ſolidorum ſexaginta duorum et dimidii; poſterius centum octoginta ſeptem, erat expiandum.

* At quid ſibi volunt barbara illa conuicia? CINNITVM ECCARDVS *ad legem Salic. pag.* 64. interpretatur cinaedum: ſed gloſſa Malbergica *Quinvas* (ita enim legendum eſſe ipſe monet,) potius a *cinnis* conuicium iſtud deriuandum eſſe indicat. Cunni enim muliebris et villi idem vocabulum fuiſſe apud maiores noſtros, ipſe ECCARDVS *pag.* 65. obſeruat. VVLPECVLAE conuicium et aliis gentibus notum, (vid. *Luc.* XIII. 32.) in eos cadit, qui inſidiis ac fraudibus potius, quam virtute ac fortitudine, alios adoriuntur, eiuſque conuicii exemplum dabit GREG. TVRON. *hiſt. Lib. VIII. cap.* 6. CONCACATVS idem eſt, ac ſordidus, vti et veteribus *cacatae* chartae idem ac ſordidis verbis conſpurcatae. LEPORIS conuicium et hodie homines vel timidiuſculos, vel ſtolidos manet. CHEREBVRGIVM vel *herburgium* maleficum vel veneficum notare, certum eſt, eaque notio ſupereſt apud Heluetios, qui veneficum et hodie vocant *herberger*. Vocabulum ex Latino *herbarius* corruptum eſſe videtur ECCARDO *pag.* 47. qui et de *ſtrigibus*, quae hic ſtriae vocantur, quaedam vel maxime ad rem pertinentia habet *pag.* 110.

§. CVI.

et de realibus.

Sunt in eadem lege quaedam, ad iniurias reales pertinentia, veluti quae de ligatis ingenuis, ſiue Francis, ſiue Romanis, ſtatuuntur * *tit.* 35. §. 1. *ſequ.* et quae de mulieribus parum verecunde tactis ſanciuntur *tit.* 33. §. 1. *ſequ.* Talia et in LEGE RIPVARIORVM ſunt *tit.* 41. §. 1. *ſequ.* et *tit.* 39. quum alioquin haec lex nuſquam coerceat iniurias verbales, argumento luculentiſſimo, hanc quoque gentem illas armis potius, quam actione forenſi, vindicare conſueuiſſe. Ceterum vtroque caſu vtraque lex certam mulctam indixit reis, quos in alios iniurios fuiſſe paruerit.

* Gloſſa Malbergica hanc mulctam vocat OBREPVS ANDREPVS. Prius plane ſpurium eſſe exiſtimat ECCARDVS *pag.* 68. poſterius deriuat ab *ander* alius, et *poſſen* vel *puſſen*, quod idem veteribus fuerit ac *ſezzen*. Captiuare vero et hodie Germanis eſſe *einen ſezzen*. Sed miror, virum doctiſſimum rem obuiam tam longe petere. Mulcta, quae in Saxonia hoc caſu adhuc obtinet, κατ' ἐξοχὴν, vocatur *die buſſe*, vel *die Sachſſen-buſſe*, *emenda Saxonica*, quumque hoc LEGIS SALI-

SALICAE titulo modo 45. modo 30. modo 15. ſolidorum mulcta exigatur ab illis, qui liberos homines ligauerint: manifeſtum eſt, priores ſummas vocari OBREPVS, quaſi *die obere buſs*; poſteriorem ANDREPVS, quaſi *die vntere buſs.* Quid argutiis opus eſt in re maxime perſpicua?

§. CVII.

LEX quoque ALAMANNICA iniurias verbales paene praeteruehitur. Reales illas potiſſimum vindicat, quae clericis et mulieribus fuerint illatae, quia illos muneris vitaeque ſanctimonia, has ſexus infirmitas impedire videbatur, quo minus armis exiſtimationem ſuam tuerentur. * Hinc qui epiſcopo quamcumque iniuriam fecerat, eamdem mulctam, quam ob ducem iniuria adfectum quis deberet, qui presbytero, triplum; qui diacono vel monacho, duplum; qui alii clerico ſacra facienti, ſimplum cum tertia parte eius mulctae, quae ob alium hominem ſoluenda fuiſſet, ſoluere tenebatur. LEX ALAMANN. *tit.* 12. 13. 14. 15. 16. Qui ingenuae feminae colaphum inflixerat, ita, vt ſanguis non ſequeretur, duos; qui lidae, vnum et tremiſſem; qui ancillae, vnum ſolidum debebat. *tit.* 95. §. 1. Qui iter facientis virginis caput denudauerat, ſolidum; qui feminae, duos ſolidos ſoluere cogebatur. IBID. *tit.* 58. §. 1. Item ab Alamannis,

* Additur quidem *tit.* 95. §. 2. 3. *Si barus fuerit, ſimiliter; ſi ſeruus fuerit, medium ſolidum ſoluat.* Vbi *barus* eſt vir, quippe qui ſaepe feminae in LEGIBVS antiquis opponitur. Vid. LINDENBR. *gloſſar. pag.* 1363. Sed dubius eſt legis ſenſus, neque ex verbis ſatis intelligitur, vtrum, ſi vir feminam ceciderit, ſimilem poenam ſoluere teneatur, an, ſi viro quis colaphum inflixerit, eadem poena obtineat. Poſterius vel ideo minus opinabile eſt, quod quum §. 1. ob colaphum lidae inflictum ſolidus cum tremiſſe, ob ancillae impactum vnus ſolidus exigatur, ſeruo dimidio tantum ſolido veniret alapa. Quomodo ita dici potuit: *Si barus fuerit, ſimiliter?* Nihil ergo in illa LEGE, quod ad iniurias, viris illatas, pertineat, reperias, praeterquam quod *tit.* 65. §. 1. *et* 2. is, qui inuitum totonderit ingenuum, 12. & qui barbam ei inuito detotonderit, 6. ſolidis mulctandus eſſe dicitur.

§. CVIII.

Idem fere de BAIVVARIORVM legibus repetendum videtur. et Baiuuariis. Quamuis enim illae poenam irrogent omnibus, qui vel epiſcopum, vel presbyterum, vel diaconum, vel alium ſiue clericum, ſiue monachum, iniuria vlla adfecerint: LEX BAIVVAR. *tit.* 1. *cap.* 8. 9. 10. nec minus omnem tactum mulierum inuerecundum certa mulcta velint expiari: * *tit.* 7. *cap.* 3. 4. 5. vix quidquam tamen in iis eſt, quod ad iniurias verbales, viris illatas, pertineat, et pauciſſima, quae ad reales, niſi quae *tit.*

3. *cap.* 1. §. 1. *ſequ.* de iis pulſatis verberatiſque; et §. 7. *et* 8. de iisdem ligatis occurrunt, huc referre velis, quamuis priora capita iam ſupra ad damna iniuria data retulerimus.

* Sunt et harum iniuriarum feminis illatarum ſingularia quaedam vocabula. Manus iniectio libidinis cauſſa facta ibi *cap.* 3. *d. tit.* 7. vocatur HORGRIFT ab *hore* vel *huhre* et *griff*, ein *huhrengriff*. Ibidem *cap.* 4. *indumentorum ſuper genicula leuatio*, vocatur HIMILZORVN, vel, ſi quid video, HIMMETZORVN, ab *hemmet* vel *hembde* induſium, et *zerren* trahere. Denique *cap.* 5. *diſcriminalium deiectio de capite* dicitur VVVLTWORF, vel, vti alii reſcribi iubent, VVALAVVORFF, ſiue a *vvult*, vel *vvulſt*, ſiue a *vvale*, quod non caput ſignificat, vti LINDENBROGIVS in *gloſſar. pag.* 1497. credidit, ſed velum muliebre. Vnde et velum lugubre, quo matronae vtuntur, et hodie quoque vocatur *eine trauer-vvahle*. Hinc *vvahlevvorff* eſt deiectio veli muliebris, quemadmodum *vvalaraupa* rapina veli muliebris in LEG. BOIOAR. *tit.* 18. *cap.* 3. §. 1. *vvalapauz*, ornatus veli muliebris, à *vvale* et *puzz*. LEG. LANGOB. *Lib. I. tit.* 15. §. 5.

§. CVIIII.

Cur in reliquarum gentium Germ. legibus nihil fere de iniuriis ſanciatur?

Fruſtra porro aliquid, quod ad iniurias, maxime verbales, pertineat, in LEGIBVS SAXONVM, ANGLIORVM, et WERINORVM, nec non FRISIONVM, quaeſiueris, non ob aliam, vti videtur, cauſſam, quam quod et hae gentes ius ſibi manu dicere, quam in foro litigare, mallent. Pauca tamen huc trahi poſſunt, veluti quod inciſio veſtis vel ſcuti 36. capillorum prehenſio 120. admenatio, quam hodie vocant, 12. ſolidorum mulcta luenda eſſet ex LEGE SAX. *tit.* 1. §. 7. 8. Qualia leguntur etiam in LEGE FRIS. *addit. tit.* 3. §. 39. *et* 40. *

* In eadem lege *addit. tit.* 3. §. 44. legimus: *Si quis alium vnguibus cratauerit, vt non ſanguis ſed humor aquoſus decurrat, quod cladolg vocant: ter denis denariis Freſionicis componat.* Vbi facile vnusquiſque intelligit CRATARE eſſe noſtrum *kratzen*, Saxonice *kratten*, vnguibus ſecare. Vnde non opus eſt, vt cum SIBRANDO TED. SICCAMA *ad h. l. pag.* 118. verbi vere Germanici originem ex Graecia, ἀπὸ τῦ χαράττειν, arceſſamus. Idem etiam non intellexiſſe videtur alterum vocabulum CLADOLG. *Dolg* vero eſſe vulnus, iam ſupra vidimus, *claien* vel *Kleyen*, Saxonibus et hodie συνώνυμον eſt verbi *kratzen*. Vtrumque diſcere SICCAMA potuiſſet ex LINDENBR. *gloſſar. pag.* 1377. *et* 1383.

§. CX.

Langobardi vindictam priuatam prohibebant.

Hactenus eadem omnia obſeruauimus in legibus Germanicarum gentium. Superſunt LANGOBARDORVM LEGES, quae id primum prae aliis ſingulare habent, quod non paſſae ſunt quemquam

quam

Digitized by Google

quam armis vindicare iniuriam, ſibi illatam. Exſtat enim *Lib. I. tit.* 17. §. 1. lex Rotharis, Regis, quam inſanae illi armis has lites diſcernendis conſuetudini ex inſtituto oppoſitam, dixeris, * quae ita ſe habet: *Si quis pro iniuria ſua vindicanda ſuper quemcumque hominem manu armata aut cum exercitu vſque ad 4. homines in vicum intrauerit: ille pro illicita praeſumtione moriatur, aut componat ſolidos* 900. *medietatem regi, et medietatem illi, qui iniuriam paſſus.* cetera.

* Eſt hoc ſane obſeruatu digniſſimum, primos fere Langobardorum reges, quamuis Arianos, non modo barbaram illam ac inſanam ius ſibi manu dicendi conſuetudinem, ſed et ipſa ſingularia certamina, quae iudicum auctoritate inibant litigantes, damnaſſe. Enimuero quam alte hominum animis eo tempore inſederit improba conſuetudo, vel id argumento eſt, quod ſaluberrimam legem de lite ſuper praedio iureiurando finienda, non modo ſuggillauit Carolus M. Imp. Leg. Langob. *Lib. II. tit.* 4. §. 23. verum etiam Otto II. Imp. illam plane ſuſtulit, et ſingularia certamina reuocauit in vſum, et quidem omnibus Italiae proceribus id in pluribus ſynodis et comitiis, iam pridem non ſine conuicio flagitantibus. Vid. Lex Langob. *ibid.* §. 34.

§. CXI.

Quo magis itaque quidam Langobardorum reges a vindictae priuatae licentia, quam ſibi adhuc vnusquiſque adrogauerat, abhorrebant: eo diligentius de perſequendis iniuriis tum verbalibus, tum realibus, edicebant legibus ſuis. Nam de verbalibus *Lib. I. tit.* 5. §. 1. legimus: *Si quis alium* ARGAM * *per furorem clamauerit, et negare non potuerit, et dixerit, quod per furorem dixiſſet: tunc iuratus dicat, quod eum* ARGAM *non cognouiſſet, et poſtea componat pro ipſo iniurioſo verbo ſol.* 12. Quid ſi vero exceptione veritatis ſeſe tueretur reus? *Tunc ſi perſeuerauerit*, ait legiſlator, *et dixerit, ſe poſſe probare: per pugnam conuincat eum, ſi potuerit, aut certe componat, vt ſupra.* Sed et inſequente §. 2. Guido et iis, qui iudici minari aut conuiciari non dubitent, et ipſi iudici iniurioſo poenam irrogat, et illis quidem widrigildum, huic quinquaginta libras auri optimi. Eorum leges de iniuriis verbalibus.

* Arga, familiare Langobardis conuicium, ceu patet ex loco Pavlli Diac. *hiſt. Langob. Lib. VI. cap.* 24. vbi Ferdulfus Dux Foroiulienſis, Sculdaſium quemdam Argaidem, ab arga nomen habere, ac proinde nihil fortiter agere poſſe, conuicitur, vbi ipſe Argaid *argam* interpretatur *inertem et inutilem.* Lindenbr. *in gloſſ.* p. 1358. cui hunc Pavlli locum debemus,

mus, ſimul addit locum ex GLOSSA vetere, quae ARGAM *cucurbitam* interpretatur. Quamobrem qui locum illum PAVLLI explicant, id conuicium in eum praecipue, cuius vxor ſe aliis, non inuito marito, ſubſternat, cadere exiſtimant. conf. CAR. DV FRESNE *gloſſ. voce arga.* Sed quid pluribus opus eſt, quum vocabulum *arga* ſit ipſum Germanicum *arg*, prauus, malus, quo non inertes modo et imbelles, ſed omnes, quibus mala mens, malus animus eſſet, notabant? Hinc ſaepe hoc ſenſu vocabulo vtitur LVTHERVS in verſione ſua, veluti *I. Ioan. III. 12. V. 18. 19.*

§. CXII.

Itemque de realibus.

Nec minus ſeueri erant LANGOBARDI aduerſus eos, qui quid fecerant in alterius contumeliam. Agit de eo iniuriarum genere totus *tit. 6. Libri I.* ex eoque diſcimus, eum qui in alterum nihil tale metuentem irruerit, eumque *turpiter tenuerit, aut battiderit*, (verberarit,) *medium pretii ipſius, ac ſi eum occidiſſet, ei componere* debuiſſe: §. 1. qui liberum hominem ligauerit: *in duas partes pretii, ac ſi eum occidiſſet*, condemnatum eſſe, *eo, quod in turpitudinem, et in derididulum ipſius, eum male tractauerit.* §. 2. Ita et, qui barba vel capillis traxerat hominem ingenuum, VI. qui ſeruum, vnum ſolidum mulctae nomine laeſo debebat. §. 4. Sic neque impellere alterum, vt caderet, nec pugnum aut alapam impingere licebat, ſiquidem prima et poſtrema iniuria ſex, ſecunda tribus ſolidis erat expianda. * LEX LANGOB. *ibid.* §. 5. *et* 7. *

* Priuilegium odioſum redolet lex Aiſtulphi, regis, *Lib. I. tit.* 16. §. 8. Quum enim et antecedente, et hoc titulo, grauius vindicentur iniuriae quaedam reales, veluti *tit.* 15. §. 1. *et* 2. *ſi quis homini libero viam anteſteterit*, §. 3. ſi aliquem agrum ſuum ingredi prohibuerit, quibus caſibus mulcta erat xx. ſolidorum, §. 4. *et* 5. ſi quis alterum equo deiecerit, vel ei veſtimentum furtiuum iniecerit, quibus caſibus reus in 80. ſolidos condemnabatur: ſequente *titulo* 16. multo grauior poena ſtatuitur in illos, qui virgini, vel matronae fecerint iniuriam. Qui enim puellae in via obſtitiſſet, vel ei aliquam intuliſſet iniuriam, 900. ſolidis mulctabatur §. 1. ſimilesque mulctae ſatis graues §. ſequentibus irrogantur illis, qui alias iniurias intuliſſent feminis honeſtioribus. Demum §. 8. refert Aiſtulphus, rex, *perueniſſe ad ſe, quod dum quidam ad ſuſcipiendam cuiusdam ſponſi cum paranymphis aut trotingis ambularent, peruerſi homines aquam ſordidam et ſtercoratam ſuper ipſam iactaſſent.* Quare vt exemplo alii abſterrerentur, eam iniuriam 900. ſolidis, inter regem et ſponſae tutorem diuidendis, iubet expiari. Ceterum *trotingi*, quos vetus Gloſſa interpretatur *ioculatores*, vnde nomen habeant, non facile dixerim.

§. CXIII.

§. CXIII.

Leges veterum Francorum de libellis famoſis.

Tales ſunt leges, quas iniuriis oppoſuiſſe veteres Germanos, animaduertimus. Quum vero iam eo tempore aliquam legendi ſcribendique facultatem ſibi adquiſiuiſſent homines noſtri: non mirum eſt, ſi et libelli famoſi iis in manibus eſſe coeperint. Eorum vero auctoribus, et quicumque illos diuulgaſſe dicerentur, primum exſilium atque infamiam, poſtea et ictum fuſtium comminantur CAPITVLAR. *Lib. VII.* §. 142. *et* 278. eadem poena et illis, qui in manus ſuas incidentes non ſtatim ruperint propoſita. Immo et abſtenti reddi iubentur, qui huiusmodi libellos in templo propoſuerint. CAPITVL. *Lib. VI.* §. 243. *edit. Lindenbr.*

§. CXIIII.

Medio aeuo armis fere iniurias vlti ſunt illuſtres.

Inſequentibus temporibus apud Germanos adeo inoleuerat mos, ius ſibi manu dicendi, vt vnum hoc ingenuitatis nobilitatisque ſincerae ſpecimen videretur, iniurias manu vindicare, in eoque cardine ſummam exiſtimationis verti exiſtimarent. Hinc ne illuſtres quidem puduit, in hanc arenam honoris cauſſa, vel, vti tum loquebantur, *vmb ehre vnd glimpff*, deſcendere. Exempla quamplurima collegit WLSONIVS *dans le théatre d'bonneur et de cheualerie Tomo II. pag.* 263. *ſequ.* Sed nobis vnicum adferre placet, quod ſub titulo: *Sententia arbitralis Ioannis, Regis Franciae, ſuper controuerſia bonoris inter Ottonem, Ducem Brunſuicenſem, et Henricum, Ducem Lancaſtriae,* * edidit G. G. LEIBNITIVS *ſcript. rer. Brunſu. Tom. II. pag.* 47.

* Henricus, Dux Lancaſtriae, agens Coloniae, neſcio quid iactaſſe in Ottonem, Brunſuicenſem, dicebatur. Hic litteris ſcriptis eum ad ſingulare certamen euocarat. Excuſante ſe Henrico, et falſo rem Ottoni relatam obteſtante, interpoſuit ſe Ioannes, Rex Franciae, effecitque, vt viri principes et cognati in gratiam redirent. Ipſi ſententiae *p.* 49. inſerta eſt clauſula: *Volentes, et ordinantes, quod alter eorum alterum firmiter et vere teneat* BONVM, *legalem et fidelem militem, et tales eos, quoad hic veraciter et firmiter tenemus: ordinantes etiam, quod alter eorundem promittat in manu noſtra alteri bona fide, quod alter alteri per ſe, vel per amicos ſuos, aut alios aliqua via non faciet, nec procurabit quidquam mali ſiue damni vllo tempore, publice vel occulte, occaſione praemiſſorum.* Et talem quidem exitum res habuit anno 1352. quem paullo attentius conſiderans doctiſſimus LEIBNITIVS *in prolegom. Tomi II. p.* 9. ſubductis rationibus hanc facit cogitationum ſuarum ſummam: *Inde enim diſci poteſt non tantum, quam ſtudioſi fuerint antiqui tuendae dignitatis, ſed etiam, quam fuerint in cauſſa honoris tractanda circumſpecti. Laudari etiam regis Ioannis generoſus animus debet, qui primarium* re-

regis, hoſtis ſui, virum, ipſumque hoſtem non ſpernendum, conſeruaru, quem alterius nihil ad ſe pertinentis periculo confici impune pati poterat. Et ſane fatendum eſt, illis ſaeculis, quae nunc prope barbara cenſentur, multa fuiſſe edita exempla iuſtitiae et generoſitatis, a noſtris moribus non aeque exſpectanda.

§. CXV.

Vnde actio ad palinodiam, deprecationem, declarationem honoris?

Siue vero tranſactione ſingulare certamen impediretur, * ſiue, ortum inde bellum priuatum facta pace componeretur: fieri non poterat, quin laedens laeſum vel virum honeſtum eſſe fateretur, vel veniam ab eo rogaret, vel palinodiam caneret. Quae vera eſt origo actionis ad palinodiam, cuius alioquin ne in vetuſtis quidem Germanorum legibus vel vola, vel veſtigium occurrit.

* Quod fiebat, quoties vel in arbitrum compromiſſum, vel princeps aliquis rogatus eſſet, vt locum vel campum iis, qui inter ſe confligere vellent, praeberet. Hic enim ſibi ſtipulabatur facultatem, inimicos illos reducendi in concordiam. Sic Ludouicus, Dux Sabaudiae, apud Leibnit. *prodr. cod. iur. gent. n. 173. §. 2. p. 416.* anno 1457. rogatus a Sigiſmundo Pandulpho de Malateſtis, Arimini domino, vt ſibi et Frederico, Montisferrati, Vrbini et Durantiae domino, quem ipſe ea lege ad ſingulare certamen prouocauerat, *vt alter vſque ad mortem incluſiue alterum in campo propterea ſtatuendo, teneretur deuincere, et vt victori licitum eſſet, victum interficere, aut, quo voluerit, captiuum transferre*, locum et campum concederet, morem ei geſſit, *ita tamen, vt poſſet, ſicut decet principem, et pacis zelatorem, ante duelli introitum et poſt, de ipſarum partium concordia tractare, et partes ad illam inducere pro poſſe, et victo, ſi forte duellum ſequatur, vitam donare et conſeruare, deque captiuitate deuicti arbitrari.* Quis vero dubitaret, quin eo caſu arbiter victum ad deprecandam vel reuocandam iniuriam, vel agnoſcendam ſaltim ſaluam alterius exiſtimationem, condemnauerit?

§. CXVI.

Concluſiones de abolita fere apud Germanos actione aeſtimatoria.

Inde ergo facile patet, (1. cur et hodie alicubi iniuriae certa pecuniae ſumma, partim actori, partim iudici perſoluenda, expientur: (2. cur, introducto iure Romano, conceſſa quidem iniuria aliqua adfectis fuerit actio iniuriarum aeſtimatoria, at (3. eius tamen pleroſque Germanos paullatim pertaeſum, eique (4. denunciatio, quam vocant, ſurrogata ſit, ita, vt praeuia ſummaria cauſſae cognitione, iudex et de ſatisfactione laeſo, et de mulcta iudici debita decernat, adeoque (5. quibusdam locis actionem iniuriarum aeſtimatoriam plane in exſilium egerint edicta de ſingularibus certaminibus atque iniuriis, inter quae Prussica et Saxonica eminent, et vbique fere celebrantur. *

* Quin

Digitized by Google

* Quin quibuſdam locis iam pridem ab vſu receſſit actio aeſtimatoria, veluti in ducatu Magdeburgico. Vid. Verbess. Proc. Ordn. *cap.* 50. §. 10.

§. CXVII.

Ex iisdem Germanorum inſtitutis reddideris rationem, (7. cur frequentiſſima in Germania ſit actio *ad* PALINODIAM, quam et leges imperii probant: REC. IMP. *ann.* 1530. §. *item als iezt.* ORD. CAM. IMP. *part. II. tit.* 28. eique (8. locus ſit, quoties verbis alicui honeſtiori facta ſit iniuria atrocior, non quidem (9. exprobrato vitio naturali, Berl. *part. V. concl.* 59. *n.* 18. ſed (10. morali, quod alterius pudorem ſuggillat, modo (11. is, qui intulit iniuriam, crimen illud non probarit. Quamuis enim veritas conuicii ne in Germania quidem a poena liberet: * palinodiam tamen ceſſare, nemo negauerit. Heig. *part. II. quaeſt.* 31. *n.* 43. cur (12. quibuſdam locis ob atrociores, quae concurrunt, περιστάσεις haec palinodia canenda ſit *vor öffentlich-gehegten gericht, vor dem Rath offenes hauſſes, auff dem ehrloſſen blocke.* Vid. STATVT. Hamb. *part. IIII. art.* 58. De palinodia.

* Multo minus ergo liberabat nominatio auctoris, quum Germanis quotidie in ore ſit paroemia: *Wehrmann haben hülffe nicht*, quam pro more interpretatur Hert. *Lib. I. paroem.* 98. *p.* 559. vbi et eleganter diſquirit, an ſi quis non dolo malo, ſed vitio quodam garrulitatis, aliquid huiuſmodi effuderit, nominatio auctoris excuſet? Id enim adfirmauerat Ant. Matth. *de crim. Lib. XXXXVII. tit.* 4. *cap.* 1. *n.* 3. Pertinere ſine hoc videtur ad religionem iudicantium, vt aeſtiment, quo animo quid narratum ſit, amico quid creditum, an diuulgatum ſit promiſcue, denique ſine contumelia aliquid dictum, quod publice ſciri interſit, an animo, famam alteri diffrendi per ciuitatem. Mev. *part. V. deciſ.* 389.

§. CXVIII.

Quum vero palinodia, quippe cum inſigni infamia coniuncta, non niſi ob atrociores iniurias decerni ſoleat: (§. 117. 8.) conſultius ſemper viſum eſt, (13. ob conuicia minus atrocia, et maxime, (14. ſi talia dicta ſint perſonae eiusdem conditionis ac dignitatis, loco palinodiae reo iniungi DEPRECATIONEM CHRISTIANAM, quae (15. in iudicio fieri ſolet, (16. oblata dextra, (17. formula paullo dilutiore: poenitere ſe illatae iniuriae, ac rogare, vt ſibi pro eo, ac Chriſtianum decet, ignoſcere velit, nihil eiusmodi in poſterum contra illum dicturo. Attamen (18. et formula acriore decerni poſſe depre- De deprecatione Chriſtiana.

Digitized by Google

cationem Chriſtianam, non eſt, quod dubitemus. Mev. *part. III. deciſ.* 30. Carpz. *prax. crim. quaeſt.* 94. *n.* 18. *ſequ.*

§. CXVIIII.

De declaratione honoris.

Ab vtraque, palinodia aeque ac deprecatione, differt declaratio honoris, quam vocant. Ei enim (19. locus eſt, quoties verba, quae alter tamquam iniuriam interpretatur, ambigui quodammodo ſenſus, nec (20. eius, qui iſta protulit, dolus malus vel animus conuiciandi adeo manifeſtus ſit. Mev. *ibid. deciſ.* 30. Quin (21. in Saxonia huiusmodi declaratio ante litis conteſtationem, ſua ſponte, viuaque voce, et praeſenti actori, facta actionem iniuriarum plane tollit. Carpz. *ibid. n.* 14. *ſequ.* Finckelth. *obſ. L.*

§. CXX.

De libellis famoſis.

De libellis famosis nihil eſt, quod moneamus, niſi quod, (22. quamuis poenam talionis eorum auctoribus ſtatuerit Carolvs V. *Imp. in conſt. crim. art.* 110. (23. eaque ſeueritate vſi ſint legislatores quidam, veluti Avgvstvs, *Saxon. Elector, part. IIII. conſtit.* 44. et ciuitas Hamburgenſis, *part. IIII. art.* 7. tamen (24. plerisque locis raro tam dira ferri ſoleat ſententia, et libello famoſo a carnifice combuſto, vel ipſius rei manibus conſciſſo, (25. delictum mulcta, carcere, relegatione, vel fuſtigatione pro atrocitate iniuriae ac diuerſitate τῶν περισάσεων expietur. Brvnnem. *ad l. vn. C. de famoſ. libell.* Engelbrecht. *digeſt. Lib. XXXXVII. tit.* 10. *§.* 58.

TIT. XXIIII.

DE CRIMINE MAIESTATIS.

§. CXXI.

Cur hic non agatur de criminibus extraordinariis?

Magnam iuriſprudentiae criminalis Romanae partem occupabant crimina extraordinaria, quorum ea erat indoles, vt nec ſingulares de iis leges exſtarent, nec praetores perſequutionem eorum ordinariam ſortirentur: ſed ſenatus populusue Romanus, ſi quando tale quid incideret, quaeſtionem alicui magiſtratui extra ordinem mandaret, ceu luculenter oſten-

tendit GRAEV. *praefat. Tomi II. theſaur. antiqu. Rom. pag.* 30. Id vero diſcrimen quum ignorarint Germani, et maleficia, quae eo referre ſolebant Romani, partim ignota maioribus noſtris, partim ordinaria fuerint: iis merito praetermiſſis, ad CRIMEN MAIESTATIS progredimur.

§. CXXII.

Equidem quum gentes Germanicae iam antiquiſſimis temporibus coaluerint in respublicas, nec minore pietate ſuam quisque patriam proſequeretur, ac Romani, quin pro ea adſerenda tuendaque pulcherrimum perpetuumque bellum gererent: non ſane eſt, quod dubitemus, quin ſeueriſſime animaduerterint in eos, qui vel hoſtili in rempublicam animo eſſent, vel vllo grauiore facinore ſplendorem dignitatemque principis vel reipublicae dolo malo, at ſine hoſtili animo, laeſiſſent. Ita enim iureconſulti Romani crimen PERDVELLIONIS ET MAIESTATIS, ſpeciatim dictae, diſtinguunt.*

Crimen maieſtatis ſeuere vindicatum a Germanis.

* Crimen PERDVELLIONIS maiores noſtri *proditionem* et *ſeditionem* vocaſſe videntur. OTTFREDVS *ſeditionem* ſemper vocat VRHEIZ, veluti *Lib. IIII. cap.* 5. *v.* 90. *Lib. III. cap.* 20. *v.* 194. *cap.* 25. *v.* 38. *Lib. IIII. cap.* 13. *v.* 98. Vid. IO. SCHILT. *gloſſar. Teuton. p.* 820. *Prodere* veteribus erat FIRLATI. OTTFR. *Lib. IIII. cap.* 8. *v.* 38. niſi ibi legendum ſit *firrati*, (*verrathen.*) Anglis ſane crimen perduellionis et hodie vocatur *proditio*, eamque iſti in maiorem et minorem diuidere ſolent. COVVELL. *Inſt. iur. Angl. Lib. IIII. tit.* 18.

§. CXXIII.

Seueritatis iſtius exſtant exempla. Generatim TACITVS *de mor. Germ. cap.* 12. *Prodigos*, inquit, *et transfugas arboribus ſuſpendunt.* Hinc infeſtior Ciuilis in Vbis, *quod gens Germanicae originis, eiurata patria, Romanorum nomen Agrippinenſes vocarentur.* IDEM *hiſt. Lib. IIII. cap.* 28. Sed priorem locum iam ſupra explicauimus: poſteriori plures ſimiles addere, nihil attinet.

Iam temporibus Taciti.

§. CXXIIII.

Ex quo legibus ſcribendis animum adiicere coeperunt gentes Germanicae, maxime, quae ſibi extra Germaniam nouas ſedes quaeſiuerant: nulla earum fuit, quae non acriores poenas ſtatuerit in illos, qui principum ac reip. maieſtatem laeſiſſent, maxime quum reges ac principes ſuos aliquando parum reuerenter haberi in tanta ciuium libertate, animaduerterent.*

Poſtea et legibus regum et reip. ſecuritati cautum eſt.

*Quam

* Quam parum ſancta apud WISIGOTHOS fuerit regum perſona, ex AIMONII *hiſt. Franc. Lib. II. cap.* 20. ipſisque conciliorum canonibus, et HIER. HIGVERAE *notis ad Luitprandum* oſtendit HERT. *notit. pop. Germ. part. III. cap.* 7. §. 3. Facile enim in reges ſuos ſtringebant gladium, aut ſi mitius cum iis agendum putarent, imperium illis abrogabant, ſi parum placere coepiſſent, rati, id ad libertatem ſuam pertinere, vt ipſi non minus a regibus, quam ab ipſis, reges metuerentur. Similia de Vandalis narrat PROCOP. *Vandal. Lib. I.* de Herulis IDEM *Gothicor. Lib. II.* de Burgundionibus AMMIAN. MARCELLIN. *Lib. XXVIII. cap.* 5. de Langobardis PAVLL. WARNFR. *Lib. IIII. cap.* 5. et *Lib. VI. cap.* 59. Ex quibus exemplis colligit GROT. *de iure belli et pac. Lib. I. cap.* 3. §. 11. *n.* 3. gentes has omnes ius imperandi non niſi reuocabile, ac veluti precarium, dediſſe regibus ſuis.

§. CXXV.

Qualis lex Wiſigothorum de perduellione.

Et WISIGOTHICAE quidem leges *Lib. II. tit.* 1. diſerte diſtinguunt perduelles, et eos, qui criminando maledicendoque in principem peccarunt. In illorum claſſem §. 7. referunt transfugas, ſeditioſos, regicidas, * vel de eorum abdicatione conſilia agitantes: eoſque omnes vltimo ſupplicio adfici iubent, bonis omnibus, etiam quae eos in fraudem fiſci eccleſiis donaſſe conſtiterit, in fiſcum redactis, niſi forte ipſi regi gratiam reo facere ſupplicii placuerit, ſiquidem tunc ille oculis erutis, boniſque publicatis, decaluatus, et centum flagellorum ictibus laceratus, perpetuo exilio damnatur, omnique ſpe adſpirandi ad dignitatem palatinam priuatur.

* Legiſlator Recaredus et hic conqueritur de turbato huiusmodi coniurationibus Gothorum imperio. Nam initio §. 7. *Quantis*, inquit, *hactenus Gothorum patria concuſſa ſit cladibus, quantisque iugiter quatiatur ſtimulis profugorum, et nefandae ſuperbiae deditorum, ex eo paene cunctis eſt cognitum, quod et patriae deminutionem agnoſcunt, et per hanc occaſionem potius, quam expugnandorum hoſtium externorum, arma ſumere ſaepe compellimur.* At nihil fuiſſe regicidiis frequentius, ipſi GOTHORVM annales oſtendunt. Auctor enim eſt ISIDOR. *Chron. Goth. ad eram* 349. Athaulfum per quemdam Gothum apud Barcinonem inter familiares fabulas iugulatum: et *ad eram* 454. Sigericum, Athaulfi ſucceſſorem, mox a ſuis interfectum; *ad eram* 490. Turiſmodum, dum multa ageret inſolentius, a Theuderico et Frigtarico fratribus obtruncatum: *ad eram* 491. ſimili parricidio Eurici fratris periiſſe Theudericum parricidam, et *ad eram* 545. Geſelicum ab Ebbaue quodam occiſum, *ad eram* 564. Amalarium ab exercitu in foro Narbonenſi iugulatum eſſe, refert. Denique ſimile fatum fuiſſe Theutiſcli, et Agilae, obſeruat *ad eram* 580. *et* 584. Quin ne legem quidem illam a Recaredo latam profuiſſe ſucceſſoribus, vel inde patet, quod eius filius LIVVA, a Witterico, tyrannidem adfectante, in ipſo adoleſcentiae flore regno deiectus praeciſaque dextra, occiſus eſt. ISIDOR. *ad eram* 640. quodque ipſe Wittericus dignum tanto ſcelere exitum habuit, coniuratione ſuorum interfectus. *ibid. ad eram* 642.

§. CXXVI.

Non minus poena, quamuis paullo leniore, digni videbantur, qui ſine hoſtili animo principi maledixerant, vel aliud quidquam aduerſus eius maieſtatem dignitatemque admiſerant. Nam honeſtiorum * dimidia pars facultatum publicabatur. Sin vilioris conditionis homo in tantum furorem incidiſſet, et perſona, et bona eius, in poteſtate regis erant. Quin ſi quis et mortuum principem conuiciis proſciderit, quinquaginta ictibus flagellorum lacerari iubetur. Vid. LEX WISIG. *Lib. II. tit.* I. *§.* 8.

* Additur *d.* §. 8. *ſiue ſit* RELIGIOSVS, *ſiue etiam laicus.* Ex quo ſane patet, nondum illis temporibus ſacrum ordinem ſeſe ita exemiſſe iurisdictione principum, vt eorum coniurationes, quibus plerumque feruorem religionis praetexebant, extra poenas ciuiles eſſent. Laudandi tamen WISIGOTHORVM Epiſcopi, qui anno 634. ipſi praeſidium circumponebant vitae dignitatique regum, eosque omnes anathemate percellebant, qui eos vel occidiſſent, vel vitae ſaltim eorum ſtruxiſſent inſidias. CONCIL. TOLET. IIII. *can.* 75. CONCIL. TOLETAN. V. *can.* 3. et CONC. TOL. VI. *can.* 17.

§. CXXVII.

Item lex Oſtrogothorum.

OSTROGOTHIS ſollemne erat, leges Romanas ſequi, ſaltim in iis, de quibus nihil ſanxerat THEODERICVS, rex eorum. Itaque non poſſumus non exiſtimare, legem etiam Arcadii *l.* 5. *C. ad leg. Iul. maieſtatis* iis placuiſſe, maxime quum et nihil ab ea diuerſum edicto ſuo ſanxerit THEODERICVS, et in illo EDICTO §. 113. potius expreſſiſſima exſtent legis iſtius veſtigia, et id confirmet exemplum Theodori cuiuſdam comitis, quem ob inſidias, vitae Liberii, praefecti praetorio, ſtructas, in palatio Seſſorio capitis damnauit rex Theodericus. Pluribus hoc narrat HADR. VALES. *rer. Franc. Lib. V. p.* 246.

§. CXXVIII.

et Francorum.

Sed quo ſtabilius reliquis prudentiusque conſtitutum fuit FRANCORVM regnum: eo accuratius quoque legibus latis conſultum apud eos eſt regum ipſiusque imperii maieſtati. Exſtat ſane in LEGE RIPVARIOR. *tit.* 69. caput: *Si quis regi infidelis exſtiterit, de vita componat, et omnes res eius fiſco cenſeantur.* Non minor eſt CAROLI M. ſeueritas, qui in *addit.* 3. *ad leg. Sal. §.* 7. et CAPITVL. IIII. *anni* 805. *cap.* 10. nec non LVDOVICI PII, qui in CAPIT. *anni* 824. *cap.* 6. eos, qui coniurationis aduerſus regem auctores fuerint, ſi quid inde detrimenti paſſa ſit reſpublica, capitis damnari, eorumque ſocios ſibi inuicem nares prae-

 cide-

cidere, * et flagrorum ictus infligere iubent: idemque ſupplicium volunt manere coniuratos, ſi exitu caruerit conſilium, niſi iureiurando adſeuerare poſſent, ſe id non feciſſe prauo conſilio.

* Mores Conſtantinopolitanorum ſapere videtur hoc ſupplicium. Nam apud hos frequenter qui deliquerant, ſolebant *ῥινοκοπτεῖσθαι*. Sic NOV. LEON. XXXII. quam et HARMENOP. *Lib. VI. tit.* 2. §. 14. *et* 27. laudat, adulterum et adulteram in flagitio deprehenſos, iubet *ῥινοκοπτεῖσθαι*. eademque poena adfectas nouimus mulieres, quae ſeruili amore bacchabantur. HARMENOP. *ibid.* §. 25. nec non eos, qui ſacris virginibus aut ſororibus, aut honeſtis puellis vitium intulerant. HARMENOP. *ibid. tit.* 3. §. 3. 4. 6. 9. 10. Quemadmodum vero Byzantinis adulteri et ſtupratores potiſſimum hanc poenam dabant: ita gentes occidentales, vbi ſemel imitari eos coeperant, et alios reos hac poena adficiebant. Probari id poteſt ex LEGIBVS WISIGOTHIC. *Lib.* XII. *tit.* 3. §. 4. et LANGOB. *Lib. I. tit.* 25. §. 21. CANVTI *Angloſax. cap.* 27. Add. CAR. DV FRESNE *gloſſar. Lat. voce denaſatus* p. 55. *Tom. II.*

§. CXXVIIII.

Qui leges has acriter exercuerunt aduerſus omnes, praeterquam epiſcopos.

Et has leges acriter exercuerunt Franci, non modo aduerſus priuatos, ſed et aduerſus duces et comites, ſi qui eorum hoſtili animo eſſent in reges et rempublicam. * Soli epiſcopi iam ita fraena momorderant, vt maieſtatis reis non niſi in coepiſcoporum ſynodo dies diceretur, ac proinde raro aliam poenam pati tenerentur, quam vt priuati ſacerdotio mitterentur in exſilium, vel monaſterio cuidam includerentur. Pertinet huc exemplum Aegidii, Remenſium Epiſcopi apud GREG. TVRON. *hiſt. Lib. X. cap.* 19. de quo plura diſſerit NIC. HIER. GVNDL. *ſingul. ad leg. maieſt. cap.* 2. §. 6.

* Sub Merouingis enim, ſi periculoſa videretur publica tanti criminis perſequutio, perduelles ſaepe per inſidias e medio tollebantur, ceu idem GVNDL. *ibid.* probat exemplo Mangualdi et Rauchingi apud GREG. TVRON. *Lib. VIII. cap.* 36. *et Lib. VIIII. cap.* 9. At ſi nulla erat cauſſa metuendi potentiam coniuratorum: publice etiam animaduertere in reos, non dubitabant. CONR. *de iudic. reip. Germ.* §. 23. Exemplum Alethei patricii eſt apud GREG. TVR. *hiſt. Lib. IIII. cap.* 6.

§. CXXX.

Qualis fuerit perduellium poena?

Quamuis vero capitali ſupplicio digni viderentur perduelles: illud tamen, quale fuerit, in legibus Francorum non exprimitur. Aliquando lapidibus obrutos eſſe tam ſacros homines, legimus. GREG. TVRON. *hiſt. Lib. IIII. cap.* 44. AIMON. *de geſt. Franc. Lib. III. cap.* 93. Aliquando aliud ſupplicii genus eos mane-

Digitized by Google

manebat. CHRON. MOISSIAC. *ad ann.* 792. Aliquando in vniuerſam familiam ſaeuitum eſt, veluti in Eberuulfi progeniem. GREG. TVRON. *hiſt. Lib. VII. cap.* 21. Aliquando tamen, ſi vitae miſerorum hominum parcendum videretur, vel oculos eorum effodiebant, vel eos detonſos relegabant in monaſterium. Quod ſupplicium ab ipſis regiae ſtirpis principibus ſumtum eſſe, ex Francorum annalibus tam notum eſt, quam quod notiſſimum.

§. CXXXI.

Sed non impediuit publica illa ſeueritas, quo minus perpetuis huiuſmodi motibus concuteretur Francorum imperium, ſiue populi genius natura ferretur ad rerum nouarum ſtudium, ſiue oppreſſi a Francis Galli, quibus in turbido erat conſilium, ciuitatem miſcerent, ſiue ipſa potentia, cum impotente regnandi cupiditate coniuncta, animos maiorum domus et ducum ferociores ad ſeditiones inflammaret. Poſtremum vel ideo opinabile eſt, quod et maiorum ducum potentiam ſuppreſſit altera ſtirps regum Francorum, et Carolus M. ducum dignitatem paullatim vel aboleuit, vel eorum ſaltim formidoloſam reip. potentiam callide fregit. Vid. HERT. *de orig. et progr. ſpecial. Rom. Germ. imp. rerumpubl.* §. 5.

Frequentiſſimum hoc crimen apud Francos.

§. CXXXII.

BVRGVNDIONVM lex nihil habet, quod ad crimen maieſtatis pertineat. Contra paullo molliore brachio id crimen vindicabant BAIVVARII, diſtinguentes tamen, vtrum quis aduerſus ducem, an ipſe dux aduerſus regem Francorum, hoſtili animo fuiſſet. De priore caſu ita LEX BAIVVAR. *tit.* 2. *cap.* 3. §. 2. *et ſequ. Si quis ſeditionem excitauerit contra ducem ſuum, quod Baiuuarii* CARMVLVM * *dicunt, per quem in primis fuerit leuatum, componat* 600. *ſolidos. Alii homines, qui eum ſequuti ſunt, illi ſimiles, et conſilium cum ipſo habuerunt, vnuſquiſque cum* 200. *ſolidis componat. Minores populi, qui eum ſequuti, et liberi ſunt, cum* 40. *ſol. componant, vt tale ſcandalum non naſcatur in prouincia.*

Lex Baiuuariorum de perduellione aduerſus ducem.

* CARMVLVM vox Germanica eſt, quippe Bauarica. LINDENBROGIVS *in gloſſario p.* 1322. id interpretatur per Germanicum *ſcharmützel*, quem ſequutus eſt CAR. DV FRESNE, niſi quod, ignarus linguae Germanicae, exiſtimat, Germanos velitationem vocare *ſchaer-muſe*, quum morionem potius ita adpellare ſoleant, multumque differant *ein ſchaermuze* et *ſcharmützel*. At quid velitatio commune habet cum ſeditione? et cur hanc Bauari vocaſſent

ſent *ein ſcharmützel*? Itaque vocabulum potius compoſitum videtur a Germanico *kar* vel *char*, et *mulen* vel *ſchmollen*. Prius KAR, CHAR vel CHARA, RABAN. MAVRVS *in gloſſa*, a DIECMANNO edita, interpretatur *feralia*, vbi erudite addit DIECMANNVS, ita dicta etiam eſſe omnia crimina et ſcelera, poena capitali expianda, quaeque efficerent, vt malefici noua pompa ad mortem ducerentur. Vnde et dies emortualis Chriſti etiamnum dici ſolet *der charfreytag*, et pacis violatio ſupplicio digna in ipſa LEGE SALICA *tit.* 20. §. 3. *et* 4. eſt *charfredo*. MVLEN. vero, pro quo poſteri dixerunt *ſmollen*, (quemadmodum pro *mietan ſchmieten*,) eſt iraſci, indignari, adeoque *carmulum* eſt indignatio ſupplicio ferali digna aduerſus principem vel rempublicam. Ita explicauerim ergo vocabulum, niſi alius certiora adferat.

§. CXXXIII.

Cui non obſtat alia atrocior.

Quum ergo 600. ſolidorum poena tantum delictum expiaretur: merito quaeſiueris, qui fiat, vt inter tres cauſſas, ob quas TASSILO Dux *in decret.* §. 8. aliquem hereditate ſua priuari poſſe ſtatuit, referat etiam *iniuriam principis*? Sane inde colligere quis poſſet, veteri iſti legi alia quadam recentiore derogatum eſſe, cautumque, vt perduellionis crimen, etiam aduerſus ducem admiſſum, vel morte, vel publicatione bonorum, vel vtraque lueretur. Sed iſte locus intelligendus eſt de atrociore facinore, de quo eodem *tit.* 2. *cap.* 1. §. 1. *ſequ.* agitur *.

* En verba: *Si quis contra ducem ſuum, quem rex ordinauit in prouincia illa, aut populus ſibi elegerit ducem, de morte eius conſiliatus fuerit, et exinde probatus negare non poteſt: in ducis ſit poteſtate homo ille, et* VITA *illius, et* RES *eius infiſcentur in publico.* Et §. 3. *Vt nullus Baiuuarius alodem aut vitam ſine capitali crimine perdat, id eſt, ſi aut in* NECEM *ducis conſiliatus fuerit, aut inimicos in prouinciam inuitauerit, aut ciuitatem capere ab extraneis machinauerit, et exinde probatus inuentus fuerit, tunc in ducis ſit poteſtate vita ipſius, et omnes res eius, et patrimonium.* Reliquis caſibus tantum mulcta lege ſtatuta exigebatur, et ſi ſoluendo non eſſet reus, in ſeruitutem redigebatur. Id enim ſibi vult §. 5. *Si vero non habet, ipſe ſe in ſeruitute deprimat, et per ſingulos menſes vel annos, quantum lucrari quiuerit, perſoluat, cui deliquit, donec vniuerſum debitum reſtituat.*

§. CXXXIIII.

Lex eorumdem de crimine laeſae maieſtatis regiae.

Quid vero, ſi ipſe dux a rege Francorum deficeret? Tunc ſane paullo acriorem poenam ſtatui oportere creditum eſt. LEX BAIVVAR. *tit.* 2. *cap.* 9. *Si quis autem dux de prouincia illa, quem rex ordinauerit, tam audax, aut contumax, aut leuitate ſtimulatus, ſeu proteruus et elatus, vel ſuperbus atque rebellis fuit, qui decretum regis contempſerit, donatum dignitatis ipſius ducati careat*

careat etiam, et inſuper ſpem ſupernae contemplationis, * *ſciat ſe eſſe condemnatum, et vim ſalutis amittat.*

* Ita editio LINDENBROGIANA. Quum vero tam barbare alias vix ſcribat legis iſtius auctor, merito ſequimur potius lectionem HEROLDI, apud quem *tit.* 10. haec verba ita ſe habent: *donato dignitatis ipſius ducatu careat, etiam et inſuper ſpe ſupernae contemplationis: ſciat ſe eſſe condemnatum, et viam ſalutis amittat.* Quae ſane et magis Latina ſunt, et ſenſum fundunt idoneum, vti paullo poſt adparebit.

§. CXXXV.

Et hunc quidem locum ita intellexiſſe videtur NIC. HIER. GVNDLING. *ſing. de lege maieſt. cap.* 2. §. 8. ac ſi dux, regi rebellis, ducatu priuatus *ad ſupernam contemplationem*, id eſt, vitam monaſticam, damnari iubeatur. Quamobrem mirum videtur viro docto, Taſſilonem, laeſae maieſtatis accuſatum a Boioariis, noxaeque conuictum, vno omnium adſenſu laeſae maieſtatis reum capitali ſententia damnatum, vix precibus impetraſſe, vt attonſus in monaſterium daretur. ANNAL. REVBER. *ad ann.* 788. Demum ergo ſe inde hoc modo expedit, *Boios quidem accuſaſſe principem ſuum, ſed Francos eum, tamquam reum maieſtatis, capite ſtatuiſſe more ſuo plectendum, donec ipſe ad legem antiquam Boicam prouocans, tonſa tandem coma ad vitam ſolitariam, Caroli indulgentia, ad mentem veteris legis transferretur: cui coniecturae haud parum fauere* REGINONEM *videri.* Eius explicatio falſa.

§. CXXXVI.

At nec REGINO huic coniecturae fauet, * et illa ne opus quidem fuiſſet, ſi paullo accuratius pro eo, ac decet, verba legis expendiſſet celeberrimus GVNDLINGIVS. Eorum enim hic ſenſus eſt: ducem rebellem non modo *donato ducatu cariturum*, verum etiam omni *ſpe ſupernae contemplationis*, ſeu vitae monaſticae, ad quam alioquin illuſtriorum natalium principes damnari ſolebant; quin eum potius *condemnatum iri*, et *viam ſalutis amiſſurum*, id eſt, capitalem in eum latum iri ſententiam, ſine ſpe veniae. Hic vero genuinus legis ſenſus eſt, quam male interpretatus eſt vir doctiſſimus. Verus legis intellectus.

* Operae pretium fuerit ipſa hic dare verba REGINONIS, quae coniecturae ſuae fauere credidit laudatus GVNDLINGIVS. Ita vero ille *ad ann.* 788. *Anno dominicae incarnationis* 788. *rex congregauit ſynodum in praefata villa,* (Ingelheim,) *ibique venit Thaſſilo. Coeperunt autem eum Bauari accuſare, quod fidem promiſſam violaſſet, ſuadente vxore Luitburga. Obiecta vero Thaſſilo denegare non potuit, ſed conuictus eſt, ad Auaros transmiſiſſe, et in vitam*

vitam fidelium regis conſilium fuiſſe. Ad vltimum tamen confeſſus eſt, ſe dixiſſe, ſi decem filios haberet, omnes mallet amittere, quam ita manere, ſicut iurauerat. Ex iis et aliis multis ab omnibus diiudicatus eſt ad MORTEM. *Et quum omnes* CAPITALEM SENTENTIAM *proclamarent: rex* MISERICORDIA *motus, eo,* QVOD CONSANGVINEVS *eius eſſet, obtinuit ab ipſis Dei et ſuis fidelibus, ne moreretur. Interrogatus ergo a rege, quid agere vellet, terrae proſtatus, licentiam in monaſterium intrandi expetiit, vt ibi peccata ſua deplorare potuiſſet. Similiter et filius eius, Theodo, fecit. Igitur attonſi ſunt, et in monaſterium miſſi*: Haec REGINO, in quibus ego quidem nihil, quod coniecturae viri doctiſſimi faueat, deprehendo. Feralem ſententiam pronunciauerant ſynodi patres, veniamque non Thaſſilo rogauit, ſed rex, qui vix eam impetrauit, ideo, quod in LEGE BAIVVAR. diſerte ſcriptum eſt, ducem rebellem *viam ſalutis amiſſurum.* Praeterea non hic legas, ducem prouocaſſe ad legem Baiuuaricam, ſed Carolum M. id dediſſe neceſſitudini et cognationi: vt merito mireris, haec pro ſe interpretari potuiſſe GVNDLINGIVM.

§. CXXXVII.

Lex Boiorum de filio patri duci rebelli.

Erant tum tempora, quibus et filii ſaepe arma aduerſus patres ideo corripiebant, quod habere, quam exſpectare, mallent imperium. Exempla ſane ipſi Francorum annales, maxime alterius ſtirpis, quamplurima ſuggerunt. Ne ergo et apud Boioarios id contingeret; eorum lege *tit.* 2. *cap.* 10. §. 1. *ſequ.* cautum eſt, vt filius, patri rebellis, omni ſpe ſucceſſionis excideret, nec ex hereditate paterna quidquam, niſi quod pater ſponte dederit, caperet, ſed mortuo patre, illi reliqui fratres, quin horum nullo ſuperſtite, is, cui rex prouinciam mandaſſet, praeferrentur.

§. CXXXVIII.

Lex Alamannorum de perduellibus.

Progredimur ad ALAMANNOS, quorum lex Boica paullo eſt benignior. Nam ſiue quis aduerſus ducem cum aliis coniuraſſet, ſiue gentem barbaram ſollicitaſſet, vt facta irruptione ferro flammiſque in ciues ſaeuirent: non abſciſſe capitis damnabatur, ſed priore caſu aut VITAM perdebat, aut ſe REDIMERE cogebatur, prout principes populi iudicaſſent. LEX ALAM. *tit.* 24. Poſteriore, de quo *tit.* 25. agitur, itidem *aut* VITAM *perdebat, aut eundum erat in* EXSILIVM, *vbi dux mitteret,* * eiuſque ſubſtantia a fiſco occupabatur.

* De iis, qui in ipſum regem hoſtili eſſent animo, nihil hac lege Alamannorum ſancitur. Eamdem tamen poenam et illos dediſſe, ſatis adparet ex iis, quae de Erchangero et Berchtoldo, comitibus vel camerae regiae in Alamannia nunciis, veteres referunt annales. Eos enim in comitiis Moguntinis, *reos maieſtatis lege pronunciatos*, et Ingelhemii adſeruatos, ſcribit

ſcribit ECCARDVS *de caſ. S. Galli p. 16.* vſque dum EXSILIO aut MORTE *punirentur.* At iſti poſtea ſub Conrado I. Rege capite plexi ſunt, quum, non emendati mitiore exſilii poena, ad ingenium rediiſſent, obſeruante tamen eodem ECCARDO *p.* 18. damnatis inducias *a rege* rogaſſe Salomonem, Epiſcopum Conſtantienſem, vt, ſi fieri poſſet, EXSILIVM a rege impetraret. Eorumdem comitum bona omnia a fiſco occupata, et poſteà Burcardo, Sueuiae duci, in beneficium data eſſe, praeter dotem Berthae, *quae viro ſuo non adſenſerat*, idem ECCARDVS *l. c.* prodidet memoriae: ex eoque conficitur, feminas quoque non impune tuliſſe hoc perduellionis crimen, ſi participes fuiſſent virorum audaciae.

§. CXXXVIIII.

Exſtat in eadem lege *tit.* 35. caput de filio ducis, patri rebelli, quod ipſum quoque notatu non indignum videtur. Crimen enim in eo ponitur, ſi filius, ſiue ſuo furore, ſiue prauo aliorum conſilio, in transuerſum actus, patre praeripere dignitatem conetur, et ei quidem patri, *qui adhuc potens ſit, et vtilitatem regis poſſit facere, id eſt, exercitum gubernare, equum adſcendere, vtilitatem regis implere.* Poena vero in hunc eadem ſtatuitur, quam ſupra in LEGE BAIVVARIORVM deprehendimus, puta vt exſors eſſet paternae hereditatis, et, ſi alius non ſupereſſet heres, liceret regi, vel cuilibet, vel filio iſti immorigero, ſi vitia adoleſcentiae tanto maioribus virtutibus emendaſſet paternam illam prouinciam dare. Et ſpeciatim de filio patri rebelli.

§. CXXXX.

Superſunt in Germania magna SAXONES, diuturno difficillimoque bello victi magis, quam perdomiti, quibus ſemper in turbido eſſe conſilium, eo magis ſuſpicabantur Franci, quo facilius tot cladium, re adhuc recente, meminerant. Hinc eorum LEGE, quae Carolum M. auctorem habere creditur, *tit.* 2. §. I. cauetur, *vt, qui in regnum, vel regem Francorum, vel in filios eius, de morte conſiliatus fuerit, capite puniatur* * et in CAPITVLATION. *de partib. Sax. §.* 10. *Si quis domino regi infidelis adparuerit, capitali ſententia punietur.* Ceterum cum hoc ſupplicio capitali et bonorum publicationem fuiſſe coniunctam, vel Ecberti, Saxoniae marchionis, exemplum apud HEDAM. *rer. Vltraiect. p.* 189. ſatis ſuperque confirmat. Leges Saxonum.

* Diu poſt Carolingorum imperium viguit lex illa maieſtatis Saxonica. Ex ea enim circa annum 1070. capitis damnatus eſt Otto, Baiuuariorum dux, quia ipſe gente Saxo, quippe origine Northeimenſium comes, eſſet. Rem refert LAMBERTVS SCHAFNAB. *ad d. ann.* 1070. *Poſtero*, inquit, *die rex principes Saxoniae, quod ex his oriundus eſſet, et hi propter priuatas inimicitias*

micitias maxime inuiſum haberent, ſententiam ſuper eo rogauit, qui cum, tamquam manifeſti criminis deprehenſum, reum maieſtatis iudicauerunt, et, ſi caperetur, CAPITALI in eum SENTENTIA animaduertendum fore, decreuerunt. Nimirum unusquisque non ex eius prouinciae, in qua ſibi penates conſtituerat, vel vbi rerum potiebatur, legibus, ſed in illa prouincia, vnde oriundus erat, ex eiusque legibus, damnabatur, ac proinde multo poſt Henricus Leo, Saxoniae ac Bauariae dux, iniuria ſe damnatum eſſe, adſeuerabat, *quod quum de Sueuia oriundus eſſet, conuictus tamen non eſſet in terra natiuitatis ſuae.* ARN. LVBEC. *Chron. Slau. Lib. II. cap.* 24.

§. CXXXXI.

Et Langobardorum.

Denique ne LANGOBARDOS hic ſicco pede praetereamus, eorum quoque legibus capitale fuit perduellionis crimen, et ſimul cum publicatione bonorum coniunctum. Nam *Lib. I. tit.* 1. §. 1. *ſequ.* haec poena ſtatuitur in eos, *qui contra animam regis cogitauerint, aut conſiliati fuerint, qui foris prouincias fugere tentauerint, qui denique inimicum publicum intra prouinciam inuitauerint, aut introduxerint.* Deinde et ſequentibus §. 4. *et* 5. Rotharis, rex, vltimum ſupplicium ſed ſine bonorum publicatione minatur iis, *qui ſcameram * intra prouinciam celauerint, aut annonam dederint, vel foris in exercitu ſeditionem leuauerint contra ducem ſuum, aut contra eum, qui ordinatus ſit a rege ad exercitum gubernandum, aut aliquam partem exercitus ſeduxerint.*

* Vocabulum SCAMERA, teſte GLOSSA veteri, *exploratorem* notare, obſeruat LINDENBR. *in gloſſario p.* 1475. additque, ſimilem, at diuerſam tamen, vocem occurrere apud IORNANDEM *in rebus Geticis*, EVGIPPIVM *in vita S. Seuerini*, et MENANDRVM *libro de legationibus.* Sed apud MENANDRVM quoque occurrunt σκαμάρεις. quemadmodum apud EVGIPPIVM *cap.* 10. *ſcamares*, et apud IORNANDEM *cap.* 58. *ſcamara*, vt dubitare nefas ſit, vnam eamdemque hanc vocem eſſe, nempe Germanicam *ſchauer*, a *ſchauen* ſpeculari vel explorare. Sane in SCHILTERI *theſauro antiqu. Teut. Vol. III. p.* 710. lego: *Scouuari proſpecta or Gloſſ. Monſ. p.* 355. Sunt vero vocabula iuris Langobardici pleraque Germanica, ſed ob pronunciationis diuerſitatem corruptiſſima.

§. CXXXXII.

Henrici II. imperatoris lex Langob. de crimine maieſtatis.

Quum vero poſtea, quam regnum Langobardicum ſibi imperatores et reges Romani quaeſiuerant, gens ferociſſima cum his perpetuum fere bellum gereret: fieri non poterat, quin acrioribus legum vinculis conſtringeretur, ac proinde imperatores veterem illam legem maieſtatis ſubinde in vſum reuocarent. Sic exſtat Henrici II. conſtitutio, complexa leges, Francicis et Langobardicis additas, apud ECCARDVM *ad leg. Sal. p.* 200. cuius

Digitized by Google

cuius §. 6. *de ſpreta maieſtate* ita cauet : *Omnem decoris ac ſolertiae imperialis ac praeſentiae contemtorem* * *capitali damnare ſententia conuenit.*

* Verba haec indicio ſunt, iniuria aliqua a Langobardis adfectum praeſentem Imperatorem hanc legem tuliſſe, quamuis alioquin ad clementiam, quam ſeueritatem, procliuiorem. Qua in re vero peccarint, ignorare nos non patitur ADELBOLDVS, qui in *Vita Henrici II.* §. 37. *ſequ. apud* LEIBNIT. *Tom. I. p.* 438. *ſequ.* pluribus narrat, quanta proteruia Langobardi ipſo coronationis die palatium imperatoris inualerint, et tum ipſum, tum principes, expeditionis comites, omni iniuriarum genere laceſſiuerint. Quamuis vero teſtetur ADELBOLDVS *cap.* 40. ciues Papienſes, tanti ſceleris auctores, imperatorem, *vt indulgeret ebrietati, obnixe precatos, factamque eis eſſe remiſſionem, factam indulgentiam*: id tamen non impediuit, quo minus Imp. ſibi ac ſucceſſoribus in futurum caueret, lataque hac lege, vel ſupplicii metu homines vaecordes in officio contineret.

§. CXXXXIII.

Et haec quidem de antiquiſſimis gentium Germanicarum legibus dicta ſufficiant. Inſequente aeuo manſiſſe eum rigorem, permultis exemplis probauit GVNDLING. *ſingul. de crimine mai. cap.* 2. §. 17. *ſequ.* vbi ſimul obſeruauit §. 20. non ideo in deſuetudinem abiiſſe capitale ſupplicium, quod aliquando perduelles canes humeris geſtare cogerentur, de qua κυνοφορίᾳ, vt alios iam praetermittamus, ex inſtituto egit HENR. BANGERT. *ad Arnoldi chron. Slau. Lib. VII. cap.* 2. Nam et militaris erat haec poena, nec a ſupplicio capitali reos liberabat, ſed illud praecedebat, tamquam ſymbolum ſummae infamiae *. Canum portatio non tollebat ſupplicium capitale.

* Patet id ex GVNTHERI *Ligur. Lib. V.*

Quippe vetus mos eſt, vti, ſi quis rege remoto,
Sanguine, vel flamma, vel ſeditionis apertae
Turbine, ſeu crebris regnum vexare rapinis
Audeas, ANTE *gravem, quam* FVSO SANGVINE *poenam*
Excipiat, ſi liber erit, de more vetuſto
Impoſitum ſcapulis ad contigui comitatus
Cogatur per rura canem confinia ferre:
Sin alius, ſellam.

Nec aliter OTTO FRIS. *de geſt. Fridrici I. Lib. II. cap.* 28. *Denique vetus conſuetudo pro lege apud Francos et Sueuos inoleuit, vt, ſi quis nobilis, miniſterialis, vel colonus, coram ſuo iudice pro huiusmodi exceſſibus reus inuentus fuerit,* ANTEQVAM MORTIS SENTENTIA PVNIATVR, *ad confuſionis ſuae ignominiam nobilis canem, miniſterialis ſellam, ruſticus aratri rotam de comitatu in proximum comitatum geſtare cogatur.* Itaque haec κυνοφορία non magis tollebat ſupplicium capitale, ac virgidemia apud Romanos, qui more maiorum ſupplicium ſumere dicebantur, quoties virgis caeſos ſecuri percutiebant.

Digitized by Google

§. CXXXXIIII.

Carolus IIII. Imp. legem Arcadii aureae bullae inſeruit.

Quin tantum abeſt, vt exſtincto Carolidarum imperio mitius actum ſit cum iis, qui hoſtili animo eſſent aduerſus rempublicam, vt non contenti imperatores legibus patriis, diram iſtam Arcadii *l. 5. C. ad leg. Iul. maieſt.* paullatim publicis ſanctionibus ſtabiliuerint. Carolus ſane IIII. illam Arcadii conſtitutionem inſeruit AVREAE BVLLAE *tit.* 24. ipſaque paene eius conſtitutionis verba retinuit, * niſi quod, quae de maieſtatis crimine aduerſus *viros illuſtres, qui conſiliis et conſiſtorio imperatoris interſunt, vel ſenatores*, admiſſo ſanxit Arcadius, ea Carolus IIII. Imp. ad electores imperii retulit, voluitque, vt et in illos crimen laeſae maieſtatis admiſſum eſſe, iudicetur. In cauſſas huius ſanctionis inquiſiuit illuſtris academiae noſtrae cancellarius, IO. PETR. A LVDEWIG. *in comment. in aur. bull. Tom. II. d. tit.* 24.

* Equidem antiquius aurea bulla eſt IVS PROV. SAX. quod *Lib. II. art.* 13. videtur mentionem iniicere criminis laeſae maieſtatis, dum de proditoribus ſancit: *Verräther vnd mordbrenner, oder die ihres herrn bothſchaffl werben zu ihren frommen, oder von eines andern wegen, die ſoll man alle radebrechen.* Sed in IVRE PROV. SVEV. *cap.* 114. vbi eadem ſanctio occurrit, accuratius explicatur, qui ibi proditores intelligantur, puta qui alterius famam differunt de criminibus nefandis: *Verräther heiſſen vvir die, die mit red ainem tzihent, vnd daſs ſie ihn ſagent, das er von der chriſtenhait ſey, alſo, das ſy ſagent, er ſey ain ſodomita, oder er habe das vieh geunraint, oder er ſey ain ketzer, mügen ſy das nicht auf in ertzeugen, ſo ſol man in radbrechen.*

§. CXXXXV.

Sanctio conſtitutionis criminalis Carolinae.

Nec minus lata eſt acceptio vocis *verrâtherey* in ipſa NEMESI CAROLINA *art.* 124. vbi vltimo ſupplicio plecti iubentur, *die mit boſshafftiger verrâtherey gemiſshandelt*, illique ſeiunguntur a perduellibus, *deren verrâtherey groſſen ſchaden, oder ârgerniſs bringen môchte, als die, ſo ein land, ſtadt, ſeinen eigen herrn, bettgenoſſen, oder nahe geſipten freund betrâffe.* Illos illasque, ſi maſculi ſint, in quatuor partes diſſecari iubet legislator, et quidem *der gewonheit nach*: * ſin feminae, in aquis ſuffocari: his idem ſupplicium ſtatuit, ſed ita vt aſperius reddatur variis modis, veluti *durch ſchleiffen, oder zangenreiſſen.* Denique et aliquando mitigandum ſupplicium, corpusque rei non viui et ſpirantis, ſed iam gladio percuſſi, in partes diſſecandum eſſe, ſtatuit Imp. iudicesque et hoc caſu peritiores conſulere debere, monet, impunitate ſimul

pro-

Digitized by Google

promiſſa indicibus ipſisque delicti ſociis, qui rem ad magiſtratum detulerint.

* Ex quo patet, non nouum hoc eſſe ſupplicii genus, et a Carolo V. demum inuentum, ſed iam antea hunc morem inoleuiſſe in Germania. Saltim de ſuperiore Germania id ex Beato Rhenano probat vir celeberrimus, Pavll. Kress. *not. add. art.* 124. §. 1. *not.* * 3. Quin, ſi conſenſus plerarumque originis Germanicae gentium moris antiqui indicium certiſſimum eſt, (*Lib.* I. §. 14.) non poſſumus profecto dubitare, quin tali mori originem debeat durum illud ſupplicium. Idem enim ſupplicium obtinet in Anglia, ſi quis proditionem maiorem admiſerit, quamuis huic diſſectioni praemitti ibi ſoleat tractio ad locum ſupplicii, ſuſpendium, nec tamen ad ſuffocationem vſque, abciſſio virilium, euulſio inteſtinorum et cordis, eorumque in pyram iniectio, de quibus plura Io. Cowell. *Inſt. iur. Angl. Lib. IIII. tit.* 18. §. 8. Ita et in Francia regicidas in quatuor partes diſtrahi totidem equis, in diuerſum iter concitatis, notum eſt. Greg. Tholos. *Syntagm. iur. Lib. XXXV. cap.* 1. *n.* 36. In Belgio eodem modo ſaeuitum eſt in Balthas. Gerardum, ſicarium, manus prius exuſtione et forcipum candentium laniena excruciatum. Sim. van Leevwen. *cenſ. for. Part. I. Lib. V. cap.* 2. *n.* 4.

§. CXXXXVI.

Et haec quidem ſunt, quae legibus Germanorum de crimine perduellionis, maieſtatis ſtrictius acceptae, et proditionis, cauta eſſe animaduertimus. De concluſionibus in foro ſuperſtitibus eo minus ſollicitos nos eſſe decet, quo rarius a maiorum fide ac virtute adeo deſciſcunt Germani, vt hoſtili animo ſint aduerſus principem vel rempublicam. Si tamen tam nefandum ſcelus ab aliquo admiſſum eſſe dicatur: dubitari nequit, quin Nemesis Carolina iudicantibus pro norma futura ſit, * quamuis et ea, quae conſtitutione Arcadii *l.* 5. *C. ad leg. Iul. maieſt.* de publicatione bonorum, damnanda rei memoria, et filiorum incapacitate et ignominia cauentur, aliquando obſeruata eſſe, doceat experientia. Vſus harum legum hodiernus.

* Horribile exemplum huiusmodi ſupplicii anno erae Chriſtianae 1567. vidit Gotha, perduellibus et proſcriptis, Gulielmo de Grumbach, Chriſtiano Bruckio, cancellario Saxonico, aliisque tanti maleficii ſociis, in quatuor partes diſſectis. Tragoediam hanc ita deſcribit Io. Seb. Mvllervs *in annal. Sax. p.* 149. *den* 18. *Apr.* 1567. *geſchahe nach vrtheil vnd recht die ſcharffe execution vorhergenannter reichs-āchter vff obigem charot. Erſtlich wurde Wilhelm von Grumbach, welcher wegen ſeiner gicht-beſchwehrung nicht wol zu fuſſe war, auff einem geringen elenden ſtuhl zur fleiſch-bank gebracht. Vor ihm her ritte der profos nebſt dem malefiz-ſchreiber. Als er an die ſchlacht-banck kam, blieſſen ihn nach kriegs-vnd malefiz-gebrauch acht trompeter an --- hierauff wurde er ausgezogen, niedergelegt, angenagelt, vnd lebendig geviertheilet. Der ſcharfrichter riſs ihm vorerſt das hertz aus dem leibe, vnd ſchmiſſe es demſelben mit dieſem worten vmb das maul: Siehe Grumbach dein falſches hertz. Hierauff vnd zum andern*

ward

ward Canzler Bruck in einem langen ſchwartzen mantel nebſt einem flohr auff dem huthe hervorgebracht, gleichfals mit dem trompeten-ſchall beneuentiret, und mit zertheilung ſeines cörpers, wie Grumbach, in vier ſtück vom leben zum todte gemartert. Nach ſolchem kam drittens Wilhelm von Stein, welcher, weilen Grumbach ſelbſt geſtanden, das er ihn verſühret habe, und urſach an ſeinem todte ſey, erſtlich mit dem ſchwerde gerichtet, und ſodann ebenmäſſig gevirtheilet wurde. Supplicium eodem die ſumtum eſt a Dauide Baumgärtnero, et Ioanne Beyero, ſed quum ille gladio percuſſus, hic in furcam actus ſit: plura de illis addere nihil attinet.

TIT. XXIIII.

DE ADVLTERIO, STVPRO, ALIISQVE CRIMINIBVS, QVAE APVD ROMANOS EX LEGE IVLIA DE ADVLTERIIS VINDICABANTVR.

§. CXXXXVII.

Tranſitio ad crimina, quae lex Iulia vindicat.

PRoxima ſunt ea flagitia, quae apud Romanos primum vindicauit LEX IVLIA *de adulteriis*, * de qua HORAT. *Carm. Lib. IIII. od.* 5.

Nullis polluitur caſta domus ſtupris,
MOS et LEX maculoſum edomuit nefas.
Laudantur ſimili prole puerperae:
Culpam poena premit comes.

Talia ſunt crimina *adulterii*, *ſtupri*, *nefandae Veneris*, *inceſtus*, *lenocinii*, quae quibus poenis maiores noſtri coercuerint, breuiter pro inſtituti ratione oſtendemus.

* Initio reip. ex Romuli legibus poena adulterii erat praeſens, et marito permiſſa, quippe tori violati vindici, *καὶ τοῦ μεγέθους τῆς τιμωρίας κυρίῳ, et poenae quantitatis arbitro.* DIONYS. HALIC. *antiqu. Rom. Lib. II. p.* 95. Sed et Numa pellicem aram Iunonis tangere vetuerat: nec ignota eſt lex Scantinia, putidae maſculorum Veneri oppoſita, de qua v. c. CHRISTIVS *in hiſt. leg. Scantin.* At legis adulteriis et ſtupris directe oppoſitae ante legem Iuliam non exſtat memoria, niſi quod clariſſimus Io. GVIL. HOFFMANNVS *ad leg. Iul. de adult. Lib. I. cap.* 1. §. 21. *ſequ.* elegantem coniecturam de LEGE quadam SERVILIA fortaſſis etiam CORNELIA cum eruditis communicauit, quae ſane paullo accuratiorem mereretur diſquiſitionem, ſi id hoc loco fieri poſſet per inſtituti rationem.

§. CXXXXVIII.

Digitized by Google

§. CXXXXVIII.

Fuere ſtupra in Germania rariora.

Quantam ſibi laudem Germani iam inde ab antiquiſſimis vſque temporibus caſtitate ac pudicitia ſua pepererint, iam ſupra aliquoties obſeruauimus. Sed illa aetate vere plus apud eos valebant boni mores, quam alibi bonae leges. Non temere STVPRIS polluebantur domus, quia *ſepta pudicitia agebant virgines, nullis ſpectaculorum illecebris, nullis conuiuiorum irritationibus corruptae*, nullis furtiuis notis *litterarumque ſecretis* adſuetae, TACIT. *de mor. Germ. cap.* 19. quin adeo confiſae pudicitiae ſuae, *vt nulla eſſet* membrorum, quibus ſexus diſtinguitur, *occultatio, ſed promiſcue viri pariter ac feminae in fluminibus perluerentur, et pellibus aut rhenonum tegumentis vterentur, magna corporis parte nuda.* CAES. *de bell. Gall. Lib. VI. cap.* 21.

§. CXXXXVIIII.

Multoque magis lenocinia, et venus nefanda.

Itaque et LENONIBVS et LENIS non magnus in Germania antiqua quaeſtus fuit, quia *ibi nemo vitia ridebat, nec* CORRVMPERE *et corrumpi ſaeculum vocabatur.* TACIT. *ibid.* Nec magis NEFANDAE VENERI aliquis erat locus in Germania, cui QVINCTIL. *declam.* 6. *cap.* 16. hoc perhibet teſtimonium: *Nil tale nouere Germani,* * *et ſanctius viuitur ad oceanum.* Quamobrem merito SEX. EMPIRICVS vapulat viris doctis, quod calumnioſe ſcribere non dubitarit in *Pyrrh. hypotyp. Lib. IIII. cap.* 24. Παρὰ Γερμανοῖς οὐκ αἰσχρὸν, ἀλλ' ἴσως ἕν τι τῶν συνήθων. *Apud Germanos turpe non eſt (maſcula Venere vti,) ſed unum ex illis, quae vſu ſunt recepta.*

* Ergo et hic verum eſſe adparuit, quod de Scythis ſcripſit IVSTIN. *hiſt. Lib. II. cap.* 2. *Tanto plus in illis proficit vitiorum ignoratio, quam in aliis cognitio virtutis.* Nata eſt monſtroſa illa Venus apud orientales, maxime Perſas, ac deinde Graecos in furorem egit, apud quos ipſi philoſophi, πάθεσιν αἰσχροῖς ὀνομάτων ἐπιγράφοντες αἰδῶ, ψυχῆς ἀρετὴν ἔλεγον τὴν τοῦ σώματος εὐπρέπειαν, οἱ φιλόνεοι μᾶλλον, ἢ φιλόσοφοι, *adfectibus turpibus verborum praetexentes verecundiam, animi virtutem adpellabant corporis elegantiam, iuuenum amatores magis, quam ſapientiae.* LVCIAN. *amor. p.* 203. *Tomo IIII. Op.* Quin Graeci, quos deinde Romani ſunt imitati, adeo ſibi placebant hoc dedecore, vt, quum Scytharum pudicitiam non nemo laudaret, miraretur Charicles, laudare illum Scytharum ſolitudinem, ac poenitentia paene duci, quod Graecus eſſet. LVCIAN. *ibid. p.* 217. At non poenitebat maiores noſtros, quod Germani eſſent, id eſt, tantae turpitudinis, a qua ipſa natura abhorret, ignari, et hinc ipſa vitii ignoratione caſtiſſimi.

§. CL.

Nec non adulteria.

Multo minus ergo frequentia fuiſſe oportet ADVLTERIA. Si enim verum eſt, vti eſt ſane veriſſimum, praecipua pudicitiae vincula

cula eſſe viri reuerentiam, abſtinentiam a vino, metumque poenae praeſentiſſimae, facultate vxorem matrimonio mulctandi maritis permiſſa: fieri non potuit, quin ſacroſancta eſſent Germanorum connubia, quum et maxima eſſet patrumfamilias in vniuerſa domo auctoritas, et Bacchus Herciniae ciues fugeret, et ſuo quisque thalamo illatas iniurias ſeueriſſime poſſet vindicare. Hinc TACITVS *ibid. Pauciſſima in tam numeroſa gente adulteria, quorum poena praeſens, et maritis permiſſa. Accisis crinibus nudatam coram propinquis * expellit domo maritus, ac per omnem vicum verbere agit.*

* Sunt profecto haec verba notatu digniſſima, quippe ex quibus colligere licet, apud Germanos quoque vxori ius dixiſſe maritum, neque huic neceſſe fuiſſe, fatigare magiſtratum, ac tribunalia clamoribus implere, ſed ipſum potuiſſe, adhibitis in conſilium propinquis, vxorem toro expellere, matrimonio mulctare, quin verberibus coercere, ac per omnem vicum agere: ac proinde non fuiſſe, quod Germani inuiderent Romanis, quibus Romulus ob tres cauſſas dederat ius expellendi vxores, ἐπὶ φαρμακείᾳ τέκνων, ἢ κλειδῶν ὑποβολῇ, καὶ μοιχευθεῖσαν. *Si liberos veneno ſuſtuliſſet, claues adulterinas adhibuiſſet, vel denique admiſiſſet adulterium.* PLVTARCH. *in Romulo p. 31.* Neque enim dubitandum eſt, quin in Germania omnis iurisdictio omneque imperium in vxorem penes maritum fuerit, modo de propinquorum ſententia ferret ſententiam. Quod idem de Romanorum iudicio domeſtico obſeruat DION. HALIC. *antiqu. Lib. II. p. 95.*

§. CLI.

Wiſigothi antiquiſſimis temporibus ob caſtitatem laudari.

Seruarunt veterem hanc pudicitiae laudem etiam poſteri, et in his WISIGOTHI, de quibus SALVIANVS * *de gubern. Dei Lib. VII. p. 222. Eſſe inter Gothos non licet ſcortatorem Gothum: ſoli inter eos praeiudicio nationis et nominis permittuntur impuri eſſe Romani. Et quae nobis, rogo, ſpes ante Deum eſt? Impudicitiam nos diligimus, Gothi exſecrantur: puritatem nos fugimus; illi amant: fornicatio apud illos crimen eſt, et diſcrimen; apud nos decus.* Et extremo illo libro ſeptimo *p. 260. Apud Gothos impudici non ſunt, niſi Romani.*

* Non ſane credibile eſt, adulatum Gothis eſſe SALVIANVM. Ab hoc crimine eum facile abſoluit non modo profeſſio et pietas, verum etiam internecinum fere odium, quo Gothicum nomen proſequebantur Romani. Immo tanto minus hic ſupparaſitari Gothis voluiſſe SALVIANVM, probabile eſt, quanto apertius alibi eorum vitia perſtringit, in primis perfidiam, corporum atque induuiarum barbaricarum foetorem, aliaque eius generis. Sed poſtea tamen paullatim aliquid vitii illis haeſit ex conſuetudine cum prouincialibus, vti oſtendemus infra §. 170. *

§. CLII.

Leges.

Attamen quum vitia futura ſint, dum erunt homines, nec, quae

quae in vniuerſa gente laudantur, adeo cadere ſoleant in ſingulos, vt in tam numeroſa gente nemo vmquam aliquid humani patiatur: Germani quoque nihil fecerunt reliqui, vt arctiora hominibus ſuis legum vincula iniicerent, poenarumque metu continerent in officio, quos impotens animus ad foedam libidinem incitaret. Eas vero leges ex inſtituto noſtro luſtrabimus paullo accuratius, eamque nobis ipſi legem dicemus, vt, quid ſingulae gentes non modo de ADVLTERIO, ſed et de STVPRO, NEFANDA VENERE, INCESTV, et LENOCINIO ſanxerint, ordine enarremus.

eorum impudicitiae oppoſitae.

§. CLIII.

Seueri admodum in vindicando adulterio fuerunt WISIGOTHI. Nam primo non modo violationem tori alieni, verum etiam congreſſum mariti cum innupta, ADVLTERIVM vocarunt. * Deinde et deprehenſum adulterum vna cum femina occidendi poteſtatem fecerunt non modo marito et patri, verum etiam, hoc mortuo, fratribus et patruis. LEG. WISIG. *Lib. III. tit.* 4. §. 4. *et* 5. Praeterea accuſandi adulteram ius dederunt non ſolum marito, eiusque liberis, verum etiam aliis propinquis, et ita quidem, vt accuſatoribus lucrum non poenitendum promitterent. IBID. §. 13. Denique, quamuis non ſupplicium ſupremum, poenam tamen ſatis acrem ſtatuerunt in adulteros, de qua paullo poſt erit dicendi locus.

Et quidem adulterio.

* Iure Romano adulterium in nupta tantum admittebatur, *l.* 6. §. 1. *D. ad leg. Iul. de adult. l.* 34. §. 1. *D. eod.* ac proinde publico iudicio mulier non habebat adulterii accuſationem, quamuis de matrimonio ſuo violato queri vellet. *l.* 1. *C. eod.* Vt paucis dicamus, adulterium admittebat vxor, quae alii, quam viro ſuo corporis vſuram praebebat, non maritus, qui innuptam ſubagitauerat. At iure Wiſigothorum etiam innupta ingenua, quae alterius marito ſe ſubſtrauerat, vxori, tamquam adultera, addicebatur. LEG. WISIG. *Lib. III. tit.* 4. §. 9. Quin, uti paullo ante monuimus, ſtuprum quoque *adulterii* nomine veniebat apud Wiſigothos, quemadmodum et legem Iuliam *adulterium ſtuprum* promiſcue et καταχρηστικώτερον adpellaſſe, obſeruat PAPINIANVS *l.* 6. §. 1. *D. ad leg. Iul. de adult.*

§. CLIIII.

Nimirum poena adulterii ordinaria erat ADDICTIO non modo PERSONARVM, quae ſe eo flagitio polluerant, ſed et aliquando *facultatum*, quas poſſidebant. Addicebatur adulter et adultera marito adulterae, mulier innupta, quae cum alterius marito conſuetudinem habuerat, huius vxori: ſi, conniuente marito, liberi, fratres, patrui, immo et fiſci procurator accuſarent adulterium:

Cuius poena ordinaria addictio adulterorum.

 adul-

adulteri his addicebantur, non quidem abſciſſe in ſeruitutem, ſed vt illorum in arbitrio eſſet, quam poenam iis irrogare vellent. * Id enim ſibi volunt verba: *vt in eius poteſtate vindicta conſiſtat*: itemque: *vt, quod de iis facere voluerit, in eius proprio conſiſtat arbitrio.* LEX WISIG. *ibid.* §. 1. 3. 9.

* Hinc flagitii iſtius conuicti in ſeruitutem quidem poterant detrudi, membro truncari, flagellis caedi: ſolae saeuitiae illorum, quibus addicti fuerant, eximebantur animae. Ita LEX WISIG. *Lib. III. tit.* 4. §. 13. *Tunc adulter, ſiue etiam adultera, qui hoc ſcelus conuicti fuerint commiſiſſe, cum omnibus rebus incunctanter illis tradendi ſunt ſeruituri, qui hanc cauſſationem ſecundum inſtitutionem legis viſi fuerint iuſtiſſime proſequi,* SALVIS *tantum* ANIMABVS, *quas ad lamenta poenitentiae pietatis indulgentia reſeruamus, ea tamen, quae in detruncatione vel flagello corporis in eis impertire voluerint, licentiam per huius legis ſanctionem decernimus.* Cuius loci is ſenſus eſt, poſſe quidem eum, cui adulter vel adultera addicti eſſent, in eorum corpus ſtatuere, quod vellet, nec tamen iis impedimento eſſe, quo minus in monaſterium ſecedere, ibique pietatis exercitiis peccata expiare poſſint. Sane illo aeuo nec clero, nec clauſtris, excluſos eſſe, qui vitandi periculi ac ſupplicii cauſſa eo confugiſſent, exemplis quamplurimis demonſtrauit LVD. THOMASIN. *de vet. et nou. eccl. diſcipl. part. II. Lib. I. cap.* 27. *et* 28. inter quae et Wiſigothica ſunt, quae partim ex GREG. TVR. *hiſt. Lib. VI. cap.* 43. partim ex CONCILII TOLETANI VIII. *can.* 7. depromſit.

§. CLV.

Et facultatum eorum.

Quin illa addictio non modo ad PERSONAS, adulterio pollutas, verum etiam ad earum FACVLTATES, pertinebat. Qua in re tamen eam ſeruabant διαίρεσιν, vt ſi liberos legitimos haberent, iis ſalua eſſet parentum ſubſtantia, ſin iis carerent, omnis eorum ſubſtantia ſimul ad eum eamue, quibus addicebantur, transiret. Si adultera bis nupſiſſet, liberis e priore matrimonio ſeruabatur portio ſua, liberi quoque ex poſteriore marito ſuſcepti ſuam portionem ſaluam habebant, quod ad proprietatem attinet, vſumfructum patre, quoad viuebat, percipiente, niſi forte cum vxore adultera poſtea rem habuerit. Quin et propinqui mariti adulteram, liberis adhuc impuberibus, accuſantes quintam bonorum eius partem lucrabantur, quatuor partes liberis legitimis cedebant. LEX WISIG. *ibid.* §. 1. 3. 12. *et* 13.

§. CLVI.

Sponſae alienae violatio vt adulterium punitum.

Eadem ſeueritate animaduertebant in eum, qui ſponſam alterius corruperat, ipſamque ſponſam, quae, oblita officii, ſtuprum ab alio paſſa fuerat. * Vtramque enim perſonam addicebant ſponſo laeſo; cum vtriusque facultatibus, niſi liberos legitimos ante id ſtuprum ſuſtuliſſent. LEG. WISIG. *ibid.* §. 2. Contra ſi ancillam alte-

Digitized by

alterius quis corrupiſſet volentem: huic dominus, quam vellet, poenam irrogabat, ille ſiue ingenuus, ſiue ſeruilis conditionis eſſet, pro conditione ancillae * certum ictuum numerum flagellis patiebatur. LEX WISIG. *ibid.* §. 15. 16.

* In ſeruorum conditione, iure Romano, nulla erat differentia: §. *vlt. Inſt. de iure perſ.* at ius WISIGOTHICVM diſcrimen ſtatuit inter ANCILLAM IDONEAM et INFERIOREM, et ob illam conſtupratam ingenuus verbera centum; ob hanc quinquaginta ſine infamia; ſeruus vtroque caſu centum et quinquaginta ferebat. LEX WISIG. *ibid.* §. 15. Sed hoc diſcrimen fortaſſis non tam ad ſtatum, quam ad locum, quem in familia domini obtinebat, pertinuerit. Ancilla ergo *idonea* fuerit, quae honeſtiores operas praeſtaret, veluti dominae pediſſequa vel ornatrix, vel diſpenſatrix: inferior, quae latrinam lauabat, aliisque vilioribus officiis domi fungebatur.

§. CLVII.

STVPRVM vocabulo apud WISIGOTHOS non differebat ab adulterio. Poena tamen paullo erat mitior. Nam ſi puella vel vidua ad ſtuprum ſollicitata eſſet, haec quidem hereditatis parentum exſors erat, niſi hi ei gratiam delicti facere mallent: at ſtupratori fas erat, vel eam vxorem ducere, dato parentibus pretio, vel cum ea, oblata pecuniae ſumma, transigere. * Sin non ſollicitata, ſua ſponte, alteri vſuram corporis praebuiſſet: licebat quidem ſtupratori, ſi vellet, eam vxorem ducere, at ſi nollet, non vlla erat ſtupratae actio. Suae enim imputare debebat culpae, quod ſe adulterio volens miſcuerit. LEG. WISIG. *ibid.* §. 7. 8. Leges eorum de ſtupro.

* Vere ergo et WISIGOTHI receperant regulam: *aut ducat, aut dotet,* quum tamen *Exod.* 22. 16. et *Deut.* 22. 28. ſtuprator et dotare et ducere ſtupratam cogeretur, et huius tantum patri arbitrium eſſet, velletne eam nuptum ſtupratori dare, an dotem accipere. At quum inter leges forenſes fuerit hoc praeceptum: licuit ſane legislatoribus illud ſuarum rerumpublicarum ſtatui populorumque moribus attemperare.

§. CLVIII.

Indigni origine Germanica fuiſſe Wiſigothi, niſi et NEFANDAM VENEREM, cuius illis fortaſſis exempla in prouinciis, per quas arma circumtulerant, plurima innotuerant, poenis acerrimis dignam iudicaſſent. Si quis ergo ſexu eſſet abuſus: eum virilitate priuatum leges epiſcopo *ad arduam detruſionem*, id eſt, ad arctiſſimam in monaſterio aliquo cuſtodiam dedi iubent, bonis in liberos legitimos translatis, et vxori, ſi quam habeat, data facultate iterum, cui velit, nubendi. LEG. WISIG. *Lib. III. tit.* 5. §. 5. Quod et §. 7. repetitur, niſi quod illi vel Chindaſwinthus, vel Wamba, Et de nefanda Venere.

Rex nouella lege et hoc adſtruxit, vt reus praeter caſtrationem *illam in ſe iacturam accipiat vltionis, quam pro his cauſſis nuper in anno tertio regni ſui ſacerdotalis decreti promulgata ſententia euidenti deſcriptione depromſerit.* *

* Refert ſe rex ille, quisquis ſit, ad SYNODVM TOLETANAM XVI. cuius *cap.* 3. cautum eſt, *vt quicumque huius nefariae actionis patratores exſtiterint, quique in his turpitudinibus ſeſe implicari permiſerint, et contra naturam maſculi in maſculos hanc turpitudinem operauerint: ſiquidem epiſcopus presbyter aut diaconus fuerit: de proprii honoris gradu deiectus perpetui exſilii maneat damnatione perculſus: ſin vero cuiuslibet ordinis, gradus vel perſonae, et talis colluuionis noxis reperti fuerint adplicati*, illius legis, quae de talibus *eſt edita nihilominus feriantur ſententia, a que ab omni Chriſtianorum ſint alieni caterua, et inſuper centenis verberibus correpti et turpiter decaluati, exſilio mancipentur perpetuo.* Ex cuius ſanctionis principio ſimul patet, etiam in nefandam illam cum brutis Venerem eodem modo animaduertendum putaſſe patres iſtius concilii. Quamuis enim ipſi moneant, deteſtabile illud flagitium a Deo igne fuiſſe punitum: id tamen poſtea myſtica interpretatione ad ignem ſempiternum detorquent.

§. CLVIIII.

Nec non de inceſtu. Eodem *titulo* 5. *libri III.* §. 1. *et* 2. legis Wiſigothicae de INCESTV agitur, et praemiſſa praecepto de perſona infra ſextum gradum nec vxore ducenda, nec ſtupro polluenda, * ſanctio haec poenalis ſubiungitur: Qui contra hanc conſtitutionem praeſumſerint facere, iudex eos non differat ſeparare, vt a tam nefanda pollutione diuiſi, iuxta qualitatem ſexus in monaſteriis delegentur, illic iugiter permanſuri. Ad bona eorum quod attinet, ea lex liberis etiam ex damnato complexu natis, quippe ſacro lauacro ablutis, vel, liberis non exſtantibus, heredibus reliquis relinquit.

* Quum vero et ſacrae virgines deſponſatae dicantur Chriſto, fratri noſtro ſecundum carnem: inde colligebant, eum quoque, qui ſacratae deo virgini ſtuprum inferre, vel eam vxorem ducere audeat, inceſtus reum eſſe. Et hinc LEX WISIG. *Lib. III. tit.* 5. §. 2. eamdem poenam et his irrogari iubet: et §. 2. *et* 4. animaduerti vult in viros et mulieres, qui quaeue veſtem religioſam ſemel ſumtam abiecerint, nec non in viduas, quae velatae tempore luctus ſacrae veſti clauos furtim adſuerint, ut per hoc intuentium fallerent oculos.

§. CLX.

Et lenocinio. Eadem lex nec LENONIBVS LENISque parcit, immo ne mulieribus quidem quaeſtuariis, quarum turpitudinem extra poenas ciuiles eſſe paſſum erat ius Romanum. Vid. *comment. noſtr. ad leg. Iul. et Pap. Lib. II. cap.* 1. *pag.* 131. Seueriores ea in re WISIGOTHI *Lib. III. tit.* 4. §. 17. vulgatae pudicitiae ream, 300. verberibus laceratam, mittebant in exſilium, iterum deprehenſam, totidem

dem flagris caeſam pauperi cuidam extra illam ciuitatem in ſeruitutem addicebant: ſi pater materue eam proſtituerant, hi quoque centum ictus flagellorum pati tenebantur. Ancilla denique quaeſtuaria, trecentis ictibus flagelli mulctata, et decaluata reddebatur domino, ea lege, vt hic eam longius a ciuitate abduceret, vel extra ciuitatem venderet. Quod ſi non fecerit, vel ipſe hoc mancipium quaeſtui habuerit, priori caſu 50. poſteriore 100. ictus accipiebat et mulier pauperi cuidam addicebatur, ne iudice quidem effugiente 100. ictuum et 30. ſolidorum poenam, ſi flagitium huiusmodi impune paſſus eſſet perpetrari.

§. CLXI.

Sic ſatis quidem accurate de ſingulis his criminibus ſanxiſſe animaduertimus WISIGOTHOS, at ita tamen, ut memores Germanici moris, quo poenae capitales erant rariſſimae, nullum vltore gladio, multo minus igne, perſequerentur. At acriorem poenam adulteris minatur EDICTVM THEODORICI §. 38. dum negat, adulteros vel adulteras, in iudicio conuictos, interitum euaſuros, quin idem ſupplicium et miniſtris flagitii conſciis, et §. 39. iis, qui domum adulteris praebuerint, vel mulierem ad adulterium iſtud ſollicitarint, comminatur. * Leges Oſtrogothorum de adulteriis,

* Videtur hoc ſupplicium iam tum in Italia reperiſſe THEODORICVS, quippe quod apud Romanos Conſtantinum auctorem habuiſſe nouimus. *l.* 30. §. 1. C. *ad leg. Iul. de adult.* Obſeruat clariſſimus POLAC. *iur. Germ. Lib. III. c.* 16. §. 8. male cohaerere Oſtrogothorum iurisprudentiam, dum ea adulterium cum vili muliere impune committi patiatur, et capitis tamen damnet eum, qui domum praebuerit. Et procul dubio haec ſcribenti obuerſatus eſt locus EDICTI §. 62. *Si matrona vidua alicuius libidine volens corrupta ſit, ſtuprum admittitur: niſi forte vilis vulgarisque ſit mulier. Cum his enim viduis adqueſcentibus ſi concubuerit, quas artis operam, aut miniſterii laborem publice exercere conſtiterit, hoc crimine nec ipſe, nec illae teneantur obnoxii.* Sed haec non minus cohaerent, quam quae CONSTANTINVS M. legibus ſanxit, qui tametſi gladio animaduerti iuſſerit in adulteros: vetus tamen retinuit iuris Romani principium, et in vulgarem mulierem ſtuprum admitti, negauit. *l.* 29. C. *ad leg. Iul. de adult.* Ceterum ex his conſtare arbitramur, totum hoc ius non eſſe ſincerum et Germanicum, ſed ex iure Romano, tamquam ex fonte, ad Oſtrogothos permanaſſe.

§. CLXII.

STVPRVM non eadem ſemper poena coercebant Oſtrogothi, multum intereſſe, rati, ingenuus vitiaſſet virginem vel viduam, an ſeruus: itemque virgo ingenua, an ancilla ſtuprum paſſa ſit. Virginem quiſquis corruperat ingenuus diues, nobilis et de ſtupro.

lis et caelebs, eam ducere vxorem, et quintam patrimonii partem ei titulo ſponſalitiae largitatis offerre cogebatur: Sin maritus virginem aliquam ſtupraſſet, is eam triente patrimonii ſui dotabat, aut, ſi nec nobilis, nec pecunioſus eſſet, capitis damnabatur. EDICT. THEOD. §. 59. Seruus, qui viduam volentem compreſſerat, viuus exurebatur, mulierque ingenua, quae vota ſua miſerat in crucem, plectebatur tamquam adultera. Capitis quoque damnabatur ſeruus, qui virgini ingenuae aut viduae vim intulerat. EDICT. IB. §. 60. *ſequ.* quamuis de ſtupro violento alio loco agendum ſit.

§. CLXIII.

Quomodo reliqua crimina coercuerint?

De NEFANDA VENERE, INCESTV, et LENOCINIO quum nihil ſingulare in edicto illo occurrat: non poſſumus non ſuſpicari, Oſtrogothos ea crimina ex legum Romanarum praeſcripto vindicaſſe. Quamuis enim hoc edictum eo conſilio propoſuerit THEODORICVS, vt conſtaret, quae barbari Romanique *huiuſmodi expreſſis articulis et caſibus terminandis* obſeruare debeant: diſerte tamen rex ille edictum hoc valere iubet, *ſalua iuris publici reuerentia, et legibus omnibus cunctorum deuotione ſeruandis*: EDICT. THEOD. *praefat.* * Quibus verbis ipſum ius Romanum intelligere Theodoricum, iam obſeruauit HERM. CONRING. *de orig. iur. Germ. cap.* 4. *p.* 12.

* Hinc et rarius hoc edicto vſi ſumus ad probandum ius Germanicum. Pauca enim ei inſunt, quae ex iure Germanico depromta videntur, pleraque, quae ex iure Romano, quamuis interpolato, profecta ſunt. Et adfectauit ſane THEODORICVS mores Romanos, ceu vnumquemque, qui CASSIODORVM legit, res ipſa docebit. Quin prae ſe tuliſſe illum, quod Imperatorum Romanorum auſpiciis regnet, iam ab aliis eſt obſeruatum.

§. CLXIIII.

Leges Burgundionum de adulterio.

Religioſius mores patrios BVRGVNDIONES tenuerunt: ſed hic tamen Romanam Themidem redolet eorum iuriſprudentia. Quamuis enim adulterium et ſtuprum vocabulis non diſcernant: re ipſa tamen, permultum inter haec intereſſe exiſtimarunt, et multa de vtroque ſanxerunt, legibus Romanorum non diſſimilia. Nam et deprehenſas in adulterio occidi patiuntur, dummodo vterque occidatur, ſiquidem alias occidentem occiſi vnius pretium perſoluere iubent: LEG. BVRG. *tit.* 68. §. 1. *et* 2. et ipſum quoque adulterium capitale apud illos fuiſſe, vel inde patet, quod in cauſſa Fredegiſeli, Spatharii, et Balthamodi ac Aune-

Digitized by Google

Aunegildis, cum deſponſata alteri nuptiae morte dignae iudicantur, et licet Balthemodus et Aunegildis, ob quaſdam *mercedes*, pecunia mulctentur, in poſterum tamen lege cauerit Gundebaldus, *vt, quoſcumque ſimilis facti reatus aequauerit, ii non tam diſpendia ſuſtinerent facultatum, quam capitis amiſſione plectantur.* LEX BVRG. *ibid. tit.* 52.

§. CLXV.

At mitius puniebant STVPRVM. Si qua enim Burgundionis ingenui filia virgo ſtuprum vltro paſſa eſſet ſiue a Burgundione, ſiue a Romano: ſtuprator 15. ſolidis mulctabatur, ſtuprata notabatur infamia: LEG. BVRG. *tit.* 44. *§.* 1. *et tit.* 61. * vidua vero, itidem infamis, ne pecuniariam quidem illam poenam adquirebat, adeoque nec matrimonio digna iudicabatur, nec praemio. IBID. §. 2. Et ſtu pro.

* Non ergo ſtupratorem cogebant ſtupratam ducere, ſed, ſimplici nuptiarum pretio ſoluto parentibus, ei facultatem dabant, vxorem, quamcumque vellet, ducendi. Et huc pertinet *d. tit.* 61. *Quaecumque mulier, natione barbara, ad viri coitum ſpontanea voluntate conuenerit, nuptiale pretium in ſimplum tantum eius parentibus diſſoluatur, et is, cui adulterii dicitur ſocietate permixta, alterius poſtmodum coniugio, ſi voluerit, ſocietur.* Quamuis autem hic de ſtupro, barbarae mulieri illato, agatur, inter hanc tamen et Romanam vix quidquam diſcriminis fuiſſe videtur, niſi quod haec forte minus pretium nuptiale acciperet.

§. CLXVI.

In hac quoque Burgundionum lege nihil reperio de NEFANDA VENERE, nihil de LENOCINIO, ideo forſitan, quod Romani, ſeu prouinciales, his vitiis frequentius polluti, iure Romano plecterentur, Burgundionibus vero, caſtius viuentibus, non opus eſſet huiuſmodi legibus. De INCESTV tamen legimus *tit.* 36. *§.* 1. *Si quis cum parente ſua vel vxoris ſuae ſorore in adulterio fuerit deprehenſus, pretium ſuum ei, qui eſt proximus mulieri, quam adulterauit, perſoluat: prout perſona fuerit, cogatur exſoluere, et mulctae nomine ſol.* 12. *adulterum vero ſubdi iubemus regiae ſeruituti.* De inceſtu denique.

§. CLXVII.

Proximum eſt, vt ad FRANCORVM legislationem progrediamur. Et lex quidem vtraque nihil admodum de adulterio ſancit, niſi quod SALICA *tit.* 14. §. 12. et RIPVARIORVM *tit.* 35. *§.* 1. cauent, *vt qui vxorem alienam tulerit, viuo marito, 200. ſolidis mulctetur.* Quamuis hae leges magis ad digamiae, quam ad Leges Francorum de adulterio.

ad adulterii crimen pertinere videantur. Nam tantum abeſt, vt in vindicando adulterio tam ſeueri fuerint Franci illorum temporum, vt ſtuprum et adulterium eodem loco habuiſſe videantur; et ſub altera demum regum ſtirpe adulterium coeperit eſſe capitale, et cum publicatione bonorum coniunctum. * Capitvlar. reg. Franc. *Lib. VI.* §. 431. *edit. Baluz.*

* Praeterea ſatis acris erat in adulteros adulteraſque diſciplina eccleſiaſtica, de qua iiſdem capitvlar. *Lib. VII.* §. 382. Adulterae enim, *ſi occulte*, id eſt, antequam quaeſtio de ſe haberetur, *ad confeſſionem veniret, ſeptem annos, et in his tres in pane et aqua, poenitentiam agere; maritus, qui adulterium perpetrauerit, per triennium a communione abſtinere*, iubebatur. Nec innocens coniux, facto diuortio, alteram ducere poterat, praeterquam ſi frater fratris torum perſultaſſet, capitvl. *Lib. V.* §. 21. vbi Balvz. *Tomo II. pag.* 1204. notat, in excerptis Benedicti Leuitae MSSC. bibliothecae Thuaneae addi verba: *ſi abſque eius conſcientia factum fuerit adulterium, et ſi ab ea abſtinuit, poſtquam reſciuit. Nam cum illa reconciliari non poteſt.* Ex eo colligit, apud Francos quoque lenocinium aliquando feciſſe maritos, quemadmodum et apud Langobardos: vid. leg. Langob. *Lib. I. tit.* 31. §. 6. Immo ipſe profert tabulas nuptiales Raimundi, comitis Paliarienſis, quibus ſponſus ſoceris promittit, *ſe Valentiam, filiam eorum, in coniugio accepturum, et eam ſemper cum honore tenturum, ſicut homo debeat tenere ſuam legitimam vxorem, et numquam eam dimiſſurum, dum vixerit, niſi propter cucuciam, quam ipſa ſibi faciat, et ipſa cucucia ſibi ſit probata a ſe legaliter et manifeſte conuicta, et non ſit facta per* svvm adsensvm, *nec per* svvm consilivm, *nec per* svvm stabilimentvm.

§. CLXVIII.

Etiam ſoluti cum aliena vxore.

Eodem tempore et maritum cum muliere innupta, adulterium committere, agnouiſſe videntur Franci. Exſtat enim inter capitvlaria *reg. Franc. Lib. VI.* §. 433. ſingularis ſanctio *de conſeruanda fide inter virum et vxorem*, qua ii, qui in coniugio viuunt, *neque pellicem, neque concubinam habere poſſe*, dicuntur. * Sed iſtud caput magis ad diſciplinam eccleſiaſticam, quam ad leges forenſes, pertinuiſſe videtur, maxime quum nulla poenalis ſanctio addita ſit, quin iam ſupra a nobis obſeruari meminerimus, pellicatum et concubinatum inter ipſos Francorum reges non infrequentem fuiſſe, (*Lib. I.* §. 20.) vt proinde non dubitandum ſit, quin tantis exemplis ſe facile tuiti ſint reliqui, quibus huiuſmodi leges praeſcribebantur.

* At concubinatus non impediebat nuptias. Qui enim mulierem habuerat extra matrimonium, eaque poſtea domo eiecta, iuſtam vxorem ducebat, is nec adulterii, nec digamiae crimine ſe obſtringere, ſed reſipiſcere videbatur. Capitvl. *reg. Franc. Lib. VII.* §. 59. *ſequ.* et §. 105. Hinc §. 59.

59. *et* 60. occurrunt regulae, quas et GRATIANVM *can.* 32. *quaeſt.* 2. *cauſſ.* 31. decreto ſuo interuiſſe nouimus: *Non eſt coniugii duplicatio, quando ancilla relicta, uxor adſumitur, ſed profectus eſt honeſtatis*: itemque: *Non eſt dubium, eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuiſſe myſterium.*

§. CLXVIIII.

Quod ad STVPRVM attinet, innuptae a quocumque illatum; illud veteres Franci mulcta ſatis mediocri expiari poſſe exiſtimabant. Nam LEX SALICA *tit.* 14. §. 13. *et* 14. eum, qui violentum ſtuprum admiſerat, 62. qui puellam, quae *druchte* * dicebatur, dum ad ſponſum duceretur, *adſilierat*, et cum ipſa violenter fuerat moechatus, 200. eum denique, qui cum aliena ſponſa volente clam rem habuerat, 45. ſolidis mulctari iubet. Qualis etiam eſt LEX RIPVARIORVM, niſi quod haec *titulo* 35. §. 2. 3. ſtuprum quodcumque ingenuae puellae illatum 50. et, ſi muliercula in regis vel eccleſiae patrocinio fuerit, 60. ſolidis expiari velit. Itemque de ſtupro,

* DRVCHTE, quaſi *getrauete*, ſponſa eſt, eiuſque notionis aliud exemplum ex vita S. Vdalrici adduxit LINDENBROG. *in gloſſar. Lat. pag.* 1391. Quin apud ipſum OTFRIDVM *Euangel. II.* 13. *v.* 23. ſponſa dici videtur *drutinna*, vt errare videatur SCHILTER. *in gloſſar. Teut. pag.* 244. legis Salicae locum intelligens de paranympho, ſponſam ſponſo adducente. Ab eadem radice *treu*, *trawen*, *vertrauen* ſunt vetera vocabula *truhlinga*, ſodales, *druſcaf*, ſocietas, amicitia, *drutlicho* fideliter, *druti*, miniſteriales, vaſalli, immo et apoſtoli, OTFRID. IIII. 12. *v.* 68. *gedrauues*, ſatellites, et alia.

§. CLXX.

De NEFANDA VENERE nihil vel in SALICA, vel in RIPVARIORVM lege occurrit. At grauius in eos eaſque, qui quaeue hoc crimine ſe polluunt, animaduerti iubent CAPITVLARIA, quae mortem interminantur *ἀλογευομένοις*, aut ſi ſupplicii gratia fiat reis, iis poenitentiam ſecundum *can.* 15. *et* 16. concilii Ancyrani iniungunt. CAPITVL. *Lib. VII.* §. 356. *et Lib. VI.* §. 209. Quin poſtea LVDOVICVS PIVS *addit.* 4. §. 160. minatur, * *qui ſuper his aut faciens, vel libenter conſentiens inuentus fuerit, eum ſe iuxta praedictam Romanam legem velle punire.* Eſt vero ea *l.* 6. *C. Theod. de adult.* quae viuicomburio expiari iubet tam nefandum flagitium. et de nefanda Venere,

* Notatu digniſſima ſunt, quibus LVDOVICVS vtitur, verba. Nam ex his patet, illis temporibus adeo a maiorum caſtitate deſciuiſſe gentes Germani-

manicas, quae extra Germaniam noua ſibi regna quaeſiuerant, et in primis Francos, vt ideo veluti infamia apud alias gentes laborarent, et vulgo iactaretur, ideo peſſum iuiſſe Gothos et Burgundiones, quod tanto ſe ſcelere polluiſſent. *Si enim*, inquit, *gens noſtra, ſicut per iſtas prouincias diuulgatum eſt, et nobis in Francia*, (orientali procul dubio, vel Germania,) *et in Italia improperatur, et ab ipſis paganis improperium eſt, ſpretis legalibus connubiis adulterando et luxuriando ad inſtar Sodomitanae gentis, foedam vitam duxerit : de tali commixtione meretricum aeſtimandum eſt degeneres populos, et ignobiles, et furentes libidine fore procreandos, et ad extremum vniuerſam plebem ad deteriora et ignobiliora vergentem, et nouiſſime nec in bello ſaeculari fortem, nec in fide ſtabilem, et nec honorabilem hominibus, nec Deo amabilem, eſſe venturam. Sicut aliis gentibus Hiſpaniae et Prouinciae, Burgundionumque populis contigit, quae ſic a Deo recedentes fornicatae ſunt, donec iudex omnipotens talium criminum vltrices poenas per ignorantiam legis Dei et per Sarracenos venire et saeuire permiſit.* Tam cito gentes illae, deguſtatis prouinciarum Romanarum deliciis, veluti hauſto Circeo poculo, priſtinam naturam atque indolem poſuerunt, et veluti in bruta degenerarunt.

§. CLXXI.

nec non de inceſtu,

Quae de INCESTV ſanxerint Franci, iam ſupra ſuo loco vidimus. (*Lib. I. §. 205.*) Iam addimus, SALICA LEGE inceſtuoſos ita puniri, *vt a tali conſortio ſeparentur*, filiique non legitimi heredes, ſed infames, habeantur: *tit.* 14. §. 16. LEGE RIPVARIORVM *tit.* 69. §. 2. exſilium et bonorum publicationem illis irrogari. CAPITVLARIA denique *Lib. V.* §. 168. inceſtuoſis anathema, et prohibitionem nuptiarum; et *Lib. VI.* §. 409. interdictionem palatii, militiae, poſtulationis in foro, et quodammodo iacturam facultatum, minantur, niſi ad frugem redeant.

§. CLXXII.

et lenocinio.

Quod ad LENOCINIVM attinet, illud, quamuis inter Francos non infrequens, (§. 167. *) praeteruidiſſe tamen eorum leges videntur. Neque enim de illo quidquam in iis reperio, praeterquam quod maritus, quo conſentiente vxor in aliorum amplexus venerat, dato adulterae repudio, aliam ducere vxorem non poſſet. Locum huc pertinentem, quem BALVZIVS ex codice Thuaneo eruit, iam ſupra (*d.* §. 167. *) vidimus. Praeterea in CAPITVLAR. CAROLI M. *de miniſter. palat.* §. 3. apud BALVZ. *Tom. I. p.* 343. legimus: *Similiter de gadalibus * et meretricibus volumus, vt apud quemcumque inuentae fuerint, ab eis portentur vſque ad mercatum, vbi ipſae flagellandae ſunt. Vel ſi noluerint, volumus, vt ſimul cum illa in eodem loco vapulentur.*

* Magis

Digitized by Google

* Magis haec barbara ſunt, quam reliqua eſſe ſolent, quae ex Caroli M. ſcriniis proficiſcuntur, vt dubitem, Carolo M. an alii Francorum regi debeant vindicari. Senſus tamen eſt, eum, apud quem mulier quaeſtuaria reperiatur, illam ad poenam teneri exhibere, aut ipſum, tamquam lenonem, eamdem poenam ſubiturum. Sed quid GADALES? Tacent de hoc vocabulo gloſſographi, niſi quod CAR. DV FRESNE, adlato hoc ipſo loco, ſuſpicatur, Germanis hoc idem eſſe ac *latitans*, vel occultum, quia id vocabulum antecedat. Sed ſic nec Latinum, nec Germanicum, dixeris vocabulum. Mihi GADALIS *amica* vel *fornicaria* eſt. Nam *gatiling* apud OTFRID. I. 22. v. 43. eſt *cognatus*, *neceſſarius*. Et *camera* vel *fornix* veteribus dicta *gadan* vel *gaden*. OTFRID. IIII. 9. v. 24. SCHILTERVS ſane in *gloſſar. pag.* 339. ex vetere euangeliorum dominicalium verſione, quae Argentorati reperitur, profert teſtimonium, in quo locus *Rom. XIII.* 13. qui manifeſto loquitur de lupanaribus, vertitur *nies in gaden*. Si ergo lupanar dictum *gaden*, quid mirum, ſi mulier quaeſtuaria *gadalis* nomen tulerit?

§. CLXXIII.

Mira fuit legiſlatio BAIVVARIORVM, qui adulterum damnarunt in *vvergeldum* vel certam pecuniae ſummam marito, cuius vxor corrupta fuit, perſoluendam, et quidem in 160. ſolidos, ſi quis cum alterius vxore libera concubuiſſet: * LEG. BAIVVAR. *tit.* 7. *cap.* 1. *§.* 1. in quadraginta, ſi cum libertina alteri nupta. IBID. *cap.* 10. in quatuor, ſi cum ancilla, quam quis in matrimonio habebat, rem habuiſſet. IBID. *cap.* 12. §. 1. in duodecim, ſi torum alterius perſultaſſet, nec tamen iniiſſet mulierem. IBID. *§.* 3. Attamen iidem impunem eſſe volebant caedem adulteri. IBID. *§.* 2. Eamdem poenam pecuniariam et dominus pro ſeruo adultero praeſtare tenebatur, ita tamen vt, ſiue occiſus fuerit ſeruus, ſiue noxae deditus a domino, 20. ſolidi ſummae decederent. IBID. *cap.* 2. *§.* 1. *ſequ.*

Leges Baiuuar. de adulterio.

* Hoc ideo factum, quod ex moribus Germanorum adulter regulariter addiceretur marito innocenti, vt hic ſuo arbitrio poenam quamcumque in eum ſtatuere poſſet. Ne tamen in truculentiam abiret illa vindicta, (quod ſane metuendum erat a viro, quem tam inſignis iniuria in furorem egiſſet,) ſubſtituerunt pretium hominis ingenui, *das wehrgeld*. Eſt haec elegans coniectura amici olim ac collegae coniunctiſſimi, CHRIST. GOTTOFR. HOFFMANNI *diſſert. de diſſenſu iurium in puniendo adult. crimine cap.* 5. §. 1. quam ita explicat: *Aſt quid accidit tori coniugalis violatoribus? Silet hic Romanus,* (TACITVS.) *Si vero coniecturis locus eſt, vindicanda relinquebatur iniuria laeſo marito, in ciuitate, quae multum ex naturali ſtatu adhuc conſeruabat, nece libidinoſi, aut componenda erat alio modo illata iniuria. Hinc in antiquiſſimis Germanorum legibus a deprehenſo in adulterio* WERIGELDVM *ſolutum eſſe, legimus.*

§. CLXXIIII.

De ſtupro.

Eadem lex et STVPRA, omnemque impudicitiam, perſequitur, etiamſi intra conatum res ſteterit.* Qui enim volenti ingenuae ſtuprum intulerat ipſe ingenuus, niſi eam ducere mallet vxorem, 12. ſolidos pendebat. IBID. *cap.* 8. §. 1. Seruus, qui ingenuam vitiauerat, noxae parentibus dabatur, adeo, vt his liceret ei poenam quamcumque, etiam capitalem, infligere. IBID. *cap.* 9. §. 1. Stuprum virgini libertinae illatum 8. ſolidis: ancillae 3. ſolidis luebatur. IBID. *cap.* 11. §. 1. et *cap.* 13. §. 1.

* Sex enim ſolidis mulctabatur, qui mulieri ſiue nuptae, ſiue innuptae manus inieciſſet, quod Baiuuarii vocabant *borgriſi (buhren-griff,)* duodecim ſi indumenta ſuper genua ſuſtuliſſet, quod vocabant *himilzorun* (vid. §. 108.) totidem, ſi diſcriminalia deiecerit de capite, vt *virgini libidinoſe crines de capite extraxerit*: LEX BAIVVAR. *ibid. cap.* 3. 4. 5. quamuis haec omnia ſupra ad iniurias, quales vere ſunt, retulerimus.

§. CLXXV.

De inceſtu.

Nihil haec lex de NEFANDA VENERE, nihil de LENOCINIO ſtatuit, vti reliquae pleraeque omnes. At iis, qui INCESTV ſe polluerint, poenam ſatis acrem minatur. Honeſtiores enim diuelli, facultateſque eorum omnes in fiſcum redigi; viliores in ſeruitutem detrudi et ſeruis ancilliſque fiſcalibus accenſeri iubet. IBID. *tit.* 6. *cap.* 1. §. 1. 2. 3. Quae poena tanto acerbior videri debuit, quanto magis ea aliena fuit a moribus Baiuuariorum, ceu eodem *tit.* 6. *cap.* 3. §. 1. *et* 2. ipſe monuit legiſlator.

§. CLXXVI.

Leges Alamannorum de adulteriis et ſtupris,

Similes fere ſunt LEGES ALAMANNORVM, quae ipſae quoque et ADVLTERIA, et STVPRA, poena pecuniaria expiari patiebantur. Et ſtuprum quidem ingenuae puellae etiam vi illatum in via publica, ſolidis 40. nuptae ſumma duplo maiore; ſubagitatio, qua caput vel genua denudata, 6. qua ipſae partes verendae reuelatae 12. ſolidis luebatur. LEX ALAM. *tit.* 58. §. 1. 2. *et* 3. Ea mulcta triplo maior erat, ſi quis feminae, quae in miniſterio ducis erat, hanc inſignem feciſſet iniuriam. IBID. *tit.* 33. §. 1. Denique ſex ſolidis redimebatur vitium, ancillae veſtiariae vel mulieri *de genecio priore*; * tribus *de alio genecio* oblatum. IBID. *tit.* 80. §. 1. *ſequ.*

* Quemadmodum ancilla veſtiaria eſt ornatrix, quae paullo honoratiore loco et veluti interioris admiſſionis erat apud dominam: ita *genecium* ſcriptum eſt pro *gynaeceo*, quod Germani, teſte gloſſario Latino Theotiſco, voca-

vocabant *genetatume*, vel *genez*, vid. SCHILTER. *gloſſar. Teuton. pag.* 354. Gynaeceum ergo prius eſt, cui materfamilias intererat, et quod non niſi ſelectiores ancillae ingrediebantur: reliqua gynaecea erant textrina, vbi penſa diſtribuebantur ancillis aliis, quod poſterius et PAPIAS in gloſſario Langob. obſeruauit apud LINDENBR. *in gloſſar. p.* 1407.

§. CLXXVII.

In hoc quoque lex ALAMANNICA ſimilis eſt BAIVVARICAE, quod nec NEFANDAE VENERIS, nec lenocinii, facit mentionem, ideo fortaſſis, quod ex THEOPHRASTI monito, *quae ſemel aut bis fiunt, ea praeterire ſoleant legiſlatores. l. 6. D. de legib.* Sed et de INCESTV idem plane in illa legimus, quod paullo ante ex BAIVVARICA attulimus, puta, quod honeſtiores diuellendi, eorumque bona publicanda, viliores perſonae libertate priuandae, et ſeruis fiſcalibus accenſendae ſint. LEX ALAM. *tit.* 39. §. 1. *et* 2. et de inceſtu.

§. CLXXVIII.

Mirari quis poſſet, SAXONES nihil omnino lege ſua de adulteriis, nihil de ſtupris, multoque minus de nefanda Venere, inceſtu et lenocinio cauiſſe, * niſi quod, eum, qui filiae, aut vxori, aut matri domini ſtuprum intuliſſet, capitis ex domini arbitrio damnari iuſſerit. LEG. SAX. *tit.* 3. §. 3. Et tamen SALVIANVS *de gubernat. Dei Lib. VII. p.* 239. Saxones *crudelitate efferos, ſed caſtitate mirandos eſſe*, teſtatus eſt. Enimuero nemo hoc credo mirabitur, qui apud Saxones paratum adulteris ſupplicium, ipſiſque maritis ac parentibus permiſſum fuiſſe, meminerit. * (Lib. I. §. 321.) Cur in Saxonum, Angliorum et Werinorum legibus tam pauca de his criminibus occurrant?

* Quum vero et ANGLII et WERINI vel eiusdem cum Saxonibus originis, vel eorum ſaltim vicini, dum adhuc in Germania degebant, eſſent: facile eſt ad intelligendum, cur et hi nihil, quod ad haec flagitia pertineat, legibus ſuis conſtituerint, niſi quod *tit.* 10. §. 5. *et* 6. quaedam de raptu mulierum ſanciuntur, quae magis ad titulum de vi publica et priuata, quam ad hunc de adulteriis et ſtupris, pertinent.

§. CLXXVIIII.

Apud FRISIOS femina quaelibet nobilis et ingenua ſtuprum paſſa, weregildum ſuum regi, lita domino ſuo ſoluere tenebatur: qui ancillam adhuc virginem vitiauerat, 4. ſolidos; qui iam ſemel ſtupratam, tres; qui tertium virum paſſam, duos; qui quartum vel ſaepius violatam, tremiſſem debebat. LEX FRIS. *tit.* 9. §. 1. *ſequ.* Sed haec omnia ad ſtupra tantum pertinere arbitramur. De adulterio nihil ibi habetur, ob eamdem, vt opinor, Friſiorum leges de adulterio et ſtupro.

nor, cauſſam, puta, quod propinquis et ibi eſſet facultas in vxorem adulteram animaduertendi *.

* Eleganter hoc probat Tetardvs Sibr. Siccama *in not. ad leg. Friſ. d. titulo*, ex legibus antiquis Friſicis, ex quibus patet, accuſatam adulterii feminam defendere ac purgare debuiſſe tutorem: ſi eam purgare non potuerit, in eius arbitrio fuiſſe, excoriare eam, id eſt, flagris caedere, an gladio illo, quo in domum deductione vſus eſſet, iugulare mallet. Addit vir doctus, in more fuiſſe Friſiis, vt ſponſas magna pompa ad templum, peractiſque ſacris domum ſponſi deducerent: Aduenienti illi aliquem ante limen obieciſſe ſcopas, quas fores ingreſſura auerruncandi faſcini cauſſa tranſierit: alium gladium euaginatum limen tranſiturae praetendiſſe, ſponſae irrupturae non prius ceſſurum, quam munuſculo placatum. Eo vero ritu admonitam ſponſam, vt ſepta pudicitia ageret, quippe vel ſcopis excoriandam, vel eodem gladio, quem *aefſwird*, ſeu gladium nuptialem, vocabant, perituram, ſi cuiquam virorum corporis ſui vſuram praebuiſſet. Similia quaedam legas apud Heimreich *Nortfriſ. chronic. Lib. I. cap. 1. p. 15.*

§. CLXXX.

Leges Langobardorum de adulterio.

Superſunt ex gentibus Germanicis, quarum adhuc leges recenſuimus, Langobardi, qui ſatis ſeuere in adulteros atque adulteras animaduertebant. Primo enim marito permittebant, vt deprehenſos in adulterio impune occideret. Leg. Langob. *Lib. I. tit. 32. §. 2.* Deinde accuſato adulterii, crimen ex hac lege aut iureiurando, aut ſingulari certamine, erat diluendum; quod niſi facere poſſet, capitis periculum adibat. ibid. §. 3. Denique poena ordinaria in eo conſiſtebat, vt adulter et adultera marito laeſo traderentur, ad vindictam ſumendam, et ſi poſtea venumdati eodem ſe flagitio polluerent, a fiſco in ſeruitutem vindicarentur. * ibid. *§. 7. ſequ.*

* Id quoque notatu non indignum eſt, Langobardos et vxoribus dediſſe poteſtatem accuſandi adulterium. Nam ibid. §. 6. legimus: *Si vir cum ancilla ſua, aut cum altera muliere adulterium feciſſet, mulier ipſa ad palatium, aut ad iudicem, habuit proclamare.* Quum vero obiter tantum huius iuris mentionem faciat Lvitprandvs, Rex, non additur, quomodo in virum fuerit animaduerſum. Ceterum a Lindenbrogio *in gloſſario pag. 1349.* obſeruatum eſt, *decaluari et fuſtari per vicos vicinantes* apud Langobardos quoque fuiſſe poenam adulterii ordinariam, eamque in rem laudat *Lib. I. tit. 17. §. 5.* Sed res ipſa docet, non ibi ob adulterium, ſed vim illatam, hanc poenam irrogari mulieribus.

§. CLXXXI.

Digitized by Google

§. CLXXXI.

Si STVPRVM volens paſſa eſſet virgo ingenua ab ingenuo: *parentes poteſtatem habebant in eam dare vindictam*, id eſt, poterant eam abdicare et exheredem ſcribere, is vero, qui ei vitium intulerat, ſi eam cum parentum conſenſu vxorem duceret, *pro culpa, id eſt, anagriph* * viginti, ſin alterutris non placeret conditio, 100. ſolidos ſoluere tenebatur, cuius ſummae dimidia fiſco, dimidia mundwaldo, cuius in poteſtate vel tutela erat, cedebat. Qui ancillam Langobardam vitiauerat, 20. qui Romanam, 10. ſolidos domino debebat. Aldius denique ſeu ſeruus, qui violauerat ingenuam, 50. ſolidos ei, cuius in mundio erat, pendere cogebatur, nec vlla ſatisfactione digna habebatur mulier, quae in ſeruiles amplexus tam turpiter ruiſſet. LEX LANGOB. *Lib. I. tit.* 31. §. 1. *ſequ.* Et de ſtupro.

* Eſt ipſum Germanicum *angriff*, quod vim illatam tactumque impudicum ſignificat, ceu ex WILLERAMI paraphraſi cantici canticorum ſimilibuſque monimentis probauit LINDENBROG. *in gloſſar. pag.* 1353. Vnde vocabuli vim non ſatis perſpexiſſe videtur auctor gloſſae veteris apud eumdem LINDENBROGIVM, cui *anagriph* eſt *culpa praeſumtionis*: multoque minus PAPIAS et VGVTIO, qui vocem diuellentes, *ana* putant eſſe *pro*; *grip* vero *culpam*: minime omnium SPELMANNVS, qui *ana* putat ſignificare *ſolam*, *ſingularem*, *innuptam*, ac proinde *anagriph* interpretatur compreſſionem feminae innuptae. Quid vero opus eſt his argutiis, quum lingua noſtra vocem hanc eodem ſenſu retineat? Vid. SCHILT. *gloſſar. Teut. p.* 42.

§. CLXXXII.

Apud LANGOBARDOS quoque de deteſtabili illo crimine, De inde quo honeſte fari non licet, nihil reperio. At de INCESTV ceſtu. apud eos cautum fuerat, vt ea cognitio pertineret ad epiſcopos, et, ſi qui ab his corrigi ſe haud paterentur, vel in eodem luto poſtea haererent, eorum heredia, vel allodia a fiſco regis occuparentur. LEG. LANGOB. *Lib. II. tit.* 7. §. 9. *Lib. III. tit.* 3. §. 10. Quin et ſponſam defuncti cognati ſi quis duxiſſet vxorem, vir et vxor amittebant facultates ſuas, earumque pars fiſco, pars proximis cedebat, nulla parte liberis ex inceſtu natis relicta. IBID. §. 14.

§. CLXXXIII.

At turpiſſimus apud eos inoleuerat quaeſtus lenonius, adeo De lenovt ne maritos quidem puderet, *vxoribus malam licentiam dando, dicere: vade et concumbe cum tali homine*, vel viro cuidam: cinio.

veni, et fac cum muliere mea carnis commixtionem. Ei ſi dicto audiens fuiſſet vxor, neque rem ad iudicem detuliſſet, ipſa capitis damnabatur, maritus vero cogebatur pretium vxoris perſoluere parentibus et cognatis, perinde, ac ſi ab eo fuiſſet occiſa. Bona adulterae, ſi liberos non haberet, ad cognatos reuertebantur, iiſdemque tradebatur adulter, qui conſentiente marito cum muliere rem habuerat. Si vxor pudica virum, tanti probri auctorem, accuſaſſet, ille tamquam corruptor 50. ſolidis mulctabatur. LEG. LANGOB. *Lib. I. tit.* 32. §. 6. (Conf. §. 172.*)

§. CLXXXIIII.

Quid ius Sax. de his criminibus ſanxerit.

Haec de antiquiorum Germanorum iure ac moribus circa adulteria aliaque delicta, quae apud Romanos lex Iulia vindicauit, dicta ſufficiant. Iam vt ad inſequentia tempora progrediamur, in IVRE SAXONICO nihil admodum occurrit de ADVLTERIO, niſi quod in IVR. PROV. *Lib. II. art.* 13. legimus: *Die in ebbrecherey begriffen vverden, den ſoll man allen die häupter abſchlagen.* Quem quidem locum varie interpretantur doctores Saxonici. CONSVLT. SAX. *part. IIII. tit.* 1. *quaeſt.* 2. *n.* 14. COLER. *part. I. deciſ. pag.* 487. Sed manifeſtum eſt, eum de femina aeque ac de mare, in adulterio deprehenſis, agere *.

* De poena eorum, quos cautius mercatos nemo deprehendit, ſilet ius Saxonicum. GLOSSA tamen ad *Lib. I. art.* 51. recenſens plures infamia notatorum claſſes, de tertia ita loquitur: *Die dritten ſind, welche friedlos, oder in die acht geſprochen ſind. Vnd dies lezt geſchicht zweyerley weiſe. Etliche werden von dem richter friedlos vertheilet, verueſtet, vnd geechtet, als die ehebrecher.* Itaque poena adulterorum ordinaria fuit proſcriptio.

§. CLXXXV.

Quid ius Sueuicum?

Eadem eſt diſpoſitio IVRIS PROV. SVEVICI *cap.* 114. §. 10. Quamuis enim ibi in MEICHSNERIANA editione generatim legatur: *Die mit vbelthun begriffen vverden, den ſoll man allen das haupt abſchlagen*: in BERGERIANA tamen *pag.* 201. diſerte eſt: *Die mit vberbür begriffen vverdent*; eaque verba praefert etiam editio SCHANNATI *pag.* 253. et SCHILTERI *cap.* 166. §. 28. *pag.* 101. *Die mit ir in vberhure begriffen vverdent.* VBERHVR autem eſt noſtrum *oberhuhrerey* vel adulterium, idque vocabulum non intellexiſſe videtur MEICHSNERVS. Ceterum in eo plenius eſt Saxonico ius Alamannicum, quod et conuictos adulterii, quamuis non deprehenſos, capitis eſſe damnatos, obſeruat. * *cap.* 148. §. 27.

* Verba

Digitized by Google

* Verba huius capitis ita ſe habent: *Ob ein mann bey eines mannes weib liegt, der ehrecher vnd die ehrecherin* (in Bvrg. p. 228. *derſelb vberhurer vnd dew vberhurärin*) *ſind beyde ſamt des todtes ſchuldig. Ob ſie für das weltlich gericht kommt, ſo ſoll man ihn das haupt abſchlagen.* Qui quidem locus etiam in editione Goldastina *cap.* 49. et in codice Feſchiano habetur apud Schilt. *theſaur. antiqu. Teut. Tom. II. p.* 234. non autem in Kraftiano, quem ipſa Schilteri editio expreſſit, nec in Schannatiano, in quo iſtud caput plane deſideratur. Quare quum toto illo capite varia loca compilentur ex ſcriptura ſacra, quemadmodum et rubrica, et ipſa verba initialia: *Dieſe worte ſprach Gott ſelber wieder Moyſen auff dem heiligen berg Sinai*: ſuſpicor ſane, vnumquemque fere codici ſuo plura huiuſmodi capita adſcripſiſſe ex ipſa lege Moſaica, atque inde eſſe, quod caput hoc in quibuſdam editionibus ſatis prolixum, in aliis multo breuius ſit, in quibuſdam vero plane deſideretur. Itaque nec probari hoc teſtimonio poſſe arbitror, adulterium iure Alamannico capitale fuiſſe, niſi in ipſo crimine deprehenſi fuerint rei.

§. CLXXXVI.

Cauponis vxor et ancilla an rea adulterii ex eo iure?

Notatu quoque dignum eſt, eo iure ab adulterii crimine abſolui feminam, quae quaeſtum cauponarium exercet. Ita enim ſe habet ivr. prov. Svev. *Caput* 376. *Vnd iſt, daſs ein leydgeb feil hat eſſen vnd trincken, vnd hat ein kaufffrau, vnd ein dirne, die ſein magd iſt, vnd helffen ihm ſein ding beſehen, die muſſen mit den leuten mehr zu ſchaffen haben, dann andere frauen. Dauon iſt das geſetzt, iſt es, daſs ſie vneblich fünden,* (Bergeriana *editio pag.* 374. *vverdent ſy getzigen vberhur*) *oder werden daran begriffen, man ſoll über ſie nicht richten, als über ander frauen, man ſoll ſie auch nicht öffentlich rügen, noch öffentlich büſsen, ihn ſoll ihr pfarrherr heimlich buſs geben.* *

* Ex hoc quoque capite, quod in Schannati editione, *capite* 221. in Schilt. *cap.* 359. habetur, ſatis intelligitur, ineptum iuris Romani compilatorem egiſſe ſpeculi huius artificem. Deſcriptum enim eſt hoc caput ex *l.* 29. *C. ad L. Iul. de adult.* ſed male deſcriptum. Ibi enim diſtinguitur inter dominam et ſeruilis conditionis miniſtram. Illa *non erat a vinculis iuris excepta*: haec *immunis a iudiciaria ſeueritate et ſtupri et adulterii praeſtabatur*: non quod frequentior cum viris conſuetudo in caupona eos excuſaret, quam ineptam rationem reddit ſpeculator: (ita enim et aliae profeſſiones mulierculas immunes a legum ſeueritate praeſtarent:) ſed quia iure Romano in matresfamilias, non in perſonas viles, et ancillas ſtuprum committebatur. Hinc eos, qui cum iſta rem habuerant, abſoluendos putat Conſtantinus, *pro vilitate eius, quae in reatum deducitur*: et ipſas mulierculas damnandas negat, *quod ab his pudicitiae ratio requiratur, quae iuris nexibus detinentur, et* matrisfamilias *nomen obtinent*: non a quaeſtuariis mancipiis, *quae vitae vilitas digna legum obſeruatione non credidit.* Haec quam male conueniant moribus Germanorum, facile vnuſquiſque intelligit,

git, eoque minus excuſandus eſt ſpeculator, qui ius illud ad liberas etiam feminas inepte protulit, quas vocat *die leytgeb.* *Lyd* enim veteribus erat *vinum* vel *ſicera.* OTFRID. *Lib. I. cap.* 4. *v.* 21. et *Lib. II. cap.* 8. *v.* 21. et 51. Hinc *lithaus* pro caupona, *litgebe*, qui vinum vendit, adeoque abſurda eſt in editione SCHANNATI rubrica *von den leibgewinne.*

§. CLXXXVII.

Iuris Lubecenſis diſpoſitio de adulterio.

Mitius cum adulteris agit IVS LVBECENSE *Part. IIII. tit.* 6. *art.* 2. quod primum peccantes adulteros 60. marcis, vel 20. imperialibus mulctat, vel ſi ſoluendo non ſint, eos numellis coerceri iubet, iterum delinquentes numellis abſciſſe, et non conceſſa redimendi facultate, punit, niſi rei vrbe excedere malint: tertia vice in eos numellis et relegatione animaduertit. Qui caelebs cum alterius vxore rem habuit, prima vice carcere et quatuordecim dierum ieiunio, altera numellis, 60. marcis redimendis, tertia numellis et relegatione punitur.

§. CLXXXVIII.

De ſtupro quid ſanxerit ius Sueuicum?

De STVPRO etiam, quod fere praeteruehitur IVS SAXONICVM, paullo accuratius agit SVEVICVM *cap.* 29: *Vnd iſt, daſs ein mann bey einer iungfrauen ligt, die da nicht hingeſchvvorn,* (BERG. *p.* 229. *devv nicht hingeben iſt,*) *es ſey vvieder ihren vvillen, oder nicht, vnd er für gericht kommt, der bey ihr geſchlaffen hät, der ſoll ihrem vater hundert marck ſilbers geben, vnd ſoll die jungfrau zu rechter ehe haben, dievveil ſie lebet.* Si ſponſa ſtuprata eſſet non inuita, nec aliorum opem implorans, tum ea, tum ſtuprator, lapidibus obruebantur: (*man ſoll ſie beyde ſahen, vnd ſoll ſie für den richter führen, da ſoll man ihn ertheilen, daſs man ſie aus der ſtadt führe, vnd ſie mit ſteinen verronen ob einander,*) ſin in locis deſertis, vel vbi hominum fidem quiritando implorare non poterat, compreſſa eſſet, capitis damnabatur ſtuprator; et vim paſſa virgo, quae reſiſtere viro non potuiſſe praeſumebatur, abſoluebatur. IBID. §. 27. Sed haec quoque non in omnibus editionibus leguntur *.

* Haec quoque omnia compilator deſcripſit ex lege Moſaica *Exod. XXII.* 16. *Deut. XXII.* 23. *et ſequ.* adeoque merito dubites, an talia vmquam exempla facta ſint a Sueuis. Multo magis dubito, genuinum eſſe ius Germanicum, quod eodem *capite* 148. §. 26. de ſponſo, qui ſponſae virginitatem ante nuptias eſſe delibatam, contendit, de oſtendendis ſignis virginitatis, et poena denique lapidationis traduntur. Nam et hic ſpeculator legem Moſaicam *Deut. XXII.* 13. *ſequ. ſummo modo* expreſſit. Quis credat, maiores noſtros legibus Moſis forenſibus vmquam locum conceſſiſſe in republica

ea ſua? Eodem ergo conſilio haec ſcripſit, in Platonica tantum, id eſt, compilationi ſuae inſeruiſſe videtur nulla ciuitate locum habituras. ſpeculator, quo PLATO olim leges

§. CLXXXVIIII.

Apud LVBECENSES quoque ſtupratorem vel vxorem ducere ſtupratam, vel eam dotare oportet. Praeterea mulctam debet magiſtratui, quam ſi ſoluere non poſſit, carcere et ieiuniis (*bey vvaſſer vnd brod*) punitur. Eadem poena manet ſtupratorem, in eodem luto iterum haerentem, niſi quod ei poenam carceris mulcta redimere non licet. Tertium delinquens in perpetuum relegatur: IVS LVBEC. *Lib. IIII. tit.* 5. *art.* 1. eademque poena decernitur aduerſus feminam, quae iterum ac tertium ſe vitiari paſſa eſt. IBID. *art.* 3. Quin paullo durius caſtigatur vidua. *art.* 4.

Quid Lubecenſe?

§. CLXXXX.

De NEFANDA VENERE nec ius Saxonicum, nec Sueuicum, quidquam ſanxit, niſi quod poſterius eodem *capite* 148. quo multa ex lege Moſaica decerpſit, §. 21. et hoc addidit: *Der gelüſt mit dem viehe hat, den ſoll man tödten.* Quae quidem deſumta ſunt ex *Exod. XXII.* 19. nec in omnibus editionibus huius ſpeculi reperiuntur. Nec iura Lubecenſium hoc crimen perſequuntur. De INCESTV plura habet SPECVLATOR SVEVVS *cap.* 370. *§.* 4. *ſequ.* Sed praeter ſeparationem nihil poenae ſtatui animaduertimus in huiuſmodi perſonas. Additur tantum: *Sie müſſen aber ſtarck büſſen die ſünde.* Quod de diſciplina eccleſiaſtica manifeſto eſt intelligendum.

Quid Sueuicum de nefanda Venere et de inceſtu ſanxerit?

§. CLXXXXI.

Supereſt LENOCINIVM. De eo quoque ſilet IVS SAXONICVM. At GLOSSA *ad Lib. II. art.* 13. vbi gladio percuti iubentur deprehenſi in adulterio, haec addit de lenocinio: *Hie ſoltu auch vviſſen von denen, ſo ihre vveiber vermiethen, vnd dieſelben andern verkuppeln, vnd die armen frauen damit betrügen, ob ſie das klagen vollen: man richtet über ſie, als über dieſe albier.* Nec in IVRE PROV. SVEVICO, quidquam, quod huc facere videatur, ego reperio. IVRE denique LVBECENSI *Lib. IIII. tit.* 5. *art.* 5. meretriculae primum deprehenſae relegantur, iterum reae innumellis fuſtigatae vrbe eiciuntur, qui cum iis rem habuerunt, extra ordinem puniuntur: lenones denique, lenae, et quorumcumque ope et conſilio flagitia haec admiſſa ſunt, eamdem poenam, ac ipſae impudicae mulierculae, ſubeunt. IBID. *art.* 6. *

De lenocinio diſpoſitio iuris Sax. et Lubecenſis.

* Sed ad pleroſque hos articulos IVRIS LVBECENSIS, inprimis *ad art.* 2. *p.* 800. monet interpres doctiſſimus, DAV. MEVIVS, maiore hodie ſeueritate in huiusmodi crimina animaduertere ciuitates, in quibus alioquin iure Lubecenſi viuitur. Hinc et *ad hunc articulum M.* 4. *ſequ.* obſeruat, aliquando plenius puniri, quin capitali ſupplicio dignum iudicari lenocinium, ſi parentes filias, mariti vxores proſtituant, dummodo id quaeſtus et lucri cauſſa fecerint. Quod nemo mirabitur, qui cogitauerit, prouinciis ciuitatibusque Germaniae tantum non omnibus pro norma eſſe CAROLINAM NEMESIN.

§. CLXXXXII.

Axiomata de adulterio,

Quum ergo tam diſſimiles eſſent gentium Germanicarum mores in criminibus his perſequendis: non mirum eſt I. Carolum V. adulterium vindicari voluiſſe ex praeſcripto iuris Romani. Ita enim ſe habet ſanctio articulo 120. *So ein ehemann einen andern, vmb des ehebruchs vvillen, den er mit ſeinem ehevveib verbracht hat, peinlich beklaget, vnd des übervvindet, derſelbig ehebrecher ſamt der ehebrecherin ſollen nach ſag vnſer vorfahren, vnd vnſer kayſerlichen rechten, geſtrafft vverden.* * At paſſim tamen II. vigere mores veteres patrios, et III. multa praeterea relinqui arbitrio coniugis innocentis, quippe cui permultae leges veteres Germ. adulteros veluti addixerant. (§. 153. 156. 173. 177. 178. * et 179.)

* Mirum eſt, imperatorem ordinesque imperii hic tam ambigue loqui, quum rem multo clarius expreſſerint cum primae huius conſtitutionis delineationes, quas barbare *proiecta* vocant apud KRESS. *in comment. p.* 223. tum conſtitutio Bambergenſis apud LVDOV. *in Comment. p.* 155. nempe in duplicato adulterum capite plectendum, adulteram cuſtodiae perpetuae eſſe includendam, (*ſie ſolle zu ewiger buſs vnd ſtraff verſperret vnd gehalten werden.*) Quibus ſane verbis poena *l.* 31. §. 1. *C. ad leg. Iul. de adult.* et *Nou. CXXXIIII. cap.* 10. exprimitur. Ibidem maritus, qui cum innupta concubuit, infamia notatur, et pro conditione perſonae carcere, numellis, fuſtigatione iubetur coerceri. Quae omnia omiſſa ſunt in conſtitutione criminali, ideo procul dubio, quod illa iuris Romani ſeueritas plerisque ordinibus diſpliceret, iique ſuae prouinciae mores iuri peregrino praeferrent. Vti ergo placuit verbis quodammodo ambiguis. Verba enim *nach ſag vnſer vorfahren* aeque de Germanis, ac Romanis legislatoribus, poſſunt explicari, ac proinde non mirum eſt, eam conſtitutionem nihil obſtitiſſe principibus atque ordinibus imperii, quo minus ſuas ſinguli ſaltim plerique leges moreſque patrios retinerent.

§. CLXXXXIII.

et reliquis delictis carnis.

Deinde ex comparatione legum Germanicarum diſcimus, IIII. de nefanda Venere nihil paene ſanxiſſe maiores noſtros, niſi

Digitized by Google

niſi quod ex ipſo ſacro codice, deſumtiſque inde conciliorum decretis depromſerant, idemque paene V. dicendum eſſe de inceſtu. VI. Stuprum pleraſque originis Germanicae gentes carcere, vel mulcta pecuniaria, puniuiſſe, adacto ſimul ſtupratore, vt aut duceret ſtupratam, aut dotaret. Denique VII. lenocinium eas extra ordinem coercuiſſe, et VIII. ne meretricum quidem turpitudinem extra legum ciuilium poenam habuiſſe.

§. CLXXXXIIII.

Quomodo iure communi plectantur adulteri?

Quum itaque ius Romanum pro norma eſſe voluerit legislator in coercendo adulterio: (§. 191. 1.) recte inde collegerunt doctores, (1. iis locis, vbi iura prouincialia et ſtatuta nihil ſingulare habent, adulterum, qui alienam vxorem corrupit, gladio percutiendum, *l.* 31. §. 1. *C. ad leg. Iul. de adult.* (2. adulteram, quia incluſio in monaſterium ab vſu receſſerit, * fuſtibus caedendam ac relegandam. HEIG. *Part. II. quaeſt.* 29. *num.* 72. CARPZ. *prax. crim. Part. II. quaeſt.* 53. (3. Maritum, qui innuptam vitiauit, poenam ſtupri ſuſtinere ex principiis iuris Romani, quamuis (4. plerumque illum fuſtigatum perpetuo; (5. hanc ad tempus carcere vel relegatione puniendam cenſeant iuris criminalis interpretes. CLAS. *ad conſt. crim. art.* 120. *p.* 379. Denique (6. caelibem, qui alterius vxorem violauit, capite plectendum, (7. adulteram fuſtibus caedendam eſſe. BEIER. et LVDOV. *ad art.* 120.

* In Sabaudia hanc poenam adhuc obtinere, auctor eſt ANT. FABER *in Codice ſuo Lib. VIIII. tit.* 7. *def.* 1. Sed et IVRE BAVARICO nobilibus permittitur, vxores tertium moechatas perpetua cuſtodia coercere: *es ſolle ihren ehevögten, doch mit vorvviſſen des landesfürſten, oder dero regimenter, zugelaſſen ſeyn, nach gelegenheit eines ieden vermögens vnd ſtandes in ſein ſelbs hauſs, ſchloſs, oder einem andern gebührlichen ort, die verbrecherin gäntzlich zu vermauren, vnd in ſolcher fängnuſs bis in ihren tod vervvahrt zu halten. Conſtit. de adult.* 1635. *apud* KHRAISER. *inſtit. iur. Rom. Bauar. p.* 354.

§. CLXXXXV.

Quomodo apud Bauaros?

At quum non impediat haec ſanctio Carolina, quo minus paſſim adhuc vigeant leges et mores patrii: (§. 191. 2.) facile reddideris rationem, (8. cur in quibuſdam prouinciis mitius agatur cum adulteris. (9. Cur BAVARI adulteros et adulteras vilioris conditionis prima vice carcere et mulcta pecuniaria, vel, ſi ſoluendo non ſint, diſciplina eccleſiaſtica, (*das ſie bey necbſtgelegener*

Digitized by Google

ner pfarrkirchen in eiſſen für die kirchtbür, oder in den brecher, drey ſonntag nach einander mit einer kerzen, doch ohn entblöſſung der armen vnd ohne ruthen, vel, ſi duplicatum ſit adulterium, *mit entblöſsten armen vnd darinn habenden ruthen geſtellet werden.*) (10. altera vice relegatione perpetua, (11. tertia iudicio criminali et poena arbitraria coerceant, (12. nobiles vero prima vice in ſeruitia militaria quinque menſium, (*mit vier pferden fünff monath wieder den erbfeind, oder im fall zutragender landesnoth auf ſeine vnkoſten zu dienen*) condemnent, (13. ſecunda honoribus, officiis, inſignibus nobilitatis priuent, (14. tertia demum criminali iudicio arbitrarie damnent. IVS PROV. BAVAR. *Lib. V. tit. 9. p. 704.*

§. CLXXXXVI.

Quomodo in Auſtria? Ex eadem ratione (15. in AVSTRIA adulterium, quod antea mulcta pecuniaria luebatur, WALTH. *conſu. Auſtr. p.* 124. ex iure nouiſſimo, ſi duplicatum ſit, in vilioribus perſonis prima vice virgidemia et relegatione, in nobilibus carcere temporario, (*mit dem thurn mit vvaſſer vnd brod*) et mulcta inſuper; (16. iteratum etiam a caelibe et nupta in vilioribus gladio, in nobilibus acriore, quam antea, poena, (*mit noch ſchärffer ſtraff, oder auch gar nach den vmbſtänden des verbrechens mit dem todt, nach vernünftiger ermeſſung der obrigkeit,*) dignum iudicatur: (17. mariti vero concubitus cum innupta prima vice mulcta, (*höchſtens mit 32. gulden*) ſecunda carcere vel operis publicis, tertia fuſtigatione luitur. * LANDGER. ORDN. *art.* 76. §. 8.

* Addit auguſtiſſimus legislator: *iedoch daſs diſs orts die ledige vveibes perſon in der beſtraffung etvvas leichter gehalten vverde.* Quum enim nulla hic facta ſit tori violatio, et fidem quoque, quam coniux coniugi debet, non miſera illa muliercula, ſed ſtuprator, abruperit, adeoque vix adulterae nomen illa mereatur: leuius omnino punienda viſa fuit, non quidem, vt alio poenae genere plectatur, ſed vt poenae iſtae, pecuniaria, carceris vel operarum publicarum, et virgidemiae parumper mitigentur.

§. CLXXXXVII.

Et comitatu Tirolenſi, ducatu Wurtemb. et epiſcopa- Sed et (18. in TIROLENSI comitatu mitius agitur cum adulteris, quandoquidem illi ſine diſcrimine perſonarum prima et ſecunda vice carcere cum ieiunio, (*bey vvaſſer vnd brod*) tertia exſilio puniuntur. IVS TIROL. *Lib. VIII. tit.* 40. Aſt multum (19. ab hoc iure diſcrepat WVRTEMBERGICVM, quod *tit.* 94.

Digitized by Google

94. primum adulterium carcere et infamia; alterum numellis et relegatione; tertium gladio puniri iubet, quamuis poſtea nouella Ludouici Ducis conſtitutio anni 1586. ſecundum adulterium vltore gladio perſequatur. HARPRECHT *Reſponſ.* 64. Denique (20. et in epiſcopatu WVRZBVRGICO adulterium primum, ſed duplicatum, fuſtigatione et relegatione perpetua; iteratum poena capitali; ſimplex mulcta vel operis publicis trimeſtribus expiatur. B. HOFFM. *diſſ. de diſſenſu iur. in poena adult. cap.* 5. §. 7.

tu Wurtzburgico?

§. CLXXXVIII.

Similes et alibi conſtitutiones reperias. Nam (21. IVRE DITHMARSICO *art.* 128. primum adulterium 60. marcis; iteratum fuſtigatione et relegatione coercetur. (22. IVRE BADENSI *Part. VII. tit.* 29. primum moechatus carcere menſtruo, *bey vvaſſer vnd brod*, et mulcta 14. flor. et 18. cruciger. Nec non infamia et priuatione dignitatum; iterum numellis et perpetua relegatione; tertium gladio punitur. (23. Leniſſimae vero in hoc coercendo flagitio plerumque ſunt ciuitates liberae atque imperiales, quae raro admodum gladio animaduertunt in adulteros. * KRESS. *comment. ad conſtit. crim. pag.* 311.

Nec non in Ditmarſia, terris Badenſibus, ciuitatibus imperialibus?

* Saltim prima vice raro, aut numquam poenam capitalem irrogant adulteris. LVBECENSIVM ius iam pluribus ſupra deſcripſimus. Similis fere eſt poena, quam adulteris infligunt AVGVSTANI, ARGENTORATENSES, MVLHVSINI, BREMENSES, ESLINGENSES, HAMBVRGENSES, immo et ciuitates quaedam municipales, veluti MINDENSIS, de qua CRVS. *in comment. ad ſtatuta Mind. p.* 192. IVTERBOCCENSIS, et BVRGEN. de quibus BERGER. *in electis crimin. p.* 130. et *ſupplem. part.* 1. *obſ.* 38. Pleraque hic debemus diligentiae B. HOFFMANNI *in diſſert. de diſſenſu iur. in pun. adult. crim. cap.* 5. §. 8.

§. CLXXXVIIII.

Enimuero vti lenioribus eſſe licuit ordinibus imperii, quam iuris Romani conditoribus: ita nec quidquam iis obſtitit, quo minus nonnulli maiore ſeueritate adulteria coercerent. Hinc (24. IVRE PROV. PALAT. *Part. V. tit.* 30. tam caelebs, quam maritus, in adulterio cum alterius vxore deprehenſus, vel eius criminis conuictus, capitis damnatur, vel gladio percutiendus, vel in aqua ſuffocandus. (25. Eidem poenae gladii locus eſt in adulterio duplicato in BOHEMIA. Vid. WEINGART. *faſc. diuerſ. iur. Lib. I. part.* 3. *p.* 273. nec non (26. in MARCHIA: BRVN-

Capitale adulterium in palatinatu, Bohemia, Marchia, ducatu Magd. et alibi.

NEM. *proceſſ. crim. cap.* 9. *n.* 30. quum contra ſimplex ibi arbitrarie puniatur. SCHEPL. *conſt. March. Part. I. tit.* 1. Id quod etiam (27. obtinet in ducatu MAGDEBVRGICO, niſi quod ibi et caelibis concubitus cum nupta capitalis eſt, ORD. POL. MAGDEB. *cap.* 69. §. 3. nec non (28. in ducatu BRVNSVICENSI : ORD. POL. BRVNSV. *cap.* 6. §. 2. et (29. terris ANHALTINIS, vbi et caelebs, alienum torum perſultans, eadem gladii poena adficitur, ORD. PROC. ANH. *tit.* 41. cui (30. per omnia ſimilis eſt conſtitutio IVR. NASSOVICI *Part. I. n.* 75. et (31. SOLMENSIS *Part. II.* *

* Sunt et quaedam poenae adulterii admodum ſingulares, et vno alteroue tantum loco receptae, veluti, quam ſupra apud BAVAROS vidimus. Talis etiam eſt AVGVSTAE VINDELICORVM, vbi adulter non modo prima vice carceri mancipatur per quatuor hebdomadas, *nemlich zum vvenigſten acht tage mit dem leib, vver aber die andern drey vvochen mit dem geld büſſen vnd ablegen vvill, das mag er für einen yeden tag mit drey gülden thun:* ORD. POL. AVG. *ann.* 1575. verum etiam nomen eius inſcribitur in librum, quem vocant *das blaue buch.* KRESS. *Comment. ad conſt. crim. p.* 311. qui ibidem etiam obſeruat, VLMAE adulteros aliquamdiu paſci certo pulmento, *mit haberbrey.* Notabilis eſt poena, quam nobilibus MEKLENBVRGICIS minatur ORD. POL. MEKLENB. *anni* 1572. *vom todſchlag vnd ehebruch p.* 16. puta, vt feudo priuetur: at eam poenam ab vſu receſſiſſe, obſeruauit TARNOV. *de feud. Megalop. cap.* 2. *ſect.* 1. §. 14. *p.* 150.

§. CC.

Seueriſſimae leges Holſat. et Saxonicae.

Sed neſcio, an vſquam terrarum acriora legum vincula ſint, quam in HOLSATIAE parte et SAXONIA. Quemadmodum enim (32. in tractu EYDERSTADENSI Ioannes Adolphus, Dux, anno 1607. omne adulterium, ſiue ſimplex, ſiue duplicatum, capitale eſſe iuſſit. HEIMR. *Nortfriſ. chronic. Lib. III. cap.* 7. *pag.* 272. ita (33. non multo mitiores ſunt leges electorales SAXONICAE, quae et in duplicato adulterio et in ſimplice, vbi caelebs cum nupta concubuit, vtrumque gladio feriri iubent, nec parcunt vitae mariti, innuptam ſtuprantis, hanc fuſtigatione duntaxat punientes. * *Part. IIII.* CONST. AVG. 19.

* Eamdem poenam et in reliquae extra electoratum Saxoniae parte in adulteros ſtatuit B. ERNESTVS PIVS in ORD. PROV. *Part. II. cap.* 4. *tit.* 10. quamuis alibi adulteram, ſiue cum marito alterius, ſiue cum caelibe concubuerit, virgis tantum caedi velint. RICHT. *deciſ.* 88. *n.* 88. Certe ſi legibus ex animis hominum euelli poſſet libido, nuſquam terrarum, quam ibi, caſtius viueretur, et iam pridem mos et lex maculoſum edomuiſſet nefas.

§. CCI.

Digitized by Google

§. CCI.

Tam variae ſunt in Germania adulterii poenae, quamuis (34. vel ideo rariora eorum exſtent exempla, quod crimen illud immiſſione ſeminis perfectum eſſe, de eoque iudici conſtare debeat, ob verba CONST. CRIM. *art.* 120. *den er mit ſeinem eheweibe verbracht hat.* Accedit (35. qùod et plures aliae ſunt cauſſae, ob quas poena ordinaria ceſſat, veluti ſi coniux adulter ab altero deſertus ſit: ſi adultera ſit mulier quaeſtuaria: ſi morbus diuturnus coniugem impediuerit, quo minus coniugis officio in toro fungeretur: ſi alterutrius rei confeſſio deficiat: ſi coniux, qui adulterium accuſat, ipſe in eodem luto haereat; immo et ſi innocens coniux poenam alterius deprecetur, de qua deprecatione paullo poſt erit dicendi locus. Vid. KRESS. *ibid.* §. 4. *p.* 311. *ſequ.* Cur exempla horum ſuppliciorum rariora?

§. CCII.

Nimirum quum maiores noſtri multa hic relinquerent arbitrio coniugis innocentis, quippe cui adulteri fere addicebantur: (§. 173. *) non mirum eſt, (36. vbique fere inualuiſſe conſuetudinem, vt in deprecatione coniugis innocentis ad mitigandam poenam alterius aliquid momenti poſitum eſſe, eaque (37. non modo coniugi, ſed et ſocio delicti, prodeſſe credatur, CARPZ. *quaeſt.* 55. *n.* 122. quamuis diſſentiat BRVNNEM. *proceſſ. inquiſ. cap.* 9. *n.* 6. Ex eodem patet (38. cur, ſi a legibus Saxonicis diſceſſeris, nihil interſit, ſiue duplicatum ſit adulterium, ſiue ſimplex: KRESS. *ibid.* modo (39. innocens, et vxor quidem Saxonica, conſentiente curatore, deprecetur, ſeque alteri gratiam facere delicti, nec matrimonii ſolutionem cupere, profiteatur, et (40. decreta adultero relegatione, relegatum comitari conſtituerit. * Cuius iuris originem illi mihi non ſatis intelligere videntur, qui id in honorem matrimonii fieri ſtatuunt. Poenam ordinariam minuit coniugis innocentis deprecatio.

* Non decernitur, coniugem innocentem ſimul eſſe relegandum, quod ſane iniquiſſimum eſſet: ſed eum comitari relegatum teneri, *daſs der ehegatte ihm mit weſentlicher wohnung zu folgen ſchuldig.* Quum enim gratiam delicti coniugi adultero fecerit innocens: redintegratum inter eos eſt matrimonium, quumque inter officia coniugum ſit indiuidua vitae conſuetudo; facere non poteſt, quin relegatum tamquam coniux comitetur innocens. Vid. KRESS. *ibid. p.* 312.

§. CCIII.

Vindicta priuata an permiſſa coniugi innocenti?

Ex eadem ratione (41. eo facilius Germani coniugi innocenti dederunt facultatem vindicandi illatam ſibi iniuriam, torumque nefarie violatum: et hinc (42. CONSTIT. CRIM. *art.* 150. inter homicidia, quae impune fiunt, refert caedem adulteri, in adulterio a marito vel patre deprehenſi, *da einer iemand vm vnkeuſcher vverk vvillen, die er mit ſeinem ehevveib oder tochter übet, erſchlägt.* Ex iis enim, quae ſupra ex legibus Germanorum attulimus, ſatis conſtare arbitramur, non tum primum id ius in Germaniam inuectum eſſe a Carolo V. ſed iam inde ab antiquiſſimis vſque temporibus ibi viguiſſe. *

* Quamuis enim Carolus V. hac licentia patri tantum et marito data, ius Romanum pro norma habuiſſe videatur, (quum leges Germanicae vxori etiam laeſae feminam cum marito concumbentem addicerent LEG. WISIG. *Lib. III. tit. 4. §. 9.*) non tamen reliqua, quae ius Romanum exigit, inculcauit, e. g. vt pater ſimul occidat filiam: vt marito ea vindicta permittatur, ſi viliſſimae conditionis hominem, vel honeſtiorem, tribus conteſtationibus monitum, occiderit: vt id non niſi domi ſuae liceat. *l.* 20. *ſequ. l.* 32. *D. ad leg. Iul. de adult.* Quare merito dubites, an hic omnia ad viuum ſit reſecatura criminalis Germanorum iuriſprudentia, quamuis non deſint omnino, qui cum GVDELINO aliiſque patribus et maritis adimendam exiſtiment hanc occidendi licentiam.

§. CCIIII.

Poena nefandae Veneris.

Quum porro de crimine nefandae Veneris nihil paene, niſi quod ex ſacro codice, vel depromtis inde conciliorum canonibus, deſumtum ſit, in legibus Germanorum reperiamus: (§. 190.) eo procliuius (43. fuit Carolo V. indiſtincte poenam viuicomburii minari omnibus, qui contra naturam vel generis ſui, vel ſexus, flagitium feciſſent, quum eodem genere ſupplicii ipſe Deus Sodomitas olim perdiderit. CONST. CRIM. *art.* 116. At, (44. quod ad vſum forenſem attinet, hodie eos tantum, qui contra naturam generis peccarunt viuos comburi, pecudemque ſimul occidi: contra (45. ſexu abuſos gladio percuti, inter omnes omnino legum criminalium interpretes conſtat: CLASEN. *ad d. art.* 116. KRESS. *ibid. p.* 292. *ſequ.* qui (46. et reliqua impudicitiae nefandae crimina extra ordinem puniri, animaduertunt. KRESS. et BEYER. *ibid.*

§. CCV.

§. CCV.

Quumque idem paene de inceſtu dicendum ſit: (§. 193. 5.) (47. hic quoque mores veteres non aboleuit Carolus V. ſed diſerte ſanxit, *artic.* 117. *So einer vnkeuſchheit mit ſeiner ſtieff-tochter, mit ſeines ſohnes ehevveib, oder mit ſeiner ſtieffmutter treibt, in ſolchen, vnd noch nähern ſipſchafften, ſoll die ſtraff, vvie davon in vnſerer vorfahren vnd vnſern kayſerlichen geſchriebenen rechten geſetzt, gebraucht, vnd derhalb bey den rechtsverſtändigen raths gepflogen vverden.* At quia paullo obſcurior eſt haec diſpoſitio: (48. moribus inualuit, vt inceſtus, contra ius naturae cum adſcendentibus vel deſcendentibus admiſſus, gladio; (49. contra ius diuinum poſitiuum *Leu.* 18. *et* 20. fuſtigatione; * (50. contra ius humanum mitiore poena, pro ratione περιστάσεων, puniatur: Beyer. *ad conſt. crim. art.* 117. §. 4. Kress. *ibid.* §. 2. quamuis (51. et hic delinquentium aetas, ſtupor, ignorantia, aliaeque circumſtantiae poenam iure meritoque mitigent. Kress. *ibid.* §. 3. Nec non inceſtus.

* Si quando inceſtus cum adulterio coniunctus eſt, et leges moresque patrii capitale eſſe iubent adulterium: id ſupplicium tanto magis ab inceſtuoſis ſumendum eſſe, nemo dubitauerit. Ceterum quum nihil fere definiat criminalis Caroli V. ſanctio: non mirum eſt, mundum hic regi opinionibus, pleraque a doctoribus celebrioribus tradita fere pro lege eſſe, e. g. quod hic locus non ſit precibus innocentis coniugis: Mylius *add. ad Beieri comm. ibid.* §. 7. itemque, quod crimen hoc non quinquennii, ſed vicennii, praeſcriptione exſtinguatur. Carpz. *Part. III. quaeſt.* 241. Kress. *ibid.* §. 3. *not.* * 3.

§. CCVI.

Ex ſexto axiomate (§. 193.) intelligitur, (52. cur et hodie ſtuprum carcere aliquot hebdomadum vel multa, quam vocant *die huhren-brüche*, expietur, et (53. ſtupratori praeterea iniungatur, vt aut vxorem ducat ſtupratam, aut pro facultatibus patris eius dotet: quin (54. compreſſam ſponſam, vel iniecta ſpe matrimonii pellectam, abſciſſe ducere teneatur, et priore caſu (55. vſque ad pubertatem, (vel *ſo lange, bis er ſein brod ſelbſt ervverben kan,*) infanti alimenta praeſtare debeat. Additur pleriſque locis (56. poenitentia publica, *die kirchen-buſse*, quam tamen cenſuram eccleſiaſticam poenam vocandam eſſe negant. Brunnem. *iur. eccleſ. Lib. II. cap.* 19. §. 27. *ſequ.* Et ſtupri.

§. CCVII.

Itemque lenocinii.

Non multum quoque a maiorum moribus (§. 193. 7.) in coercendo LENOCINIO diſceſſerunt poſteri. Quamuis enim (57. eos, qui filias vel vxores proſtituunt, infames eſſe Carolus V. iubeat, iiſque poenam iure communi ſtatutam minetur, id eſt, poenam capitis, *l. 29. D. ad leg. Iul. de adult.* et (58. reliquam lenonum lenarumue colluuiem, de prudentum conſilio relegatione, numellis, abſciſſione aurium, fuſtigatione plectendam cenſeat: *art.* 123. tamen (59. abſciſſio aurium numquam decernitur, et (60. crimen hoc deteſtandum, et cum maximo humani generis detrimento coniunctum, pro laxa saeculi in deterius ruentis diſciplina, raro ea, qua par erat, ſeueritate vindicatur.

§. CCVIII.

Denique meretriciae turpitudinis.

Ceterum quum in eo a iuris Romani placitis quam maxime olim differrent Germanorum mores, quod apud illos meretricum turpitudo extra legis Iuliae poenam eſſet: *l. 13. §. 2. D. l. 22. C. ad leg. Iul. de adult.* Germani, ſtudioſiores caſtitatis, ne iſtud quidem probrum impune eſſe paterentur: (§. 192. 8.) non obſcura eſt ratio, cur (61. tales mulierculae alicubi numellis conſtrictae, virumque ſtramineum tergo portantes, praeeunte carnifice, et tympanum pulſante, vrbibus eiiciantur: alicubi (62. incluſae caueae verſatili aliquamdiu in girum agantur; alibi (63. currui iunctae lutum et ſordes ex vrbe euehere cogantur: pleriſque tamen locis, vbi occaſio eſt, detruſae in ergaſtulum, aliquamdiu laboribus adſueſiant. Quo quidem inſtituto nihil eſt ſalubrius. Nam

Otia ſi tollas, periere Cupidinis arcus.

TIT. XXV.

DE VI PVBLICA ET PRIVATA.

§. CCVIIII.

Vis omnis ſtatui ciuili aduerſa.

NIhil eſt, quod magis reipublicae tranquillitatem turbet, quam ſi homines non in iure manus conſerant, ſed rem re-

Digitized by Google

repetant ferro, et freti potentia, ipſi ſibi ius manu dicant. Quum enim finis et cauſſa conſtituendarum ciuitatum, teſte Platone *de republ. Lib. II.* praecipua fuerit *μήτ' ἀδικεῖν, μήτ' ἀδικεῖσθαι, ne homines facerent, paterenturue iniurias:* facile patet, nullam fore rempublicam, aut certe peſſime adfectam, in qua ſibi quiſque actor, teſtis, iudex, atque exſequutor litis eſſe poſſet.

§. CCX.

Et tamen Germani, temporibus Taciti non tam facile obliuiſci poterant libertatis naturalis, vt non fas cuique eſſe crederent, ius ſuum vi perſequi, vel hoſtem cogere in ordinem, et armis denique conſequi, quod alii iudicum ope conſequuntur. Saltim veteres omnes, qui de harum gentium natura ac moribus aliquid memoriae prodiderunt, eas vi et armis potius, quam iudiciis inter ſe contendiſſe, narrarunt. Inprimis eo pertinet, quod refert Vellei. Paterc. *hiſt. Lib. II. cap.* 118. miratos eſſe Germanos, viſa Romanorum iuriſdictione, quod *hi iuſtitia finiant iniurias, ſolitaque armis diſcerni iure terminent:* * itemque, quod de inimicitiis, ab vniuerſa familia ſuſceptis, refert Tacit. *de morib. Germ. cap.* 21.

Germani olim vi malebant vti, quam iure experiri.

* Sed non videtur tamen id Germanis proprium, ſed cum pleriſque gentibus aliis vetuſtioribus commune fuiſſe. Neſcio, an id Romani quodammodo de maioribus ſuis faſſi ſint, tam ſancte inter ſe ſeruato ritu vindiciarum, vel manum in iure conſerendi, quem accuratius deſcripſit Gellivs *noct. Att. Lib. XX. cap.* 10. et inſigni diſſertatione illuſtrauit V. C. Gr. Gvil. Ioecherus, *Lipſ.* 1723. Quamuis enim ea non *ſolida vis* eſſet, ſed *ciuilis et feſtucaria, quae verbo diceretur, non manu fieret cum vi bellica et cruenta*, vt ait Gellivs: videtur tamen hic ritus ſolidum illam vim veterum repraeſentare, vel ſtatum iſtum, ad quem alludit Ennivs:

Pellitur e medio ſapientia: vi geritur res.
Spernitur orator bonus, horridus miles amatur.
Haud doctis dictis certantes, ſed maledictis,
Miſcent inter ſeſe inimicitias agitantes.
Non ex iure manu conſertum, ſed mage ferro,
Rem repetunt, regnumque petunt, vadunt ſolida vi.

Vim ſane quamdam adumbrant illae vindiciae, et eam quidem procul dubio, qua veteres ipſi ſuis rebus ſolebant conſulere, antequam maiore auctoritate reges et magiſtratus ius dicere coepiſſent.

§. CCXI.

§. CCXI.

Qui mos et medio aeuo manſit.

Quo iucundius vero hominibus eſt inimicos vlciſcendi ſtudium: eo aegrius adduci ſe patiebantur Germani etiam inſequentibus temporibus, vt litigioſa fora ſequerentur. * Idque vel inde patet, quod in morem Gothorum vi potius, quam iure inter ſe certantium grauiter inuectus CASSIODORVS *Var. Lib. III. cap.* 24. *Cur*, inquit, *ad monomachiam recurritis, qui venalem iudicem non habetis? quid opus eſt homini lingua, ſi cauſſam manus agit armata?* et *cap.* 23. *Remoue conſuetudines abominanter inolitas: verbis ibi potius, non armis, cauſſa tractetur. Ne plus intentio ciuilis rapiat, quam bella conſumant. Scuta in hoſtes erigant, non in parentes,* vel cognatos. Adeo ne inter hos quidem ſine vi et armis tranſigebatur. Non repetimus hic, quae ſupra (§. 71. *) de Henrici IIII. temporibus obſeruauimus.

* Hinc quemadmodum Romanos ad veterem illam et ſolidam vim, qua eorum maiores vſi fuerant, adumbrantem ritum vindiciarum ſeu vim imaginariam retinuerant (§. 210. *) ita ſimile quid reperias apud Germanos, qui, latis legibus, iudiciiſque rectius conſtitutis, vim tamen quamdam reſtituerunt forenſem, vt maiorum ſuorum mores hoc ſingulari certamine repraeſentarent. In eo tantum diſcrimen erat, quod vis illa apud Romanos erat feſtucaria, apud Germanos ſolida et vera, ſed iudicis tamen arbitrio facta. Pertinent huc, quae ex LEGE ALAM. *tit.* 84. et BAIVVAR. *tit.* 11. *cap.* 5. de iudicio, quod dicebatur *vvehading*, attulit laudatus IOECHERVS *diſſ. de ritu. vindic.* §. 28.

§. CCXII.

Hinc opus viſum legibus ſeuerioribus, qualis Wiſigothica.

Eo acrioribus legum vinculis conſtringenda videbatur procax illa vim hoſtibus inferendi licentia, quam a maioribus veluti per manus traditam iam aegre dimittebant poſteri, etiam quando, inſtitutis rectius iudiciis, nemini non eſſet in iure experiundi copia. Accuratiſſime de VI cauit LEX WISIGOTH. *Lib. VIII. tit.* 1. quae §. 3. eos, qui, coadunatis hominibus, caedis vel ſeditionis cauſſa vim fecerint, 60. ſocios criminis in eius patrocinio non conſtitutos, 50. ſeruos alienos, 200. ictibus flagellorum lacerari; eos, qui aliquem intra aedes ſuas incluſum habuerint, 30. ſolidis mulctari, et centies flagello caedi; ſocios criminis ſingulos in 15. ſolidos damnari, et centies flagris caedi, ſeruos ducentis ictibus emendari iubet: paullo maiorem vero poenam minatur iis, qui quem ſua domo excluſerint, vel do-

Digitized by Google

domum alienam ſua auctoritate adprehenderint, deſcripſerint *, obſignarint. IBID. §. 4.

* DESCRIBERE DOMVM idem eſſe videtur, ac titulum domui adfigere, quo dominus eius exprimeretur. Solebant enim veteres tales titulos adfigere praediis, vt, cuius eſſent, et, ad quem pertinerent, ſciri poſſet, quemadmodum hodie praediis nobilium inſignia dominorum eum in finem adfigi ſolent. De eo more, cuius paſſim meminerunt iura noſtra *l. fin. §. 5. C. de delat. tot. tit. C. de his qui potent. nom. tit. praediis adſig.* et *tit. C. vt nemo priuat. titul. praed. vel alien. impon. vel vela reg. ſuſpendat l. vlt.* §. 2. *D. quod vi aut clam. Nou.* 28. *cap.* 5. *Nou.* 29. *cap.* 4. *Nou.* 30. *cap.* 8. plura reperies apud CVIAC. *ad haec loca* : inprimis *Tomo II. p.* 107. 108. 657. et *Tomo X. p.* 886. *edit. Neap.* LINDENBROG. *in gloſſar. p.* 1422. CAR. DV FRESNE *gloſſar. Lat. voce titulus.*

§. CCXIII.

Eadem lex varias huius criminis ſpecies diſtinguit. Nam eum, qui rem ſuam alteri vi extorſit, iure ſuo priuat, quae lex ex *l. 7. C. vnde vi* deſumta videtur, eum vero, quem poſtea nullum ius in illa habere conſtiterit, duplam aeſtimationem praeſtare cogit: IBID. §. 2. *et* 5. eum, qui ad res alienas diripiendas homines inuitauit, in vndecuplum, ſocios criminis ſingulos in quinos ſolidos, vel 50. ictuum poenam condemnat: IBID. §. 6. ſimilique, ac modo acriore, modo leniore poena adfici vult eos, qui in expeditione conſtitutorum res inuaſerint, IBID. §. 7. vel ipſi euntes in expeditionem vim fecerint. IB. §. 9. qui receptum dederint huius delicti reis, vel quorum ope et conſilio huiuſmodi quid factum fuerit. * IBID. §. 10. 11. Quid ea cautum de variis huius criminis ſpeciebus?

* Eodem titulo et de ſeruorum poena accurate cauetur, veluti, vt, ſi dominorum iuſſu vim fecerint, domini pro iis ſatisfaciant: IBID. §. 1. 5. ſin inſciis dominis, hi nihilominus ſatisfaciant, vel ſeruos noxae dedant: §. 5. quin et ſerui certo ictuum numero coerceantur. §. 3. 4. 5. 6. Non neceſſarium viſum eſt, omnia perſequi, quum ſufficiat, ſcire, quo genere poenarum in hos animaduerterint WISIGOTHI, iuſtitiae laude celeberrimi.

§. CCXIIII.

Quum vero et RAPTVS virginum ac mulierum; et STVPRVM VIOLENTVM ad vim pertineat: etiam de hoc vtroque crimine eiuſque poena non ſilet lex WISIGOTHICA. * Et ad prius quidem quod attinet, de eo prolixe agitur *Lib. III. tit.* 3. praecipiturque, §. 1. vt, qui ingenuus ingenuam virginem vel viduam rapuit, feminae illibatae recuperatae ſemiſſem bonorum Quid de raptu mulierum?

ſuorum dare cogatur: ſin ei extorſerit pudicitiam; omni ſpe nuptiarum excluſus, ducentiſque flagellorum ictibus laceratus, et ingenuitate priuatus, addicatur parentibus vel feminae ipſi in ſeruitutem, et quidem cum vniuerſa ſubſtantia, ſi liberos non habeat legitimos, quippe quibus tunc improbi parentis bona ſalua relinquebantur. Quin capitis damnabantur raptor et rapta, ſi nuptias feciſſent: IBID. §. 2. et raptores ἐπ' αὐτοφώρῳ impune occidebantur. IBID. §. 6.

* Immo nec vlla alia lex Germanicarum gentium. Videtur ergo hoc crimen in Germania frequentiſſimum, ac paene quotidianum fuiſſe, ſiue pretii magnitudine deterriti, rapere ſibi vxores maluerint homines, quam redimere, ſiue ridiculo errore magis decorum putarint feminae rapi, quam vltro viros ſequi. Iam Arminium, virum fortem, et primae inter Germanos dignitatis, rapuiſſe Thuſneldam, praeter alios refert TACIT. *Annal. Lib. I. cap.* 51. Et medio aeuo huiuſmodi exempla exſtant etiam non minus illuſtria, quae infra ſuo loco dabimus. Quin manſit alicubi inanus mos ad patrum vſque memoriam, idque notabili HVBERI teſtimonio probamus, qui *praelect. ad pandect. Lib. XXXXVIII. tit.* 6. §. 4. de Friſia ſua: *Qui volentes*, inquit, *virgines viduaſque abducunt, tantum abeſt, vt capite puniantur, vti vix vmquam, paene dixerim numquam, criminis accuſentur, et quandoque tam frequenter fiat, vt parum abſit, quin pro dexteritate amatoria nec ineleganti habeantur.*

§. CCXV.

Quid de raptu ſponſarum?

Sed ſicuti haec erat poena raptus ordinaria, ſi quis ingenuus inuitam, inuitis parentibus, rapuiſſet: ita ſi his ſcientibus volentibuſque rapta eſſet alii deſponſa, et parentes pretii, quod prior ſponſus dederat, quadruplum reddere cogebantur, et raptor ſponſo addicebatur in ſeruitutem. IBID. §. 3. Fratres, quorum ope et conſilio rapta fuerat ſoror, ſi viuis parentibus id feciſſent, vt ipſe raptor, puniebantur, ſin iis mortuis, quinquagies caeſi ſemiſſem bonorum amittebant, ſorori a ſe proditae ceſſurum. IBID. §. 4. Qui alienam ſponſam, inuitis parentibus et cognatis, rapuerat, virgis caeſus vniuerſam ſubſtantiam amittebat, ex vno ſemiſſe ſponſo, ex altero raptae ceſſuram, vel, ſi ſoluendo non eſſet, addicebatur vtrique venumdandus, pretiumque inde redactum inter ſponſum ſponſamque aequa lance diuidebatur. IBID. §. 5. Quae quidem huius criminis perſequutio, triginta demum elapſis annis, exſpirabat. * IBID. §. 7.

* De

Digitized by Google

* De ſeruis quoque, huius criminis reis, ibidem ſatis accurate cauet LEX WISIGOTHICA. Nam ſi iubente domino ſeruus rapuiſſet, ille pro hoc ad omnem ſatisfactionem obſtrictus erat. Sin inſcio domino, et eo quidem conſilio, vt ingenuam vxorem duceret: damnabatur capitis, alioquin decaluatus 300. ictibus lacerabatur. IBID. §. 8. Paullo ſeuerior erat poena ſerui libertam vel ancillam alienam rapientis, IBID. §. 9. et 10. multoque grauior ſollicitatorum alienarum nuptiarum, qui et ipſi addicebantur laeſis. IBID. §. 11. Qui non tam ipſi rapuerant, quam auxilium tulerant raptoribus, ii, ſi ingenui eſſent, quinquagies caeſi, 10. auri vnciis; ſin ſerui, iique inſcio domino raptori opem tuliſſent, centum ſinguli ictibus mulctabantur.

§. CCXVI.

Similis fere ex ea lege erat poena STVPRI VIOLENTI. Ingenuus enim, qui ingenuae pudicitiam vi extorſerat, criminis conuictus, centum ictibus caedebatur, feminaeque addicebatur, ipſi quoque cum ſtupratore cognatarum alicui ſeruiturae, ſi ſtupratori nubere non dubitaſſet. Seruus, qui ingenuam vi compreſſerat, viuus comburebatur. LEG. WISIG. *Lib. III. tit.* 4. §. 14. Ancillam qui vi ſtuprauerat, ſeruus 200. ictibus flagellorum, ingenuus 50. ac praeterea 20. ſolidis, ancillae ſoluendis, puniebatur: eamdemque poenam pro ſeruo ſubire tenebatur ipſe dominus, ſi eius iuſſu ſeruus tantum flagitium admiſiſſet. IBID. §. 16. Nec non de ſtupro violento?

§. CCXVII.

Progredimur ad OSTROGOTHOS, apud quos de vi permulta edixerat rex eorum Theodericus. Primo enim eos, qui coadunatis hominibus aliorum poſſeſſionem inuadant, impune occidi permittit: EDICT. THEOD. §. 16. Deinde inſequente §. 17. *ſequ.* et raptorem et mulierem raptam, ſi conſenſerit, capitis damnat, parentibus vero aut curatoribus, id crimen non perſequentibus, vel cum raptore pactis, exſilium irrogat, libertate in praemium promiſſa ſeruis, qui crimen hoc, a dominis diſſimulatum, detuliſſent. Perſequendi vero raptores erant intra quinquennium, eoque temporis ſpatio elapſo ius hoc exſpirabat, quin liberi interea ſuſcepti ex rapta pro legitimis habebantur. Qui ancillam rapuerat coadunatis hominibus, ſiue ingenuus ſiue ſeruus, raptoris poenam ſubibat, eademque ſeueritate coercebatur conductor, cuius conſenſu id factum fuerat, dominus denique ancillae, quo ſciente vel iubente illa rapta fuerat, fundum vel praedium, ex quo rapta erat, amittebat. Leges Oſtrogothicae de vi et raptu mulierum.

§. CCXVIII.

De ſtupro violento.

Idem edictum et pudicitiae virginum viduarumque praeſidium circumponit. Si quis enim vi ſtupraſſet virginem ingenuam, ipſe nobilis et nondum maritus, eam vxorem ducere, et quintam facultatum ſuarum partem titulo ſponſalitiae largitatis; ſi iam vxorem haberet, tertiam bonorum partem vitiatae dare cogebatur: ſin quod daret, non haberet, extremo ſupplicio adficiebatur. EDICT. THEODORIC. §. 59. Viduam, ſi quis vi compreſſerat, adulterii poenam ſubibat. IBID. §. 60. Seruus qui vi ſtuprarat ingenuam, *conuento domino, rebus excuſſis et patefactis, capite feriebatur:* IBID. §. 63. Sed et ingenuus peregrinus, qui vim alienae ancillae intulerat, ſi dominus vellet, eam ducere poterat, ſimilis tunc futurus conditionis. Si vel dominus vel peregrinus ille eam conditionem adſpernaretur: hic illi duo eiuſdem pretii mancipia dare tenebatur, caedendus alias fuſtibus, aut *vicinae ciuitatis collegio deputandus.* * IBID. §. 64.

* Quid vero eſt: *deputare vicinae ciuitatis collegio?* Nihil aliud, quam ad operas publicas municipii alicuius damnare. Dicebantur hi COLLEGIATI, EDICT. THEOD. *cap.* 69. de iisque ISIDOR. *Orig. Lib. VIIII. cap.* 4. COLLEGIATI *dicuntur, quod eorum collegio cuſtodiisque deputentur, qui facinus aliquod commiſerunt. Et fuit hoc ſordidiſſimum genus hominum patre incerto progenitum.* Sunt haec paullo obſcuriora, at ita tamen intelligenda, quod faex haec hominum confluxerit ex facinoroſis, ſpuriis, ſimilibusque, eorumque fuiſſe, operas proſequutionibus equorum praebere, *l.* 1. C. *Theod. ne operae a collat.* incendia coercere, et alias viles praeſtare operas. Vid. BRISSON. *de verb. ſignific. hac voce.*

§. CCXVIIII.

Burgundionum leges de vi.

Apud BVRGVNDIONES ob quamlibet vim alteri factam ingenuus pecunia mulctabatur, ſeruus fuſtibus caedebatur. Eo ſane pertinent, quae *tit.* 25. §. 1. *et* 2. de iis, qui hortum alienum vi ſint ingreſſi, *tit.* 27. §. 1. 2. 4. *ſequ.* de irruptione per ſepem, §. 3. et *addit. I. tit.* 1. §. 1. de via publica vel vicinali alicui clauſa, ſancita eſſe legimus. Qui virginem ingenuam rapuerat, eamque corruperat, ſextuplum puellae pretium cum mulcta 15. ſol. exſoluere cogebatur, aut, ſi tantum non eſſet in eius bonis, parentibus addicebatur. LEX BVRG. *tit.* 12. §. 1. 2. Qui puellam volentem rapuerat, triplum tantum praeſtabat: IBID. §. 3. quin impune id faciebat, qui virginem incorruptam reſtituiſſet parentibus. IBID. §. 4. Ancillam alienam ſi quis ingenuus vi compreſſerat, 12. ſolidis mul-

mulctabatur; ſeruus huius criminis reus, 150. ictibus caedebatur. IBID. *tit.* 30.

§. CCXX.

Francorum leges de vi.

At FRANCI inprimis vim omnem, publicam ac priuatam, eo ſeuerioribus legibus coercere ſtudebant, quo magis illis antiquiſſimis temporibus ius in manibus poſitum eſſet. * Nam LEX SALICA *tit.* 18. *edit.* ECCARDI eum, qui alienam villam inuaſit, 30. ſolidis; (LINDENBROGIANAE *tit.* 16. §. 1. *ſequ.* et auctorem delicti et ſocios 62. ſolidis;) eum, qui ſimul ianuam confregit, canem occidit, homines percuſſit, res ibi repertas carro auexit, ſolidis 200. et criminis ſocios 62. ſol. et dimidio mulctari, quin apud LINDENBROG. ſimul omnium rerum ablatarum aeſtimationem praeſtare iubet.

* Obſeruauit hoc iam ECCARDVS *ad leg. Sal. p.* 42. cuius en verba: *Adſalitio huiusmodi*, (ita enim vocabant inuaſionem,) *violenta frequens fuiſſe videtur apud Francos. Vnde et, qui inimicos habuerant, cum iis aliquando paciſcebantur, vt ab adſalitione eorum tuti eſſent, ſibique etiam ſcripto ſecuritatem confirmari faciebant. Formula inter Andegauenſes quinta* ſecuritatem de ſuperſallicione, *vt vocat, hanc proponit*: Dum non eſt incognitum, qualiter aliquis homo, nomen illi, aliquo homine, nomen illo, mallauit de res ſuas, et ipſe illi male ei exinde numquam feciſſet. Proinde ipſe illi ante bonis hominibus conuenit, vt hanc epiſtolam facere deberit, vt nullo vmquam tempore contra ipſo agere non praeſumat. Quod ſi illi, aut aliqua perſona ad vicem tuam ipſa cauſſa reſultare praeſumſerit, ſoledus tantus inter tibi et fiſco componere debiat, et quod repetit, vindicare non valeat, et haec ſecuritas firma permaneat.

§. CCXXI.

Eae exaſperatae poſtea.

Ii, qui inter Francos lege Romana viuebant, ex lege Iulia relegatione vel deportatione puniebantur. Sed quum nec inter Francos lex Salica; nec inter prouinciales Iulia ad rei ſummam proficere videretur: poſtea omnis vis capitalis eſſe coepit. Hinc CAPITVL. *Lib. VI.* §. 289. *edit.* LINDENBROG. *Qui manifeſtam detegitur feciſſe violentiam, non iam relegatione aut deportatione inſulae plectatur, ſed* SVPPLICIVM CAPITALE *excipiat, nec, interpoſita prouocatione, ſententia, quae in eum fuerit dicta, ſuſpendatur.* Et *Lib. VII.* §. 164. *Conuictus in iudicio de euidente violentiae crimine, reus capite puniatur.* *

* Et ex hac lege ſub Ludouico, infante, ſupplicium in Germania ſumtum eſſe videtur ab Alberto, Bambergenſi, quem *anno* 905. *manibus vinctis adductum, omnibus adiudicantibus*, CAPITALEM SENTENTIAM, *facultatibus et poſſeſſionibus in fiſcum redactis, ſuſcepiſſe*, refert REGINO *Annal. ad d. ann.* Quamuis enim et maieſtatis crimen concurreret, fatente OTTONE FRISING. *Chron. Lib. VI.*

VI. cap. 15. non tamen vmquam hoſtili animo fuerat aduerſus Ludouicum regem, vel rempublicam, ſed vim fecerat comitibus vicinis, et Conradum occiderat. Videtur ergo contumacia eius et proſcriptio occaſionem dediſſe eius inimicis, vt eum ſimul reum maieſtatis peragerent, quo eius facultates hoc colore a fiſco poſſent eo facilius occupari.

§. CCXXII.

Quid de raptu ſanxerint Salii.

Nec minus frequens ac paene quotidianum crimen fuiſſe videtur RAPTVS virginum ac viduarum, adeo vt ne regii quidem palatii ſanctimonia homines audaciores deterreret, quo minus vxores vi ſibi inde quaererent. * Et LEX quidem SALICA *tit.* 14. *§.* 1. *et* 2. et hic mulctam *cum capitali et dilatura* irrogat, et quidem raptori ipſi ſolidorum 62. cum dimidio: ſociis criminis, ſi tres puellam domo rapuerint, 30. ſolidorum, ſi plures adfuerint, 5. ſolidorum, iis, qui *ſagittas* ſecum habuerint, (per quas ECCARDVS *pag.* 34. nauigia, nos arma intelligimus,) 3. ſolidorum. Qui puellam, in Regis patrocinio ac tutela conſtitutam, rapuerat, praeter mulctam et *pro fredo* 62. ſolidos cum dimidio pendebat: qui ſponſam alterius, tantumdem pro mulcta; et ſponſo 15. ſolidos, vel, ſi eam, dum iam domum ducebatur, raptam compreſſiſſet, 200. ſolidos debebat. Ingenuus rapiens alienam ancillam, vel ingenua, rapi ſe vltro paſſa a ſeruo, vna cum illo redigebantur in ſeruitutem: niſi veniam impetrarent liberorum cauſſa, cuius rei exempla ſunt apud MARCVLF. *Lib. II. cap.* 29. BIGNON. *cap.* 19. LINDENBR. *cap.* 26. ANDEGAV. *cap.* 58. ſeruus vero vel lidus regius, rapiens ingenuam, capitis damnabatur, niſi gratia illi fieret huius ſupplicii, ſtatusque liberorum inde procreatorum confirmaretur. Quo pertinet *charta de agnatione, ſi ſeruus ingenuam trahit*, apud MARCVLF. *Lib. II. cap.* 29.

* Quis crederet, tantam in quemquam mortalium cadere potuiſſe audaciam, vt et regis filiam raperet? Et id tamen non ſemel factum a Francis. Sic Giſlebertus, comes, et Caroli Calui vaſallus rapuit filiam Lotharii Imp. eamque abductam in Aquitaniam vxorem duxit. ANNAL. *apud* PITHOEVM *ſcript.* 12. *annal. Franc. ad ann.* 846. *p.* 41. *et ſequ.* Non multo poſt Balduinus Flandrus rapuit Iuditham, Caroli Calui filiam, Edilulfi, Anglorum regis, viduam, poſtea interueniente Nicolao Papa, illi legitimo matrimonio iunctam Autiſiodori, exeunte anno 863. FLODOARD. *Lib. III. cap.* 12. Quid priuatis fecerint, qui ne regiae quidem familiae pepercerunt!

§. CCXXIII.

Quid Ripuarii?

RIPVARII in puniendo RAPTV ſeueriores fuerunt Saliis. Quamuis enim et illi diſtinxerint, ſeruus rapuerit, an ingenuus, itemque,

que, tres, an plures adſuerint: raptorem tamen 200. trium ſociorum ſingulos 60. ſi plures opem tulerint, eorum ſingulos 15. ſolidos; * homines regios et eccleſiaſticos dimidiam earum mulctarum pendere, ſeruos capitis damnari iubent. LEG. RIPVAR. *tit.* 34. §. 1. *ſequ.*

* Eam poenam legibus antiquis introductam firmaſſe videmus reges alterius ſtirpis, niſi quod *canonum auctoritate* hoc illis adſtruxerunt, vt inter raptorem et raptam non eſſet matrimonium, nec illis ſpes eſſet muliere potiundi: vt femina, quae vltro raptorem ſequuta ſit, arctiſſimae cuſtodiae mancipetur, et denique tum raptor, tum ii, quorum ope et conſilio crimen admiſſum eſſet, publica poenitentia ſecundum canonicam auctoritatem mulctentur. CAPITVLAR. *Lib. IIII.* §. 22. *Lib. IIII.* §. 95. *Lib. VII.* §. 311. *edit. Lindenbrog.* CAPIT. CAROLI CALVI *tit.* 9. §. 8. Qui religioſas mulieres rapiunt, eos vltimo ſupplicio ſubiicit Ludouicus Pius, Imp. in CAPIT. INGELH. *anni* 826. *cap.* 4.

§. CCXXIIII.

Quid de ſtupro violento?

Denique et STVPRI VIOLENTI crimen animaduerſione dignum viſum eſt Francis. De eo enim LEX SALICA *tit.* 14. §. 13. *Si quis ingenuam feminam aut puellam, contubernio facto, ſeu in itinere, aut quolibet loco, adſalierit, et vim illi inferre praeſumſerit, tam vnus, quam plurimi, qui in ipſa violentia fuerint admixti*, 200. *ſolid. vnusquisque ipſorum culpabilis iudicetur. Et ſi adhuc de illo contubernio* * *remanſerint, qui ſcelus iſtud non admiſiſſe noſcuntur, et tamen ibidem fuerint, eorum quilibet* 45. *ſol. culpabilis iudicetur.* Alias, *ſi quis cum ingenua puella per virtutem moechatus fuerat*, 72. *ſol. cum dimidio culpabilis iudicabatur.* IBID. *tit.* 15. §. 2.

* *Contubernium* hic eſt coadunatio hominum, *ἀνδρῶν σύστημα*, vt ex *gloſſis Graecolatinis* et ſcriptoribus tacticis probauit ECCARDVS *ad l. Sal. p.* 36. Luculenter haec vocabuli notio demonſtrari poteſt ex *tit.* 45. *eiusdem legis* §. 1. vbi res ipſa hanc ſignificationem poſtulat. *Si quis*, COLLECTO CONTVBERNIO, *hominem ingenuum in domo ſua adſallierit*, cetera. Itaque rem non ſatis exprimit LINDENBROGIVS *in gloſſa*, cui contubernium idem videtur ac *auxilium*, niſi et hoc vocabulum pro ipſis hominibus, alteri opem ferentibus, accipias.

§. CCXXV.

Leges Baiuuariorum de vi.

Quum hic vetuſtis illis legibus parum vel nihil adſtruxerint CAPITVLARIA: non eſt, quod legibus iſtis Francicis diutius inhaereamus. Hinc in Germaniam potius noſtram reuertimur, et, quid gentes ciſrhenanae de vi publica et priuata ſanxerint, paucis expendimus. Inter hos BAIVVARII, reliquorum Germanorum exemplo, mulctam, at ſatis leuem, irrogarunt iis, qui vi adgrederentur alios, ſibique ius manu dicerent. Et quidem *tit.* 10. *cap.* 1. §. 1.

et

Digitized by Google

et *cap.* 2. §. 1. *&* 3. LEGIS ſuae ſtatuunt, vt *ſi quis curtem alterius per vim contra legem intrarit, is cum 3. ſol. componat*: ſin *in domum per violentiam intrauerit*, rei furtiuae quaerendae cauſſa, *et ibi ſuum nihil inuenerit, cum ſex ſol. componat*, praeterquam ſi, cognito errore, *domino domus det vvadium*, vel, eo abſente, *iſtud mittat ſupra liminare.* * Quo facto tantum in tres ſolidos eum condemnant. Generatim vero ea lex IBID. *cap.* 2. §. 2. praecipit, *vt nemo ingrediatur alienam domum per violentiam, quia hoc ſcandalum generet.*

* Dabantur *wadia*, ſeu pignora ab iis, qui, ſe in iudicio ante certum diem adfuturos, ſpondebant: idque quodammodo poenitentiae habebatur ſignum, quia ſe ad ſatiſfactionem obtuliſſe videretur. Atque inde eſt, quod mitius cum illo ageretur, qui *wadium* obtuliſſet. Ex eo vero adparet, non tanti viſam eſſe Germanis vim publicam priuatamque, quam violationem exiſtimationis, quam non parum laedi credebant, re furtiua in viri honeſti aedibus quaeſita.

§. CCXXVI.

De raptu.

Apud eosdem, qui virginem inuitam inuitis parentibus rapuerat, ei 40. ſolidos, totidemque fiſco pendere tenebatur: multoque maior erat mulcta, ſi quis viduam, orphanorum ſuorum aut neceſſitatis cauſſa domo egreſſam, rapuiſſet, quippe qui ei 80. ſolidos, et fiſco 60. debebat. Videbatur ſane delictum hoc poſterius priore grauius, *quod viduae defenſio in Deo, et in duce, et in iudice conſiſtere deberet.* * LEX BAIVVAR. *tit.* 7. *cap.* 6. *&* 7.

* Mirum eſt, Baiuuarios eum, qui alienam ſponſam rapuerit, ad eam redhibendam, et tamen ſimul ad ſoluendam octoginta ſolidorum compoſitionem, eiuſdemque quantitatis mulctam, condemnaſſe, IBID. *cap.* 16. Hinc id intelligendum quis exiſtimet de caſu, ſi ſponſam nondum vitiaſſet raptor. Neque enim probabile videri poteſt, leges adigere voluiſſe ſponſum ad ducendam eam, quae ab alio iam corrupta eſſet. Enimuero tale erat ius veterum, vt et vitiata ſponſa redhibenda eſſet, quamuis non cogeretur ſponſus eam ducere. Vid. LEX LANGOB. *Lib. I. tit.* 30. §. 14. CAPITVLA *excerpta ex lege Langob. apud* BALVZ. *Tom. II. Capitul.* §. 9. *p.* 334. *et Not. ad Capitul. p.* 1153.

§. CCXXVII.

Sanctio legis Alamannorum de vi, raptu, et ſtupro violento.

ALAMANNI quoque mulctam ſtatuebant in eos, qui vi et armata manu alienam domum intraſſent, et quidem 18. ſolidorum in eum, qui in curiam epiſcopi vel presbyteri; 36. qui in partem interiorem aedium ſeſe penetraſſet. LEG. ALAM. *tit.* 10. *et* 11. Iidem raptori alienae vxoris, ſi eam redhiberet, mulctam 80. ſolidorum, ſin reddere nollet, aut ea, antequam eam maritus repetat, deceſſerit, 400. ſolidorum irrogabant. IBID. *tit.* 51. §. 1. Qui ſpon-

ſponſam alienam rapuerat, itidem eam cum 200. ſolidis redhibere, vel, ſi redhibere nollet, 400. ſolidorum mulctam pendere cogebatur. IBID. *tit. LII. §. 1. et* 2. Denique, qui virginem, iter facientem, vi compreſſerat, 40. qui vxorem alienam, 80. ſolidis facinus illud luebat. IBID. *tit.* 58. *§.* 2. *et* 3.

§. CCXXVIII.

Paullo ſeueriores erant SAXONES, ſaltim aduerſus eos, qui ſponſas rapuerant. En enim verba LEGIS *tit.* 9. *Qui feminam ab alio deſponſatam rapuerit*, 300. *patri puellae*, 300. *ſponſo componat, et inſuper* 300. *ſol. emat eum: et ſi cum matre euntem in via rapuerit: et matri* 300. *ſol. componat.* Vt adeo raptus 1200. ſolidorum mulcta aliquando eſſet expiandus. Qui puellam inuitam, inuitis parentibus, vi rapuerat, eam redhibere, et parentibus itidem 300; ipſi puellae 240. ſol. pendere cogebatur. * IBID. *tit.* 6. *§.* 3. Qui filiam domini ſui rapuerat, capitis adibat periculum. CAPITVLAT. *de part. Sax.* §. 11. Nec non Saxonum de raptu.

* Et hinc etiam multo poſt haec tempora non durius apud Saxones animaduerſum eſſe legimus in raptores mulierum, quam quod certa mulcta id delictum expiare, vel in exſilium ire, vel vtramque poenam ſubire iuberentur. Exſtat exemplum apud LEVOLD. NORTHOVIVM *in chron. Marcan.* apud MEIBOM. *Tomo I. rer. Germ. p.* 394. *anno domini* 1297. *feria* 2. *ante feſtum Ioannis Bernardus Bitter filiam Gerwini de Rinkenrode, militis, venientem de Vrondenberg, rapuit, et eam fratri ſuo Engelberto in matrimonio copulauit, quam pater eius poſtmodo, ſibi, redditam primogenito domini de Volmunſteine dedit in vxorem. Cuius facinoris auctores, videlicet Bernardum Bitter, et ſuos complices, ſtatim e terra ſua eliminauit, mulctamque in ipſorum bonis ſatis rigidus irrogauit.* Vt adeo legem Saxonum et diu poſt in vetere Saxonia viguiſſe, vix dubitari poſſe videatur.

§. CCXXVIIII.

Nihil de vi, ſtuproque violento ſanxerunt veteres FRISII. Saltim in eorum lege nihil, quod directe huc pertineat, occurrit, quia quae *tit.* 9. *§.* 14. *ſequ.* de vi occurrunt, magis ad delictum rapinae ſunt referenda, quod itidem poena pecuniaria luebatur. De raptu vero mulierum *tit.* 9. *§.* 8. cauerunt, vt, *ſi quis puellam virginem rapuerit, et violatam dimiſerit, componat ei vveregildum eius, et, ſiue nobilis ſit, ſiue libera, ad ſatisfactionem, et ad partem regis ſimiliter: tertium vveregildum patri ſiue tutori puellae, ſi vero puella lita fuerit, ſatisfaciat ei ſimiliter ſolutione vveregeldi ſui,* * *et domino eius decem ſolidos componat.* Et Friſiorum.

Henrici IIII. bella priuata inualuerunt.

taeque delictum a temporibus Henrici IIII. Imp. eſſe coeperit; iam ſupra ſatis probauimus. Et tamen medii aeui leges, ſi a paucis diſceſſeris, de eo vix quidquam diſponunt. Saltim IVRA SAX. et SVEVICVM nihil fere, quod eo pertineat, habent, niſi quod eos, qui vi mulieres compreſſerunt, gladio percuti iubent. *Lib. II. tit.* 13. At inueterato illi morbo iam impares fuiſſe leges videntur: nec aliud fere ſuperfuiſſe remedium, quam vt vniuerſi imperii ſuffragiis et omnis vis publica ex compacto ceſſaret, et acriores poenae proponerentur iis, qui vi aperta adverſus alios vterentur. Quales ſanctiones tum PACIS PVBLICAE nomine veniebant. *

* Eae magis induciae erant, quam vera pax. Plerumque enim ad tempus tantum valebant, et hinc ſub omnibus fere Imperatoribus et regibus videbantur renouandae. Hiſtoriam harum ſanctionum accuratiſſimam dederunt IO. PHIL. DATTIVS, de pace publica, et PFEFFING. *ad Vitriar. Lib. I. tit.* 2. *p.* 281. *ſequ.* ex quibus aliisque pauca, quae eo pertinent, delibare iuuabit.

§. CCXXXV.

Hinc pax publica variis legibus ſancita.

Pacem huiuſmodi iam ſanxerat Fridricus I. Imp. Noribergae anno 1187. ABB. VRSP. *ad d. ann. pag.* 230. eumque poſtea imitati ſunt anno 1201. Philippus Rex, GOLDAST. *conſtit. imp. Tom. III. pag.* 367. anno 1208. et 1209. Otto IV. GOTHOFRED. MON. *chron. ad ann.* 208. *pag.* 278. ARNOLD. LVBEC. *chron. Slau. Lib. VII. cap.* 18. anno 1234. et ſequente Fridricus II. Imp. ALBERIC. *chron. ad h. ann. pag.* 549. GOLDAST. *reichs-ſatz. Tom. II. pag.* 17. anno 1255. Guilielmus rex: DATT. *Lib. I. cap.* 4. *§.* 20. *pag.* 22. anno 1291. Rudolphus: LEHM. *chron. Spir. Lib. V. cap.* 108. anno 1293. Adolphus, IDEM *ibid. cap.* 119. extremo ſaeculo XIII. Albertus Auſtriacus, GOLDAST. *Tom. II. reichs-ſatzungen pag.* 24. anno 1316. Ludouicus Bauarus, TRITHEM. *chron. Hirſaug. ad ann.* 1316. *et* 1327. HENR. REBD. *ad ann.* 1345. et imperatores regesque inſequentes tantum non omnes. *

* Si fatendum, quod res eſt, magis pactis quam legibus, pacem ſanxerunt inſequentium temporum reges, adeo inualeſcente iam malo, vt ei impares eſſe leges viderentur. Sic Caroli IV. ſanctio, vocata *der landfriede*, apud LEHM. *Lib. VII. cap.* 47. magis pactum eſt, cum electore Palatino, et ciuitatibus quibusdam Rhenanis initum, quam lex publica: quamuis poſtea et de communi vniuerſae Germaniae pace laboraris. HENR. REBDORFF. *p.* 443. Nec ignota ſunt, quae in ipſa AVR. BVLLA *tit.* 17. de pace publica ſanxit. De pace publica a Wenceslao, Rege, ſancita conſulendus LEHM. *chron. Spir. Lib. VII. cap.* 63. DATT. *Lib. I. cap.* 9. §. 51. *p.* 66. de ea, quam Sigiſmundus ſanxit, IDEM DATT. *Lib. I. cap.* 22. §. 26. *p.* 176. Nemo fortaſſis maiore ſtudio, at

minore

minore ſucceſſu, de pace publica tuenda cogitauit, Fridrico V. Imp. de cuius moliminibus plura habes apud DATT. *Lib. I. cap.* 29. *p.* 204. Deſtinauerant fata hanc gloriam Maximiliano I. Imp. quem primum anno 1495. et ſequentibus imperium Germanicum hac peſte liberaſſe, tam notum eſt, vt quidquam addere ſuperuacuum videretur.

§. CCXXXVI.

Quae poena conſtituta pacis publicae turbatoribus?

Satis acres poenas comminari omnes hos principes animaduertimus iis, qui pacem publicam turbare audeant. Nam ex Fridrici I. Imp. edicto alii proſcribebantur, alii capitis damnabantur, alii, qui extra bellum legitimum flammis in tecta graſſati fuerant, viui comburebantur. *V. Feud. X.* Infamiam et poenas legitimas ſubire eosdem iubet Philippus: ſimilisque fere eſt reliquorum paene omnium ſeueritas, quae tamen cur nihil paene ad rei ſummam profuerit, facile, vt opinor, intelligitur. *

* Non enim in vniuerſum omnibus, qui rempublicam armis turbare auſi eſſent, poenae huiusmodi proponebantur, ſed iis tantum, qui ſine clarigatione vel indictione belli arma corripuiſſent, vel inducias treugasque, vti vocabant, violaſſent. Ita ſane Fridricus I. *V. Feud. X.* poena ſoluit eos, *qui manifeſta guerra caſtra manifeſto capiunt.* Et Philippus ſimiliter iis parcendum eſſe ſtatuit, *qui diffidationem per tres dies naturales ipſi diffidando perſonaliter, vel in loco, in quo habitare conſueuit, publice intimarint, poſſintque de huiusmodi intimatione per teſtes idoneos plenam fidem facere.* Quin in ipſa AVREA BVLLA priuati belli indictionem, quodammodo adhuc admitti, ex *tit.* 17. manifeſtum eſt. Quam facile vero fuit, huic conditioni parere? quamque multo facilius, litteris ad hoſtem datis, (quae poſtea ſufficere videbantur,) claſſicum canere? Hinc impares hae leges fuere inueterato reip. morbo, maxime quum principes, ordinesque imperii reliqui, nondum milite conductitio eſſent inſtructi: neque ſe prius melius habere coepit Germania, quam Maximilianus I. Imp. non modo lege in perpetuum valitura omne bellum priuatum ſuſtuliſſet, verum etiam iudiciis vigorem ſuum atque auctoritatem, conſtituto ſupremo tribunali, reſtituiſſet.

§. CCXXXVII.

Maximiliani I. conſtitutio de pace publica, vulgo profana.

Quemadmodum ergo maior ſolis ſplendor reliquorum ſiderum luminibus facile officit: ita legibus iſtis omnibus derogauit lex imperii publica, quae PACIS PROFANAE nomine venit, condita in comitiis Wormatienſibus anno 1495. poſteaque in pluribus comitiis, maxime Auguſtanis, anno 1548. quin et in legibus pacis Weſtphalicae, et pactionibus inter Imperatores et electores nomine imperii initis, firmata, luculento denique commentario a GAILIO illuſtrata. Ea lege ſaluberrima cautum, I. ne quis bellum alteri indicat, vel quemquam inuadat, ſpoliet, capiat, obſideat, ſed iu-

re experiatur : II. vt quilibet ſubditos alienos per territorium ſuum libere commeare patiatur : neque III. eos ſollicitare, dominis ſubducere, receptumue eis dare velit : IIII. vt vagi homines in ordinem cogantur, V. pacifragiſque nemo ope et conſilio adſit : denique VI. vt ii, qui quid aduerſus hanc legem, vel in fraudem eius fecerint, ab Imperatore vel tribunali camerali proſcribantur, apud reliquos iudices competentes aduerſus eos in duo marcarum argenti millia iudicium detur.

§. CCXXXVIII.

Nec non ſanctio conſtitutionis criminalis Carolinae de vi et fracta pace.

Sed et conſtitutione criminali *art.* 128. capitis damnantur : *welche die leut wieder recht vnd billigkeit bedrohen, entweichen vnd austreten, vnd ſich an end, vnd zu ſolchen leuten thun, da muthwillige beſchädiger enthalt, hülff, fürſchub vnd beyſtand finden, von denen die leut ie zu zeiten wieder recht vnd billigkeit mercklich beſchädiget werden, auch fahr vnd beſchädigung von denenſelben leichtfertigen perſonen warten müſſen ; die auch mehrmals die leut durch ſolche drohe vnd furcht wieder recht vnd billigkeit dringen, auch an gleich vnd recht ſich nicht laſſen begnügen, daher ſolche für rechte landzvvinger gehalten vverden ſollen.* Quin tanta eſt Caroli V. ſeueritas, vt gladio hos percuti iubeat, *vnangeſehen, ob ſie ſonſt nichts anders mit der that gehandelt hätten*, ſolis exceptis iis, qui metu vis imminentis, non conſilio aliis vim faciendi, in ea ſe loca contulerint. Eadem poena plectuntur, qui aliis bellum priuatum indicunt, atque inferunt, (*vvelche iemanden vvieder recht vnd billigkeit muthvvilliglich befehden*,) niſi id publica auctoritate, et conſentiente Imperatore, feciſſent *.

* Ex quo patet, ipſas leges ſaluberrimas, a Maximiliano I. latas, non ſtatim finem feciſſe bellis hiſce feralibus, ſed aliquando ipſos Imperatores et principes coactos eſſe priuatorum operas conducere ad hoſtes ſuos coercendos. Exemplum eſt in VITA GOTTFR. DE BERLICHINGEN *p.* 142. *et* 223. vbi ipſum illum Berlichingium, quem iis temporibus omnes, tamquam in bellis iſtis priuatis exercitatiſſimum, male metuebant, a Maximiliano I. et Ferdinando I. conductum eſſe legimus, quamuis neutri haec ſeruitia re ipſa praeſtandi eſſet occaſio. Nimirum non poſſunt vitia, quae tam altas radices egerunt, ſemel ſimulque euelli, quamuis paullatim illis veluti ſuccus ſubtrahatur, ſi leges ea, qua par eſt, ſeueritate exerceantur.

§. CCXXXVIIII.

§. CCXXXVIIII.

Eadem Nemesis Carolina *art.* 118. raptum mulierum; *art.* 119. ſtuprum violentum coercet, et huius quidem reos, perpetrato iam crimine, gladio feriri; ob improbum conatum arbitrarie puniri iubet: raptoribus ſiue volentes ſiue inuitas parentibus vel maritis ſubduxerint, poenam, deceſſorum conſtitutionibus et legibus Romanis definitam, comminatur, adeoque huius conſtitutionis auctori procul dubio in animo fuit *l. vn. C. de raptu*, ex cuius praeſcripto et in eum, qui feminam connubii cauſſa rapuit, gladio animaduertendum eſt. Nec non de raptu et ſtupro violento.

§. CCXXXX.

Ex iis ergo omnibus, quae de legibus moribuſque veterum Germanorum diximus, colligimus, I. vim factam aliis pro ratione τῶν περιςάσεων arbitrarie punitam: at II. ipſam Germaniae calamitatem demum coegiſſe Imperatores et imperii ordines, vt crimen violatae pacis publicae capitale eſſe iuberent: denique III. ob eamdem cauſſam illis et raptum virginum ac viduarum, et IIII. ſtuprum violentum ſupplicio capitali dignum viſum eſſe. Axiomata.

§. CCXXXXI.

Quum ergo vis in Germania fere ſemper arbitrarie pro ratione circumſtantiarum puniri conſueuerit: (§. 240. 1.) non mirum eſt, (1. et hodie Germanos hunc maiorum morem imitari, quoties hoc crimen in ſanctionem pacis publicae non incidit, Carpz. *prax. crim. quaeſt.* 40. *n.* 7. ac proinde (2. non tam intereſſe, publica vis ſit, an priuata, (ſiquidem Romanorum definitiones Germani vix curant,) quam maiorne an minor dolus pelluceat, itemque (3. graue damnum datum ſit, nec ne: demum (4. cuinam perſonae, et (5. quo loco * vis facta ſit, ſiquidem (6. concurrentibus circumſtantiis atrocioribus et vltimo ſupplicio locus eſt. Ant. Matth. *de crim. ad Lib. XXXXVIII. dig. tit.* 4. *cap.* 4. Quomodo hodie vis puniatur?

* Sic acriore omnino poena digni ſunt, qui ſacra turbarunt dolo malo, qui in palatiis principum vim alicui intulerunt, qui legatos, miniſtros principum, magiſtratus, inuaſerunt, qui domi, vbi tutiſſimum cuique refugium eſſe oportebat, in aliquem fecerunt impetum, vel aliorum locorum ſanctione poenali munitorum, veluti curiarum, tribunalium, templorum, fori nullam habuere rationem. Vid. Besold. *theſaur. pract. in Burgfriede*, qua de re ſupra, vbi de pace domeſtica, quam vocant, actum, plura nos dicere meminimus. Quin ſunt quaedam ſtatuta, quae vim et vilioribus hominibus, at reipublicae nauantibus operam, veluti vigilibus nocturnis,

ctūrnis, illatam, capitalem eſſe volunt. Exemplum eius rei ex Tyrolenſium iure attulit V. C. SAM. FRIDR. BOEHMER. *elem. iuriſpr. crimin. Lib. II. cap.* 4. §. 92.

§. CCXXXXII.

Quale hodie crimen fractae pacis?

At ex quo ipſa calamitas publica, in quam Germaniam conieccerat bellorum priuatorum furor, coegit imperii ordines, vt fractae pacis crimen capitale eſſe iuberent: (§. 240. 2.) in hanc poenam incidunt (7. qui ſecuritatem publicam laedunt, et (8. in aliorum perniciem coniurantes, arma iungunt, * (9. alios vi poſſeſſione deiiciunt, et ſpoliant, et inprimis (10. qui bello priuato, quod vulgo diffidationem vocant, alios, ſibi non ſubiectos, perſequuntur, ſibique adeo ipſi potius manu ius dicunt, quam vt in iure ſibi experiundum eſſe ſtatuant. PAX PROV. *anni* 1548. *art.* 1.

* Itaque hoc crimen non videtur admitti, ſi non ex compacto, ſed temere, et veluti caſu, confluunt homines, et vim alicui faciunt. MEV. *part.* 1. *deciſ.* 105. At poenam fractae pacis non effugiunt, qui ope et conſilio iuuant improbos reipublicae turbatores, PAX PROV. *ibid. praef.* quique iis receptum dant, eoſque iuſtae animaduerſioni ſubducere conantur. IBID. *art. Aufhebung aller freyheit*, quin et faces et tubae huiuſmodi tumultuum ciuilium, quibus plerumque illa reipublicae calamitas magis imputanda, quam ipſis coniuratis, qui telis, quae illi cuderunt, in aliorum exitium vtuntur. CRAN. *de pace religioſa part. III. probl.* 3.

§. CCXXXXIII.

Raptus mulierum poena.

Quumque et raptus mulierum dignus capitali ſupplicio viſus ſit: (§. 240. 3.) non difficile intellectu eſt, (11. cur arctioribus paullo limitibus id crimen circumſcribant legum criminalium interpretes, nec (12. nudum conatum, nec (13. raptum mulierculae quaeſtuariae, CONST. CRIM. *art.* 118. verbis: *eheweib oder vnuerläumdte iungfrau*: nec (14. raptum volentis et conſentientis, modo ſui iuris ſit, capitalem eſſe velint: THEODORIC. *ad d. art. n.* 9. quin (15. et ius canonicum * potius, tamquam mitius, hic ſequi malint, quam illum iuris ciuilis rigorem. CARPZ. *quaeſt.* 75. *n.* 68. KRESS. *ad art.* 118. §. 2.

* Id vero et raptum ſponſae, licet inuitis parentibus factum, ab hoc crimine eximit, *cap. pen. X. de raptu.* et matrimonium raptoris cum rapta ratum eſſe iubet. *cap.* 20. *X. eod.* Qua in re quantum a veterum canonum ſeueritate diſcedant pontifices, vel ex *can. vlt. cauſſ.* 36. *qu.* 2. patet. Vid. SCHILTER. *Exerc. XXXXVIIII.* §. 104. Ex eo vero conſequitur, vt hodie capitalis ſupplicii gratia fiat raptori ſponſae, eique, qui raptam volentem vxorem duxerit.

§. CCXXXXIIII.

§. CCXXXXIIII.

Cauſſae eam mitigantes.

Quin ob eamdem rationem, quod poena capitalis ſatis grauis pro delicti ratione quibuſdam videtur, (16. multas cauſſas comminiſcuntur iureconſulti, ob quas mitiori poenae locum eſſe, exiſtimant, veluti (17. ſi poenituerit raptorem, iſque feminam illibatam dimiſerit: LVDOVICI *ad art.* 118. (18. ſi femina vel vltro ſe rapi paſſa ſit, THEODORIC. *ibid. n.* 9. vel (19. raptorem ad ſuſcipiendum hoc facinus pellexerit. BEYER. *ad d. art. poſ.* 7. Addunt alii, (20. pauxillum poenae pro tanto delicto ſatis eſſe, ſi iam antea mulier raptori ſtupri conſuetudine cognita fuerit: THEODERIC. *ibid. n.* 20. ſed mirarer, ſi delictum delicto excuſaretur, idque luculentum foret exemplum fatui axiomatis, quod a dolo et fatuam excuſare cauſſam, ſtatuit.

§. CCXXXXV.

Poena ſtupri violenti.

Quemadmodum vero multo clarior eſt de poena violenti ſtupri ſanctio: ita (21. eadem cura cauendum ſibi exiſtimarunt doctores, ne poena tam atrox irrogetur promiſcue, ac proinde (22. hoc crimen non niſi in feminam honeſtam, (23. repugnantem et inuitam, * vel (24. infantem, (infantia enim maiorem, at viri nondum potentem qui volentem ſtuprauit, eum fuſtibus caedendum putant, BERGER. *elect. crimin. part.* 2. *obſ.* 156.) (25. vi atroce, et iuſta, quin et (26. rite probata, committi, cenſuerunt: quin ſunt, (27. qui ne tunc quidem paenae capitali locum eſſe, volunt, ſi delictum non plane perfectum ſit immiſſione et commixtione ſeminis, quum tamen ſic viri nondum potenti puellae ſtuprum vi illatum eſſe, dici vix queat. CARPZOV. *quaeſt.* 75. *tot.*

* Quid vero ſi quis mente captae, vel vino ſepultae ſtuprum intulerit? Hoc quoque ſtuprum violentum iudicant, et exemplum ſtupratoris, puellam, mentis non ſatis compotem, comprimentis capitis damnati, eſt apud SCHILTERVM *Exerc.* XXXXVIIII. §. 102. qui tamen obſeruat, idem ſcabinorum Lipſienſium collegium, quod paullo ante tironem, qui magiſtri ſui filiam, mente captam, ſtuprauerat, capitis damnarat, anno 1558. ſimili obueniente ſpecie, poenam extraordinariam fuſtigationis decreuiſſe, intercedente reliquorum ſententiis D. Iacobo, et interferente cauſſam, mente captam, quia velle non poſſit, nec nolle poſſe *l.* 3. *D. de reg. iur.* adeoque nec dicendum eſſe, eam inuitam paſſam eſſe ſtuprum.

§. CCXXXXVI.

Et eorum, qui ſtupratori opem tulerunt.

Porro (28. vix dubitandum putarunt, quin et ii, qui ſtupratori, vim facturo, opem tulerint ad tantum ſcelus perpetrandum, modo perfectum fuerit flagitium, capitis damnandi ſint: *l. 1. §. vlt. D. de extr. crim. l. 9. D. ad L. Iul. de adult.* Huiuſmodi ſane exemplum exſtat apud SCHILT. *Exerc. XXXXVIIII. §. 103.* Sed vel inde patet, (29. non tam ex perfecto ſtupro aeſtimandum eſſe hoc crimen, quam ex vi adhibita, adeoque (30. non parum errare, qui hic vel ob non immiſſum ſemen, vel (31. ob deprecationem coniugis innocentis, poenam eſſe mitigandam, exiſtimant. THEODOR. *colleg. crim. pag.* 876.

TIT. XXVI.

DE SICARIIS, VENEFICIS, INCENDIARIIS.

§. CCXXXXVII.

Tranſitio ad crimen homicidii, quod paucis gentibus Germ. capitale fuit.

PEruenimus ad crimen, a quo non poteſt non totum humanum genus quam maxime abhorrere, quum hominum omnium interſit, ſacroſanctam haberi vitam hominum, nec impune eius facinus eſſe, qui hominem dolo malo interemerit. Enimuero, quemadmodum recte ſcripſerat THVCYDIDES *Lib. III.* εἰκὸς τὸ πάλαι τῶν μεγίστων ἀδικημάτων μαλακωτέρας κεῖσθαι τὰς ζημίας, παραβαινομένων δὲ τῷ χρόνῳ εἰς τὸν θάνατον αἱ πολλαὶ ἀνήκουσι. *Credibile eſt, antiquitus quamuis grauium delictorum leues fuiſſe poenas: ſed cum ea progreſſu temporis contemnerentur, ventum ad mortem:* * ita non mirum eſt, Germanis quoque homicidia non fuiſſe ſtatim capitalia, ſed leuiore poena, immo mulcta ſatis mediocri potuiſſe expiari.

* Commune id cum Germanis habuere gentes fere omnes, vt homicidas, quantumuis improbos, ſupplicio capitis non adficerent. *Ipſe ſane Cainus,* obſeruante hoc GROTIO *de iure belli et pac. Lib. I. cap. 2. §. 5. n. 3. ex naturalis aequitatis ſenſu parricidii ſibi conſcius, dixerat: Qui inueniet me interficiet me.* Gen. IIII. 14. *At Deus primis illis temporibus, aut ob hominum raritatem, aut, quia paucis adhuc graſſantibus vitiis, minus opus erat exemplo, id quod naturaliter licitum videbatur, edicto repreſſit, et commercium quidem homicidae defugi voluit, at vitam ei non eripi, quomodo et* PLATO *in legibus conſtituit, et olim in Graecia vſurpatum, his verſibus docet* EVRIPIDES:

Καλῶς

Καλῶς ἔθεντο ταῦτα πατέρες οἱ πάλαι·
Εἰς ὀμμάτων μὲν ὄψιν οὐκ εἴων περᾶν,
Οὐδ' εἰς ἀπάντημ', ὅστις αἷμ' ἔχων κυρεῖ,
Φυγαῖσι δ' ὁσιοῦν, ἀνταποκτείνειν δὲ μή.

Quam bene parentum prouida aetas ſtatuerat:
Vt cogeretur de via decedere,
Hominumque viſu, caede patrata, nocens,
Fugaque lueret triſte, non letho, ſcelus.

Haec GROTIVS, quibus gemina ſunt, quae ex antiquiſſimis ſcriptoribus Graecis collegit FEITH. *antiqu. Homeric. Lib. II. cap.* 8.

§. CCXXXXVIII.

Taciti tempore homicidas perſequebatur occiſi familia.

Antiquiſſimis ſane temporibus, teſte TACITO *de mor. Germ. cap.* 21. *ſuſcipere inimicitias ſeu patris, ſeu propinqui, quam amicitias, neceſſe erat: nec implacabiles durabant. Luebatur enim homicidium certo armentorum ac pecorum numero, recipiebatque ſatisfactionem vniuerſa domus, vtiliter in publicum, quia pericloſiores ſunt inimicitiae iuxta libertatem.* Ex quo ſane loco, iam ſupra explicato, patet, veteres Germanos priuatim vindicaſſe ſuorum caedes, familiamque laeſam tamdiu armis perſequutam eſſe homicidam, donec ſibi, dato certo, de quo conuenerat, armentorum pecorumue numero, eſſet ſatisfactum *.

* An vero plane nullam tanti delicti rationem habuiſſe magiſtratus, credibile eſt? Nihil ſane, quod huc pertineat, habet TACITVS. Et tamen exiſtimo, poenam hanc publicam ſatis grandem fuiſſe, quod nuſquam tutus eſſet homicida, nec ei a magiſtratu aduerſus laeſam familiam vlla praeſtaretur ſecuritas, quin potius cuiuis permitteretur, in ſacrum huiuſmodi caput priuatim animaduertere, niſi et cum magiſtratu, et cum familia, quam homicida aduerſus ſe irritauerat, interuenientibus communibus amicis, tranſegiſſet. Generatim enim de poenis veterum Germanorum TACITVS *cap.* 12. *Sed et leuioribus*, inquit, *delictis*, (qualia praeter proditionem, deſertionem, ignauiam et nefandam venerem, omnia fuiſſe videntur,) *pro modo poenarum equorum pecorumue numero conuicti mulctantur. Pars mulctae regi vel ciuitati, pars ipſi, qui vindicatur, vel propinquis eius, exſoluitur.*

§. CCXXXXVIIII.

Eum morem et poſteri plerique ſeruarunt.

Hunc morem maiorum conſtanter ſeruaſſe poſteros, tam certum eſt, quam quod certiſſimum. Saltim pleraſque gentes Germanicae originis non ſupplicio extremo adfeciſſe homicidas, ſed priuatam perſequutionem tranſactionemque admiſiſſe, nec ipſos magiſtratus proceſſiſſe vltra mulctam, qua publica ſecuritas redimeretur, ex antiquiſſimis eorum legibus atque annalibus luculenter, ſi quid aliud, poteſt demonſtrari, quamuis negandum non ſit, quaſdam gentes, quae extra Germaniam ſibi ſedes conſtituerunt, Romanorum exemplo ſeueriores in homicidas fuiſſe.

§. CCL.

Wiſigothorum leges de homicidio doloſo.

Et WISIGOTHI ſane permultum intereſſe animaduertebant inter homicidium, dolo malo, culpa, et caſu admiſſum. Quicumque enim dolo malo calce, pugno, aut quacumque percuſſione iniuriam alicui inferre conatus fuerat, vel occaſionem homicidii praebuerat, *homicidio puniebatur*, id eſt, vti ego interpretor, capite plectebatur: LEX WISIG. *Lib. VI. tit.* 5. §. 6. *et* 11. et ne ſerui quidem caedem impune ferebat dominus. IBID. §. 12. Licebat etiam homicidam accuſare non modo propinquis, verum etiam aliis quibuſcumque, quin, accuſante nemine, fas erat ipſi iudici, de caede perpetrata facto certiori, reum prehendere, et poena legitima adficere. * IBID. §. 14. *ſequ.*

* Supplicium ergo ſicariorum ex iure Romano adſciuiſſe videntur Wiſigothi. Illud tamen effugiebant, qui ad ſacroſanctam quandam eccleſiam ſeſe receperant. Quamuis enim et inde abſtrahi poſſent homicidae: fieri tamen id non poterat, niſi *conſulto ſacerdote, ac reddito ſacramento, ſceleratum publicae mortis poena non iri condemnatum.* LEX WISIG. *Lib. VI. tit.* 5. §. 16. Sed haec erat vetus eccleſiae diſciplina, quam patres CONCILII TOLETANI IIII. *canone* 31. inculcauerant: *Quia ſacerdotes a Chriſto ad miniſterium ſalutis electi ſunt, ibi conſentient regibus fieri iudices, vbi* IVREIVRANDO *ſupplicii indulgentia promittetur.* Ex quo loco ſimul patet, epiſcopos Viſigothorum ne criminalium quidem cauſſarum examen defugiſſe, quod ſuo more defendere conatur LVD. THOMASSIN. *de vet. eccleſ. diſcipl. part.* 2. *Lib. III. cap.* 117. §. 11. *p.* 843. *edit. Lucenſ.*

§. CCLI.

Itemque de culpoſo,

Si quis, exorta lite, alium percuſſurus, alium praeter voluntatem occiderat: is, qui liti ac certamini cauſſam dederat, 100. qui caedem admiſerat, 50. ſolidis mulctabatur, propinquis occiſi ſoluendis. LEX WISIG. *Lib. VI. tit.* 5. §. 4. Qui litigantes conciliaturum occiderat, quamuis iuraſſet, ſe eum praeter voluntatem occidiſſe, libram auri perſoluere eius propinquis tenebatur, IBID. §. 5. tantumdemque et is debebat, qui per iocum vel petulantiam hominem occiderat, quamuis hic ſimul 50. flagellorum ictibus lacerandus videretur. IBID. §. 7. Si ingenuus ſeruum non dolo, ſed culpa, interemiſſet, mulctae huius dimidia praeſtanda erat domino, pro ſeruo vero, occidente ingenuum, aut eamdem mulctam inferre, aut noxae dare ſeruum dominus cogebatur. * IBID. §. 9. 10.

* Durum eſt, quod in medicum ſtatuitur, qui venam ſecaturus culpa aliqua hominem occiderat. Is enim *continuo tradi* iubetur *propinquis, vt, quod de eo facere voluerint, habeant poteſtatem.* IBID. *Lib. XI. tit.* 1. §. 6. Immo et cautio exige-

Digitized by Google

exigebatur a medico de aegroto perſanando, et, ſi hic nulla medici culpa expiraſſet, ſpe ſoſtri excidebat. IBID. §. 3. 4. Sed videntur intelligendi χειρουργοὺς, et quidem ſeruilis vel infimae talium conditionis, quippe in quibus tam parum fiduciae collocabatur, vt eos nec ingenuae mulieris venam ſecare, nec carcerem, curandi captiui cauſſa, niſi praeſentibus aliis, ingredi paterentur, IBID. §. 1. 2.

§. CCLII.

Caſu perpetratum homicidium plane impune erat, veluti ſi quis iaculum miſiſſet eum in locum, in quo hominem eſſe ignorabat, vel ſi hominem non vidiſſet, dum conſtaret, nihil antea inter eos ſimultatis interceſſiſſe. Idemque obtinebat, ſi quis ab alio impulſus in alterum ita incidiſſet, vt inde moreretur, quamuis tunc is, qui alterum impulerat, libram auri propinquis perſoluere teneretur. IBID. §. 1. 2. 3. Id vero notatu dignum eſt, caſualibus homicidiis accenſeri etiam caedem tironis, quem magiſter diſciplinae cauſſa vapulantem occiderit, idque ob teſtimonium ſcripturae: *Qui diſciplinam abiicit, infelix erit. Sap. III.* 11. * et de caſuali.

* Atqui hoc ex loco illo ſcripturae fruſtra colligitur: neque hic Wiſigothis fauent leges Romanae, quae tantum abeſt, vt impunem eſſe velint hunc diſciplinae exceſſum, vt et ob oculum tironis laeſum a ſutore magiſtro actionem legis Aquilliae dandam exiſtiment. *l. 5. §. vlt. et l. 6. l. 7. pr. D. ad leg. Aquill.* Videtur huius legis auctor in animo habuiſſe locum HIERONYMI, qui exſtat *c. 13. cauſſ. 15. quaeſt. 2. Si quis non iratus, ſed propter diſciplinam, palmam alicui dederit, et euentu occiderit, ſicut fieri ſolet: quantum ad gratiam, innocens eſt, quia voluntatem, non opus, requirit.* At hic tamen ſtatim ſubiungit: *Quantum autem ad legem, reus eſt, quia opus requirit.*

§. CCLIII.

Quum vero facile animaduerterent WISIGOTHI, multo magis abominandam eſſe eorum malitiam, qui venena aliis parant: eo minus dubitarunt, quin hi quoque extremo digni ſint ſupplicio. Hinc *Lib. VI. tit.* 2. §. 2. cauent, vt, *ſi quis venenatam potionem alicui dederit, et, qui biberit, mortuus exinde fuerit, veneficus continuo ſupplicio ſubditus,* MORTE TVRPISSIMA * *puniatur: ſin poculo veneni potatus euaſerit, in eius poteſtatem tradatur ille, qui dedit, vt de eo, quod facere voluerit, ſui ſit incunctanter arbitrii.* De veneficio.

* Videtur ergo ſupplicium grauiſſimum inflictum eſſe veneficis, quod apud Gothos ſpeciatim *mortis turpiſſimae* nomine venit. Id vero quale fuerit, ſcire me fateor cum ignariſſimis. Si quid coniecturis dandum, videntur Wiſigothi ita adpellaſſe poenam culei, quippe quam apud Romanos parricidis, peſſimo ſi-

cariorum generi, irrogatam eſſe nouerant. Sed, certioribus deſtituti argumentis, rem in medio relinquere cogimur.

§. CCLIIII.

De ſortilegio.

Romani ſub veneficorum nomine et illos comprehendebant, qui ſuſurris magicis, aliiſque artibus odioſis, alicui damnum intulerant. Eorum quoque meminit Lex Wisigothica, notatque *Lib. VI. tit.* 2. §. 1. *ariolos, aruſpices, vaticinatores*, eoſque, qui illos conſulant: * §. 3. *maleficos et immiſſores tempeſtatum, qui grandinem in vineas meſſeſque mittere perhibeantur: qui per inuocationem daemonum mentes hominum conturbent: qui nocturna ſacrificia daemonibus celebrent, eoſque per inuocationes nefarias nequiter inuocent:* §. 4. *eos, qui in hominibus vel brutis animalibus, omnique genere, quod mobile eſſe poteſt, ſeu in agris, vel vineis, diuerſiſque arboribus, maleficium aut diuerſa ligamenta, aut etiam ſcripta in contrarietatem alterius excogitauerint facere, aut expleuerint, per quod alium laedere, vel mortificare, aut obmuteſcere velint, aut damnum tam in corporibus, quam in vniuerſis rebus, feciſſe reperiantur.* Alius quidem generis maleficos praeter hos, qui maximam partem adhuc profano deorum cultui haeſiſſe videntur, Wisigothos tunc temporis ignoraſſe arbitramur.

* De his maleficorum generibus omnia nota ſunt: nec quidquam hic praetermiſerunt viri doctiſſimi, qui de diuinationibus et vaticiniis commentati ſunt. Nec de ligaturis et ligamentis dicere plura attinet, poſt Lindenbrogivm, Car. dv Fresne et alios. Id modo ex ipſa lege Wisig. *ibid.* §. 5. monemus, ipſos iudices, quibus nondum liquebat, vates ac hariolos conſulere non dubitaſſe. Ait enim legiſlator: *Quidam ex iudicibus feruntur Dei ſpiritu vacui, qui acta maleficiorum dum inueſtigare ſubtili perquiſitionis perſpicacia nequeunt, exſecrabiles diuinorum pronunciationes intendunt. Veritatem enim ſe inuenire non putant, niſi diuinos et aruſpices conſulant.* Hos ergo flagellis caeſos fiſco vel regi in ſeruitutem addici oportere decernit, niſi non tam inueſtigandae veritatis, quam ipſorum detegendorum vatum cauſſa, conſuluiſſe se hariolos, probarint. Fuit hic vetus mos Celtarum, eoque pertinere arbitramur, quod refert Polyaenvs *ſtratagem. Lib. VII. in foederibus cum Hannibale factis contineri, ne Celtae Carthaginienſibus exprobrent, Carthaginienſium hipparchos eſſe iudices, neque Celtis Carthaginienſes, Celtarum* mvlieres ivdicare. Intelligi enim videntur mulieres fatidicae, quas et hodie alicubi vocant *kluge frauen.* Eae enim iudicare putabantur a rerum ignaris, quod iudices non ſibi liquere exiſtimarent, niſi haec conſuluiſſent oracula.

Digitized by Google

§. CCLV.

Eiuſque poena.

Poena hos ſuperſtitioſiſſimos homines manebat ſatis grauis. Harioli enim, vates et haruſpices, et qui eos de ſalute vel morte principis, aliuſque hominis, conſuluerant, ingenui, flagellis caeſi, regi vel fiſco in ſeruitutem addicebantur: * ſerui *diuerſo poenarum genere adflicti*, in tranſmarinas prouincias exportandi vendebantur. IBID. §. 1. Qui daemones conſuluerant, iiſque nocturna ſacra fecerant, ducenties flagris caeſi, et decaluati, per decem vicina praedia exempli cauſſa circumducebantur, et cuſtodiae, ne in poſterum ſimili ſcelere ſe polluerent, mancipabantur. IBID. §. 3. Eadem demum poena adficiebantur, qui ligamentis cuicumque homini damnum dederant.

* Eadem ſententia et bona rei fiſco addicebantur, ſeruata tamen, vti alias vbique, hac διαιρέσει, vt, ſi liberi non eſſent criminis ſocii, *et dignitatem et rerum omnium poſſeſſionem, quam pater amiſerat, pleniſſime obtinerent.* IBID. §. 1.

§. CCLVI.

De incendiariis.

Denique et in INCENDIARIOS acriter animaduertebant WISIGOTHI. Qui enim in ciuitate dolo malo domum incenderat, non modo viuus comburebatur, verum etiam ex eius bonis pretium domus, et rerum omnium, quae cum ea flammis perierant, redigebatur. Qui extra ciuitatem domum incenderat, centies flagello caeſus, damnum cogebatur ſarcire, vel, ſi ſoluendo non eſſet, in ſeruitutem laeſo addicebatur. IBID. *Lib. VIII. tit.* 2. §. 1. Qui ſiluam alienam incenderat, centies flagris caeſus, damnum ſarcire tenebatur. Pro ſeruo 150. flagris caeſo dominus damnum ſarcire, vel ſi noluerit, ſeruus capite plecti iubetur, ſi laeſus ne dimidiam quidem vel tertiam damni partem ex ſerui ſubſtantia receperit. IBID. §. 2. Qui culpa vel negligentia ſua occaſionem dederat incendio meſſis, vineae, vel domus, ad praeſtandam tantum damni dati aeſtimationem erat obligatus. IBID. §. 3.

§. CCLVII.

Burgundionum leges de homicidiis doloſis.

A Germanico more deſciuerant etiam BURGUNDIONES, qui caedem hominis cuiuſcumque ingenui, immo et ſerui regii, ſiue barbari, ſiue Burgundionis, *ſanguinis effuſione* expiari volebant, idemque ſupplicium comminabantur ſeruo, hominem dolo malo occidenti, immo et domino, ſi hic facti fuerit conſcius:

ſcius: * LEX BVRG. *tit.* 2. §. 1. 3. 4. contra ob reliquorum ſeruorum caedem, pro eorum arte certam aeſtimationem praeſtari iubebant, veluti pro miniſteriali ſolidos 55. mulctamque ſol. 12. pro aratore vel porcario ſol. 30. pro aurifice 150. pro fabro argentario 100. pro fabro ferrario 50. pro carpentario 40. IBID. *tit.* 9. §. 1. *ſequ.* Conf. *tit.* 10. §. 1. *ſequ.* Si tamen, qui perierat, alterum verberibus adgreſſus fuiſſet, et veluti in furorem egiſſet: pretium tantum hominis occiſi dimidium ſoluebat propinquis, id eſt, ſi quis ex optimatibus occiſus fuiſſet, ſolidos 75. ſi Burgundionem mediocris conditionis, 50. ſi infimae ſortis, 37. et dimidium. IBID. §. 2.

* Neque tamen ideo familiae laeſae non permittebant vindictam priuatam. Id modo indignum ſaeculo ſuo exiſtimabant, quod tota homicidae familia has inimicitias ſuſcipere cogeretur. Hinc IBID. §. 6. cauetur: *Hoc ſpecialiter in huiuſmodi cauſſa vniuerſitas noueris obſeruandum, vt interfecti parentes nullum, niſi homicidam perſequendum eſſe cognoſcant. Quia ſicut criminoſum iubemus exſtingui: ita nihil moleſtiae ſuſtinere patimur innocentem.* Sed huius aequiſſimae legis immemor Chrotildis, regina, Chlodouaeum maritum ad perſequendos Gundebaldi, regis Burgundionum, filios, Sigiſmundum et Godemarum, vindicandamque necem patris ſui, Chilperici, ſtimulauit, quum non hi miſeri filii, ſed Gundebaldus, eorum pater, hoc parricidio ſe ſe polluiſſet. Vid. AIMON. *de geſt. Franc. Lib. II. cap.* 3. GREG. TVRON. *hiſt. Lib. III. cap.* 5. *et* 6. GESTA FRANC. EPITOM. *cap.* 19. 34.

§. CCLVIII.

Et de caſualibus, itemque de latrociniis.

Si ſine dolo vel culpa homo perierat, merito ab omni poena immunis habebatur, IBID. *tit.* 18. §. 2. eiuſque rei hanc rationem reddit legiſlator, *non debere, quod caſus operetur, ad damnum aut inquietudinem hominis pertinere.* IBID. §. 1. Ceterum dolum et culpam non adeo accurate in hoc crimine diſtinxiſſe videntur Burgundiones, niſi quod quaedam homicidii genera ob inſignem dolum grauius coercenda putarent, veluti latrocinium, ob quod latrones capitis damnabant, vxoribus ob celatum crimen vna cum liberis, qui quartum decimum aetatis annum exceſſerant, perpetuae ſeruituti mancipatis. IBID. *tit.* 47. §. 1. *ſequ.*

§. CCLVIIII.

Denique de incendiariis.

Nihil vero ſingulare Burgundiones ſanxerant de VENEFICIS: nihil de SORTILEGIS, et magis, vt dubitare liceat, an id hominum genus exſiſtere crediderint. Quin ne de INCENDIARIIS qui-

quidem quidquam in eorum LEGE occurrit, niſi quod *tit.* 41. §. 1. *et* 2. legimus: *Si quis in exarto ſuo * focum fecerit, et focus, nullo compellente vento, per terram currens, ad ſepem vel meſſem peruenerit alienam, quidquid concrematum ex ea fuerit, ab eo, qui focum fecit, reformetur. Si vero flammam ignis ad ſepem, vel meſſem alterius, vis venti tranſtulerit, damnum, quod illatum eſt ab eo, qui focum fecerit, non reformetur.*

* *Exartus*, quo vocabulo frequentius vtitur LEGIS BVRGVNDICAE auctor, nihil aliud eſt, quam nouale, quod et hodie Galli vocare ſolent *eſſart.* Solent enim ſtipites et radices, caeſis arboribus, igne exuri, eoque facile contingere poteſt, vt procedens per radices flamma ſepes vicini incendat. Hinc ſiluam exſtirpare eſt *exartare*, LEGE BVRG. *Addit. I. tit.* 1. §. 1. *et* BAIVVAR. *tit.* 16. *cap.* 1. §. 1. Fallor ego, an inde origo eſt vocibus Germanicis; *Art-land*, *bearten*, et traiectis litteris *raden*, *roden*, *ausrotten*, *rottland*, et aliis eiuſdem generis.

§. CCLX.

Progredimur ad FRANCOS, quorum in legibus de delictis omnibus accuratius multo, quam in aliarum gentium iuribus, agitur. Et horum quidem leges vere ſunt Germanicae, id eſt, abhorrentes fere a ſupplicio capitali, et hinc homicidia vel priuatae familiarum perſequutioni relinquentes, vel poenam pecuniariam ſicariis irrogantes. * Ita ſane LEX SALICA *tit.* 44. 45. 46. 65. immo et 28. *et* 38. prolixe agit de caede hominum, poenaſque varias ſtatuit pro diuerſitate homicidarum, hominum occiſorum, loci, modi occidendi, aliarumque circumſtantiarum: ſed omnes in pecunia, id eſt, compoſitione, ſeu wergeldo, conſiſtunt. Idemque obſeruamus in LEGE RIPVARIORVM *tit.* 7. 8. 9. 10. 12. *ſequ.* Quin vtraque lege ne proditorium quidem et maxime doloſum homicidium, quod veteres *mordridum* vocabant, capitale eſt. LEX SAL. *tit.* 44. §. 2. 5. RIPVAR. *tit.* 15. §. 1. Leges Francorum de homicidio doloſo.

* Priuatae perſequutioni homicidarum apud Francos quoque locum fuiſſe, iam ſupra ſuo loco probauimus. (§. 19. ſequ.) Si quis ergo in gratiam redire vellet cum occiſi propinquis, *compoſitionem* illam vel *vveregildum* ſoluere tenebatur, eaque deinde inter agnatos cognatoſque occiſi diuidebatur. LEX SAL. *tit.* 65. §. 1. *Si cuiuſcumque pater occiſus fuerit, medietatem filii in compoſitione colligunt, et aliam medietatem parentes, qui proximiores fuerunt, tam de paterna, quam de materna generatione diuidunt. Quod ſi de paterna vel materna parte nullus proximus fuerit: portio illa ad fiſcum perueniat, vel cui fiſcus conceſſerit.* Exemplum ſoluti wergildi, vel ſummae, de qua conuenerant, et datae eo nomine cautionis, eſt in FORM.

form. Lindenbrog. 121. Marcvlf. *Lib. II. cap.* 18. Si ſoluendo non eſſet homicida, nec eccleſia aliqua, vel cognati, ſeſe interponerent, is bonam copiam ſollemni ritu eiurare cogebatur, quod vocabant *chrenechrudam*. Leg. Sal. *tit.* 61. et tunc cognatos proximos, quibus bona illa cedebant, aut pretium illud ſoluere, aut ipſos quoque bonis cedere oportebat. Sin ne horum quidem bona ſufficiebant, reus capite facinus luebat. Enimuero quum ita fieret ſaepius, vt ob vnius agnati delictum tota familia ad incitas redigeretur, hanc chrenecrudam *decreti ſui cap.* 16. ſuſtulit Childebertus, rex, ſtatuitque, *vt de chrenecruda lex, quam paganorum tempore obſeruarint, deinceps numquam valeret, quia per ipſam ceciderit multorum poteſtas*. Et ex eo tempore, ſi homicidae non eſſet, vnde ſolueret, nec *ſe de lege defenſare poſſet, omnis cauſſa ad eius caput pertinebat*. Lex Sal. *tit.* 61. §. 3. Itaque aut capite luebat crimen, aut ſeſe propinquis occiſi, ſi hi in eo adquieſcerent, in ſeruitutem addicebat, cuius generis exempla ſupra iam dedimus. (Lib. I. §. 37. 4.)

§. CCLXI.

An capitale eſſe coeperit poſt tempora Childeberti?

Quum iam Chriſto nomen dediſſent Franci; epiſcopi et clerici regibus inculcaſſe videntur, non tam leui poena ſatisfieri iuſtitiae diuinae, ipſumque Deum voluiſſe, vt ſanguine ſuo ſcelus luat homicida, qui ſanguini alterius non pepercerit. *Gen. VIIII. 6.* Hinc Childebertus, rex, *decret.* §. 5. abrogata lege de compoſitione, abſciſſe capitis damnari iuſſit homicidam, *quia iuſtum ſit, vt, qui iniuſte norit occidere, diſcat iuſte mori.* Enimuero hanc legem non valuiſſe apud poſteros, priſtinumque morem, homicidia pecunia expiandi, mox in vſum reuocari coepiſſe, recte iam alii obſeruarunt, idque luculenter patet ex tot exemplis, quae, et poſt Childeberti tempora homicidia expiata eſſe pecunia, docent. * Quin ipſe Childebertus non prohibet, quo minus ſuper homicidio tranſigatur, dummodo propinqui non cogantur pecuniam illam corrogare.

* Prodiit Childeberti regis decretio anno erae Chriſtianae 595. At Marcvlfvm, qui formulas ſuas Landerico Epiſcopo dedicauit, circa annum 660. claruiſſe, plerique ſuſpicantur. Vid. Bignon. *not. ad Marculf. apud* Balvz. *Capitular. Tom. II. pag.* 862. Iam, Marculfi aetate adhuc conſueuiſſe pecunia expiari homicidia, patet ex *Lib. II. cap.* 18. 28. *adpend. cap.* 23. et Sirmond. *form.* 39. Plura eius rei exempla exſtant apud alios, ex quibus iam vnum adducere iuuabit ex Aimon. *Lib. IIII. cap.* 28. ex quo patet, Sadregiſili, Aquitaniae ducis, filios bonis paternis priuatos eſſe in communi Francorum conuentu, quod in perſequenda vindicandaque nece patris fuerint ignaui. Adde *Lib. IIII. cap.* 37.

§. CCLXII.

Digitized by Google

§. CCLXII.

An ſub Carolingis?

At ex altera demum regum ſtirpe Carolus M. et Ludouicus Pius caedem hominis, dolo malo factam, capitalem eſſe voluerunt, adeoque decretum illud Childeberti in vſum reuocarunt. Sic CAPITVLAR. *Lib. VI.* §. 1. inculcatur praeceptum diuinum: *Quicumque effuderit hominum ſanguinem, fundatur ſanguis illius.* Et *§. 5. edit. Lindenbr.* cauetur, vt *qui hominem percuſſerit, volens occidere, morte moriatur.* Item *§. 39.* vt, *qui ferro percuſſerit hominem, et mortuus fuerit, reus ſit homicidii, et ipſe moriatur.* Denique *Lib. VII.* §. 183. decretum vel decretio Childeberti, quam paullo ante adduximus, iiſdem paene verbis, repetitur. Quin *Lib. VII.* §. 152. et is pro homicida haberi iubetur, *qui hominem voluntarie occidere voluerit, et perpetrare non potuerit.* *

* Attamen et poſt hanc ſeueriorem legem licebat ſupplicium capitale effugere, et ſoluto *vveregildo*, reatu exire, ſi reus vel eius cognati, ſe in eccleſiam aliquam, tamquam in portum, recepiſſent. Apud EGINARDVM *epiſt.* 18. legimus, *duos ſeruos ſancti Martini fugiſſe ad limina beatorum Chriſti martyrum*, pro eo, quod frater *eorum quemdam ſocium ſuum occidiſſet, rogantes, vt eis liceret ſoluere vvergeldum pro fratre ſuo, et vt ei membra perdonentur.* Et ſimile exemplum exſtat apud eumdem *Epiſt. XXIII.* Quamuis enim homicidas in eccleſiis ſecuritatem reperire nollet Carolus M. CAPITVL. 779. et CAPITVL. *Lib. V.* §. 111. eoſque inedia cogi vellet, vt inde exirent: praeualuiſſe tamen benigniores leges et ſynodorum canones, luculenter demonſtrauit LVDOV. THOMASSIN. *de vet. et nou. eccl. diſcipl. Part. II. Lib. III. cap. 98. §. 9. ſequ.*

§. CCLXIII.

Quid de homicidio culpoſo ſanxerint?

Sed haec de homicidio tantum, quod dolo malo ab aliquo fuerat perpetratum, intelligenda ſunt. Si quis enim culpa interemerat hominem, extra ordinem puniebatur, et ſimul poenitentia, quam vocabant, eccleſiaſtica criminis labem eluere iubebatur. Poena extraordinaria exſilii ſtatuitur CAPITVL. *Lib. IIII.* §. 20. *edit. Lindenbr.* quem locum ego de homicidio culpa admiſſo intelligo: * *Quicumque hominem aut ex leui cauſſa, aut ſine cauſſa, interfecerit, vvirgildus eius his, ad quos ille pertinet, componatur. Ipſe vero propter talem praeſumtionem in exſilium mittatur, ad quantum tempus nobis placuerit: res tamen ſuas non amittat.* De diſciplina eccleſiaſtica, qua homicidas emendare conabantur, agunt CAPITVL. *Lib. VII. §. 295. et 297. Addit. IIII. Ludou. Pii* §. 59.

* Senſus eſſe videtur: Si quis, non iniuria alterius laceſſitus, nec impetu animi, aut vehementiore ira inſtinctus, hominem occiderit, ſed res ipſa doceat, eum vel leuem vel nullam plane cauſſam habuiſſe occidendi: merito praeſumendum eſſe, iſtum non dolo et conſilio, ſed vel culpa, vel caſu occidiſſe, ac proinde exſilii poenam, perſoluto wergeldo, ſufficere videri. Hoc modo niſi locum intellexeris, vix ab iniquitate abſolueris legiſlatores, qui hominem, ex vehementiore animi perturbatione et furore iracundiae ad caedem prouolantem, capitis damnarint, ei, qui nulla iniuria prouocatus alium percuſſerit, exſilium irrogarint. Quanto rectius ANTONIN. *εἰς ἑαυτόν*, *Lib. II. §. 10. Grauiora ſunt, quae per iram, quam quae per libidinem admittuntur. Nam qui iraſcitur, cum dolore quodam et contractione animi occulta a tramite rationis declinare videtur: qui per cupidinem delinquit, quia voluptate vincitur, intemperantior quodammodo, et in peccando effeminatior videtur.* Conf. PVFENDORFF. *de iur. nat. et gent. Lib. VIII. cap.* 3. §. 19.

CCLXIIII.

Quid de caſuali? Multo minus ergo homicidium, caſu admiſſum, capitale fuit ex regum Francorum capitularibus. Id quod vel exemplo moderaminis inculpatae tutelae luculenter poteſt probari. Quamuis enim et ob illud non modo *compoſitioni* et *faidae* locus eſſet: ad comitis tamen officium pertinebat, rem inter homicidam et offenſam familiam componere, cuius arbitrio ſi parere quis nollet, ei exſilium comminatur legiſlator, *vt comiti ſuo inobediens eſſe vlterius non audeat.* CAPITVL. *Lib. IIII. §.* 27. Ceterum et hoc caſu poenitentiam eccleſiaſticam homicidae imperabant canones, de qua eadem CAPITVLARIA *Lib. VII.* §. 295. *edit. Lindenbr.*

§. CCLXV.

Quid de veneficio? Proximum eſt, vt, quid de VENEFICIS Franci ſanxerint legibus ſuis, expendamus. Hic quoque illi antiquum obtinebant, et vitae venefici parcebant, ſiue malo veneno, ſiue incantationibus vſus eſſet, itemque ſiue mors fuiſſet ſequuta, ſiue viueret is, cui venenum fuerat propinatum. LEX RIPVAR. *tit.* 83. §. 1. *et* 2. *Si quis vir, ſeu qua mulier Ripuaria, per* VENENVM, *ſeu per aliquod* MALEFICIVM, *aliquem perdiderit, vveregeldum componat. Si autem mortuus non fuerit, et varietatem, ſeu debilitatem probabilem ex hoc in corpore habuerit,* 100. *ſol. culpabilis iudicetur, aut cum* 6. *iuret.* Similis eſt LEX SALICA, quae *tit.* 22. §. 1. eum, *qui alteri herbas dederit bibere, vt moreretur,* 8000. *denariis, ſeu ſol.* 200. *et ſi alter euaſerit, den.* 2500. *ſeu ſoli-*

Digitized by Google

ſolidis 62. *cum dimidio culpabilem iudicat.* At, gliſcente delicto, vel quod probabilius eſt, opinione de ſortilegorum artibus, poenam quoque grauiorem ſtatutam eſſe, probabile eſt. *

* Dici non poteſt, quam variae maleficorum artes inter Francos iactatae ſint, quas *ex ritu gentilium remanſiſſe*, recte ſuſpicatur LVDOVICVS PIVS *addit.* 2. *capitul.* §. 18. Sic LEX SALICA *tit.* 22. non modo malarum herbarum meminit, ſed et maleficii, quo efficitur, *vt mulier infantem habere non poſſit*, itemque *maleficii ſuperiactati*, et *ligaturarum*, quod quale fuerit, perſpicue expoſuit ECCARDVS p. 48. porro *tit.* 67. §. 1. *heroburgorum*, ſeu *ſtrioportiorum*, *qui aeneum portent*, *vbi ſtriae cocinent*, et §. 3. *ſtriarum*, *quae homines comedant.* Poſtremo et LVDOVICVS PIVS loco citato inuehitur in *magos*, *ariolos*, *ſortilegos*, *veneficos*, *diuinos*, *incantatores*, *ſomniorum coniectores*, *eos denique*, *qui ſe maleficiis ſuis aerem conturbare* [illegible] *grandines immittere*, *futura praedicere*, *fructus et lac auferre poſſe*, iactitent. Quare non mirum eſt, grauius viuicomburii ſupplicium paullatim inualuiſſe. Obſeruauit ſane ECCARDVS in codice MSC. Guelpherbytano legis Salicae legi: *ſol.* 200. *culpabilis iudicetur, aut certe ad ignem tradatur.* Solebant enim Franci veneficos et veneficas vel igne, vel aqua, ſuffocare. Prioris ſupplicii exemplum ipſe attulit ECCARDVS ex GREG. TVRON. *hiſt. Lib. V. cap.* 40. Poſterioris nos dabimus ex *vita Ludouici Pii* apud PITH. *annal. et hiſt. Franc. XII. ſcript. p.* 406. *Sed et Gerberga, filia quondam Wilhelmi, comitis, tamquam* VENEFICA, *aquis ſuffocata eſt.* Quibus gemina ſunt illa NITHARDI *de diſſenſ. filior. Ludouici Lib. I. p.* 440. *Gerbergam*, MORE MALEFICORVM, *in Ararim mergi praecepit.* Ipſum ſupplicium accuratius deſcribit THEGAN. *de geſt. Ludou. cap.* 53. *p.* 318. *Inſuper et ſanctimonialem feminam, quae erat ſoror ducis Bernardi, nomine Gerbrich, iuſſit in vaſe vinario claudere, et proiicere in flumen Ararim, de quo poeta canit:*

Aut Ararim Parthus bibat, aut Germania Tigrim:

ibi eam diu adfligens exſtinxit, iudicio impiorum conſiliariorum. Videtur ergo mitior illa poena, licet eam poſtea et CAROLVS M. *in capitulis ad omnes generaliter tit.* 25. apud ECCARD. *ibid. p.* 182. confirmaſſet, paullatim receſſiſſe ab vſu, eiuſque in locum ſupplicium vel cullei, vel viuicomburii, eſſe ſurrogatum.

§. CCLXVI.

Ac denique de incendiariis?

Mirum etiam videri poſſet, ne INCENDIARIOS quidem capitis adiiſſe periculum. Et tamen illis quoque non niſi poenam pecuniariam irrogat LEX SALICA *tit.* 19. §. 1. ſimulque damnum datum reſarciri iubet. §. 2. Quin et tunc leuiore illa poena tantum ſcelus expiari patitur, *ſi aliqui ibidem remanſerint*, id eſt, vti Germani loquimur, *vvann gleich einige dabey geblieben*, niſi quod incendiarius tunc, pro ſingulis perſonis, earum propinquis deberet *vvergeldum* 200. ſolidorum. IBID. §. 3. Nec ſeueriores hic erant Ripuarii, niſi quod triplo maior

erat hominis combuſti compoſitio, puta 600. ſolidorum. * LEX RIPVAR. *tit.* 17. §. 1. *et* 2.

* Quum alias nimiam veterum legum lenitatem corrigere ſoleant auctores capitularium: contra incendiarios, etiam qui per inuidiam et dolum aedes incenderint, nihil durius ſtatuunt, ſed ipſi quoque eos damnum reſarcire, mulctam ſexaginta ſolidorum inferre, quin et hominibus, qui euaſerint, ſecundum legem ſuam ſatisfacere, et poenitentiam ex praeſcripto ſacerdotum ſubire iubent. CAPITVL. *Lib. V.* §. 199. *edit. Lindenbr.* Attamen paullo poſt diſtinguere coepit Ludouicus Pius, dolone malo quis excitarit incendium, an per negligentiam, ſtatuitque, vt, *ſi quis malitiae ſtudio incendium miſerit, de hoc crimine conuictus poenis grauiſſimis interficiatur: ſin per negligentiam id fuerit factum, is damnum, quod cuicumque illatum fuerit, et res, quae inde perierunt, dupli ſatisfactione ſarciat.* IBID. *Lib. VII.* §. 264. Quae verba paene ex interpretamento PAVLLI *ſententiis recept. Lib. V. tit.* 3. §. 6. ſubiuncto exſcripta eſſe, res ipſa docet.

§. CCLXVII.

Baiuuariorum et Alamannorum leges de homicidio.

Neque ab hoc more maiorum deſciuerunt BAIVVARII. Toto enim *titulo* 3. qui de compoſitione liberorum hominum agit, et ſequentibus, quibus libertinorum ac ſeruorum compoſitio deſcribitur, ne vllus quidem caſus occurrit, qui capitalis ſit, ſed generatim ſancitur, vt, *ſi quis liberum hominem occiderit, is parentibus eius, ſi quos habeat, vel, ſi non habeat, duci, vel patrono, ſoluat ſolidos* 160. feminam vero pecunia *duplo maiore componat, quia haec armis ſe defendere nequiuerit.* Vnde ſtatim ſubiungitur exceptio: *Si autem* mulier *pugnare voluerit per audaciam cordis ſui, ſicut vir: non erit duplex compoſitio eius.* IBID. *cap.* 13. §. 1. *ſequ.* Qui peregrinum occiderat, ſiue *propter Deum*, ſiue *propter neceſſitatem* iter facientem, praeter 160. ſolidorum mulctam, fiſco inferendam, 100. *ſolidos auro adpreciatos* propinquis, vel, his deficientibus, fiſco debebat, ſimulque pauperibus elargiri ſtipem cogebatur. IBID. *cap.* 14. §. 2. *ſequ.* Ob libertum occiſum patrono 40. ob ſeruum domino 20. ſolidi perſoluendi erant. *tit.* 4. §. 11. et *tit.* 5. §. 18. Qualis fere eſt LEX etiam ALAMANNICA *tit.* 68. in eo quoque ſimilis Baiuuaricae, * quod ob feminam occiſam duplum eſſet inferendum.

* Et tamen apud WALAFRIDVM STRAB. *de vita et mirac. S. Galli Lib. II. cap.* 34. apud GOLDASTVM *Tom. I. ſcript. rer. Alam. part. II.* p. 171. legimus: *paet*-*peculum quemdam presbyterum propter homicidii reatum circulis ferreis tam in collo, quam in brachio vtroque, conſtrictum, grauibus quotidie ſuppliciis adfectum eſſe*

eſſe per ſulcos, quos ferrum carnibus eius infixerit. Sed haec caſtigatio fortaſſis magis ad poenitentiam eccleſiaſticam, quam ad poenam forenſem, pertinuit. Nam in HIST. EPISCOP. TVLLENS. quam nuper recuſam dedit CALMET dans l'hiſtoire de Loraine *Tomo I. in ad-pend. cap.* 21. *p.* 104. *ſequ.* ſimile quid narratur de presbytero et ſorore eius, qui parricidium admiſerant, ibique addit auctor: *Hoc crimine ſaepe dictus clericus ligatus interius a* SVO PONTIFICE, *poenitentiali ferro ligatur exterius, ac toto trunco corporis arctatur ſtrictis circulis. Porro ſoror conſentanea huic malo peſſimo, accepit duos in ſiniſtro brachio, vt poenitudine lamentabili ſatisfacerent inaudito ſceleri. Tunc ſimul pergunt Ieroſolymam, et in remedio frater depoſuit vitam corpoream.* Ex quibus ſane exemplis diſcimus, ſeueriores paene fuiſſe epiſcopos in homicidas, alioſque facinoroſos homines, quam ipſas leges, eiuſque diſciplinae rigorem magis fortaſſis homines a peccando abſterruiſſe, quam mulctam mediocrem, qua pleraque crimina tunc coercebantur.

§. CCLXVIII.

Nihil quoque ſingulare hae leges habent de VENEFICIO. Nam et hoc aeque, ac alia homicidia, mulcta expiari conſueuiſſe, vel ex eo colligas, quod et ii, qui ſagitta toxicata alicui ſanguinem fudiſſent, quod VNWAN vocabant, et qui potionem alicui mortiferam dediſſent, ſi homo euaſiſſet, nonniſi 12. ſolidis mulctarentur ex LEGE BAIVVAR. *tit.* 3. *cap.* 6. *et* 7. Sed et incendiarios eadem LEX BAIVVAR. *tit.* 9. *cap.* 1. 2. *ſequ.* damnum duntaxat reſarcire, et ſingulis hominibus, qui nudi euaſerint, *brevvunt*, (quae certa erat vulneris inflicti aeſtimatio) praeſtare, denique culmen domus 40. ſolidis componere iubet. Qualem poenam pro diuerſitate aedificiorum, * quibus flammas iniecerint, incendiariis minatur etiam LEX ALAMANN. *tit.* 81. §. 1. *ſequ.* De incendiariis.

* Suis nominibus, iiſque vere Germanicis, haec aedificia diſtinguit LEX ALAMANNICA. Domus ipſa enim, vel praetorium, vocatur *ſala*, (*ein ſaal*,) horreum *ſcuria* (*eine ſcheure*) vaporarium *ſtuba* (*eine ſtube*) granarium *ſpicarium* (*ein ſpeicher*.) Quodcumque horum flammis perierat, aedificiorum reſtituendum erat in priſtinam cauſſam, et praeterea ob *ſalam* ſoluendi ſolidi 40. ob *ſcuriam* intra praedium 12. ob *ſtubam*, ouile, vel porcaritiam domum 6. ob ſerui domum 12. ob *ſcuriam* 6. ob *ſpicarium* eiuſdem 3. ſeruo, et 6. domino. LEX ALAM. *ibid.*

§. CCLXVIIII.

Ex LEG. ANGL. et WERIN. *tit.* 1. §. 1. *ſequ.* *adalingus* 600. liber, vel ingenuus, 200. ſeruus 30. ſolidis erat componendus. Sin reus inficiaretur facinus, ille ob caedem nobilis Quid Anglii et Werini de ho-

vel

micidis veneficis et incendiariis ſanxerint?

vel ingenui aut ſingulari certamine ſe purgare, aut vna cum 12. teſtibus; ob ſerui caedem cum quinque iurare cogebatur. De VENEFICIO cauetur *tit.* 14. *vt, ſi mulier maritum veneficio dicatur occidiſſe, vel dolo malo ad occidendum prodidiſſe, proximus mulieris campo eam innocentem efficeret, aut, ſi campionem non habuerit, ipſa ad nouem vomeres ignitos examinanda mitteretur.* * Denique *tit.* 8. de INCENDIARIIS cauetur, vt, *qui alterius domum noctu incenderint, damnum triplo ſarciant, et in fredo* ſol. 60. *aut ſi negent, cum vndecim iurent, aut campo decernant.*

* Quae poena manſerit hanc veneficam, lege illa non exprimitur. Niſi exiſtimare velimus, medium eruendi veritatem ipſo delicto grauius placuiſſe Angliis, credendum eſſet, ſaltim veneficii et homicidii proditorii poenam fuiſſe capitalem. Sed quo minus ita ratiocinari liceat, efficiunt alia eius legis loca, vbi et ob incendii, homicidii ſimplicis, et furti ſuſpicionem, ad ſingulare certamen remittuntur rei, quum tamen haec delicta omnia pecunia luerentur. Vid. *tit.* 1. §. 3. *tit.* 7. §. 4. *tit.* 8. Quin *tit.* 15. generalis haec regula conſtituitur: *A duobus ſolidis vſque ad maximam compoſitionem, in furto et vulneribus, campus iudicat.* Cuius regulae ſenſus eſt, ob haec delicta, quae maiore quam duorum ſolidorum mulcta expientur, inficiantem reum ſingulari certamine ſe defendere debere.

§. CCLXX.

Quid Friſii de ſicariis?

FRISII quoque certa pecunia componebant homicidia; et quidem pro perſonarum conditione, quae vel occiderant, vel fuerant occiſae. Nobilis nobilem a ſe occiſum ſolidis 80. liberum 54. et vno denario; litum 27. ſol. minus vno denario componebat. Liber, qui nobilem occiderat, ſol. 80. qui liberum, 53. et vnum denarium, qui litum, 27. vno denario minus, ſoluere debebat. Denique litus, qui occiderat nobilem, ſolidos 80. qui liberum 53. et vnum denarium, qui litum, 27. vno denario minus componebat. Pro ſeruo occiſo tantum praeſtandum erat, in quantum in litem iuraſſet dominus. Magnae quoque huius iuris tricae erant in modo ſeſe purgandi, et numero conſacramentalium, quos vocabant. Ceterum mulctae bes occiſi heredi, triens propinquis, gradu propioribus, debebatur. * LEX FRIS. *tit.* 1. §. 1. *ſequ.*

* Haec omnia de homicidio culpoſo ac doloſo intelligenda ſunt, quippe quae lex illa non diſcernit. At quaedam ſingularia ſancit de homine in turba occiſo, *tit.* 14. de mordrito ſeu homicidio proditorio, *tit.* 20. de iis, qui impune occidi poſſunt *tit.* 5. de muliere occiſa *Addit.* *tit.* 7. vbi id nota-

Digitized by Google

notatu dignum, quod, quum femina occiſa eadem ſumma, ac maſculi, componi iubeatur, ea tamen non ob eaſdem cauſſas impune occidi poſſet, ob quas occidi poterat maſculus. IB. *tit.* 5. §. 2. Ceterum nullum omnino in tota illa lege homicidium occurrit, quod capitale habeatur, praeterquam ſi ſeruus dominum ſuum occidiſſet. De eo LEX illa *tit.* 20. §. 3. *Si ſeruus dominum ſuum interfecerit, tormentis interficiatur, ſimiliter et litus.*

§. CCLXXI.

Quid de incendiariis?

De VENEFICIS et SORTILEGIS nihil eſt, quod in hac LEGE occurrat. At *titulus* 5. iſtius legis *de brand*, id eſt, de INCENDIIS, talis eſt: *Si quis domum alterius incenderit, ipſam domum, et quidquid in ea concrematum eſt, in duplo componat.. Si autem dominum domus flammis ex ipſa domo egredi compulit, et egreſſum occidit, componat eum nouies, cuiuſcumque fuerit conditionis, ſiue nobilis, ſiue litus ſit. Haec conſtitutio ex edicto regio proceſſit. Trans Laubachi in fredam nouies componat vveregildum ſuum.* *

* Ceterum niſi hae compoſitiones, de quibus adhuc dictum, repraeſentarentur ab homicida: fas etiam apud Friſios erat cognatis, illum perſequi bello priuato, *donec, quomodo potuerit, eorum amicitiam adipiſceretur.* LEX FRIS. *tit.* 2. §. 2. Vnde et totus *tit.* 1. *additionum* agit *de pace faidoſi*, ſtatuitque, vt nuſquam ſecutus ſit *homo faidoſus, niſi in eccleſia, in domo ſua, ad eccleſiam eundo, de eccleſia redeundo; ad placitum eundo, de placito redeundo.* Quin et multis poſt ſaeculis priuatam illam vindictam ibi cognatis permiſſam fuiſſe, ex LEGE OBSTALB. *art.* 27. codice iuris Friſici recentiore, et Caroli IIII. Imp. diplomate, anno 1349. epiſcopo Traiectenſi conceſſo, probat SICCAMA *ad leg. Friſ. tit.* 2. §. 2. *p.* 32. *edit. Gaertn.*

§. CCLXXII.

Quae Saxonum ſanctiones de homicidiis?

Superſunt in Germania ciſrhenana SAXONES, qui eodem modo, ac Friſii, perſonas diſtinguebant, et pro nobili occiſo 840. ſol. pro *ruoda*, id eſt, ingenuo, vti interpretatur LEIBNIT. *in not. p.* 78. 120. ſol. et *interpraemium* eiuſdem quantitatis, vel, (vt HEROLDINA habet, 240. ſolidi) pro lito 120. ſol. pro ſeruo 36. ſolidi exigebantur. LEX SAX. *tit.* 2. §. 1. 3. 4. Femina virgo dupliciter, iam enixa ſimpliciter componebatur *. IBID. §. 2. Ne *mordritum* quidem vel homicidium proditorium capitale erat, ex lege Saxonum: (vid. *ibid.* §. 6.) quamuis ſupplicium ſumeretur ab iis, qui vel in ſacris aedibus repertum, vel ad eas die feſto euntem occiderant. IBID. §. 8. 9. At ex nouella conſtitutione Caroli M. quae *Capitulationis* nomine venit, et alia homicidia capitalia ſunt, veluti ſi quis epiſco-

pum, presbyterum, diaconum occiderit, §. 4. nec non ſi quis dominum dominamue, (*den gerichts-herren oder deſſen ehefrau*) interemerit. §. 12. Enimuero, ſummum illud ſupplicium perfugio tum ad eccleſiam, §. 2. tum ad regem, poterat euitari, quamuis poſteriore caſu exſilio coercitus pro mortuo haberetur. CAPITVLAR. SAX. §. 10. Ceterum et apud hanc gentem ius erat cognatis, homicidam eiuſque liberos, tamquam faidoſos, bello priuato perſequi, donec ſibi ſatisfeciſſent. IBID. §. 5. *et* 6.

* Ita et apud Alamannos, ceu ex eorum legis *tit.* 50. patet, femina clam occiſa octodecim, vir nouem tantum werigeldis componebatur. Eiuſque rei hanc rationem reddit SPELMANNVS, quod feminae, tamquam imbelles, defendere ſe non potuerint. Quod conuenit LEGI BAIVVAR. *tit.* 3. *cap.* 13. §. 1. Sed apud Saxones alia videtur huius diſcriminis ratio fuiſſe, quam acute peruidit V. A. GAERTNERVS *in not. ad hunc iuris Sax. locum p.* 27. Quum enim alioquin Saxones in IVR. PROV. *lib. III. art.* 45. duplo minus eſſe velint feminae, quam viri, wergeldum: *iegliches vveib hat ihres mannes halbe buſse vnd vvehrgeld*: vir laudatiſſimus legem Saxonum loqui cenſet de feminis innuptis, de iiſque ſtatui, vt virgo duplo, enixa, ſeu defloraṭa, ſimplici wergeldo componatur. Hinc pergit: *Dicitur autem femina, ſi virgo ſit, dupliciter componenda, cuius dupli rationem in eo conſiſtere autumo, quod filia in commercio erat, et a parentibus, vel eius tutore, ſponſo* 300. *ſolidis vendebatur: vt igitur pupilla virgine occiſa, lucrum, ex venditione ſperandum, ceſſans imputaretur eius compoſitioni. Et quum forte eo in pretio non eſſent, quae in caelibe vita partum erant enixae, quum teſte Tacito publicatae pudicitiae apud veteres Germanos nulla venia eſſet, adeo vt non forma, non aetate, non opibus, maritum inueniret: ſimplex compoſitio in illis ſufficere viſa eſt.* Haec laudatus GAERTNERVS, quibus ego plane ſubſcribo.

§. CCLXXIII.

De veneficio, vel ſortilegio.

VENEFICIVM quatenus pro ſortilegio accipitur, praetermittunt Saxonum leges, quia illud maiores eorum, deorum cultui dediti, non modo pro licito, verum etiam pro admiranda arte habuiſſe videntur. Argumentum eius rei habeo *indiculum ſuperſtitionum et paganiarum*, concilio Liptinenſi anni 1343. ſubiunctum, cum abrenunciatione, quam vocabant, in qua et haec legimus: *End forſachiſtu allum dioboles vvercum?* Reſp. *End ec forſacho allum diaboles vvercum vnd vvordum, thuna eren de vvoden end Saxnote, ende allem them vnholdum, ihe hira genotas ſint.* Inter ſuperſtitiones illas ſunt *phylacteria et ligaturae, incantationes, auguria vel auium, vel equorum, vel bouum ſternure, vel ſternutatione, diuini et ſortilegi, cerebrum animalium*,

et

et opinio, *quod feminae lunam commendent, quod poſſint corda hominum tollere iuxta paganos.* * MONIM. PADERB. *pag.* 308.

* In explicandis illis ſuperſtitionibus, earumque reliquiis hodiernis oſtendendis multum operae poſuerunt viri celeberrimi, GE. ECCARDVS, et HERM. AD. DE MEINDERS *de ſtatu religionis et reip. ſub Carolo M.* Sed quum haec non pertineant ad noſtri inſtituti rationem: illis nos merito hic non immoramur.

§. CCLXXIIII.

Id potius monere viſum eſt, CAROLVM M. in *capitulatione de partibus Saxon.* paullo ante laudata §. 5. ſtolidam hanc opinionem ex eorum animis euellere prudenter eſſe conatum, ac proinde ſtatuiſſe: *Si quis a diabolo deceptus, crediderit ſecundum morem paganorum, virum aliquem aut feminam ſtrigam eſſe, et homines comedere, et propter hoc ipſam incenderit, vel carnem eius ad comedendum dederit, capitis ſententia punietur.* At quum tamen ideo negari non poſſe videretur, eſſe quaſdam artes odioſas, atque occultas, quibus vel futura explorentur, vel aliis adferri poſſet detrimentum: non minus prudenter §. 22. conſtituit Carolus, *vt diuini et ſacrilegi eccleſiis et ſacerdotibus dentur.* * Narratiunculas de ſortilegiis credi vetuit Carolus M.

* Sunt profecto hae conſtitutiones Carolinae admiratione digniſſimae, quin ita comparatae, vt inſequentium temporum legiſlatores in ruborem quodammodo dare poſſint. Quum enim alii legiſlatores eos, qui tam nefanda daemonum ope perpetrent, feralibus flammis abſumi iubeant: Carolus iſtos capitis damnari iubet, qui, ea fieri poſſe, quae pagani olim iactarint, puta ſtriges, ſeu mulieres volatiles, reperiri, eas homines comedere, lunam caelo deuocare, cordaque ex humanis corporibus eximere poſſe, crediderint, ac proinde homines, quos vulgus eo nomine infamet, flammis tradere non dubitent. Quo ipſo firmatur ſententia, quam ſupra (§. 265. *) expoſuimus, quod poſt legem Salicam in coercendis ſortilegis inualuerit viuicomburii ſupplicium, idque quam maxime improbarit Carolus M. eo, quod indignum Chriſtiano videretur, daemoni ea attribuere, quae non niſi a Deo omnipotente fieri poſſent. Quae etiam patrum concilii ſiue Anquirenſis, ſiue Ancyrani, ſententia eſt, qui *can.* 12. *fin. cauſſ.* 26. *quaeſt.* 5. grauiter inuecti in hanc perſuaſionem: *Omnibus,* inquiunt, *publice annunciandum eſt, quod, qui talia et his ſimilia credit, fidem perdit, et, qui fidem rectam in domino non habet, hic non eſt eius, ſed illius, in quem credit, id eſt, diaboli. Nam de domino noſtro ſcriptum eſt: omnia per ipſum facta ſunt. Quiſquis ergo aliquid credit poſſe fieri, aut aliquam creaturam in melius aut deterius immutari, aut transformari in aliam ſpeciem, vel ſimilitudinem, niſi ab ipſo creatore, qui omnia fecit, et per quem omnia facta ſunt: procul dubio infidelis eſt, et pagano deterior.* Conferatur

 locus

locus inſignis AVGVSTINI *can.* 14. *cauſſ.* 26. *quaeſt.* 5. et AGOBARDI *libellus de grandine et tonitruis.* Ceterum ex loco illo capitulationis §. 5. non collegerim cum HERM. ADOLPH. DE MEINDERS, Saxones olim ſagarum ſemiuſtulatarum carnem voraſſe: (cui enim bono his epulis plus quam Thyeſteis nauſeam ſibi prouocaſſent?) ſed eos potius cadauer flammis peruſtum proieciſſe feris beſtiis et canibus, et hoc ipſum, tamquam inhumanum ac deteſtabile, prohibuiſſe Carolum.

§. CCLXXV.

Lex Saxonum de incendiariis.

INCENDIARIOS lex Saxonica maiore ſeueritate, quam vlla alia Germanica, perſequitur. Siquidem *tit.* 5. §. 2. generali lege ſancit, vt, *qui domum alterius vel noctu, vel interdiu, ſuo tantum conſilio volens incenderit, capite puniatur.* * Ex quo nobis iure colligere videmur, mitius actum eſſe cum illis, qui culpa tantum et negligentia ſua incendium excitarint, eoſque ad reſarciendum duntaxat damnum fuiſſe obſtrictos. Caſuale incendium an plane leges diſſimularint, non facile dixerim. At impune tamen incendi potuiſſe domum eius, *qui rebellis fuerit, et iuſtitiam facere noluerit, et aliter diſtrictus eſſe non potuerit,* patet ex CAPITVLARI SAX. §. 8.

* Incendia frequentiora facta arbitramur inter Saxones, ex quo Carolus M. Chriſtianam religionem inuitis inobtruſerat. Tunc enim ſaepe excitaſſe videntur incendia, vt iiſdem flammis perirent templa Chriſtianorum. Witichindum ſane, Saxonum ducem, omnes intra Friſiorum fines eccleſias combuſſiſſe, expuliſſe Dei famulos, et homines a Chriſtiana religione auertiſſe, teſtis eſt ALTFRID. *vit. S. Ludgeri Lib. I. cap.* 18. Et multo ante, anno 774. Saxones,

Quandam cupierunt tradere flammis
Eccleſiam, quam ſacrauit Bonifacius illis,
Martyr et antiſtes, Chriſto dilectus in aeuum.

POETA SAXO *ad ann.* 774. CHRONOGR. SAXO *ad ann.* 773. Porro anno 779. Saxones ad Rheni ac Moſellae confluentes:

Cunctas, quas poterant villas inuadere, flammis
Tradiderant, ipſis etiam non ira pepercit
Eccleſiis:

IDEM. *d. ann.* Hoc quum ſaepius auſi eſſent Saxones: demum Carolus M. in CAPITVLAT. *de part. Sax.* §. 2. ſtatuit, vt, *ſi quis eccleſiam per violentiam intrauerit, et in ea per vim vel furtum aliquid abſtulerit, vel ipſam eccleſiam igne cremauerit, is morte moriatur.* Quin ideo Carolum incendia omnia, dolo malo facta, capitalia eſſe voluiſſe, probabile eſt, vt metu poenae atrocioris, in eccleſias Chriſtianorum flammis deſinerent ſaeuire Saxones, adhuc male Chriſtiani, et patriae ſuperſtitionis tenaciſſimi.

§. CCLXXVI.

Digitized by Google

§. CCLXXVI.

Leges Langobardorum de homicidio.

Denique et de LANGOBARDORVM legibus quaedam addenda ſunt. Eae quoque vere Germanicae ſunt, tum quod cognatorum eſſet, necem cognatorum vlciſci, tum quod et ipſi, certa pecunia facinus expiari poſſe, exiſtimarent. Pertinent huc totus *Libri I. titulus* 9. itemque *tit.* 3. *et tit.* 11. in quibus omnibus certa compoſitio pecuniaria ab iis, qui vel occiderint hominem, vel conſilium eum occidendi ceperint, exigitur, pauciſſimis caſibus exceptis. Nam capitalis erat caedes domini, *d. tit.* 9. *§.* 2. itemque qualiſcumque in eccleſia facta, IBID. *§.* 29. *et* 35. denique caedes, a ſeruo regis patrata, quem lex ſuper tumulum occiſi ſuſpendi iubet. IBID. *§.* 15. Nihil vero admodum diſcriminis hanc legem ſtatuiſſe inter homicidia culpa et dolo perpetrata, vel ex eo patet, quod ne caſu quidem admiſſa plane extra poenam eſſe vellent. IBID. §. 17.

§. CCLXXVII.

De veneficio.

Iidem et VENEFICIVM, id eſt, veneni mali propinationem initio pecuniaria poena, vel compoſitione perſonae, coercebant, veneficumque, ſi intra conſilium crimen ſtetiſſet, 20. ſolidos; ſin iam alteri propinatum eſſet, venenum, ſed mortem homo euaſiſſet, dimidium pretium hominis; ſin mors ſequuta eſſet, integrum *vvergildum* praeſtare cogebant. LEX LANGOB. *Lib. I. tit.* 3. *§.* 4. 5. et *tit.* 9. *§.* 6. *et* 7. At Henricus Imp. poſtea ſanxit, vt *qui veneficio, ſeu quolibet modo furtiuae mortis, aliquem peremerit, aut conſentiens fuerit, mortis ſententiam incurreret, omniumque ſuarum rerum, mobilium et immobilium, facultatem amitteret, ita tamen, vt pretium* 10. *librarum auri pro legitimo vvidriglid propinquis parentibus peremti praemium daretur, reliqua rurſus medietas eius propinquis veniret, * altera autem medietas ad fiſcum accederet.* IBID. *tit.* 9. *§.* 39.

* Omnia haec ad propinquos perueniſſe ideo, quod occiſi necem vlciſci cogerentur, adeoque *faidae* nomine, cum ex *Lib. I. tit.* 9. §. 34. patet, tum ex §. 16. eiuidem tituli. Nam compoſitio ad occiſi tantum filios et propinquos, non ad filias, perueniebat, niſi quod, his deficientibus, illam cum fiſco diuiderent. Cuius rei legislator hanc reddit rationem: *Quia filiae eius, eo, quod femineo ſexu eſſe probantur, non poſſunt ipſam faidam leuare. Ideo proſpeximus, vt ipſam compoſitionem non recipiant.* Senſus enim eſt, filias, quia ſexu prohibeantur, quo minus defuncti

functi parentis mortem armis vindicent, nec compoſitionem, qua pax poſt bellum illud priuatum redimi ſoleat, accipere poſſe.

§. CCLXXVIII.

Quid de magis et ſortilegis ſenſerint.

At tanto minus in eos eaſque ſaeuiebant Langobardi, quos vulgus tamquam ſtriges vel ſagas infamabat. Tantum enim abeſt, vt in has vltorem gladium ſtrinxerint, vt eos potius, qui ſtolidam illam opinionem in vulgus ſpargerent, vel miſeros illos occidere non dubitarent, dignos poena iudicarint. En conſtitutionem Rotharis, Regis, *Lib. I. tit.* 11. §. 9. *Nullus praeſumat aldiam alienam aut ancillam, quaſi ſtrigam, quae dicitur* MASCA, * *occidere: quod Chriſtianis mentibus nullatenus eſt credendum, nec poſſibile eſt, vt hominem mulier viuum intrinſecus poſſit comedere. Si quis deinceps talem illicitam ac nefandam rem perpetrare praeſumſerit, ſi aldiam occiderit, componat pro ſtatu eius ſol.* 60. *et inſuper addat pro culpa ſol.* 100. *medium regi, et medium, cuius aldia fuerit.*

* MASCA eſt ipſum Gallicum *la maſque*, quod teſtibus LINDENBROGIO et DVFRESNIO ſubalpini homines etiamnum pro ſaga vel lemure vſurpant. Quidquid hominibus terriculamento erat, id laruam vocabant veteres, eoſque imitati ſunt Langobardi, qui ſuae voci *maſque* eamdem notionem ſubiecerunt.

§. CCLXXVIIII.

Leges eorum de incendiariis.

Denique, quod ad INCENDIARIOS attinet, permultum intererat ex LANGOBARDORVM ſententia, dolo malo ac deliberato animo aliquis incendium excitaſſet, an culpa tantum et negligentia. Priore caſu damnum omne triplo erat ſarciendum. LEX LANGOB. *Lib. I. tit.* 19. §. 1. 4. praeterquam ſi ſeruus ſiluam accendiſſet, qui praeter damni aeſtimationem, a domino inferendam, flagellis caeſus ignominiae cauſſa attondebatur. IBID. §. 27. Poſteriore damni dati iuſta tantum aeſtimatio erat praeſtanda. IBID. §. 2. *et* 3.

§. CCLXXX.

Homicidia ne medio quidem aeuo ad ſaeculum 12. capitalia.

Ita per gentium veterum paene omnium leges euntes pauciſſimas reperimus, quae homicidia, veneficia, atque incendia ſupplicio capitali digna iudicarint. Proximum itaque eſt, vt, quid exſtincta Carolidarum ſtirpe in Germania circa haec crimina iuſtum viſum ſit, diſpiciamus. Hic vero in vniuerſum obſeruamus,

Digitized by Google

ſeruamus, diutiſſime Germanos moribus patriis vixiſſe. Adduxit hanc in rem quaedam ex GOLDASTI *conſtitutionibus imperialibus* teſtimonia SCHILTERVS *Exerc. XXXXVIIII. §.* 117. ſed vereor ego, ne pleraque vel ſubleſtae fidei ſint, vel ad Germaniam non pertineant. At aliis exemplis diplomatibuſque minus ſuſpectis probari poteſt, a ſaeculo 10. ad 12. homicidium paene nuſquam capitale fuiſſe. *

* Anno 1023. Henricus II. Imp. in diplomate Laureshamenſi: *Si autem ibi occiditur, omnes, qui huius homicidii vel inuaſionis participes ſunt, cute et capillis perditis ſupradicta combuſtione* (id eſt, ſtigmate,) *ſequentur, ac werigeldum occiſi domino ſuo auctor homicidii perſoluat, et cum* PROXIMIS *eiuſdem interfecti* RECONCILIATIONEM *faciat.* CHRON. LAVRISH. apud FREHER. *ſcript. rer. Germ. Tom.* I. *pag.* 126. *edit. Struu.* Cui gemina eſt charta eiuſdem Henrici II. apud BROWER. *antiqu. Fuld. Lib. III. cap.* 15. aliaque Henrici III. anno 1056. ſcripta apud ZYLLES. *in defenſ. S. Maximini.* Addimus exemplum eiuſdem ſaeculi. Quum enim Rudolphus et Hermannus, fratres de Goſtelitze, Euerardum, eccleſiae Gozecenſis hominem, occidiſſent: metu palatini, eam caedem vindicaturi, *magnam partem praediorum et mancipiorum pro eo* monaſterio tradiderunt. CHRON. GOZEC. *pag.* 119. *edit. Maderi.* Similia exempla paſſim exſtant. Legum ſaeculi 12. eiuſdem generis exempla habes apud ill. a LVDEWIG. *reliqu. Tomo IIII. p.* 180. *et p.* 201.

§. CCLXXXI.

Equidem a ſaeculo ſaltim 12. vbique capitale eſſe coepiſſe homicidium, vel ex eo colligere poſſes, quod iura Saxonica et Sueuica, quorum paene per vniuerſam Germaniam vigebat auctoritas, capitis damnari iubent tum ſicarios improbos, (*die moerder*,) tum ſimplices homicidas. IVS PROV. SAX. *Lib. II. art.* 13. *Alle mörder ſol man radebrechen.* * - - *Die einen man ſchlagen vnd ſahen, den ſoll man allen die häupter abſchlagen.* Eadem fere repetuntur in IVRE PROV. SVEV. *cap.* 114. *All moerdaer, die ſol man all radbrechen. - - - - Wer ainen man tze tod ſlecht, oder in beraubet, den ſol man allen das haubt abſlahen.* Ita verba ſe habent in editione *Bergeriana*, *pag.* 200. *ſequ.* quae male in ſua expreſſit MEICHSNERVS. Immo capitale eſſe iuſſit non modo doloſum homicidium Wormatiae anno 1156. Fridericus Imp. apud illuſtr. LVDEWIG. *reliquiar. Tomo II. pag.* 193. verum etiam caſuale Hamelae anno 1335. Erneſtus, Dux Brunſu. IBID. *Tom. X. pag.* 29.

Leges Sax. et Sueuicae capitale illud eſſe volunt.

* Eius

* Eius ſupplicii a Fridrico Iſenbergenſi, qui Engelbertum, archiepiſcopum Colonienſem, interfecerat, anno 1226. ſumti, exemplum triſtiſſimum extitat apud ALBERIC. *ad d. ann. pag.* 519. LEVOLD A NORTHOV. *apud Meibom. pag.* 386. ALB. STAD. *ad d. ann. pag.* 304. Sed an ſupplicium illud fuerit legitimum, merito dubitat KRESS. *ad conſt. crim. Carolin. pag.* 397.

§. CCLXXXII.

Et tamen etiam poſtea non vbique capitis damnati homicidae.

Sed tantum abeſt, vt haec iura vbique in Germania valuerint, vt paſſim adhuc exſtent leges, ſtatuta, exempla, ex quibus patet, et pecuniaria poena, et tranſactione cum interfecti cognatis, multo poſt illa tempora paſſim adhuc expiari potuiſſe homicidia. Et anno quidem ſaeculi 14. decimo octauo homicidium Hermanni, Burggrauii de Golzin, trecentis et triginta ſexagenis expiatum legimus apud illuſtrem a LVDEWIG. *reliqu. Tom. I. pag.* 281. Eiuſdem ſaeculi anno viceſimo tertio latae ſunt in Friſia LEGES OBSTALBOMICAE, quarum §. 11. cautum, *vt quicunque laicum occiderit, in ſeptuplum iudicibus et heredibus condemnetur.* Conf. §. 27. Medio illo ſaeculo condita ſunt ſtatuta Francofurtana antiquiora, quae ex autographo edidit HENR. CHRIST. SENCKENB. *ſelect. iur. et hiſt. Tom. I.* quorum §. 8. *pag.* 6. legimus: *Wer eynen dotſchlag tut, vnd darum verzalt vvird, der en ſal nummer in die ſtadt kommen, er habe dann vore dem gerichte der ſtadt vnd den klagern gebuzſit, vn ſal nach der buzſe ein iar vzſe ſin. -- Wulde abir der cleger zu hart ſin, ſo ſul das an dem rade ſten.* *

* Similes leges et alibi viguiſſe illis temporibus, nouimus. Exſtat enim diploma Rudolphi I. Imp. Wormatienſibus datum anno 1284. quo, qui homicidium intra vrbem patrarunt, ſine ſpe veniae ex vrbe proſcribi iubentur. LVDEWIG. *reliqu. Tomo II. pag.* 240. Et SCHILTERVS *Exerc. XXXXVIIII.* §. 117. adduxit, locum ſtatuti Ilmenſis, oppidi Thuringiaci, ſcripti anno 1350. in quo haec de homicidio ſanctio occurrit: *Wer den andern zu todte ſchlet, der ſal geben zwei pfund an dy ſtadt, vnd ſal ein iahr rümen.* Et mox: *Wer auch dieſe vorgeſchrieben geſetze nichten hildet; vnde dawider thut mit bedachtem muthe, der ſal die buſſe zwifeldig trage, iegliche nach oeren geſetze, ane vmbe den todſchlagt, ſal man rümen eyn jahr, vnde die buſſe zweifeldig trage.* LEGES GOSL. *Lib. II. van vredebracke* §. 18. *ſequ. Wert en dotgeſchlagen, de en wiff heffi, vnde neyne kindere, vnd wil men dem man beteren mit gelde, dat gelt nimpt ſin wiff. Nimpt en frawe ene beterunge vmme ores mannes dotſchlach, vnde draget ſe en kint, dat ſchall de ſone holden.*

§. CCLXXXIII.

Immo ne inſequente quidem ſaeculo 15. quo iam vbique magna erat iuris Romani auctoritas, et de condendis legibus criminalibus ipſi Germani ſerio cogitare coeperant, mos ille priſtinus plane obſoleuerat. Tunc enim conditum in Dithmarſia ſtatutum, vt pro homicidio 100. marcae cognatis ſoluerentur. CHRON. LVNEB. apud LEIBNIT. *Tom. III. pag.* 213. Et Halae, vbi veluti ſupremum iuris Saxonici dicaſterium erat, initio adhuc ſaeculi 16. ſuper homicidio cum occiſi cognatis tranſigebatur, teſte OLEAR. *Halygraph. pag.* 220. qui hanc notitiam ex ipſis actis publicis vel diurnis ſenatus deſumſiſſe videtur. * Immo ne ſaeculo quidem 15. et 16.

* Verba eius, quum libellus hic inter ipſos Halenſes rarior eſſe coeperit, hic adſcribere operae pretium videtur: *In dieſem iahr (1504.) kam Claus Becker von Behſen für den gantzen rath zu Halle, berichtet, daſs er ſich mit Clauſen Hermann wegen des, daſs er ſeinen vater, Simon Hermann ermordet, verglichen, vnd bat, daſs es möchte ins raths-memorial geſchrieben werden. Der vertrag war dieſer: Clas Becker ſolte halten laſſen hundert vigilien, vnd ſo veil ſeelmeſſen mit vorbewuſt Simon Hermanns, ſoll das leibzeichen mit dreyſſig perſonen, derer jeder eine kerze von einem halben pfund wachs trug, zur erden beſtatten: ſoll ſelbſt, oder durch einen andern eine walfarth leiſten, ein ſteinern creuz drey ellen hoch ſetzen laſſen, ihm, Simon Hermann, achzig gülden rheiniſch ſtifften zu einem ſeelen-bad anzurichten, ſoll alle gerichts-vnkoſten abtragen. Iſt alſo die ganze ſache beygeleget worden.*

§. CCLXXXIIII.

INCENDIARII ob inſigne, quod reſpublica inde capiebat detrimentum, paullo citius capitale eſſe coepit. Id enim non modo IVS SAX. *Lib. II. art.* 13. et SVEV. *cap.* 114. rota vel gladio puniendum cenſent: *Mordbrenner, die ſoll man alle radbrechen. -- Die brennen ſonder mordbrand,* * *den ſoll man alle die heupter abſchlagen*: verum etiam multo poſt LEGES OBSTALBOMICAE §. 3. *Incendiarii nocturni concrementur, diurni vero damnum incendii taxatione praemiſſa in ſeptuplum recompenſent, et in poena viginti marcarum maneant iudicibus obligati.* Quin et VENEFICOS, *die mit zauberey vmbgeben, oder mit vergiſſtniſs,* viuos comburendos, cenſet IVS PROV. SAX. *ibid.* SVEV. *ibid.* Illis temporibus ſeuerius animaduerſum in incendiarios.

* Inter *brand* et *mordbrand* quid fuerit diſcriminis, non adeo expeditum eſt. IVS PROV. SVEV. *ibid.* §. 6. poſterius crimen ita definit: *Wer tags oder nachtz haimlichen prennet, er laugen, oder nicht, das haiſſet morprant.* Et ſane vocabulo *mord*, quod a vetere Cambro-Britannico *murnio*, occultare,

cultare, deriuat ECCARD. *ad leg. Sal. tit.* 16. §. 1. maxime conuenit haec definitio. At quis tunc erit incendiarius ſimplex? Quis enim eorum non interdiu vel noctu, quis non clam et remotis arbitris incendia excitat? Putarem *mordbrenner* dici, qui vel mercede conducti, vel ſuis ſtimulati furiis, flammis in vrbes et pagos graſſantur, idque facinus veluti artem exercent. Qua adſumta notione, facile a reliquis incendiariis diſcernuntur.

§. CCLXXXV.

Conſtitutio Carolina de homicidii poena.

Tale erat ius Germanorum, quum de legibus criminalibus accuratius ſcribendis conſilium caperent Maximilianus I. et Carolus V. Imperatores. Hi vero poenas veteres, pro delictorum grauitate paullo molliores et tantum non iniquas eſſe, rati, capitale eſſe voluerunt homicidium, ſi nulla eſſet ratio, quamobrem hoc ſupplicium remittendum videretur. Quin gladii poenam forcipibus candentibus vel tractione ad locum ſupplicii exaſperandam putarunt, ſi quis virum in eminentiore dignitate conſtitutum, dominum, coniugem vel conſanguineum occidiſſet. CONST. CRIM. *art.* 137. Cauſſae autem, ob quas gratiam ſupplicii fieri oportere ſtatuunt, ſunt moderamen inculpatae tutelae, *art.* 139. iuſta defenſio, qua tertius praeter voluntatem ſeſe defendentis periit: *art.* 145. caſus, ſi quis in re licita verſatus, alterum imprudens occidit, *art.* 146. vulnus minus lethale inflictum, *art.* 147. caedes in turba facta, cuius de auctore non conſtat; *art.* 148. ac denique defenſio exiſtimationis, pudicitiae, bonorum, cum facinoroſi interitu coniuncta. *art.* 150.

§. CCLXXXVI.

De veneficorum ſupplicio.

Seuerius in VENEFICOS animaduerti iubet Carolus V. Nam eos, qui artibus odioſis alicui nocuerunt, (*die den leuten durch zauberey ſchaden oder nachtheil zugefüget*,) comburi; qui iis artibus vſi, nemini nocuerint, arbitrarie pro ratione *μετριότητι* puniri iubet. *art.* 109. Qui quaeue veneno hominem interemit, maſculus rota contunditur, femina culleo inſuitur, alioue ſupplicio, (*oder in andere vvege nach gelegenheit*) adficitur, aliquando hae poenae etiam forcipibus candentibus, vel tractione ad locum ſupplicii, arbitrio iuriſperitorum, exaſperantur. *art.* 130.

§. CCLXXXVII.

De poena incendiariorum.

Denique et de INCENDIARIIS breuis admodum et abrupta exſtat lex Caroli V. *art.* 125: *Item die boſshaffitigen übervvundenen brenner ſollen mit dem feuer vom leben zum tod gericht vverden.*

Quae

Digitized by Google

Quae omnia ita comparata ſunt, vt dubitare non liceat, quin in his omnibus legiſlatori praecipue ob oculos fuerit ius Romanum. Nam et hoc homicidas vltore gladio perſequitur. §. 5. *Inſtit. de publ. iud. l. 3. C. de epiſc. aud.* incendiarios, vinctos et verberatos, viuos comburi iubet. *l. 10. D. ad L. Corn. de ſicar. l. 9. D. de incend. ruin. naufrag. l. 16. §. pen. l. 28. §. 12. D. de poen.* Veneficos quoque non quidem crurifragio, (quod ſupplicium Romani ignorabant,) ſed gladio *l. 28. §. 9. D. de poen.* aliquando et igne, plecti iubet. *l. 3. l. 5. l. 6. C. de maleſ. et math.*

§. CCLXXXVIII.

Hoc iure et hodie vtimur.

Et hac publica lege adeo paullatim immutata eſt criminalis Germanorum iuriſprudentia, vt nihil fere antiqui moris circa haec crimina ſuperſit, ſed ad conſtitutionis illius criminalis normam in vniuerſa fere Germania ſupplicium ab homicidis, veneficis, et incendiariis ſumatur, eoque minus ſicariorum vitae parcatur, quo magis opinio, quod huius poenae, iure diuino ſancitae, nulli mortalium, ne a principe quidem gratia fieri poſſit, altas paene vbique radices egit. Vid. Thomasii *diſſert. de iure adgrat. princ. in cauſſa homicid.*

§. CCLXXXVIIII.

Paucae veteris iuris patrii reliquiae.

Itaque actum ageremus, ſi concluſiones, quae ex illa Carolina Nemeſi promanant, operoſius hic accumulare vellemus. Fecerunt id omnes, qui vel ſanctionem Carolinam, vel ipſam iuriſprudentiam criminalem, commentationibus ſuis illuſtrarunt. Noſtrum eſt, vnicum, quod hic ſupereſt, iuris patrii veſtigium notare. Tale eſt, (1. quod in Saxonia omnibus caſibus, quibus homicidium non capitale eſt, ab homicida exigitur *vvergeldum* 24. florenorum ſeu 20. imperialium, vel, ſi femina periit, 10. imperialium. Carpz. *prax. crim. part. I. quaeſt. 34.* (2. quod et alibi, ſi forte homicidae gratia poenae capitalis fiat, heredibus ſolui ſoleat *die ſoeninge*, quae pecuniae ſumma, ſi difficiliores ſint heredes, iudicis arbitrio definiri ſolet. Sim van Leeuwen *cenſ. for. Part. I. Lib. V. cap. 33. §. 8.* (3. quod et aduerſus fugitiuum homicidam in Saxonia inſtruitur iudicium publicum, quod vocatur *der achts-proceſs*, de quo infra plura dicendi locus erit. Interim videri poſſunt Carpzovii *achts-proceſs*, et, quam commentario ſuo in conſtitutionem criminalem ſubiecit Kressius, *deſcriptio der haltung des lorchiſchen noth-rechts.*

TIT. XXVII.

DE PARRICIDIO, ET ALIIS HOMICIDIIS ATROCIORIBVS.

§. CCLXXXX.

Parricidium apud Germanos rarius.

SVnt quaedam atrociora homicidii genera, quae pleraeque gentes acriore poena digna iudicarunt, inter quae primum locum merito damus PARRICIDIO, quatenus id vocabulum proximorum cognatorum adfiniumque caedem ſignificat. Id crimen paullo rarius fuiſſe ſuſpicamur apud veteres Germanos, quum cauſſas pleraſque, quae apud Graecos Romanoſque homines ad tam abominandum ac deteſtabile facinus impulerunt, procul habuiſſe videantur. * Ipſe ſane TACITVM *de morib. Germ. cap.* 20. id innuere dixerim, dum de iis ſcripſit: *Quanto plus propinquorum, quo maior adfinium numerus, tanto gratior ſenectus, nec vlla orbitatis pretia.* Et *cap.* 19. multo preſſius: *Numerum liberorum finire, aut quemquam ex agnatis necare, flagitium habetur.*

* Ad parentes e medio tollendos magno liberis Romanorum incitamento fuit luxuria; ad reliquos cognatos interimendos vel orbitatis dulcedo, vel ſpes improba hereditate tanto citius potiundi. Hinc CICERO pro *Sex. Roſcio cap.* 14. *Patrem occidit Sex. Roſcius. Luxuries igitur hominem nimirum, et aeris alieni magnitudo, et indomitae animi cupiditates, ad hoc ſcelus impulerunt. De luxuria purgauit Erucius, quum dixit, hunc ne in conuiuio quidem vllo fere interfuiſſe, nihil autem vmquam debuit. Cupiditates porro quae poſſiunt eſſe in eo, qui ruri ſemper habitarit, et in agro colendo vixerit, quae vita maxime diſiuncta a cupiditate, et cum officio coniuncta?* Et SENECA *conſolat. ad Marc. cap.* 19. *orbitatem ſaepe manu feciſſe* Romanos, teſtatur, tantum vt multa ſecuritate, nullis periculis gratiam, honores, cuncta promta et obuia haberent. TAC. *annal. Lib. XV. cap.* 19. Nihil horum in Germanorum viuendi ratione habebat locum. Nulla ibi luxuria liberorum, *inter eadem* cum ſeruo *pecora, in eadem humo degentium*, quamdiu pars domus paternae eſſent. TACIT. *de morib. Germ. cap.* 20. Nullum aes alienum, quum ipſius pecuniae vſum ignorarent: nulla orbitatis pretia, vel hereditatum cupiditas, quum nullum ibi eſſet teſtamentum. Quid ergo impuliſſet homines in ſe frugales ad tam immane ſcelus perpetrandum?

§. CCLXXXXI.

Nec ta-

Vt tamen, qui ſuopte ingenio boni erant, et metu poenae a tanto

a tanto facinore deterrerentur, placuit, et legibus latis parentum cognatorumque et adfinium ſecuritati conſulere, maxime quum ii, qui extra Germaniam ſibi ſedes quaeſiuerant, mature animaduerterent, ſe cum Romanorum prouinciis et eorum vitia ſua feciſſe, aetatemque parentum, peiorem auis, ſe tuliſſe nequiores, mox daturos progeniem vitioſiorem. * men illud plane praeteruectae ſunt leges Germanicae.

* Iam ſupra ex CAPITVLAR. *addit.* 4. §. 160. obſeruauimus, Wiſigothos, Sueuos, Burgundiones, ſimulac in prouinciis Romanis nouas ſibi ſedes quaeſiuiſſent, non gradu, ſed praecipiti curſu, a virtute deſciuiſſe, ad vitia tranſcucurriſſe, quin ea apud exteros infamia ob mutatam priſtinam illam vitae rationem eſſe notatos, vt vulgo iactaretur, eas gentes ideo peſſum iuiſſe. (§. 170. *) Iam addimus, ea verba Ludouicum Pium deſumſiſſe ex S. BONIFACII *epiſtola ad Eshelbaldum, Merciorum regem*, ſimiliaque de mutata Oſtrogothorum vitae ratione iam olim obſeruaſſe HVG. GROTIVM *in proleg. ad hiſt. Goth. et Vand.*

§. CCLXXXII.

Iure WISIGOTHICO *Lib. VI. tit.* 5. §. 17. parricidae habebantur, qui patrem, matrem, fratrem, ſororem vel quemcumque propinquum aut adfinem *ἐκ προαιρέσεως*, vel dolo malo, occidere auſi fuerant. Iiſque lex non modo poenam talionis minatur, *vt eadem morte puniantur, qua ipſi alium punire praeſumſerint*, verum etiam amiſſionem bonorum, quae, ſi liberos non reliquerit parricida, vniuerſa; ſin liberos reliquerit, pro ſemiſſe ad occiſi heredes ſint peruentura. Si parricida ſe in eccleſiam receperit, lex eum quidem ſupplicio eximit, at propinquis tamen occiſi veluti noxae dari iubet, vt, ſalua tantum anima, quidquid de eo facere voluerint, habeant poteſtatem, bonis ſimul eodem modo ad propinquos deuoluendis. IBID. §. 18. Attamen et a parricidio excuſabat moderamen inculpatae tutelae, ſi quis *grauibus coactus iniuriis, aut, dum repugnaret, ipſeque propriam vitam tueretur, parricidium admiſiſſet.* * IBID. §. 19. Wiſigothis capitale erat parricidium.

* Nihil ſecundum hanc legem intereſt, *paterne ſuum, materue ſuam, an filius patrem, vel frater fratrem* aut propinquus *quemlibet propinquum* interemerit: adeoque aliter philoſophabantur Wiſigothi, ac olim PLATO *de legibus Lib. VIIII.* qui filio ne pro defenſione quidem ſua, ſi, ſe a parentibus interfectum iri, videat, lege vlla concedi putat, vt parentes, a quibus in lucem editus ſit, interimat, ſed omnia potius eum ſuſtinere debere cenſet, quam quidquam eiusmodi facere, et tamen fratrem, qui fratrem in ſe impetum facientem pro defenſione ſua occiderit, *καθαρὸν εἶναι, καθάπερ πολέμιον ἀποκτείναντα, quaſi hoſte peremto, purum eſſe*, contendit.

§. CCLXXXIII.

§. CCLXXXIII.

Quid de expoſitione infantum conſtituerint?

Ex quo ſequebatur, vt et INFANTVM EXPOSITIO Wiſigothis pro parricidio eſſet, ſi infans proiectus in locum ſolitarium, periiſſet. Et hinc procul dubio et illum dignum ſupplicio iudicarunt, qui ita in proprium ſanguinem ſaeuiiſſet. Quamuis enim ſingularis lex de eo crimine non exſtet: id tamen vel inde nobis recte colligere videmur, quod et ei, qui infantem expoſitum aluerit, patrem, qui expoſuerat, et eum redimere vel alium ſeruum pro filio dare non potuerit, ipſum in ſeruitutem addici iuberet. LEX WISIG. *Lib. IIII. tit.* 4. §. 1.

§. CCLXXXIIII.

Quid de partu abacto?

Quin et ABACTO PARTV parricidium admitti oportuit ex illo WISIGOTHORVM principio. Et hinc ſeuera ſatis lege ſanxerunt, vt *non ſolum operatrix huius criminis publica morte condemnetur, aut ſi iudex eam vitae reſeruare voluerit, omnis viſio oculorum exſtinguatur,** ſed et maritus, ſi eius iuſſu tam nefandum ſcelus admiſſum ſit, ſimili ſupplicio adficiatur. IBID. *Lib. VI. tit. 3. §.* 7. Ita noua lege cautum fuit a Chindaſwindo, Rege, quum antea obtinuiſſet, vt is tantum, qui mulieri praegnanti potionem huiuſmodi dediſſet, capitis damnaretur, vt ipſa mulier, quae potionem recepiſſet, ſi ancilla eſſet, ducenties flagris caederetur, ſin ingenua, dignitate perſonae priuata, alii, cui rex vellet, in ſeruitutem addiceretur. IBID. §. 1. 3.

* Neque hic legislator diſtinguit inter partum vitalem et non vitalem, quam diſtinctionem aliquibus et ipſi Romani obſeruaſſe videntur, dum mulieres alias temporali exſilio, alias ſummo ſupplicio adfici iuſſerunt *l. 4. D. de extr. cogn. l.* 38. §. 5. *D. de poen.* At ſi alius partum, inuita matre, occidiſſet, tunc vero ſimili paene diſtinctione vtebantur, et ingenuum, qui FORMATVM infantem, ſalua matre, excuſſerat, 150. eum, qui INFORMEM, centum ſolidis mulctabant, denique ſi ipſa mater cum partu periiſſet, ei ordinarium homicidii ſupplicium irrogabant. IBID. §. 2. Attamen et hic ingenuos ingenuaſque, ſeruoſque et ancillas, poenis diſtinxiſſe WISIGOTHOS, patet ex eiusdem *tituli* §. 3. 4. 5. 6.

§. CCLXXXV.

Francorum de his criminibus ſanctio.

Talis eſt lex WISIGOTHORVM. Quod enim ad leges BVRGVNDIONVM, et vtramque FRANCORVM legem attinet: eae et parricidii, et expoſitorum infantum crimen fere praetermittunt, non aliam procul dubio ob cauſſam, quam quod rarius huiuſmodi inhumanum facinus apud ſe contingere, animaduerterent, ac proinde tanto coercendo ſceleri ſufficere crederent poenam homici-

homicidii. Quin ne Carolingos quidem his legibus quidquam adſtruxiſſe legimus CAPITVLAR. *ſuis Lib. VI.* §. 71. *edit. Lindenbr.* quam quod canonice coerceri parricidas oporteat. Attamen de partu non quidem a matre, ſed a tertio quodam, vel vna cum matre, vel ſalua ea, interemto, agunt leges Francorum, tum SALICA *tit.* 28. §. 4. *ſequ.* tum RIPVARIORVM *tit.* 36. §. 10. et vtraque in delictum hoc non niſi certae compoſitionis pecuniariae poenam ſuo more ſtatuit. Quin et expoſitos infantes, et intra decem dies a nemine agnitos, iis, qui illos ſuſtulerint, cedere, et qui poſtea illos repetere velint, *eos, tamquam homicidas, eccleſiaſtica diſtrictione damnari* iubent CAPITVLAR. *Lib. VI.* §. 142.

§. CCLXXXXVI.

Nec non Baiuuariorum.

Sed et in BAIVVARIORVM lege nihil, quod ad parricidium infantumque expoſitionem pertineat, reperio. At ſi quis in cauſſa fuiſſet, vt abortum faceret mulier; pecuniaria quidem et hoc caſu poena erat, ſed id ſingulare dixeris, quod quotannis perſoluenda eſſet, et ad ſeptimam vſque generationem a patre in filium tranſmitteretur. LEX BAIVVAR. *tit.* 7. *cap.* 18. *et* 19. Cuius quidem ſingularis ac prope inuſitatae poenae hanc rationem IBID. *cap.* 20. reddi animaduertimus: *Propterea diuturnam iudicauerunt anteceſſores noſtri compoſitionem et iudices, poſtquam religio chriſtianitatis inoleuit in mundo, quia diuturnam, poſtquam incarnationem ſuſcepit anima, quamuis ad natiuitatis lucem minime perueniſſet, patitur poenam, quia ſine ſacramento regenerationis abortiuo modo tradita eſt ad inferos.* *

* Eſt haec ſententia rigidiſſima FVLGENTII RVSPENS. quam in *libro de fide ad Petrum*, qui ſub Auguſtini nomine circumfertur, dixit: *Firmiſſime tene, et nullatenus dubites, non ſolum homines, iam ratione vtentes, verum etiam paruulos, qui ſiue in vteris matrum viuere incipiunt, et ibi moriuntur, ſiue, cum de matribus nati, ſine ſacramento ſancti baptiſmatis, quod datum in nomine Patris et Filii, et Spiritus ſancti, de hoc ſaeculo tranſeunt,* IGNIS AETERNI *ſupplicio puniendos.* Quum ergo AVGVSTINVS huiusmodi infantes tantum ad viſionem Dei non peruenire putaret: hic eos plane flammis ſempiternis excruciari cenſuit. Quae doctrina terribilis quum poſtea fere omnibus placere, ac demum inter dogmata eccleſiae Romanae cooptari coeperit: non mirum eſt, ſi et Baiuuariis placuerit. Addi meretur FRID. VLR. CALIXTI *quaeſtionis, quid de eorum, qui ſine baptiſmo e viuis excedunt, ſalute ſtatuendum? ſolutio ad Guſtauum Adolphum de Schulenburg. Helmſt.* 1686.

§. CCLXXXXVII.

Et Alamannorum.

LEX ALAMANNICA *tit.* 40. et conatum, quod mireris, punit,

nit, et ita quidem, vt is, qui tam nefarium ceperit conſilium, poenitentiam ſecundum canones agere, et *bona eius coram omnibus parentibus infiſcari*, id eſt, non obſtantibus propinquis, publicari, iubeantur. Quomodo perpetratum parricidium puniuerint, ex hac lege vix intelligas. * Nec de expoſitione infantum vel abortu quidquam hac lege ſancitum eſſe reperias, niſi quod *tit.* 90. is, qui mulieri poculum huiuſmodi dedit, ſi ſexus embryonis iam diſcerni poſſit, maſculum 12. femellam 24. ſin nondum de eo liqueat, 15. ſolidos componere iubetur.

* Attamen Hepidannvs in *vita S. W.boradae cap.* 16. apud Goldast. *ſcripi. rer. Alam. Tom. I. pag.* 216. refert, quum moecha quaedam infantem, ex adulterio conceptum, ſimul ac eum eſſet enixa, in riuum proieciſſet, *plebem fidelium, contra tale nefas zelo iuſtitiae armatam, decreuiſſe, eam ad ſtipitem ligatam cute priuari.* Quod ſane non de excoriatione intelligendum, ſed vt ipſe Hepidannus explicat, de *verberibus* vel flagris, (*man wolte ihr haut und haar abſchlagen.*) Neque enim capitale fuiſſe hoc ſupplicium, vel inde patet, quod addit Hepidannvs, id quoque decretum eſſe, *vt circulum anni clauderet omnibus feſtiuis diebus paſſis crinibus, pedibusque nudis in atriis S. Magni ſtando, vt qui eius ſceleris conſcii contriſtabantur, illius poenitentiam videntes conſolarentur.*

§. CCLXXXXVIII.

Itemque Friſiorum.

Sed et Saxonvm aeque, ac Angliorvm et Werinorvm leges haec crimina plane praeteruehuntur. Contra Frisii ſingularem titulum, qui numero eſt vndeuiceſimus, habent de parricidiis, at qui hoc crimen leui admodum brachio attingit: *Si quis patrem ſuum occiderit, perdat hereditatem, quae ad eum pertinere debebat. Si quis fratrem ſuum occiderit, ſoluat eum proximo heredi, ſi filium aut filiam habuerit; aut, ſi neuter horum fuerit; ſoluat patri ſuo, vel matri ſuae, vel fratri, vel etiam ſorori ſuae: quod ſi nec vna de his perſonis fuerit, ſoluat eum ad partem regis.* * ibid. *§.* 1. *et* 2.

* Ceterum ſola amiſſione bonorum tantum crimen coercuiſſe Friſios, eo minus mirandum eſt, quo magis conſtat, multo poſt huius legis epocham, ſaeculo puta 11. eamdem adhuc poenam ſufficere viſam eſſe. Ita enim Henricus II. Imp. in legibus Francicis et Langobardicis additis *tit.* 3. §. 1. *et* 2. Quicumque *propter cupiditatem rerum patrem, aut matrem, aut fratres, aut ſorores, vel nepotem, aut aliquem ſuum propinquum, per ſe, aut per alium, interfecerit, hereditas interfecti ad alios ſuos legitimos heredes perueniat. Hereditas vero interfectoris in fiſcum redigatur. Ipſe vero, ordinante epiſcopo, publicae poenitentiae ſubdatur.*

§. CCLXXXXVIIII.

Liberos

Infantes exponere Friſiis licuiſſe, eo minus dubitamus, quo

quo certius conſtat, eos et abortum, et caedem infantum, impune fieri permiſiſſe. Sane *tit.* 5. qui ex inſtituto agit *de hominibus, qui ſine compoſitione occidi poſſunt*, in hunc numerum referri animaduertimus *infantem, ab vtero ſublatum, et enecatum a matre.* Vbi recte SICCAMA *pag.* 46. intelligit ſanguinolentum, et a matre adhuc rubentem, * quamuis eum vix exiſtimem rem acu tetigiſſe, dum, huiuſmodi infantes diis immolatos eſſe, ſuſpicatur.

ſanguinolentos occidere licebat apud Friſios.

* Rem omnem in clariſſima luce collocat locus inſignis, quem iam ipſe SICCAMA *pag.* 47. obſeruauit, ALFREDI *in vita Ludgeri cap.* 6. *pag.* 86. *edit. Leibn. Memorata Liafburch, quum nata eſſet, habebat auiam gentilem, matrem videlicet patris ſui, abrenunciantem omnino fidei catholicae. Quae non nominanda in furorem conuerſa, eo quod praenominata coniux filias tantum genuiſſet, et filium viuentem non haberet, miſit lictores, quo raperent eamdem filiam tunc natam de ſinu matris et necarent, priusquam lac ſugeret matris, quia ſic mos erat paganorum, vt, ſi filium aut filiam necare voluiſſent, abſque cibo terreno necarentur.* Hinc porro addit, ſeruatam eſſe puellam recens natam a muliere, quae ei clam lac in os ingeſſerit, eiusque reliquias lictoribus oſtenderit in puellae labiis. Ex eo ergo patet, impune occidi potuiſſe infantem, quamdiu nec vbera materna ſuxiſſet, nec aliud quidquam deguſtaſſet: quum contra, vbi ſemel aliquid comediſſet, non amplius impune eſſet tale parricidium.

§. CCC.

Denique et de LANGOBARDIS dicendum, qui paullo ſeueriores reliquis, non modo bonis parricidam priuabant, vel propinquis, vel, ſi hi deeſſent, fiſco adiudicandis, verum etiam vitam eius in poteſtate regis poſitam eſſe, volebant. LEX LANGOB. *Lib. I. tit.* 10. §. 1. *et* 2. Immo, ſi coniux de coniugis nece vel conſilium cepiſſit, vel alium percuſſorem ſubornaſſet, eum in poteſtate coniugis, cui ſtruxerat inſidias, eſſe iubebant, vt poſſet de eo eiusque rebus, quod lubuerit, facere. IBID. *Lib. I. tit.* 3. §. 6. Quae de abortu eae leges praecipiunt *Lib. I. tit.* 19. §. 25. ea magis ad eos, qui mulieri cauſſam abortus dederunt, quam ad ipſas matres, in viſcera ſua ſaeuientes, pertinent. Et hoc etiam caſu non capitalis eſt poena, ſed partim in pecunia, partim in flagris et verberibus, conſiſtit.

Langobardorum leges de parricidio, et abacto partu.

§. CCCI.

Itaque antiquiſſimis temporibus praeter Wiſigothos vix vllam gentem Germanicam a parricidis ſumſiſſe ſupplicium, animaduertimus, ſed pleriſque poenam pecuniariam vel confiſcationem bonorum vel flagellationem ſufficere viſam eſſe. Enimuero

Saxonibus et Sueuis poena legis

Pompeiae aequior viſa eſt.

quum haec ſatis lenis videretur pro criminis magnitudine, et ius Romanum paullatim magis magiſque in manibus Germanorum verſari coepiſſet: non mirum eſt, iis a ſaeculo 12. aequiorem viſam eſſe poenam legis Pompeiae. *l. 9. pr. D. ad Leg. Pomp. de parric.* Sane eius iam meminit gloſſa *iur. Sax. ad Lib. I. art. 14. num. 6.* quae et prolixe reddit rationem, cur quatuor animalia culleo ſimul inſuantur. Immo SPECVLATOR SVEVVS *cap.* 231. omiſſis quatuor illis animalibus, poenam cullei recepit, quam ita deſcribit: *Wer ſeinen gepornen maug,* (blutsfreund) *an ſchuld ertött, öffenlichen oder haimlichen, vber den ſol man richten alſo, man ſoll im machen ainen lidrein ſakch, vnd ſol in darinn verſenkchen in ainen wangk, der ſey rain, oder vnrain, vnd ſol in tieff ſenkchen, alſo, das im das haubt vnd aller ſein leib an dem grunt raich, man ſol in in dem waſſer laſſen ligen ainen halben tag, vnd iſt er dannoch nicht tott, ſo lazz man in lenger darinn ligen.* *

* At neutro loco mentio ſit virgarum ſanguinearum, ſed ſolius cullei. Ceterum vti gloſſator iuris Saxonici myſticam reddidit rationem, cur quatuor animalia culleo eidem inſuerint Romani: ita *Speculator Sueuus* oſtendit, cur poenam cullei aliis praeferendam exiſtimarint: *Das iſt dauon geſetzt, das ſein leichnam des nicht wert iſt, daſs weder menſch, noch ſunn, noch man, weder tag, noch nacht, ſeinen tod icht ſehen ſullen, vnd alſo ſoll er ſterben, vnd anders nicht.* Sed rem elegantius, vti ſolet, iam pridem expoſuit CICERO *pro Sex. Roſcio cap.* 25.

§. CCCII.

Infanticidii reae viuae defoſſae.

Quin et aliae poenae ſatis truculentae paullatim videntur inualuiſſe. Auctor enim eſt Carolus V. *Conſt. crim. art.* 131. morem inualuiſſe in Germania, vt feminae, quae infantem interemerint, viuae ſepelirentur, et palo transfigerentur. *Welche weiber ihre kinder, ſo das leben, oder gliedmaſs empfangen haben, heimlicher-boſshafftiger-williger weiſs ertödten, die werden gewöhnlich lebendig begraben, vnd gepfälet.* Nec falſum eſſe huius Carolinae auctorem, pluribus exemplis ac teſtimoniis demonſtrauit celeberrimus KRESS. *ad d. art.* §. 1. *not.* * 5. *p.* 365. *ſequ.* * Alia parricidia quomodo punita ſint, non aeque conſtat.

* Inter haec neſcio, an luculentiſſimum ſit, quod ex vetuſtis ſcabinorum Magdeb. ſententiis, iuri municipali Magdeburgico ſubiunctis, profert vir doctiſſimus, vbi fol. 150. de matre, quae infantem, quem viuum pepererat, occidiſſet, pronunciant: *Vnd alſo möchte ſie an ihrem leib vnd leben peinlich geſtrafft vnd gerechtfertiget, vnd alſo nach gebrauch vnd vbung hieſiger landen lebendig begraben werden.*

§. CCCIII.

§. CCCIII.

Sanctio Carolina de parricidis et infanticidis.

Enimuero et haec pleraque mutata ſunt conſtitutione criminali. Nam vti articulus 137. parricidium, (*einen fürgeſezten mord, ſo zwiſchen ehleuten, oder nahen geſipten freunden geſchicht,*) crurifragio, forcipibus candentibus vel tractione ad locum ſupplicii exaſperato, expiari iubet: ita, quod ad infanticidium attinet, *art.* 130. antiquo illi ſupplicio ſepulturae ſurrogauit poenam cullei, (*verzvveiffelung zu verhüten, mögen dieſelben vbelthäterin, in vvelchem gericht die bequemlichkeit des vvaſſers darzu vorhanden iſt, ertränckt vverden.*) Et tamen, ſi id crimen iterum vel ſaepius admiſſum ſit, etiam viuas ſepeliri, vel forcipibus candentibus excruciari tam improbas mulieres, permittit Imperator, at non niſi de collegiorum iuridicorum ſententia.

§. CCCIIII.

De expoſitione infantum.

De expoſitione infantum eadem CONSTIT. CRIM. *art.* 132. cautum eſt; *So ein vveib ihr kind, um daſs ſie des abkomme, von ihr legt, vnd das kind vvird gefunden, vnd ernehret, dieſelbige mutter ſoll, vvo ſie des vbervvunden vnd betreten vvird, nach gelegenheit der ſach vnd rath der verſtändigen geſtrafft vverden. Stürbe aber das kind von ſölchem hinlegen, ſo ſoll man die mutter nach gelegenheit des gefährlichen hinlegens an leib oder leben ſtraffen.*

§. CCCV.

De abactione partus.

Denique de ABORTV cauetur NEMESI CAROLINA *art.* 133. vt, qui vi feminae illata, vel propinata ei potione viuum foetum abegit, vel maſculum feminamue, dato huiuſmodi malo medicamento, ſterilem reddiderit, maſculus gladio feriatur, femina, etiam quae ſibi ipſa foetum abegerit, culleo inſuatur, alioue ſupplicio plectatur, vel ſi foetus abactus nondum vitalis fuerit, extra ordinem de iuriſperitorum ſententia puniatur. *

* Hanc diſtinctionem ex loco *Exodi XXI.* 22. 23. eiusque interprete AVGVSTINO *c.* 9. *cauſſ.* 32. *quaeſt.* 2. petitam eſſe, inter omnes conſtat. At non aeque expeditum eſt, an haec ſit illius loci ſententia. Nam Hebraeum אסון quo Moſes vtitur, non ſignificat *foetum formatum*, ſed *periculum, perniciem*: adeoque ſenſus eſt, ſi quis ita percuſſerit praegnantem, vt abortus ſequeretur, et mulier foetusue inde perierit, animam pro anima futuram: ſin neuter inde perierit, mulcta expiandum eſſe facinus. Sed iam ſeptuaginta interpretes illud אסון verterant *ἐξεικονισμένον*: vnde facile Latinus illud *formatum* ſuum fingere potuit.

§. CCCVI.

§. CCCVI.

Reliquiae quaedam iuris Germanici.

Et hoc iure hodie vtimur, ex quo vetuſtis poenis, quippe iuſto lenioribus, nemeſis Carolina derogauit. At ex medii aeui moribus id ſupereſt, quod (1. hodie nullibi extra Saxoniam culleo ſimul inſui ſolent ſimia, vipera, canis et gallus gallinaceus, **Beyer.** *ad conſt. crim. art.* 131. *poſ.* 12. (2. quod et multo poſt editam conſtitutionem criminalem alicubi mulieres viuae defodi ſolent, palo per pectus adacto, veluti IVRE DITHMARSICO, et moribus Sileſiae et Luſatiae, teſte **Kressio** *ad conſt. crim. art.* 131. §. 1. *not.* * 5. quamuis (3. ipſe obſeruet, Dithmarſos hodie, tranſmittentes acta, petere ſolere ſententiam, conſtitutioni criminali Carolinae conſentaneam. Quin nec id praetermittendum eſt, quum non vbique tanta ſit aquae copia, vt poena cullei commode poſſit exſequutioni mandari, eo caſu plerumque gladio matrem, infanticidii ream, feriri. *

* Neque id refragatur CONSTITVTIONI CAROLINAE, *art.* 131. quae culleo tunc demum illas inſui iubet, *wann im gericht die bequemlichkeit des waſſers dazu vorhanden iſt.* Enimuero huic capiti in terris Pruſſicis obrogatum eſt edicto potentiſſimi regis noſtri *de infanticidio*, conſtitutumque, vt abſciſſe feminis tam impiis ſupplicium cullei vel ſuffocationis in aqua infligatur.

TIT. XXVIII.

DE VARIIS FALSI CRIMINIBVS.

§. CCCVII.

Tranſitio ad crimen falſi.

QVantae ſibi laudi duxerint maiores noſtri, omnes alias gentes a ſe fide dictorumque conſtantia ſuperari, iam ſupra aliquoties obſeruauimus, vbi et oſtendimus, eos infamia notaſſe omnes, qui quid perfide ac fraudulenter egiſſent. (Lib. I. §. 397.) Quare eo minus dubitare licet, quin et ſemper acerrimis poenis dignos iudicarint falſarios, quamuis temporibus TACITI rara plerorumque criminum, quae lex Cornelia apud Romanos vindicabat, exſtitiſſe veſtigia videantur. *

* Sic ceſſabat procul dubio falſum teſtamentarium, quia nullum in Germania teſtamentum. Ceſſabat falſum inſtrumentorum, quia maxima pars hominum litteras ignorabat. Ceſſabat denique falſum numarium, quia numis Germani, praeter quam Rheno et Danubio propiores, non vtebantur. Attamen ſolliciti

liciti iam tum fuiſſe videntur hi Germani, ne numis adulterinis a Romanis et prouincialibus deciperentur. Eo enim pertinere arbitror locum TACITI *de morib. Germ. cap. 5. Proximi ob vſum commerciorum aurum et argentum in pretio habent, formaſque quasdam noſtrae pecuniae agnoſcunt, atque eligunt: pecuniam probant veterem, et diu notam. Serratos bigatoſque, argentum quoque magis, quam aurum, ſequuntur, nulla adfectione animi, ſed quia numerus argenteorum faciliori vſui eſt, promiſcua et vilia mercantibus.* Reliquis ergo numis Germani praetuliſſe videntur *bigatos*, id eſt, biga ſignatos, quorum formam propter antiquitatem, non adeo facile exprimebant falſarii, *ſerratos* autem, ſeu margine dentato circumdatos, propter integritatem, quum non circumcidi vel deminui poſſent, vt non falſum in oculos incurreret. De his numis bigatis et ſerratis conferri merentur, quae diſputant BERNEGGER. *ad Tacit. h. l. qu.* 19. SMET. *antiqu. Neomag. p.* 172. IOBERT. *notit. rei num. p.* 66. *et* 174.

§. CCCVIII.

Ex quo vero Germanicae gentes, maxime, quae in prouincias Romanas irruptionem fecerant, litterarum aeque, ac numorum, vſum aliquem habere coeperunt: primi WISIGOTHI de falſo inſtrumentorum et numorum quaedam paullo accuratius videntur ſanxiſſe. Exſtant ſane in eorum LEGE Lib. VII. bini tituli, quorum vnus, puta *quintus*, de falſo inſtrumentorum, alter, nempe *ſextus*, *de falſariis metallorum* agit, quamuis priore capite etiam de falſo teſtamentario et falſo nomine adſumto, variae ſanctiones occurrant.

Wiſigothi de falſo accuratius ſanxerunt.

§. CCCVIIII.

Et quidem quod ad inſtrumenta attinet, WISIGOTHI diſtinguunt, in principis praecepto, an priuata quadam ſcriptura falſum commiſſum ſit. Priore enim caſu falſarius, ſi honeſtioris eſſet conditionis, ſemiſſem bonorum ſuorum, a fiſco occupandum; ſin vilior perſona, manum, qua id crimen perpetrauerat, amittebat. §. 1. Poſteriore honeſtiori quarta pars bonorum eripiebatur, eiuſque tres partes illi, qui inde damnum fuerat paſſus, et quarta fiſco regio cedebat, vilior perſona laeſo in ſeruitutem addicebatur, vterque vero centenis coercebatur verberibus, IBID. §. 2. quin et infamia, vti ex §. 5. *et* 7. elucet, notabatur. *

Falſum inſtrumentorum et teſtamentarium quomodo apud eos punitum?

* Eadem poena manebat eos, qui falſum inſtrumentum recitauerant, ſuppoſuerant, in iudicio produxerant, quique verum ſuppreſſerant, ſubduxerant, ſuperant, diluerant, ſignum adulterinum ſculpſerant, vel impreſſerant, IBID. §. 2. qui teſtamentum contra viuentis voluntatem aperuerant, IBID. §. 4. qui teſtamentum celauerant, aut falſauerant. Hi lucrum, ſi quod inde ſperare potuiſſent, amittebant, et infamia notabantur, ſin nullum lucrum exſpectarent, tamquam falſarii plectebantur. IBID. §. 5. Quam poenam falſi nec is effugiebat, qui ſibi falſum nomen impoſuerat, in alienam familiam ſeſe ingeſſerat, parentes finxerat, ſimilique impoſtura alteri damnum intulerat. IBID. §. 6.

§. CCCX.

Quomodo crimen falſae monetae?

Nec mitius agebatur cum iis, qui vel falſam monetam cuderant, vel veros ſolidos adulterauerant, circumciderant, raſerant. * Seruus enim, huius criminis reus, dextra mutilabatur: ingenui honeſtioris bona pro parte dimidia publicabantur, vilior ei, cui regi placeret, in ſeruitutem addicebatur. Lex Wisigoth. *Lib. VII. tit. 6. §. 2.* Quumque intereſſe videretur reipublicae, hoc crimen coerceri: non modo indicibus praemia decernebantur, ſed et fas erat, ſeruos in caput domini dominaeue torquere. Quod ex iure Romano deſumſiſſe Wiſigothos, patet ex *l. 55. D. de iudic.*

* Qui alia metalla adulterauerant, i. e. aurum argentumue non ſignatum alterius metalli admixtione corruperant, quod aurifices nonnumquam faciebant, non minus, quam illi, qui de auro argentoque ſibi dato aliquid ſubtraxerant, tamquam fures coercebantur. ibid. §. 3. *et* 4. Ceterum quemadmodum non impune erat falſam monetam cudere, ita et is, qui veram ſibi oblatam accipere detrectabat, triplum eius numi, quem praeter ius et aequum reſpuerat, praeſtare tenebatur. ibid. §. 5.

§. CCCXI.

Quomodo falſum teſtimonium?

Eadem lex et falſum teſtimonium vindicat. Nam teſtem, qui alterum in quacumque cauſſa falſo teſtimonio oppreſſit, ſi ſoluendo eſt, in tantum condemnat, quantum damni alteri datum eſt: eum, qui tantum aeris praeſtare nequeat, illi, cui teſtimonio ſuo nocuit, in ſeruitutem addicit, vtrumque praeterea facultate dicendi iterum teſtimonium priuat; eum vero, qui teſtem huiuſmodi ſubornauit, centies flagris caeſum decaluari, et infamia notari iubet. * Lex Wisig. *Lib. II. tit.* 4. *§. 6.* 7. *et* 8.

* Itaque in hoc ſibi conſtat lex Wiſigothica; quod falſi poenam eſſe voluit vel publicationem bonorum, vel amputationem manus, vel decaluationem et fuſtigationem cum infamia. Eam vero poenam eſſe ex moribus Germanorum, et falſariis praecipue infligi a maioribus conſueuiſſe, et ſupra notauimus, (Lib. I. §. 383.) et infra fortaſſis ſuo loco plura eius rei exempla occurrent.

§. CCCXII.

Burgundionum de falſa moneta leges.

Burgundionum lex falſum teſtamentarium et inſtrumentorum praeteruehitur. De monetis vero, non quidem adulteratis, ſed falſis *addit.* 2. §. 6. ita cauet: *De monetis ſolidorum praecipimus cuſtodire, vt omne aurum, quodcumque penſauerit, accipiatur, praeter quatuor tantum monetas*, Valentiniani, Genavenses, *et* Gothivm, *qui a tempore Alarici regis adaerati ſunt, et* Ardaricanos.

CANOS. * *Quod ſi quiſcumque, praeter iſtas quatuor monetas, aurum penſatum non receperit, quod vendere volebat, non accepto pretio, perdat.*

* Solidi *Valentiniani*, ab Imperatore eius nominis dicti ſunt. Is enim anno circiter 367. nouam λογμεακὸν inſtituit, obſeruante DIONYS. PETAV. *ad Epiphan. pag.* 436. non pondere aureorum imminuto, ſed impoſititio valore aucto, vt exiſtimat GOTHOFREDVS *de mutat. et augmento mon. aur. pag. 7. ſequ.* Non mirum itaque, ſi ſolidos Valentiniani valore, quam pondere, maiores reſpuerunt Burgundiones. *Genauenſes* neſcio an a Geneua, Colonia Allobrogum, nomen habuerint. Poteſt ſane ibi officina monetaria fuiſſe ſub Gothorum imperio. *Gothinus* vel *Gothicus* procul dubio fuit ſolidus, a Gothis cuſus, ſed poſtea adaeratus, id eſt certo et iniquo valore aeſtimatus ſub Alarico. Adaerationem alias eſſe ſpecierum ad numos taxationem, pluribus oſtendunt LINDENBR. et H. VALES. *ad Ammian. Marcellin. Lib. XXXI. cap.* 14. *pag.* 498. Sed hic videtur augmentum valoris notare. Denique pro *Ardaricanus*, legendum Alaricianus putat CAR. DV FRESNE *in gloſſar. Lat. hac voce.* Sed hos numos potius ab *Ardarico*, Gepidarum rege, nomen tuliſſe, oſtendit HADR. VALES. *Hiſt. Franc. Tom. I. pag.* 408.

§. CCCXIII.

Nec non de falſo teſtimonio.

Exſtat in eadem lege *titulus* 80. *de teſtibus, falſa referentibus, et calumniatoribus:* ſed in quo ſingularis occurrit ſpecies. Agitur enim de eo, qui teſtimonium falſum perhibiturus, ad ſingulare certamen deſcendere non dubitauerat. Si enim is periiſſet, (quod diuino iudicio factum credebatur,) omnes teſtes, qui pro ea parte ſtabant, et ipſe, qui iis calumniandi auctor fuerat, in 300. ſolidos damnabantur, *ne multorum, male referentium, crimen crederetur vnius potuiſſe exitu expiari.* Vid. §. 2. *et* 3. Alioquin, ſi quis ſciens fugitiuo falſas litteras feciſſet, ſi ingenuus eſſet, manum amittebat, ſin ſeruus, fuſtibus praeterea trecenties caedebatur. IBID. *tit.* 6. §. 11.

§. CCCXIIII.

Francorum leges de falſis.

Vindicabat falſum teſtimonium etiam LEX SALICA *tit.* 50. §. 1. *ſequ.* ſed non niſi pecuniaria poena. Nam ſi quis falſum teſtimonium praebuiſſet, in ſol. 15. condemnabatur, tantumdemque et is, qui peierauerat, et ſinguli ipſius conſacramentales, ſi eorum tres fuerint, dare cogebantur: ſi enim plures vna cum alio iurauerant, ſinguli quinis ſolidis mulctabantur. Contra et is, qui alteri calumnioſe exprobrauerat falſum teſtimonium, 15. ſolidos dare damnatus erat. Add. *tit.* 32. §. 8. Seueriores erant RIPVARII, maxime in eos, qui inſtrumentum vel teſtamentum falſum in foro protuliſſent: nam tunc cancellarii pollex dexter praecidebatur, * niſi

niſi eum 50. ſolidis redimeret, et ſinguli teſtes, huius falſi participes, 15. ſolidis mulctabantur. LEX RIPVAR. *tit.* 59. §. 3. Similis ergo procul dubio apud Francos fuit eorum poena, qui falſa principum reſcripta protulerant: namque et hi vt falſarii puniri iubentur. CAPITVLAR. *Lib. VII.* §. 140. *edit. Lindenbrog.*

* Ex Francorum legibus non modo pollicem, verum ipſam manum, amittebant, qui monetam adulterauerant. Pertinet huc EDICTVM PISTENSE *cap.* 16. *et* 23. et CAPITVL. *Lib. IIII.* §. 33. *edit. Lindenbr. De falſa moneta iubemus, vt, qui eam percuſſiſſe comprobatus fuerit, manus ei amputetur, et qui hoc conſenſit; ſi liber eſt, 60 ſolidos componat, ſi ſeruus ſit, 60. ictus accipiat.* En denuo falſariorum poenam Germanicam, puta manus amputationem, quam iam a Wiſigothis, Burgundionibus et Francis receptam fuiſſe, animaduertimus.

§. CCCXV.

Nec non Saxonum et Friſiorum.

Reliquae leges gentium Germanicarum cis Rhenum fere nihil de falſi crimine ſanciunt, niſi quod pleraeque periuros manus amputatione plecti, aut id ſupplicium certa pecunia redimi iubent. LEX FRIS. *tit.* 10. et LEX SAX. *tit.* 2. §. 8. *et* 9. quamuis lex haec diſtinguat, ſciens quis peierauerit, an inſcius. Priore enim caſu capitali ſupplicio locus erat; poſteriore periurus manum certa pecunia redimere cogebatur. Et eas quidem leges maxime ad falſum teſtimonium pertinere, facile vnuſquiſque intelligit.

§. CCCXVI.

Langobardorum ſanctio de falſo inſtrumentorum.

Superſunt LANGOBARDI, accurati admodum in formulis concipiendis, * adeo, vt illum, qui chartam non ex formula ſcripſerat, *vvidrigildum* praeſtare cogerent. LEX LANGOB. *Lib. I. tit.* 29. §. 2. Multo maiore itaque poena digni videbantur, qui falſam chartam, vel quamlibet membranam, ſcripſiſſent, quos more maiorum et ipſi manus amputatione puniebant, IBID. §. 1. niſi, qui ſcripſerat, vna cum 12. ſacramentalibus iureiurando firmare poſſet, chartam non eſſe falſam. Ceterum in eo ſeuerior erat Langobardorum, quam reliquarum gentium Germanicarum, diſciplina, quod ne pecunia quidem redimi manum paterentur. IBID. *Lib. II. tit.* 55. §. 33.

* Docent hoc tot inſtrumenta Langobardica, quae apud VGHELLVM, MVRATORIVM, MABILLONIVM, BALVZIVM, FONTANINVM aliosque leguntur, quae plerumque rem iisdem verbis ac formulis exprimunt. Immo quum resp. litteraria adhuc iuſtum deſideraſſet formularum Langobardicarum ſyſtema, ſolique paene Franci, Romanique ſub illis viuentes, nec non Alamanni, talia habuiſſe crederentur, formulis *Marculfi*, *Bignonianis*, *Lindenbrogianis* et *Balu-*

et *Baluzianis* maximam partem ad Francorum; *Sirmondianis* et *Andegauenſibus* ad Romanorum in Gallia viuentium; *Alſaticis* denique et *Goldaſtinis* ad Alamannorum iurisprudentiam pertinentibus: primus vir doctiſſimus, LVD. ANT. MVRATORIVS, cum ſociis Palatinis hanc ſitim reſtinxit, editis de nouo legibus Langobardicis *Tomo I. ſcript. rer. Ital. part. 2.* et quidem ex duobus codicibus Mutinenſibus, in quibus leges illae non ſecundum ordinem argumentorum in certos titulos diſtributae, ſed ſecundum regum ſeriem digeſtae ſunt, ſuis ſingulae inſtructae prooemiis, quae in editionibus reliquis deſiderantur, et interiectis paſſim formulis, quibus prudentes in agendo, excipiendo, notitiisque actuum memoriae commendandis, vtebantur. Adde *Hiſtor. iur. ciuil. noſtram Lib. II. cap. 1. §. 27.*

§. CCCXVII.

De teſtimonio falſo et moneta adulterina.

De teſtimonio falſo non minus ſeuera erat Langobardorum ſanctio. Statuerat enim Ludouicus Pius, vt, ſi teſtimonia quorumdam ſibi inuicem contraria eſſent: ex teſtibus illis bini inter ſe committerentur, adhibito ſcuto fuſtibus certaturi, iſque, qui inferior illa pugna excederet, manu truncaretur, ceteri teſtes, qui falſum teſtimonium perhibuerint, manum redimere cogerentur. LEX LANGOB. *Lib. II. tit.* 51. §. 10. *et* 11. Monetam ſine iuſſu auctoritateque regum cudentes, vel cuſam adulterantes, eadem poena amputationis manus adficiebantur, ingenuis, quorum ope et conſilio id factum fuerit, in 60. ſolidos, ſeruis in totidem ictus, condemnatis. LEX LANGOB. *Lib. I. tit.* 28. §. 1. *et* 2.

§. CCCXVIII.

Quid ius Sax. ſtatuerit de crimine falſae monetae?

Sic veteribus gentibus Germanicis tantum non omnibus poenam falſi ordinariam fere vnam eamdemque placuiſſe, animaduertimus, puta manus amputationem. Iam vt ad inſequentia tempora progrediamur, ne poſt Carolingos quidem poena haec plane ab vſu receſſit. Nam et in IVRE SAX. PROV. *Lib. II. art.* 26. legimus: *Giebt der munzer einen falſchen pfennig aus, alſo, daſs er damit kauffen vvill, es gehet ihm an den hals. Wer ſein recht vervvürcket hat mit dieberey, oder mit raub, findet man vnter ihm viertehalb falſche pfennige, es gehet ihm an die hand, er möge ihr dann ſeinen gevvehren haben. Wer an ſeinen rechten vollkommen iſt, findet man bey ihm ein ſchilling falſcher pfennig, die pfennig hat er verlohren, vnd nicht mehr. Hat er ihr aber mehr, es gehet ihm an die hand, er möge ihr dann ſeinen gevvehren haben* *.

* Grauius ergo punitur monetarius, quam alius, penes quem numi adulte-

tini

rini reperiuntur. Rationem reddit GLOSSA: *Dem münzer mag ein falſcher pfennig darumb mehr ſchaden, als einem andern ein ſchilling, daſs er die münze bas kennen mag, als ein ander.* Deinde et ob leuiorem ſummam animaduerti obſeruamus in hominem infamem, et iam ob aliud crimen damnatum, quam in alium integrae famae, ex ea procul dubio ratione, quod aduerſus illum maior ac fortior militaret praeſumtio, nummos ab eo cuſos vel adulteratos eſſe. Sic ſaepe maiores noſtri praeſumtionibus etiam in delictis puniendis nimium tribuerunt, quum iure ciuili adeo non ſufficiant coniecturae et praeſumtiones, vt probationes luce meridiana clariores requirantur, quotiescumque de condemnando reo quaeritur.

§. CCCXVIIII.

Quid de falſis menſuris et ponderibus?

Eadem lex praetori pagano, (*dem Bauermeiſter*,) dat ius coercendi eos, qui falſis menſuris vel ponderibus vſi ſint. Ita enim IVS PROV. SAX. *Lib. II. art.* 13. *Daſſelbig gericht (des Bauermeiſters) gebet auch vber vnrechte maaſs, vber falſch gevvichte, vnd vber falſchen ſpeiſſe-kauff, ob man es vbervvunden vvird*: vbi quidem poena huius falſi non exprimitur: ſed, quum eodem articulo legamus, praetorem illum condemnare aliquem poſſe *zu haut vnd haar, oder mit dreyen ſchillingen zu löſsen*, addaturque: *diſs iſt das höchſte gericht, das der bauermeiſter hat:* facile patet, et poenam eius, qui falſis menſuris ponderibuſue vſus eſſet, non fuiſſe grauiorem *.

* Immo id ſatis luculenter demonſtrari poſſe videtur ex IVRE MVNIC. MAGDEB. *art.* 19. vbi diſerte poena fuſtigationis ſtatuitur, facultate tamen illam poenam redimendi reo conceſſa. En verba: *Ein burgemeiſter hat die gewalt, daſs er richten mag vber allerhand falſche maaſs vnd vnrechte wage, vnd vnrechten ſcheffel, vnd vber allerhand ſpeiſe-kauff, cet. vnd miſſthut einer wieder ihr geſetzt recht, der wettet darum haut vnd haar, oder eine windiſche marck, das ſind 30. ſchilling, ſolches damit zu löſſen.*

§. CCCXX.

Iuris Sueuici ſanctio de falſo inſtrumentorum.

Poenam illam falſi ordinariam, omnibus fere gentibus Germanicis receptam, retinuit etiam SPECVLATOR SVEVVS *cap.* 384. vbi de falſo inſtrumentorum ita ſancit: *Welcher ſchreiber ein ley iſt, der falſch handſeſte ſchreibet, vvird ers vberzeugt ſelb dritt, daſs er vviſſt, das es falſch vvaſs, das er ſchrieb, da ſoll man ihm die hand vmb abſchlaben. Vnd iſt er ein pfaff,* * *man ſoll ihn dem biſchoff darum vberantvvorten, vnd ſoll ihm der ſein pfäfflich ehr nehmen. Wo ihn darnach der vveltlich richter begreifft, der ſoll vber ihn richten als vber ein vveltlichen, er ſoll ihm die hand abſchlaben heiſſen.*

* Exem-

* Exempla monachorum, qui non modo priuatorum, verum etiam ipſa principum diplomata ſigillaque refingere non dubitarunt, extant quamplurima, inter quae neſcio, an primus fere locus debeatur illi falſario, cuius meminit apud PETR. DE VINEIS *Lib. V. Epiſt.* 22. Fridricus II. Imperator: *Nuper in regno noſtro quidam circumvagus inuentus eſt monachus, qui falſas ſigilli noſtri formas adulterans, non abſque honoris noſtri iniuria et ſuae honeſtatis infamia diſcurrebat.* Addit ſub finem: *Falſarium monachum, vt culpas ſuas diſtrictius doleat, quibus laſciuus ſe ingeſſit, carceris noſtri compedibus iuſſimus detineri.* Addi huic poſſunt exempla alia haud paullo antiquiora, veluti Raganfridi, diaconi eccleſiae Rhemenſis, apud BALVZ. *Capitular. Tomo II. pag.* 52. aliorumque apud BARON. *annal. eccleſ. ad ann.* 1051. BERNARD. *Epiſt.* 284. *et* 298. et c. 3. *X. de crimine falſi.*

§. CCCXXI.

De crimine falſae monetae, falſae menſurae, et falſorum ponderum.

Adulteratores monetae non mitius tractari iubet IVS PROV. SVEV. *cap.* 385. *Giebt der münzer einen falſchen pfenning aus, alſo, das er damit icht kauffen vvill, oder damit gelten vvill, vnd iſt ihr zvvölff oder mehr, es geht ihm an die hand, er hab ihr dann ſeinen ſchub, vnd dennoch muſs er ſchvveren, daſs er nicht vviſse, daſs ſie falſch vvaren. Vnd iſt ihr ein halb pfund, oder mehr, es geht ihm an den hals. Iſt er aber derſelben vnthat ehe bevähret oder vberzeuget vor gericht, ſo ſoll man ſeinen eyd nicht nemmen, man ſoll ihn dreymal fürtheiden, das heiſs eiſen zu tragen, auf bloſſer hand, oder in einen vvallenden keſſel zu greiffen bis an den ellenbogen, oder die vvaſſer-vrtheil. Gerichter er nicht mit der einen, man ſoll ihm die hand abſchlahen.* Plura huius generis et in ſequentibus occurrunt, quae ideo praetermittimus, quod vel illa, quae iam adduximus, ſatis ſuperque docent, Sueuis quoque poenam huius falſi non aliam, quam amputationem manus, fuiſſe. De falſis menſuris et ponderibus eadem hic repeti videas, *cap.* 114. quae iam ſupra ex iure Saxonico attulimus.

§. CCCXXII.

Etiam iure ſtatutario variarum ciuitatum manus amputatione falſum coercebatur.

Nec legibus tantum his communibus poena illa ſtabilitur, verum etiam plurium ciuitatum ſtatutis. Vt id vno exemplo firmemus, *anno* 1219. Fridricus II. Imp. Goſlarienſibus egregio diplomate, quod edidit frater ὁ μακαρίτης *Antiqu. Goſl. Lib. II. p.* 218. *ſequ.* iura vetera municipalia confirmauit. In eo plura de falſis numis cauentur. Mercator enim vel ciuis, penes quem tales reperti fuerant, auctorem, a quo eos acceperat, nominare tenebatur, et iurare, ſe falſos illos eſſe ignoraſſe: quo facto numos inciſos recipiebat. Si iterum, tertiumque id contingeret:

eadem

eadem lex ſeruabatur. Quartum deprehenſus, falſi reus erat. Paullo durior eſt, quae in monetarios ſtatuitur poena. Monetarius, niſi auctorem nominaret, falſi reus erat, manumque amittebat, aut, *ſi gratiam apud iudicem inueniret, auro argento vel cupro, ſeu quocumque cenſu, manum redimere poterat*, quamuis et eo caſu infamia notaretur. Eadem verbis paene iiſdem repetuntur in STATVT. GOSLAR. *Lib. II. tit. van vreedebrak §. 56. ſequ.*

§. CCCXXIII.

Cur haec poena pleriſque placuerit?

Vere ergo haec poena ex eo genere eſſe videtur, cuius in partis prioris praefatione mentionem fecimus. Solebant enim veteres ei corporis parti, qua quiſque crimen admiſerat, poenam infligere. * CVIAC. *obſ. Lib. VII. cap.* 13. MENAG. *amoenit. iur. cap.* 32. *pag.* 191. Nam et de Aegyptiis auctor eſt DIOD. SIC. *Lib. I.* eos adulteratoribus monetae, noua pondera ſubſtituentibus, ſigilla transſculpentibus, ſcribis etiam, falſas tabulas concinnantibus, vel ementitas obtrudentibus ſyngraphas, vtramque manum praecidi iuſſiſſe, ὅπως ἕκαστος, οἷς μέρεσι τοῦ σώματος παρηνόμησεν, εἰς ταῦτα κολαζόμενος, αὐτὸς μὲν μέχρι τελευτῆς ἀνίατον ἔχῃ τὴν συμφορὰν, τοὺς δ᾽ ἄλλους διὰ τῆς ἰδίας τιμωρίας νουθετῶν ἀποτρέψῃ τῶν ὁμοίων τι πράττειν, *vt, qua quiſque corporis parte in legem peccaſſet, hac ad mortem vſque irreparabili cum damno et ipſe culpam lueret, et alios, poena hac ſua commonefactos, ab eo genere facinoris deterreret.*

* Nam ex eadem ratione et furibus, maxime caſtrenſibus, eadem poena irrogabatur, vt manus, quibus furtum commiſerant, abſcinderentur. OTTO DE S. BLASIO *cap.* 40. *apud Vrſtiſ. Lib. I. pag.* 219. *Imperator autem non minore induſtria compoſito exercitu militari diſciplina, omnique praeſumtione Teutonica prorſus interdicta, contemtoribus mutilationem manus interminatus, omni armorum ſplendore rutilantem militiam exhibuit.* Sed et militibus, qui quem iniuria vulnerauerint, eamdem poenam interminatur Fridricus I. Imp. in legibus caſtrenſibus apud RADEVIC. *de geſt. Frid. I. Imp. Lib. I. cap.* 26.

§. CCCXXIIII.

Conſtitutionis criminalis ſanctio de falſo inſtrumentorum.

Enimuero et hoc ius patrium plane exoleuit, ex quo Carolus V. ordinum imperii ſuffragiis iuriſprudentiae patriae obrogauit condita conſtitutione criminali. Eius enim *art.* 112. cautum eſt: *Welche falſch ſiegel, brief, inſtrument, vrbar, renth- oder zinſz-bücher, oder regiſter machen, die ſollen an leib, oder leben,*

leben, nachdem fälſchung viel oder vvenig, boſshaffiig vnd ſchädlich geſchicht, nach rath der verſtändigen, oder ſonſt als zu end dieſer ordnung vermeldet, peinlich geſtrafft vverden. Ex qua lege falſum inſtrumentorum modo mulcta pecuniaria, modo relegatione, modo ictu fuſtium, coerceri animaduertimus. At vltimum ſupplicium vnquam ob hoc delictum decretum eſſe, vix conſtat, nec eius rei exempla vſquam obuia eſſe, iam ab aliis recte eſt obſeruatum. KRESS. *ad d. art. §. 10. not.* * 3. *pag.* 284.

§. CCCXXV.

Similis fere eſt ſanctio de iis, qui falſis menſuris, ponderibus, vlnis vtuntur, vel materiam medicam, aromata, aliaſque merces vitiant, quae exſtat *articulo* 113. De iis enim praecipitur, *daſs ſie ſollen zu peinlicher ſtraffe angenommen, ihnen das land verboten, oder an ihrem leib, als mit ruthen auſgehauen, oder dergleichen, nach gelegenheit vnd geſtalt der vberfahrung geſtrafft vverden.* Quin ſi huiuſmodi falſum ſaepius commiſſum, vel cum maximo dolo et damno coniunctum ſit: ſupplicio capitali de conſilio iuriſperitorum locum eſſe voluit legislator: quamuis denuo eius rei exemplum deſideret KRESS. *ad d. art.* §. 11. *not.* * 3. *pag.* 285. *ſequ.* * De falſis menſuris et ponderibus, mercibus.

* Neque tamen dubitem, caſum reperiri poſſe, ſi quis materiam medicam, immo et vina vel cereuiſias, dolo malo ita vitiarit, vt ex eorum vſu mortem ſequi oporteat. Sed hoc falſum tunc ſimul in veneficii crimen incidit. Vid. KRESS. *ad art.* 130. §. 5. *pag.* 360. *ſequ.*

§. CCCXXVI.

Nec iis, qui falſo teſtimonio ſuo innocentem oppreſſerunt, pepercit Carolina nemeſis, quippe quibus *art.* 68. poenam talionis interminatur: *Wo zeugen erfunden, oder übervvunden vverden, die durch boſſhaſſtige zeugſchafft iemand zu peinlicher ſtraff vnſchuldiglichen bringen, oder zu bringen vnterſtünden: Die haben die ſtraf vervvirckt, in vvelche ſie den vnſchuldigen, als obſtehet, haben bringen vvollen.* Sed haec quidem ſanctio tum demum, ſi quis in cauſſa criminali alterum ſuo teſtimonio oppreſſerit, vel conſilium opprimendi ceperit, locum habet. Alioquin quoduis periurium a teſte in foro admiſſum amputatione digitorum et infamia expiari, et damnum omne ſimul alteri reſtitui, vel lucrum reddi iubet *articulus eiuſdem conſtitutionis* 107. De falſo teſtimonio.

§. CCCXXVII.

De falſa moneta.

Sed omnium atrociſſima eſt poena, qua falſae monetae crimen perſequitur haec conſtitutio *art.* III. Igne enim cremari iubet eos, qui e viliore metallo, quam publica lege receptum eſt, monetam cudunt, ſignant, permutant, expendunt dolo malo et in aliorum detrimentum. Ii, qui numos circumcidunt, eiſque iuſtum pondus detrahunt, vel quum iure monetandi non gaudeant, monetam tamen cudunt, nec non, qui aliorum monetam probam in numos deteriores reflant, *die ſollen gefänglich eingeleget, vnd nach rath an leib oder gut nach geſtalt der ſachen beſtrafft vverden.* Si id conſentiente principe vel magiſtratu factum ſit: hic iure illo cudendi monetas priuandus dicitur. Denique et domum illam publicari iubet Imperator, quam quis huiuſmodi falſariis praebuit.

§. CCCXXVIII.

An quaedam ſuperſint iuris patrii reliquiae?

Itaque ne hic quidem quiſquam exſpectare a nobis poterit, vt vllas iuris patrii reliquias colligamus. Nihil enim fere huius generis reliqui nobis fecit Carolina Nemeſis, quamuis ne haec quidem per omnia in foris Germaniae obſeruetur. Id vnum fortaſſis ex iure patrio, tamquam ex fonte, deriues, quod periuri teſtes abſciſſione digitorum delictum luunt. Eam enim poenam quodammodo ſimilem eſſe arbitramur illi, quam LEX RIPVARIORVM *tit.* 59. §. 3. falſariis interminatur. Et ipſe imperator id ex moribus antiquis supereſſe fatetur CONST. CRIM. *art.* 107. dum ibi ſcribit: *Vnd nachdem im heiligen reich ein gemeiner gebrauch iſt, ſolchen falſch ſchvverern die zvvey finger, damit ſie geſchvvoren,* * *abzuhauen, dieſelbe gemeine gevvöhnliche leibſtraff vvollen vvir auch nicht ändern.*

* Neque obſtat, legem RIPVARIORVM pollicem tantum, mores autem patrios binos digitos, quos iurans erexerit, abſcindi iubere. Eam enim mutationem facile perſuadere Germanis potuit iuriſiurandi religio, quod iis digitis ſanctorum reliquias aut ſacroſancta euangelia tetigiſſent. Nec quemquam turbabit, quod lex illa vetus ad falſum inſtrumentorum; poena illa patria ad poenam periurorum teſtium pertineat. Eamdem enim fere poenam, puta amputationem vel manus vel digiti, in omnibus propemodum falſis obtinuiſſe, ea, quae ſupra ex vetuſtis Germanicarum gentium legibus excerpſimus, ſatis, vt opinor, euincunt.

TIT. XXVIIII.

DE RELIQVIS CRIMINIBVS, QVAE GERMANORVM LEGES VINDICANT.

§. CCCXXVIIII.

Tranſitio ad reliqua crimina.

IVriſprudentia Romana et in aliis criminibus, tum ordinariis, tum extraordinariis, valde occupata eſt. Vt enim iam de his nihil dicamus: vtramque paginam in libris terribilibus faciunt crimina REPETVNDARVM, ANNONAE, PECVLATVS, RESIDVI, AMBITVS et PLAGII, quae fere praeteruehuntur leges Germanorum. Licebit itaque de reliquis criminibus, quae illae perſequuntur, ſub finem huius libri, veluti per lancem ſaturam, agere, et, ſi quae ſuperſint iuris patrii reliquiae, (ſuperſunt autem pauciſſimae,) illas eadem opera conſectari.

§. CCCXXX.

Criminis plagii poena apud Wiſigothos.

Tale eſt crimen PLAGII, quod ob ſeruorum pretium tum vbique frequentiſſimum fuiſſe videtur. * De eo LEGE WISIG. *Lib. VII. tit. 3. §. 3.* cauetur, vt, qui ingenuorum liberos interceperit, aut eoſdem ſollicitauerit, is parentibus addicatur ea lege, vt eum aut occidendi, aut vendendi habeant poteſtatem, niſi vel compoſitionem filii filiaeue, id eſt, 500. ſolidorum perinde, ac ſi occiſi eſſent, praeſtari ſibi a reo malint parentes, aut hic liberos ſubtractos reddere poſſit cum ſolidis 250. Ingenuus, qui ſeruum vel ancillam alienam ſubtraxerat, quatuor ſeruos, totidemue ancillas, reddere, vel ſi tantum praeſtare non poſſet, ipſe domino ſeruire iubebatur, ſimulque publice flagris caedebatur. IBID. §. 2. De poena ſeruorum, ſiue ſeruum, ſiue ingenuum hominem, ſiue iuſſu domini, ſiue inſcio illo, intercipientium agitur IBID. §. 4. 5. *et* 6.

* Argumento eſt non ſolum tot legum Germanicarum conſenſus, quandoquidem earum fere nulla eſt, quae non de hoc crimine, eiuſque poena aliquid praecipiat; verum etiam exemplum non vnum vetus, quale eſt illud, quod iam obſeruauit TED. SIECAMA ad *leg. Friſ. tit. 21. §. 1.* ex ADAMO BREM. *hiſt. eccl. Lib. I. cap. 29. Inde Hammaburg reuerſus* (Anſcharius,) *de venditione Chriſtianorum Nordalbingos correxit.* Nordalbingi enim Chriſtianos,

ſtianos, a barbaris captos, et ad ſe, tamquam Chriſtianos, confugientes nefando ſcelere paganis vendiderant, ceu rem pluribus verbis narrat REMBERT. *in vita Anſcharii cap.* 32. et GVALDO *in vita S. Anſcharii cap.* 96. *ſequ.* Quae egregia vetuſtatis monimenta quum non vidiſſet SICCAMA, adeo non intellexit hiſtoriam, vt ne nomen quidem Anſcharii recte expreſſerit, ſed eum S. Anſginum adpellarit.

§. CCCXXXI.

Apud Oſtrogothos, Baiuuarios, Friſios.

Seuerior ea in re THEODERICVS, rex Oſtrogothorum, cuius ex *edicto* §. 78. capitale erat plagium ingenui hominis, ſiue eum peregre vendiderit plagiarius, ſiue cui donauerit, ſiue eum ſibi ſeruire coegerit. At BAIVVARII plagiarium, qui hominem interceptum reſtituerat, 80. ſolidos parentibus, 40. fiſco ſoluere cogebant. Eum, qui nec hominem reddere, nec wergeldum praeſtare poterat, iiſdem in ſeruitutem addicebant. LEX BAIVVAR. *tit.* 8. *cap.* 4. §. 1. *et* 2. FRISII quoque id crimen pecuniaria poena volebant expiari, ſiue nobilis nobilem aut liberum, ſiue ingenuus ingenuum, vel nobilem, extra patriam vendidiſſet. Parentibus enim plagiarius tantumdem debebat, ac ſi homo eſſet ab eo interfectus: ſed et ipſe, qui ſubtractus fuerat, domum redux duplo plus a plagiario exigere, et fiſcus eum 12. ſolidis mulctare poterat. * LEX FRIS. *tit.* 21.

* Monet hic SICCAMA, plagia in Friſia frequentiſſima fuiſſe, prouinciis illis Normannorum aliorumque piratarum rapacitati quam maxime expoſitis. *Hinc*, inquit, *de Normannorum in Friſios plagio etiam nunc exſtant veſtigia in Friſico Landrecht, art. vlt.*

§. CCCXXXII.

Apud Alamannos et Saxones.

Similia in reliquarum gentium Germanicarum legibus occurrunt. Apud ALAMANNOS, qui feminam liberam extra prouinciam vendiderat, eam, ſi redhibere poſſet, 80. ſi non poſſet 400. ſol. componebat. LEX ALAM. *tit.* 48. §. 1. *et* 2. Intra prouinciam venditum ingenuum vna cum ſolidis 12. feminam vero cum 24. reſtitui oportebat. IBID. *tit.* 48. §. 1. *et* 2. Apud SAXONES lege cautum erat: *Si nobilis nobilem extra ſolum vendiderit, et reducere non potuerit, componat eum, ac ſi occidiſſet. Si vero reduxerit eum, emendet ei, iuxta quod placitare potuerit. Si autem ille ſua ſponte reuerſus fuerit, medietatem vveregildi eius componat. De muliere ſimiliter.* LEX SAX. *tit.* 2. §. 7.

§. CCCXXXIII.

§. CCCXXXIII.

Prolixe admodum de plagio agit LEX SALICA *tit.* 42. diſtinguitque, mancipium alienum quis ſollicitauerit, aut interceperit, vendideritque, an hominem ingenuum, itemque, poſſitne reddi homo, nec ne. Sed omnibus his caſibus compoſitione pecuniaria, cuius ob ingenuum interceptum ſumma erat 200. ſolidorum, crimen poterat expiari. At hic quoque legem diuinam ſequendam putarunt ſtirpis Carolingicae reges, ſancientes CAPITVLAR. *Lib. VI.* §. 9. *edit. Lindenbr. Qui furatus fuerit hominem, et vendiderit eum, et conuictus fuerit, morte moriatur.* Quae deſumta eſſe ex *Deut. XXIIII.* 7. nemo non videt. Apud Francos.

§. CCCXXXIIII.

Itaque non mirum, eam poenam et poſt Carolidarum tempora manſiſſe, cuius aequitatem ipſa origo ex lege diuina commendabat. Quamuis enim hic ſileat IVS PROV. SAXONICVM: in GLOSSA tamen *Libri II. art.* 16. *n.* 9. legimus: *Der einen freyen mann vviſſentlich vor einen eigen verkäufft, oder einen ſeinem herrn vviſſentlich vorhelt, oder beredet, daſs er ihme dauon lauffen ſoll, dem ſoll man ſeinen leib vertheilen.* Sed haec ipſe Gloſſator ſe deſumſiſſe fatetur ex *l.* 1. *D. ad leg. Fab. de plagiar.* Aſt multo clarius IVS PROV. SVEV. *art.* 210. *Da ein menſch den andern menſchen ſtihlet, das iſt auch diebheit, vnd vvird es in ſeiner gevvalt begriffen, man ſchiebet es auff ihn, als ander diebheit, vnd vvie iung er iſt, oder vvie arm er iſt, man ſoll ihn darum henken. Wann ein menſch iſt theurer, denn viel gutes.* Quae poena ſtatuta iure Sax. et Sueuico?

§. CCCXXXV.

Enimuero eo demum deuentum eſt extremis temporibus, vt, ſi quando huiuſmodi caſus incideret, nec pecuniariae poenae locus eſſe videretur, nec poenae furcae, quam IVS SVEVICVM praeſcripſerat, ſed plerumque Germani ea in re ius Romanum ſequerentur, et hinc, ſi celandi liberi hominis cauſſa, vel ex alio improbo conſilio, plagium factum eſſet, vltimum ſupplicium; ſin ob alias cauſſas, fuſtium ictus aliaue poena arbitraria decerneretur. *l.* 1. *l. vlt. D. l.* 7. *et l. vlt. C. ad leg. Fab. de plagiar.* Quod et hodie obtinet, quia de hoc plagii crimine ſilet CAROLINA NEMESIS. * Quae iure nouo?

ſtianos, a barbaris captos, et ad ſe, tamquam Chriſtianos, confugientes nefando ſcelere paganis vendiderant, ceu rem pluribus verbis narrat RYMBERT. *in vita Anſcharii cap.* 32. et GVALDO *in vita S. Anſcharii cap.* 96. *ſequ.* Quae egregia vetuſtatis monimenta quum non vidiſſet SICCAMA, adeo non intellexit hiſtoriam, vt ne nomen quidem Anſcharii recte expreſſerit, ſed eum S. Anſginum adpellarit.

§. CCCXXXI.

Apud Oſtrogothos, Baiuuarios, Friſios.

Seuerior ea in re THEODERICVS, rex Oſtrogothorum, cuius ex *edicto §.* 78. capitale erat plagium ingenui hominis, ſiue eum peregre vendiderit plagiarius, ſiue cui donauerit, ſiue eum ſibi ſeruire coegerit. At BAIVVARII plagiarium, qui hominem interceptum reſtituerat, 80. ſolidos parentibus, 40. fiſco ſoluere cogebant. Eum, qui nec hominem reddere, nec wergeldum praeſtare poterat, iiſdem in ſeruitutem addicebant. LEX BAIVVAR. *tit.* 8. *cap.* 4. §. 1. *et* 2. FRISII quoque id crimen pecuniaria poena volebant expiari, ſiue nobilis nobilem aut liberum, ſiue ingenuus ingenuum, vel nobilem, extra patriam vendidiſſet. Parentibus enim plagiarius tantumdem debebat, ac ſi homo eſſet ab eo interfectus: ſed et ipſe, qui ſubtractus fuerat, domum redux duplo plus a plagiario exigere, et fiſcus eum 12. ſolidis mulctare poterat. * LEX FRIS. *tit.* 21.

* Monet hic SICCAMA, plagia in Friſia frequentiſſima fuiſſe, prouinciis illis Normannorum aliorumque piratarum rapacitati quam maxime expoſitis. *Hinc*, inquit, *de Normannorum in Friſios plagio etiam nunc exſtant veſtigia in Friſico Landrecht*, *art. vlt.*

§. CCCXXXII.

Apud Alamannos et Saxones.

Similia in reliquarum gentium Germanicarum legibus occurrunt. Apud ALAMANNOS, qui feminam liberam extra prouinciam vendiderat, eam, ſi redhibere poſſet, 80. ſi non poſſet 400. ſol. componebat. LEX ALAM. *tit.* 48. *§.* 1. *et* 2. Intra prouinciam venditum ingenuum vna cum ſolidis 12. feminam vero cum 24. reſtitui oportebat. IBID. *tit.* 48. §. 1. *et* 2. Apud SAXONES lege cautum erat: *Si nobilis nobilem extra ſolum vendiderit, et reducere non potuerit, componat eum, ac ſi occidiſſet. Si vero reduxerit eum, emendet ei, iuxta quod placitare potuerit. Si autem ille ſua ſponte reuerſus fuerit, medietatem vveregildi eius componat. De muliere ſimiliter.* LEX SAX. *tit.* 2. §. 7.

§. CCCXXXIII.

§. CCCXXXIII.

Prolixe admodum de plagio agit LEX SALICA *tit.* 42. diſtinguitque, mancipium alienum quis ſollicitauerit, aut interceperit, vendideritque, an hominem ingenuum, itemque, poſſitne reddi homo, nec ne. Sed omnibus his caſibus compoſitione pecuniaria, cuius ob ingenuum interceptum ſumma erat 200. ſolidorum, crimen poterat expiari. At hic quoque legem diuinam ſequendam putarunt ſtirpis Carolingicae reges, ſancientes CAPITVLAR. *Lib. VI.* §. 9. *edit. Lindenbr. Qui furatus fuerit hominem, et vendiderit eum, et conuictus fuerit, morte moriatur.* Quae deſumta eſſe ex *Deut. XXIIII.* 7. nemo non videt. Apud Francos.

§. CCCXXXIIII.

Itaque non mirum, eam poenam et poſt Carolidarum tempora manſiſſe, cuius aequitatem ipſa origo ex lege diuina commendabat. Quamuis enim hic ſileat IVS PROV. SAXONICVM: in GLOSSA tamen *Libri II. art.* 16. *n.* 9. legimus: *Der einen freyen mann vviſſentlich vor einen eigen verkäufft, oder einen ſeinem herrn vviſſentlich vorhelt, oder beredet, daſs er ihme dauon lauffen ſoll, dem ſoll man ſeinen leib vertheilen.* Sed haec ipſe Gloſſator ſe deſumſiſſe fatetur ex *l.* 1. *D. ad leg. Fab. de plagiar.* Aſt multo clarius IVS PROV. SVEV. *art.* 210. *Da ein menſch den andern menſchen ſtiblet, das iſt auch diebheit, vnd vvird es in ſeiner gevvalt begriffen, man ſchiebet es auff ihn, als ander diebheit, vnd vvie iung er iſt, oder vvie arm er iſt, man ſoll ihn darum henken. Wann ein menſch iſt theurer, denn viel gutes.* Quae poena ſtatuta iure Sax. et Sueuico?

§. CCCXXXV.

Enimuero eo demum deuentum eſt extremis temporibus, vt, ſi quando huiuſmodi caſus incideret, nec pecuniariae poenae locus eſſe videretur, nec poenae furcae, quam IVS SVEVICVM praeſcripſerat, ſed plerumque Germani ea in re ius Romanum ſequerentur, et hinc, ſi celandi liberi hominis cauſſa, vel ex alio improbo conſilio, plagium factum eſſet, vltimum ſupplicium; ſin ob alias cauſſas, fuſtium ictus aliaue poena arbitraria decerneretur. *l.* 1. *l. vlt. D. l.* 7. *et l. vlt. C. ad leg. Fab. de plagiar.* Quod et hodie obtinet, quia de hoc plagii crimine ſilet CAROLINA NEMESIS. * Quae iure nouo?

* Hinc plagium Conradi de Kauffungen et ſociorum, qui Erneſtum et Albertum, principes iuuentutis Saxonicae, ex arce Altenburgenſi anno 1455. ſubduxerant, quamuis illis recuperatis, capitale fuit. Nam Conradus de Kauffungen Fribergae prid. Id. Iulii gladio percuſſus eſt; eius tres famuli et Schwalbius, paullo poſt Cigneae forcipibus candentibus lacerati, in quatuor partes diſſecti, et paullo poſt Altenburgi capitis damnatus eſt Conradi frater, Dietericus, quod quaſi inſultans principi dixerat: *Das neſt vverden ſie vvol finden, aber die vögel ſind ausgeflogen.* Albin. *Chron. Miſn. Part. I. cap. 21. pag. 272.* Muller. *Annal. Sax. ad ann. 1455. pag. 30. ſequ.* Enimuero hic multa erant, quae poenam acerbiorem flagitare videbantur, concurrentibus criminibus perduellionis, proditionis, violatae pacis publicae, et ſanctitatis palatii principis. Alioquin ex pistorum ſchedis notauit Schilterus *Exerc. XXXXVIIII.* §. 149. ſcabinos Lipſienſes ad conſultationem Io. Fridrici, Electoris Sax. capitis damnaſſe plagiarios, qui duos iuuenes equeſtris nobilitatis Witteberga abduxerant, conatum vero ictu fuſtium puniendum cenſuiſſe. Conf. Carpz. *prax. crim. quaeſt. 83. extr.*

§. CCCXXXVI.

Termini moti poena apud Wiſigothos. Olim Germanos agrum communem habuiſſe, ſupra ex Caesare et Tacito obſeruauimus. Quibus temporibus non adeo quotidianas de finibus agrorum quaeſtiones fuiſſe, facile intelligitur. Ex quo vero ſuos ſibi agros habere coeperunt ſinguli: inter maxima delicta fuit crimen termini moti. Apud Wisigothos ingenuus, *qui ſtudio peruadendi limites complanauerat; aut terminos fixos auſus fuerat euellere, per ſingula ſigna vel notas 20. ſolidos ei, cui fraudem fecerat, inferre cogebatur, ſeruus per ſingula ſigna 50. flagella ſuſcipiebat.* Si quis praeter voluntatem terminum exaraſſet, id ſine fraude erat, modo vicinis praeſentibus eum ſtatim reſtitueret. Lex Wisig. *Lib. X. tit. 3.* §. 2. Hic quoque ſeueriores Oſtrogothi ſeruos, qui terminos effodere vel limites exarare, arboreſue terminales euertere auſi fuerant, capitis damnabant, dominis, quorum iuſſu id factum fuerat, dimidia bonorum parte priuatis. Edict. Theod. §. 104.

§. CCCXXXVII.

Apud Baiuuarios, Langobardos, Burgundiones. Baivvarii fere Wiſigothorum ius ſequebantur. Nam ingenuum *per ſingula ſigna* euerſa 26. *ſolidos componere* cogebant; ſeruum 50. flagellorum ictibus caſtigabant, idemque, quod Wisigothi, de terminis caſu exaratis ſanxerant. Leg. Baivvar. *tit. XI. cap. 1. §. 1. et 2. et cap. 2.* Langobardi ingenuos; qui terminos antiquos corruperant, aut mouerant, vel *arborem, vbi theclatura facta* eſſet, inciderant aut exſtirpauerant, in 80. ſolidos;

Digitized by Google

ſolidos, ex vno ſemiſſe regi, ex altero domino ſoluendos; ſeruos capitis damnabant, niſi vitam 40. ſolidis redimerent. LEG. LANGOB. *Lib. I. tit.* 26. *§.* 1. *ſequ.* Si quis praeter intentionem ſigna noua, aut *theclaturam*, aut *ſinaidam*, * in ſilua alterius feciſſet, et ſuam non probaſſet, ingenuus ſolidos 40. inter fiſcum et ſiluae dominum diuidendos debebat: ſeruus manu mutilabatur, niſi id iuſſu domini feciſſet, qui tunc mulctam pro eo inferre tenebatur. IBID. §. 5. *et* 6. Manus amputatione etiam apud BVRGVNDIONES coercebantur, qui terminum mouerant, quamuis dimidio pretio ſui ipſius manum redimere liceret. LEX BVRG. *tit.* 55. *§.* 3. *et* 4.

* Sunt haec vocabula Langobardica, et quia paullo obſcuriora videntur, hic paucis explicanda. THECLATVRAE vocabulum ſaepenumero occurrit in chartis Langobardicis, ſeu docent loca ex VGHELLO, et BVLLARIO CASINENSI excerpta a CAR. DV FRESNE *gloſſar. Lat. hac voce Tom. III. pag.* 1118. Fuit ergo inciſura arboris, quae fines indicabat, qualem hodie Franci vocant *éclat* vel *éclature*. Nec aliud eſt SINAIDA, vel, vt in monimentis e. g. TRADIT. FVLDENS. *Lib. II. n.* 8. *et n.* 39. rectius legitur, SNAIDA. Eſt enim a Germanico *ſneiden*, vel *ſchneiden* incidere. Solet enim arboribus finalibus vel crux incidi, quod vocant, *den baum beerenzen*, vel pars corticis detrahi, quod rerum ſilueſtrium peritis eſt *ein ſchalm*, a *ſchelmen* vel *ſchelen*, vnde et cadaueribus, ac deinde hominibus infamibus, nomen natum eſt, vt dicantur *ſchelmen*. ECCARD. *ad leg. Sal. p.* 66. et SCHILTER. *in gloſſar. Teuton.* voce *ſchelm*.

§. CCCXXXVIII.

Quum ergo nec maiores capitale eſſe voluiſſent crimen termini moti, nec vlla hic idonea eſſet veterem Romanorum iuriſprudentiam imitandi ratio: * medio etiam aeuo Germanis magis placuit poena extraordinaria. IVS PROV. SAX. *Lib. II. art.* 28. *Hauet einer mahl-bâume ab, oder graebet ſteine aus, die zu marckſteinen geſetzt ſind, er muſs dreyſig ſchilling zur buſſe geben. Findet man ihn aber an der friſchen that, oder an der ſtadt, man mag ihn vvol aufhalten oder pfânden vor den ſchaden, ohne des richters vrlaub.* Sed hanc ſanctionem de eo tantum caſu, vbi dolus exſulat, intelligendam eſſe, monet gloſſa et CARPZ. *prax. crim. quaeſt.* 83. *n.* 70. At paullo aliter SPECVLATOR SVEVVS *cap.* 217. *Hauet vver bârend baum ab, oder grabet er ſteinaus, die zu marckſteinen geſetzet ſind, man ſoll ihm haut vnd haar abſchlagen, oder er ſoll es lôſen mit dreyſig ſchilling. Wo man ihn findet, mag man ihn vvol aufheben bis an den richter.* Iuris Saxonici et Sueuici.

 * Romanis

* Romanis perſuaſerat Numa, Terminum eſſe deum, eiuſque veluti ſimulacra habendos eſſe lapides terminales, quos etiam coronabant terminalibus. DIONYS. HALICARN. *antiqu. Rom. Lib. II. cap. 76.* FEST. *voce termino.* Hinc ſacrilegio ſimile erat crimen termini moti, eoſque, qui id admiſerant, vna cum bobus ſacros ac deteſtabiles eſſe voluere Numa, et poſtea decemuiri, de qua lege plura dixerunt CONST. LANDVS *enarrat. cap.* 24. et VLR. OBRECHT. *de ſacris termini.* §. 9. Et quamuis poſtea ab illa vetere ſuperſtitione ac rigore aliquantulum remitterent poſteri, contenti poena arbitraria, quae in honeſtioribus erat relegatio, in humilioribus caſtigatio, vel damnatio ad opus publicum: *l.* 1. *l.* 2. *l.* 3. §. *vlt. D. de term. mot.* tamen ſaltim ſeruos ideo capitis damnari iuſſerat lege agraria Nerua Imp. niſi mulctam pro iis inferre mallent domini. *l.* 3. *§.* 1. *D. eod.* Qua lege Neruam aliquid de rigore, quo Numa Pompilius legis terminalis religionem ſanxerat, repraeſentare voluiſſe, recte cenſet OBRECHT. *diſſert. de legib. agrar. pop. Rom. cap.* 5. *pag.* 126.

§. CCCXXXVIIII.

Conſtitutionis criminalis Carolinae.

Atque eo iure et poſteri vſi ſunt, * vtunturque et hodie; poſtquam Carolus V. poenam hanc extraordinariam probauit in CONSTIT. CRIM. *art.* 114. *Welcher böſslicher vnd gefährlicher vveiſs ein vntermarkung, rainung, mahl- oder marckſtein verrückt, abhauet, abthut, oder verändert, der ſoll darum peinlich am leib nach gefährlichkeit, gröſs, geſtalt vnd gelegenheit der ſachen vnd perſonen nach rath geſtrafft vverden.* Ex his vero interpretes colligunt, delictum hoc prima vice, vel magis ex impetu, quam dolo malo, admiſſum, carcere vel mulcta: iterum vel dolo malo patratum relegatione coerceri. CARPZ. *prax. crim. quaeſt.* 83. *n.* 72. *ſequ.* COLER. *Part. I. deciſ.* 145. *n.* 9. nec facile, niſi ob terminos publicos motos ad ictum fuſtium deueniri poſſe. LAVT. *colleg. tit. de term. moto. extr.* KRESS. *ad d. art.* 114. *pag.* 288. Quin et poenae capitali, ſi territoriorum termini dolo malo moti ſint, locum eſſe, exiſtimat illuſtris a BERGER. *elect. crim. p.* 69.

* Equidem KNICHEN. *de ſubl. territ. iure cap.* 4. *n.* 335. refert cautum eſſe legibus *centenicis*, quas vocat, Sanpetrinis: *vvo einer vviſſentlich marckſteine ausgrabe, den ſolle man in die erde graben bis an den hals, vnd ſolle dann nehmen vier pferde, die des ackerns nicht gevvohnet ſind, vnd einen pflug, der neu iſt, vnd ſollen die pferde nicht mehr gezogen, vnd der enck nicht mehr geahren, noch der pflughalter nicht mehr den pflug gehalten haben, vnd ihme nach dem halſe ähren, bis ſo lange er ihme den hals abgeähret hat.* Sed dubito, an ſupplicii tam truculenti exſtet exemplum. Ipſe ſane KNICHENIVS, illud in deſuetudinem abiiſſe, fatetur.

§. CCCXXXX.

Quemadmodum apud veteres gentiles magna fuit ſepulcrorum religio, vbi deos Manes veluti fixam habere ſedem ſtolide exiſtimabant: ita multo magis Chriſtiani ſancta atque inuiolabilia eſſe voluerunt mortuorum conditoria. De Germanis antiquiſſimis auctor eſt TACIT. *de mor. Germ. cap.* 25. *apud eos ſepulcrum caeſpitem erexiſſe, monimentorum arduum et operoſum honorem, vt grauem defunctis, adſpernatos.* Add. PLIN. *hiſtor. nat. Lib. XVI. cap.* 1. At ſatis grandes paſſim exſtant moles ſepulcrales, in modum tumulorum editorum erectae, et vel muris cinctae, vel ſtupendae magnitudinis lapidibus ornatae, vel arboribus circumdatae. vid. IO. PICCARD. *antiqu. Celt. cap.* 5. Quin et ſanctitatis aliquid his tumulis eos tribuiſſe, colligimus ex eo, quod nonnumquam et arae additae, in quibus eos ſacra feralia feciſſe, veroſimile eſt. Hinc et violatores ſepulcrorum eos non ſecus, ac ſacrilegos, puniuiſſe, probabile eſt. * Sepulcri violati crimen.

* Equidem vix quemquam allicere potuiſſe ſepulcra Germanica ad tam nefandum ſcelus committendum, vel inde quis colligere poſſet, quod nec corpora ſpoliari poſſent, quippe quae Germani in cineres redigebant, nec quidquam pretioſi in illis latitaret, quod adpeterent ſepulcrorum perfoſſores. *Sua enim cuique arma, quorumdam igni et equi adiiciebantur.* TACIT. *ibid.* Nec erant ibi caenacula, quae quis habitare vellet, nec marmora et ſtatuae, quae quis detrahere cuperet. Saxa ibi poſita vel ipſa magnitudo ab hominum iniuria facile defendebat. Sed poterat ſepulcrum etiam ſine ſpe praedae ex odio, quo quis vel defunctum, vel eius familiam perſequebatur, diruere, vrnam contringere, cineres diſſipare. Quin ex quo aurum innoteſcere coeperat Germanis, ſaltim potentiores non ſolum variam ſupellectilem, veluti arma, pugillares, annulos, phaleras, ſed et theſauros ſepulcris inferre conſueuiſſe, vel exemplo theſauri ſepulcralis Childerici regis, de quo CHIFLETIVS *in anaſtaſi Childerici*, poteſt demonſtrari.

§. CCCXXXXI.

Poſtquam leges ſuas litterarum monimentis conſignare coeperunt Germani: etiam ſepulcrorum ſecuritati conſulere voluerunt. Hinc WISIGOTHICA LEGE *Lib. XI. tit.* 2. §. 1. cauetur, vt ingenuus, qui ſepulcrum violauerit, mortuum exſpoliauerit, ei ornamenta aut veſtimenta detraxerit, libra auri, heredibus mortui, vel, non exſiſtentibus heredibus, fiſco exſoluenda, mulctetur, et centies, ſeruus ducenties flagris caedatur, *et inſuper*, redditis omnibus, quae abſtulerit, *flammis ardentibus exuratur.* Paullo mitius coercebatur, qui ſarcophagum abſtulerat, Eius poena apud Wiſigothos.

dum ſibi volebat habere remedium. * Ingenui enim, huius facinoris rei, 12. ſolidos heredibus exſoluere cogebantur, pro ſeruo dominus, qui ei id facinus imperauerat, ſoluebat, ſi vero hic ſuopte conſilio id auſus fuerat, reſtitutis omnibus, quae abſtulerat, centies flagris caedebatur. IBID. §. 2.

* Eſt haec vetus paganorum ſuperſtitio, vt morbis remedia ex ſepulcris peterent, ora cadauerum mordentes, colligentesque oſſa carioſa. Longa haec fabula, quam, petitis ex PORPHYRIO, APVLEIO, TATIANO, et CHRYSOSTOMO teſtimoniis pluribus, illuſtrauit FRIDR. LINDENBR. *ad Ammiani Marcell. Lib. XVIIII. cap.* 12. *pag.* 179. *edit. Gronou.* Haec ergo impietas et apud Wiſigothos, quantumuis Chriſtianos, altiſſimas radices egerat, digna proinde viſa, quae hac ſeueriore poena coerceretur.

§. CCCXXXXII.

Apud Oſtrogothos et Francos.

Quemadmodum vero Wiſigothi in ſeruos tantum grauius animaduertebant: ita apud OSTROGOTHOS ſine diſcrimine conſtituerat THEODERICVS *edict.* §. 110. *Qui ſepulcrum deſtruxerit, occidatur.* Quin §. 111. veterem Hadriani conſtitutionem *l.* 3. §. 5. *D. de ſepulcr. viol.* renouauit, et intra vrbem Romam quemquam ſepeliri vetuit. Pro poena tamen 40. aureorum, fiſco adplicanda, ipſe quartam bonorum partem publicari, vel, ſi nihil in rei bonis eſſet, illum cum ictu fuſtium relegari iuſſit. Apud Francos poena corpora vel ante ſepulturam, vel poſt eam exſpoliantium, pecuniaria, et priore quidem caſu apud Salios 100. ſolidorum; apud Ripuarios 60. et tantum ſi inficiatus fuerit reus, nec vna cum ſex aliis iurarit, 100. poſteriore apud vtrosque 200. ſolidorum erat. LEX SAL. *tit.* 17. §. 1. et 2. RIPVAR. *tit.* 54. §. 1. *et* 2. Sed et hominum conſortio reum excluſum volebant vtrique, donec cum defuncti familia tranſegiſſet, eumque, qui ſacrum hunc hominem hoſpitio excepiſſet, 15. ſolidis mulctabant. LEX SAL. *ibid.* §. 2. LEX RIPVAR. *tit.* 85. §. 2. Immo vtraque lex et reliquas ſepulcrorum violationes * mulcta tantum coercet. *ibid.* §. 3. *et* 4. *tit.* 58. §. 2. *ſequ.*

* Tales LEX SALICA recenſet quatuor: *Si quis mortuum hominem aut in* NOFFO, *aut in petra, quae vaſa ex vſu ſarcophagi dicuntur, ſuper alium miſerit*, nec non, *ſi quis* ARISTATONEM (vel vt in *tit.* 58. §. 4. legitur, CHERISTADVNA aut SILAVE,) *ſuper hominem mortuum capulauerit. tit.* 17. §. 3. 4. itemque, *ſi quis* TOMBAM *ſuper mortuum hominem exſpoliauerit*: denique, *ſi quis* BASILICAM *ſuper hominem exſpoliauerit.* NOFFVM, vel NAVFVM, quo vocabulo et GREG. TVRONENSIS *de glor. confeſſ. cap.* 20. vſus eſt, gloſſa Pithoei interpretatur *ſarcophagum ligneum*, fortaſſis quod ſimilitudinem

tudinem nauis haberet, vti exiſtimat ECCARD. *ad leg. Sal. pag.* 41. Videtur ergo huius delicti reus fuiſſe, qui cadauer cadaueri impoſuerat. In exponendis vocabulis *ariſtato*, *cheriſtaduna*, *ſilaua* plane luxuriat ECCARDI ingenium, illudque *pag.* 41. a *ruhen* deriuat, et pro ſtructura ſepulcro impoſita; illud *pag.* 101. pro ſtatua Chriſti, ſepulcro impoſita, hoc pro vmbraculo vel *lauba* accipit. Aliis ariſtatones ſunt vela vel tapetes, quibus ſepulcra tegebantur, de quo ritu plura habet LINDENBR. tum *in gloſſar. Lat. hac voce pag.* 1358. tum *ad Ammian. Marcell. Lib. XVI. cap.* 8. *pag.* 96. *edit.* Gronov. CAR. DV FRESNE *gloſſar. Lat. voce aſtarto.* Sed quid opus erat tapetis vel veli *capulatione*, id eſt, inciſione, quum totum auferri poſſet? Quamobrem manifeſtum eſt, ab *aſtartone* non diuerſum eſſe, quod per errorem alicuius librarii irrepſit, *cheriſtadunam.* Nec opus eſt argutiis ad originem vocabuli reperiendam. Eſt enim ipſum Germanicum *ehrenſtädte*, ceu obſeruauit SCHILTER. *gloſſ. Teut. hac voce.* Itaque intelligitur epitaphium vel monimentum quoduis. Nam praeterquam, quod in editione HEROLDINA explicatur per *ſilare*, quod nihil aliud eſt, quam Germanicum *ſule* vel *ſäule*: exſtat etiam veteris auctoris locus apud MABILLON. *Act. ſanct. S. Bened. ſec.* 5. *p.* 10. vbi de S. Geraldo, comite Aureliacenſe: *Corpus*, inquit, *illud ſanctum quam plurimis comitantibus turbis ad Aureliacum, ſicut ipſe iuſſerat, ſui detulerunt, et in ariſicem* (MABILLONIVS *ariſtatonem*) *lapidem, ad ſiniſtram ſcilicet baſilicae ipſius collocauerunt iuxta aram S. Petri.* Quum ergo *capulare* ſit *abſcindere*, vel *incidere*: ſenſus eſt, eum in certam pecuniam damnatum iri, qui monimentum qualecumque, mortui memoriae dedicatum, corruperit. Idem hic eſt TOMBA, ſeu TVMBA, (τύμβος,) quamuis alias pro ipſo ſepulcro accipiatur. Denique BASILICA nihil aliud eſt, quam aedicula, ſepulcro, maxime ſancti alicuius viri, impoſita, qualis *baſilica ſepulcri S. Seueri* apud GREG. TVRON. *de glor. confeſſ. cap.* 51. Adde eumdem *hiſtor. Lib. II. cap.* 14. et ECCARD. *ad leg. Sal. pag.* 102.

§. CCCXXXXIII.

LEX porro ALAMANNICA *tit.* 50. §. 1. *ſequ.* tum effoſſionem cadaueris ex terra, tum rerum e monimento amotionem, perſequitur. Et eum quidem, qui viri ingenui cadauer ex terra extraxerat, octo wergelda et pro compoſitione, quam vocabant, 40. ſol. qui feminae ingenuae, 80. qui ſerui vel ancillae, 12. ſolidos pendere, rerum vero ex ſepulcro ſubtractarum nomine, perinde, ac ſi furto eſſent interceptae, compoſitionem praeſtare iubet. Prolixius de hoc crimine agunt LEGES BAIVVARIORVM *tit.* 18. vbi *cap.* 1. non ſolum corporis ſepulti effoſſionem, rerumque amotionem, et *cap.* 3. veſtimentorum detractionem, certa pecuniae ſumma expiari iubent: verum etiam *cap.* 4. *et* 5. iis, qui inſepultum proiecerint hominem, a ſe interfectum, et qui cadauer vel truncauerint dolo malo, vel ſine dolo

Apud Alamannos et Baiuuarios.

dolo vel culpa vulnerauerint, * litem aeſtimant certa pecunia: contra et eum, qui inſepulto humum iniecerit, vnius ſolidi praemio dignum exiſtimant: *cap.* 6. §. 1.

* Mira eſt haec ſanctio *cap.* 5. et digna, quam hic totam legas: *Si, vt ſaepe contingit, aquilae vel ceterae aues cadauer repererint, et ſuper ad lacerandum conſederint, et aliquis ſagittam iecerit, et cadauer vulnerauerit, et repertum fuerit, cum* 12. *ſol. componat.* Quae ipſa eſt poena, illos manens, qui *cum toxicata ſagitta alicui viuo ſanguinem fuderint*: LEG. BAIVVAR. *tit.* 3. *cap.* 6. Quin inſequente *cap.* 6. *tituli* 18. diſerte cauetur, vt, qui truncauerit cadauer, aut mutilauerit, eadem poena dignus iudicetur, ac qui viuentis ſanguinem fuderit. Ex quibus facile patet, neſcio quid religionis veteres tribuiſſe mortuorum reliquiis. Vnde non mirum, apud Francos demum capitalem viſam eſſe omnem ſepulcri mortuique cadaueris violationem, CAPIT. CAROLI CALVI. *tit.* 7. §. 72. *pag.* 38. *Tom. II. edit. Baluz.* quum poenam publicationis dimidiae partis bonorum cum infamia interminata paullo ante ſint CAPITVLAR. *Lib. VII.* §. 136. *edit. Lindenbr.*

§. CCCXXXXIIII.

Apud Langobardos.

Apud LANGOBARDOS non ſolum, qui ſepulcrum violauerat, corporaque ſpoliauerat extraxeratue, 900. ſolidos defuncti cognatis, aut, iiſdem non exſtantibus, fiſco regio pendere tenebatur, ſed et qui cadauer in flumine repertum exſpoliauerat, 80. ſolidos propinquis mortui debebat, niſi rem ſtatim vicinis denunciaſſe, et ſic re ipſa oſtendiſſe, ſe non furandi animo, ſed mercedis cauſſa, ſpolia detraxiſſe. Quo caſu redditis, quae mortuo detraxerat, ſpoliis, nihil inde incommodi ſentiebat. LEX LANGOB. *Lib. I. tit.* 12. §. 1. *et.* 2.

§. CCCXXXXV.

Quid eo de crimine ius Saxonicum ſanxerit?

Mireris, nihil de hoc crimine reperiri in LEGE SAXONICA, niſi quod in CAPITVLAT. CAROLI M. *de part. Sax.* §. 6. illis capitale ſupplicium minari animaduertimus Carolum M. qui non in coemeteriis eccleſiae cadauera ſepeliuerint, (quod facere §. 21. diſerte iubentur,) ſed eadem *ſecundum ritum paganorum flammis conſumi fecerint, et oſſa ad cinerem redegerint.* * Quae lex, ſatis dura, quamuis ad religionis Chriſtianae contemtum potius, quam ſepulcrorum violationem pertinere videatur: poſteros tamen mouiſſe videtur, vt praeter aliarum gentium Germanicarum morem ſepulcrorum violatoribus dirum admodum crurifragii ſupplicium irrogarent. Hinc illa in IVRE PROV. SAX. *Lib. II. art.* 13. *Die kirchhöffe berauben, die ſoll man alle radebrechen.* Et exemplum tam dirae ſententiae ex HARTM. PISTO-

RIS

ris ſchedis profert Schilter. Ex. XXXXVIIII. §. 37.

* Diutius, quam vlla gens Germanica, ritum concremandi mortuos, quem iam Taciti aetate Germanis familiarem fuiſſe, ex eius libello *de mor. Germ. cap.* 27. nouimus, ſeruarunt Saxones. Hinc tot vbique, in Saxonia vrnae ſepulcrales eruuntur, quamuis in his terrarum tractibus, quos olim Venedi coluerunt, vrnae illae non a Saxonibus, ſed a Venedis, eſſe videantur. Sed de his quidquid dici poterat, iam ab aliis occupatum eſt, in primis a Dan. Maiore *in Cimbria*, v. c. Schminkio *in diſſ. de vrnis ſepulcralibus et armis lapideis veterum Cattorum, Marp.* 1714. Keyslero *antiqu. ſept. et Celt. p.* 112.

§. CCCXXXXVI.

Paullo magis aequitatis rationem habere voluit speculator Svevvs *cap.* 114. quippe cui diſtinguere placuit, vimne quis intulerit ſepulcro, an aliquid furtim abſtulerit, cuius pretium ſaltim triginta numorum ſit. De priore enim caſu §. 3. eadem habet, quae paullo ante ex iure Saxonico attulimus; de poſteriore §. 5. ſancit: *Der in kirchen vnd in kirchhöffen ſtiehlet, das dreyſſig pfenning vverth iſt, darumb ſoll man ihn zu haut vnd haar ſchlaben bey dem höchſten, vnd iſt auch darzu in dem bann.* * Quid Sueuicum?

* Rationem reddit idem ivs prov. *cap.* 186. *Die geweiheten kirchhöffe haben daſſelbig recht, als die kirchen.* Eſt hoc ſcitum iuris canonici, quod immunitatem, quam vocat eccleſiaſticam non modo cum coemeteriis, tamquam locis benedictis, verum etiam cum tractu vicino eccleſiae intra triginta paſſus communicat. *can. id conſtituimus cauſſ.* 17. *quaeſt.* 4.

§. CCCXXXXVII.

Sed quum hae poenae recentiores iuſto atrociores, antiquiores nimis lenes viderentur, et ipſa constitvtio criminalis hic nihil ſanxerit: plerumque ad ius ciuile recurritur, exſtatque exemplum apud Carpz. *prax. crim. Part. II. quaeſt.* 83. *n.* 60. quod anteceſſores Lipſienſes nobilem, qui in alterius contumeliam monimentum in templo confregerat, condemnarunt in decem auri pondo, ex *l.* 4. *C. de ſepulcr. viol.* Qui cadauera veſtibus ſpoliant, eos arbitrarie carcere, relegatione, fuſtigatione, pro circumſtantiarum ratione puniri, nec niſi accedente vi armata, vel facinore ſaepius repetito ſupplicio capitali locum eſſe, cenſent iuriſprudentiae criminalis interpretes, et in his Carpz. *prax. crim. Part. II. quaeſt.* 83. *n.* 53. *ſequ.* Quid hodie vſu obtineat?

§. CCCXXXXVIII.

Poena eorum, qui cadauer e furca detraxerint ex lege Salica.

Ne eorum quidem, qui in furcam iuerant, corpora impune vel detrahebantur, vel ſpoliabantur. Si quis enim viuum adhuc hominem de furca detraxerat, (quod fieri poterat, ſi quis reuinctis in tergum manibus ex arbore ſuſpendebatur, vti ex Greg. Tvron. *hiſt. Lib. V. cap.* 50. exemplum profert Eccard. *ad leg. Sal. pag.* 110.) aut vita pro eo priuabatur, aut 200. ſolidis vitam redimere cogebatur. Qui mortuum detraxerat; poenam, quam leges in delictum, ob quod ille ſuſpenſus fuerat, ſtatuerant, ferre cogebatur. *Qui hominem de bargo * vel furca dimiſerat ſine voluntate iudicis, ſol.* 45. *qui ſine conſenſu iudicis aliquem de ramo, vbi increcatus fuerat, depoſuerat*, 30. *ſol. culpabilis iudicabatur.* Ita lex Sal. *tit.* 69. §. 1. *ſequ.* et *tit.* 44. §. 9.

* *Barcus* vel *bargus* eſt furca, vel patibulum, non modo in lege Salica, verum etiam apud Avdoen. *in vita S. Eligii Lib. II. cap.* 31. Id a Germanico *boeren* ferre vel portare deriuat Eccard. *p.* 84. Sed *barcus* veteribus, teſte glossa Pithoeana, fuit ramus, quemadmodum *barcum* vel *parcum* locus arboribus conſitus. Nec obſtat, quod ſibi obiicit Schilter. in *gloſſar. Teut. hac voce*, rami poſtea §. 4. fieri mentionem, et ita quidem, vt ramus a barco diſcerni videatur. Nam aliud eſt de ramo vel barco ſuſpendere facinoroſum, aliud illum ramo increcare, quod Eccardvs *pag.* 3. interpretatur ramis acutis tamquam vncis ſuſpendere, quale ſupplicium Turcis hodie non ignotum eſt: quamuis increcare ramis potius videatur caput inter duos ramos arboris, qui furcae ſimiles erant, mittere. Memini enim me videre imaginem huiuſmodi in vetere codice MSC. obuiam, quae piſtorum praefectum Geneſ. XL. 19. hoc modo ex arbore bifurcata, capite duobus ramis interiecto ſuſpenſum oſtendebat.

§. CCCXXXXVIIII.

Nec non eorum, ex iure Sax. qui cadauer in furca ſpoliauerant.

Reliquae leges hoc delictum fere praetereunt: nec recentiores conſtitutiones poenam, ſingularem his patibuli violatoribus irrogant, niſi quod Avgvstvs, Sax. Elector *Part. IIII. conſt.* 34. ſanxit: *Die aber, welche den dieben oder gerechtfertigten miſſethätern an dem galgen oder auf dem rade die kleider aufziehen, ſollen mit ſtaupen-ſchlägen geſtraffet werden.* Sed vti haec conſtitutio tantum in Saxonia electorali locum habet: ita vix dubitare fas eſt, quin alibi et hoc delictum pro fine, quem tantae audaciae homo ob oculos habuit, et reliquarum circumſtantiarum ratione, arbitraria poena coercendum ſit.

§. CCCL.

Poena eorum, qui militiam ſubterfugerint et deſertorum, apud Wiſigothos.

Fuga quoque tum militum, tum ſeruorum, acrioribus poenis digniſſima videbatur gentibus Germanicis, et militum quidem eo magis odioſa illis erat, quo magis militiae erant deditae. Quemadmodum enim iam olim Germani transfugas ex arboribus ſuſpendebant, ignauos et imbelles palude, iniecta inſuper crate, mergebant: TAC. *de mor. Germ. cap.* 12. ita WISIGOTHI * honeſtiores, qui vel militiam ſubterfugerant, vel exercitum deſeruerant, exſilio; vilioris conditionis homines 200. ictibus flagellorum et decaluatione, nec non libra auri mulctabant. Quam ſummam quiſquis inferre non poterat, is alii, cui regi placeret, in ſeruitutem addicebatur. LEX WISIG. *Lib. VIIII. tit.* 2. §. 9.

* Vel maxime neceſſaria in hac gente videbatur tam ſeuera animaduerſio. Quamuis enim Gothi per totum paene orbem Romanum arma circumtuliſſent, et ſaepe paene ad incitas redegiſſent inuictam antehac rempublicam: multitudo tamen eorum magis, quam virtus, terrori fuiſſe Romanis videtur, niſi credere malis, in prouinciis Romanis idem illis contigiſſe, quod in Capuanis hibernis exercitui Hannibalis [l], vt magis magiſque quotidie imbelles fierent. Obſeruarunt ſane plerique, veteres Gothos pauidos eſſe, ac timidos, quin plane imbelles. SIDONIVS APOLLIN. *carm.* 7. *v.* 305.

Et nihil eſt grauius, ſi forſitan vnquam
Vincere contingat, trepido.

Loquitur autem de Gothis, quos ipſe paullo ante *v.* 2. *Getas* et *v.* 303. *Scythicum hoſtem* vocauerat. Similia ſunt apud GREG. TVRON. qui *hiſt. Lib. II. cap.* 27. *Vt Gothorum*, inquit, *pauere mos eſt.* Et *cap.* 37. *Quumque ſecundum conſuetudinem Gothi terga vertiſſent.* Sed haec iam obſeruauit HERT. *notit. pop. Germ. part. III. cap.* 7. §. 4. ex iiſque ſatis patet, quam iuſta cauſſa fuerit Wiſigothorum regibus, poenas paullo acriores comminandi deſertoribus, militiamque ſubterfugientibus.

§. CCCLI.

Langobardos.

Sed et LANGOBARDI plures huiuſmodi ſanctiones in leges ſuas retulerunt, veluti *Lib. I. tit.* 14. §. 6. vt, *ſi quis in exercitu ambulare contemſerit, aut in ſculcam, * det regi et duci ſuo ſol.* 20. et §. 13. *vt, ſi liber in hoſtem bannitus fuerit, et venire contemſerit, plenum heribannum componat ſecundum legem Francorum, id eſt,* 60. *ſol. ſoluat, aut ſi non habuerit, vnde illam ſummam perſoluat, ſemetipſum per wadium in ſeruitio principis tradat, donec per tempora ipſum bannum ab eo fuerit perſolutum, et tunc iterum ad ſtatum ſuae libertatis reuertatur.* Contra capitalis erat deſertio, quam Teutonica lingua vocabant *heriliz*, vel potius *herisliz*, quippe quae in

maieſtatis crimen incidere dicitur IBID. §. 15. Quae lex, vti paullo poſt adparebit, ex Francicis CAPITVLARIBVS in leges Langobardicas migrauit.

* Vocabulum hoc origine Latinum eſt, ſed a Graecis ita deformatum, vt id vix agnoſcas. A Graecis deinde ad Langobardos, Francos aliaſque gentes Germanicas rediit. *Collocare* medio aeuo erat *culcare*. Inde in excubiis collocati erant *exculcatores*, VEGET. *de re milit. Lib. II. cap.* 15. et apud Graecos, maxime tacticos, ſaepe legas, ἐξκουλκεύειν, ἐξκουλκεύτορες, σκουλκεύτορες, σκοῦλκα. quod poſtremum modo vigilias, modo tranſuectionem equitum (caualcade) denotat. Permulta veterum loca, quae huc pertinent collegerunt LINDENBROG. *gloſſar. pag.* 1475. et CAR. DV FRESNE *gloſſar. Lat. ſub collocare pag.* 1062. *Tom. I.* Receperunt vocabulum a Graecis Langobardi, qui inde etiam finxerunt hibridam: *ſculſcara* ex graeco *ſculca*, et germanico *ſchar*.

§. CCCLII.

Francor. FRANCI quoque iis, qui militiam ſubterfugerant, mulctam irrogabant 60. ſolidorum, quae vocabatur *heribannum*. CAPITVL. *Caroli M. ad leg. Langob. anno* 801. §. 2. et *capitul. II. ann.* 812. §. 1. vbi et ſeruituti addicuntur, qui non fuerint ſoluendo, vel ſi per duces vel comites ſtetiſſet, quo minus quis delectum habentibus ſeſe ſtiterit, ipſi duces comiteſue mulctam pro iis pendere cogebantur. CAPITVL. *II. ann.* 812. §. 2. *et* 9. At deſertores perfidiam atque ignauiam capite luebant, idque crimen *heresliz* * vocabatur. IBID. §. 4. Diram huiuſmodi ſententiam multo poſt paſſus eſt ipſe Thaſſilo, dux Baiuuariorum, quum anno 763. Pipinum cum Aquitanis bellum gerentem deſeruiſſet. RETTENB. *Chron. Cremiſan. Lib. I. cap.* 11.

* Nihil verius eſt, quam hoc vocabulum eſſe compoſitum ab *heer*, exercitus, et *ſchliz*, ſciſſio, adeoque *heereſliz* eſſe exercitus ſciſſionem. Saepe enim verbum *ſlizen* pro ſcindere vtuntur OTFRID. *euang. Lib. IIII. cap.* 19. *v.* 115. *cap.* 28. *v.* 28. *Lib. III. cap.* 16. *v.* 76. NOTKER *Pſalm. LXXXVIII.* 45. et alii, vti pluribus teſtimoniis demonſtrauit SCHILT. *in gloſſar. Teuton. pag.* 747. Mireris ergo, SAGITTARIVM *antiqu. ducat. Thur. Lib. IIII. cap.* 11. §. 14. ſcribere: *Nun bedeutet zwar das alte wort ſchliz einen riſs: doch könte mans beſſer durch das wort ſchlich auslegen, weil die ausreiſſer ſich vom heer abſchleichein.* Malim ego: Deſertio dicitur ab *heer* exercitus, et *ſchlizen*, *reiſſen, vveil ſie vom heer ausreiſſen.*

§. CCCLIII.

L'arrière-ban, quid hodiernis Francis. *Heerbanni* reliquiae etiamnum ſuperſunt in Francia, quamuis ibi, corrupto vocabulo vocetur *l'arrière-ban.* Ex *heerbann* enim ſatis mature factum *haribannum*, *arribannum*, *erbannum*, *arbannum*,

num, aribannum, arbanagium, vt adductis teſtimoniis probat CAR. DV FRESNE *gloſſ. Lat. T. II. ſub heribannum.* Inde vero facile demum naſci potuit vocabulum *l'arriére-ban*, vt fallantur omnino, qui ***bannum*** ad vaſallos, *l'arriére - ban* ad ſubuaſallos pertinuiſſe, vel vtrumque vocabulum non aliter differre, ac primum et ſecundum edictum, exiſtimant. Nimirum *l'arriére ban* eſt edictum, quo in re trepida omnes vaſalli, armis equiſque inſtructi, certo loco ac tempore adeſſe iubentur, idemque erat heribannus, niſi quod et poena militiam ſubterfugientium eo nomine veniret.

§. CCCLIIII.

Poena deſertorum hodierna.

Deſertionis poena antiquiſſima, cuius iam TACITVS meminit, etiamnum frequentatur, plerorumque ordinum imperii legibus militaribus firmata. Attamen plerumque poenae illius atrocioris gratia fit deſertoribus, ſi ſemel tantum iterumue, vel pacis tempore, a ſignis aufugerint, vel aliae circumſtantiae delictum minuant. Multum hic momenti poſitum eſt in clementia principis, in ducum benignitate, ipſaque deſertoris perſona vitaque anteacta, ob quas *μετρίως* a rigore legum ſaepenumero diſcedi, docet experientia.

§. CCCLV.

Poena eorum, quorum ope ſerui fugiunt apud Wiſigothos.

Seruorum quoque quum pronum ad fugam ingenium, et id tamen crimen cum maxima dominorum moleſtia coniunctum ſit, denique ob variarum gentium Germanicarum viciniam, facillimum eſſet ſeruis nequioribus, conuaſatis rebus dominicis in vicinam aufugere prouinciam: fugitiuorum quoque coercitionem ad curam ſuam pertinere cenſuerunt legiſlatores Germanorum tantum non omnes. Prolixius reliquis de hoc crimine agit LEX WISIGOTHICA *Lib. VIIII. tit.* I. vbi multa de iis, qui fugitiuum celauerint, vinculis exemerint, iudici non tradiderint, eius fugam inſtruxerint, receptumue illi dederint, tum de conditione vxoris, quam duxit, et liberorum, quos, pro libero ſe gerens, ex ingenua procrearit, tum de adquaeſtu ſerui cauentur, omnibuſque caſibus damnum reſarciri, vel flagellis feriri noxii iubentur. At de ipſorum fugitiuorum poena vix quidquam in ea lege reperias. *

* Id notatu dignum videtur, quod §. 10. iſtius tituli legimus: *Si quis proprium ſeruum extra prouincias noſtras ad alias regiones venditione tranſtulerit, et poſtmodum ſeruus reuerſus fuerit, et dominus eum iteratim venum dederit, cogatur a iudice, vt eum ab emtore recipiat, et receptum deinceps ſeruum nullo modo inquietet, ſed liber permaneat.* Ex qua lege patet ſeruos bis venumdatos

extra prouinciam, ſi fuga ſe ſubducendi facultas eſſet, libertatem recuperaſſe. Quod Wiſigothorum ius ſimile quid habet iuri Romano, quod ſui iuris eſſe iuſſerat filios, ter a parentibus venumdatos, ac ter manumiſſos. Multas ſane Romanorum ſanctiones hoc modo refinxiſſe atque interpolaſſe Wiſigothos, iam alii obſeruarunt. Cviac. *ad II. Feud. II.*

§. CCCLVI.

Oſtrogothos.

Edicto Theoderici *Regis* §. 84. cauetur, vt *quiſquis ſeruum, ſciens fugitiuum, ſuſceperit, vel occultauerit, ipſum domino cum mercedibus et peculio eius, et eiuſdem meriti alterum reddat.* Si iterum ac tertium fugitiuum illum receperit, praeter ſeruum cum mercedibus tres alios domino reddere cogatur, mancipio tamen prius diris ſubiecto quaeſtionibus, vt pateat, *an forte propter capiendum lucrum callide ac doloſe a domino ad domum eius, qui ſuſceperat, immiſſum fuerit.* Quod ſi factum eſſe conſtaret, ſeruus domino protinus a fiſco eripiebatur. Hic denuo nihil de ipſius fugitiui poena, non quod ignoſcendum putarint ſeruo, ſe in libertatem qualiterqualiter vindicaturo, ſed quod domini ipſius intereſſet, ſeruum non adfici ſupplicio.

§. CCCLVII.

Burgundiones.

Nec multo aliter lex Bvrgvndica, quae *tit.* 6. et praemium decernit ei, qui ſeruum e fuga retraxerit, *§.* 1. et impunitatem promittit perſequenti, ſi fugitiuum telo ſe defendentem occiderit, et poenam pecuniariam minatur omnibus, quorum ope et conſilio ſeruus fugerit, quiue ſeruo ſiue ſciens et prudens, ſiue rei inſcius, *capillum fecerit.* * Illum tantum, qui ſeruum falſis inſtrumentis inſtruxerat, manus amputatione plecti voluit Gundobaldus *tit. eod. §.* 11. ſeruum autem praeterea 300. fuſtibus caedi iuſſit.

* Quemadmodum apud gentes Germanicas, et Francos in primis, nullum nobilitatis argumentum certius erat caeſarie, et cincinnis, per humeros ſparſis, adeo, vt reges Francorum primae ſtirpis κατ' ἐξοχὴν crinitti dicerentur. Car. dv Fresne *gloſſar. Lat. Tom. I. pag.* 1262. *ſequ.* ita plebeii tonſi erant, Gregor. Tvron. *hiſt. Lib. III. cap.* 18. Sirmond. *ad Sidon. Apollin. Lib. I. Epiſt.* 2. *pag.* 8. multoque magis ſerui, quibus iam ab antiquiſſimo tempore capillos nutrire nefas erat. De Sueuis Tacit. *de mor. Germ. cap.* 28. *Inſigne gentis obliquare crinem, nodoque ſubſtringere. Sic Sueui a ceteris Germanis; ſic Sueuorum ingenui a* servis *ſeparantur.* At poſtea ad omnes reliquas Germanicae originis gentes hic mos tranſiit, adeo vt capillos ponere manifeſtiſſimum ſignum videretur ſeruitutis. Exempla ſunt in form. Pithoei *cap.* 75. et in concil. Epaon. *can.* 39. Ex his facile patet, quid hic ſit *capillum facere?* ſeruum puta fugitiuum tamdiu celare, donec capilli

capilli renati fuerint, vt homo coma promiſſa ingenuum mentiri poſſet. Ceterum et ex hoc illuſtrari poteſt ritus, eos detondendi vel decaluandi, quos notatos vellent infamia, de quo iam ſupra aliquid nos monere, meminimus.

§. CCCLVIII.

Sed et FRANCI poenam ſolidorum 35. irrogabant iis, qui mancipio fugam perſuaſiſſent, excepto capitali et dilatura. LEX SAL. *tit.* 41. §. 2. Iidem ſeruos fugitiuos miſſis per viciniam litteris patentibus, (quas hodie *ſteckbrieſſe* vocamus) perſequebantur, quarum exemplum eſt in MARCVLFI *adpend. cap.* 19. eoſdemque ex fuga retractos aliquando abſciſſione auris puniebant. GREG. TVR. *hiſtor. Lib. V. cap.* 48. Denique ab his moribus non admodum alieni fuerunt Boioarii, Alamanni, et LANGOBARDI, ceu ex eorum legibus, et quidem BAIVV. *tit.* 8. *cap.* 4. ALAM. *tit.* 21. *et* 85. LANGOB. *Lib. I. tit.* 25. patet, vt adeo illis immorari nihil attineat. *

Leges Francorum, Boioariorum, Alamannorum, Langobardorum, de hoc crimine.

* Id tamen non poſſumus, quin paucis notemus, ſeruos, qui ad eccleſias, tamquam ad aſylum, confugerant, vi abſtrahi non potuiſſe, reddendos tamen fuiſſe domino a ſacerdote, ſi ille poſito *wadio* vel pignore, promiſiſſet, ſe gratiam delicti ſeruo facturum. LEX ALAM. *tit.* 3. Deinde ſi ſacerdos ſeruum reddere nollet, et is ſe in fugam conieciſſet, eum domino vel eiuſdem pretii ſeruum, vel 18. ſolidos, reddere coactum, LEG. ALAM. *ibid.* quin apud Langobardos, ſi ter interpellatus reddere eum nollet, et fugitiuum et aliud eiuſdem pretii mancipium reſtituere debuiſſe. LEG. LANGOB. *Lib. I. tit.* 26. §. 1. Contra ſi quis ſeruum inuitum ex loco ſacro extraxerat, is apud Langobardos *werigeldum* ſuum; apud Alamannos 18. ſolidos eccleſiae, et 60. fiſco pro *fredo* ſoluere tenebatur. LEX LANGOB. *Lib. I. tit.* 39. §. 1. LEX ALAM. *tit.* 3.

§. CCCLVIIII.

Ceterum quemadmodum leges Germanicae ſemper eos poena digniſſimos iudicarunt, qui alienos ſubditos vel ſeruos celant, eiſque receptum dant, vel dominos impediunt, quo minus fugitiuos perſequi ac vindicare poſſint: ita caſtigationem fugitiuorum fere dominorum arbitrio relictam animaduertimus, modo ne in ſaeuitiam abiret illa caſtigatio. Qua de re plura reperias apud MEVIVM *in dem bedencken von dem zuſtand, abforderung vnd vervviederter abfolge der bauersleute quaeſt.* 2. *et* 3. quamuis fatendum ſit, auctorem celeberrimum maiorem gratiam initurum fuiſſe ab omnibus, ſi doctrinas ſuas ad patrii potius, quam Romani, quod vbique crepat, iuris principia attemperare voluiſſet.

Quale ius hodiernum?

§. CCCLX.

§. CCCLX.

Leges veterum de abigeatu.

Erant et furtorum quaedam genera, quibus ſingularis poena ex legibus Germanorum imminebat. Abigeos Oſtrogothi gladio feriebant, ſimulque ex damnati bonis domino quadruplum reſtitui volebant. Edict. Theod. §. 56. *ſequ.* Ripuarii abigeos, certum pecorum numerum furatos, quod crimen illis sonesti * dicebatur, 600. ſolidis mulctabant, praeter capitale et dilaturam. Lex Rip. *tit.* 18. §. 1. *ſequ.* Nec aliter Salii, niſi quod hi omnia pecorum genera numerumque et aetatem accurate diſtinguunt, adeoque diuerſas admodum mulctas irrogant abigeis. Lex Sal. *tit.* 2.

* Sonesti a *ſone* vel *ſenette*, *ſente*, quod gregem ſignificabat, teſte gloſſa Pithoei. Quod vocabulum et hodie Heluetiis in vſu eſſe docet Eccard. *ad leg. Sal. p.* 16. vbi etiam obſeruat, *ſeneſchallum* pro praefecto armentis occurrere in lege Alam. *tit.* 79. §. 3. a *ſone* vel *ſente*, grex et *ſchalk*, ſeruus, vti recte viderunt Lindenbrogivs et Vossivs, quamuis negari non poſſit, nomen illud, quod antea vili huic et abiecto miniſterio haeſerat, poſtea magnis regum adminiſtris datum eſſe, id quod etiam *mareſchalli* vocabulo accidiſſe, nemo ignorat.

§. CCCLXI.

De peculatu, et crimine derectariorum.

De pecvlatv vix quidquam in legibus Germanorum reperias, niſi quod Theodoricvs, rex Oſtrogothorum, *edicto ſuo* §. 115. cauet, vt qui pecuniam, fiſco vel publicis rationibus competentem, furatus ſit, quadruplum reddere cogatur: quum contra apud Wiſigothos nouecuplum reſtituere cogeretur peculator. Lex Wisig. *Lib. VII. tit.* 2. §. 10. Derectarivs apud Langobardos, in aedibus alienis deprehenſus, ſi manus ligandas non praeberet, impune occidebatur, ligatus 80. ſeruus 40. ſolidis, a domino ſoluendis, mulctabatur. Leg. Lang. *Lib. I. tit.* 24. §. 1. *ſequ.* vbi rationem addit Rotharis rex: *Quia non conuenit rationi, vt liber homo noctis tempore in curte aliena ſilentio aut abſconſe ingrediatur, ſed, ſi quam vtilitatem habet, antequam intret, clamet.*

§. CCCLXII.

Quale ius hodiernum de his criminibus?

Enimuero hodie eo deuenimus, vt abigei et peculatores, vt alii fures, puniantur, niſi leges prouinciales et ſtatuta vtrique delicto grauiorem poenam irrogari iubeant, quale quid de equorum abigeis in terris Brunſuicenſibus conſtitutum nouimus. Derectarios, quia nondum deliquerunt, quamuis furandi conſilio in aedes alienas irruperint, arbitrarie eſſe puniendos, nemo dubitaue-

bitauerit. Et exſtat apud SCHILT. *Exerc. XXXXVIIII. §. 42.* exemplum derectarii, ictibus caeſi, quod et effractio et conſpiratio cum aliis furibus concurrerent.

§. CCCLXIII.

Criminis repetundarum poena ex legibus veterum.

Quam maxime maiores noſtri abhorrebant a crimine REPETVNDARVM, ac proinde ſeuere animaduertebant in magiſtratus et iudices, qui ſe vel corrumpi ab alio paſſi fuerant, vel obtentu officii aliqua a ciuibus exegerant. Sane LEX WISIGOTH. *Lib. XII. tit. 1. §. 2.* eos, dignitate priuatos, decem auri libris mulctat. Seuerior Theodericus, rex Oſtrogothorum, ſingularis exempli princeps, iudices, qui vt aduerſus caput innocentis ſententiam ferrent, pecuniam accepiſſent, capitis damnat, eos, qui ad opprimendum alterius ſtatum, fortunaſue euertendas pecunia ſe corrumpi paſſi eſſent, quadruplum reſtituere; magiſtratus quoque dignitate priuatos, omnium, quae a prouincialibus iniuſte exegiſſent, quadruplum praeſtare: eorum vero officia et adparitores ob huiuſmodi exactiones praeterea fuſtibus caedi iuſſit. EDICT. THEOD. §. 1. *ſequ.* Ex BAIVVARIORVM LEGE *tit. 2. cap.* 18. iudice pecunia corrupto, is, ſecundum quem litem dederat, omne lucrum redhibere, iudex vero duplum reſtituere, ſimulque 40. ſolidos fiſco pendere cogebatur. Denique ex LEGE RIPVARIORVM *tit.* 88. hoc crimen, ſiue ab optimatibus, maioribus domus, domeſticis, comitibus, grafionibus, cancellariis, ſiue a quibuſlibet honoratis admiſſum, capitale eſt *.

* Vbi ſane obſeruatu digniſſimum eſt, hanc legem de ſupplicio iudicum, pecunia corruptorum, latam eſſe *conſenſu et conſilio, ſeu paterna traditione, et legis conſuetudine*, vt dubitari nequeat, quin haec ſit conſuetudo Germanorum antiquiſſima. Et ſane inter crimina comitum, ob quae eos vel dignitate, vel vita priuatos legimus, plerumque etiam fuere corruptio et ſordes. Exemplum Leudaſtis eſt apud GREG. TVR. *hiſt. Lib. V. cap. 48. ſequ.*

§. CCCLXIIII.

Ex iure hodierno.

At hodie, quum de hoc crimine nihil ſanxerit NEMESIS CAROLINA, (neque enim *art.* 205. huc pertinere, recte obſeruarunt alii,) fere arbitrariae poenae locus eſt aduerſus iudices corruptos, eoſque, qui pecunias a prouincialibus et ſubditis exegerunt. Eam vero poenam in priuatione dignitatis, relegationeque conſiſtere poſſe, docet CARPZ. *quaeſt.* 93. Quin vix dubitandum, quin et hodie capitis videatur damnandus, qui pecu-

nia corruptus, innocentem capitis damnarit, ob ſummam aequitatem *l. 7. §. vlt. D. ad leg. Iul. rep.*

§. CCCLXV.

Leges de concuſſione, admenatione, damnis ab apibus datis, receptatoribus, aliisque facinoroſis.

Sed ne nimis diu his delictis inhaereamus: paucis notamus, de CONCVSSIONE exſtare ſanctionem THEODERICI *edict.* §. 89. vt, *ſi quis ſibi, vt aliquem terreat, militiam confinxerit vel adſumſerit, quum non habeat poteſtatem, viliores fuſtibus caeſi perpetuae relegationis mala ſuſtineant, honeſtiores exſilii patiantur incommoda:* de eo quoque delicto, quod ADMENATIONEM hodie vocant, caueri LEGE BVRG. *tit.* 37. vt, *qui ſpatham, aut ſemiſpathium eduxerit ad percutiendum alterum, et non percuſſerit, inferat mulctae nomine ſol.* 12. ſin percuſſerit, tantumdem inferat, et de inflicto vulnere ſeorſum iudicetur. Denique exſtare etiam ſanctionem de DAMNIS ab abipus datis LEG. WISIG. *Lib. VIII. tit. 6. §.* 2. de RECEPTATORIBVS, EDICT. THEOD. §. 116. et LEG. RIPVAR. *tit.* 78. de SCANDALIS ad caudam ligatis, LEG. BVRG. *tit.* 34. de CASTRATIONE ingenuorum, LEG. RIPVAR. *tit.* 6. de LIGATIONE ingenuorum hominum, *LEG. SAL. *tit.* 34. ſimilibuſque criminibus, quae omnia hodie aliter, ac olim, puniri ſolent.

* De eo, qui in cauſſa fuit, vt innocens in vinculis publicis habeatur, gloſſa IVR. SAX. PROV. *Lib. II. art.* 34. tradit: *der abtrag umb unrecht gefängnis und ſcharffe frage ſey 30. ſchilling, mit vviederkehrung bevveiſslicher ſchaeden, und expens, auff richterliche ermeſſigung, ſo manchen tag und nacht er gefänglich enthalten gevveſen.* Idque et hodie obtinet, ſiquidem et iudex, qui quem iniuria in vinculis habuit, et priuatus, qui hanc cuſtodiam iniuria impetrauit, pro ſingulis diebus et noctibus condemnatur in 30. ſolidos, ſeu, vt ibi loquuntur, *duas ſexagenas veteres, in zwey alte ſchock*, vel 40. groſſos. De qua *emenda Saxonica*, quam vocant, vel *von der Sachſen buſse*, plura dabunt doctores Saxonici. De vſu hodierno teſtatur MENKEN. *theor. et prax. pand. Lib. XXXXIII. tit.* 1. §. 8. *p.* 1529. *Tomo II.*

TIT. XXX.

DE VARIIS DELICTORUM POENIS.

§. CCCLXVI.

Tranſitio ad doctrinam de poenis.

EAdem parte, qua de criminum perſequutione agunt pandectae, nonnulla huic tractationi partim praemittuntur, partim ſub-

ſubiiciuntur, de accuſationibus et inſcriptionibus, de cuſtodia et exhibitione reorum, de abolitione criminum, de requirendis vel abſentibus damnandis, denique de quaeſtionibus, aliiſque eo pertinentibus; ſed quum haec rectius poſſint ad librum tertium, qui eſt de actionibus et iudiciis, referri; ſuffecerit hic vel pauca tantum ſubiicere de POENIS delictorum variis, vt, quales iſtae tum antiquiſſimis temporibus, tum medio aeuo, fuerint, eo facilius adpareat, ſimulque veteres et hodierni mores eo rectius poſſint inter ſe comparari.

§. CCCLXVII.

Quum poena ſit malum paſſionis a ſuperiore ob malum actionis inflictum: recte exiſtimarunt Germani, quidquid hominibus honeſtum, iucundum, vtile ac pretioſum eſt, eius iacturam maximum dolorem triſtiſſimumque ſui deſiderium relinquere, ac proinde in iactura non modo VITAE et MEMBRORVM, verum etiam EXISTIMATIONIS, LIBERTATIS, OPVM, PATRIAE, poenam conſiſtere poſſe. Praeterea, quum et a verberibus, certiſque factis, quam maxime abhorreant homines: ea quoque loco poenarum eſſe poſſe, ipſa recta ratio docebat. * Quid poena?

* Eſt haec communis omnibus mortalibus philoſophia, malum ferre debere, qui mali quid fecerit, vt iſtius et ſenſu ipſe facinoroſus, et ſpectaculo alii a ſimili delicto in poſterum abſterreantur. Hinc PINDARVS *Nemeor. od.* 4.

ἐπεὶ
Ῥέζοντά τι καὶ παθεῖν ἔοικεν
Quum
Agentem quid etiam ferre aliquid oporteat.

Et notiſſimus eſt verſus tragicus:

Τὸν δρῶντα πᾶν τι καὶ παθεῖν ὀφείλεται.
Agentem aliquid et pati ſimile quid decet.

Nec minus nota illa EVRIPIDIS in Hecuba:

Ἐπεὶ τὰ μὴ καλὰ
Πράσσειν ἐτόλμας, τλῆθι καὶ τὰ μὴ φίλα.
Quando, malum quod eſt,
Feciſti, et id, quod non placet, merito feras.

Talia et apud omnium gentium ſcriptores occurrunt, vt dubitari nequeat, quin hoc ſit ius non ſcriptum, ſed natum, ad quod non inſtituti, ſed imbuti omnes ſumus.

§. CCCLXVIII.

Itaque poenae vel ſunt PRIVATIVAE, quae in priuatione eius, quod cuique cariſſimum eſt, conſiſtunt, eaeque, ſi cum capitis periculo ſint coniunctae, CAPITALES; ſin ſalua vita * infligantur, NON CAPITALES dicuntur: vel POSITIVAE, quando, qui deliquit, pati vel facere aliquid, a quo alias quam maxime abhorret, cogitur. Poenae priuatiuae, poſitiuae; capitales, non capitales.

* Neque enim ſubtilis illa Romanorum doctrina de capite ciuili Germanis ad palatum fuiſſe videtur. Negari quidem non poteſt, et exſilium illis pro poena fuiſſe, et ipſam addictionem in ſeruitutem. At capitales tantum illae dicebantur poenae, *welche einem an den hals gingen*, non capitales, quae vitam non perimebant, vtraeque vel erant *peinliche*, quae vel vitam eripiebant, vel corpus ſaltim doloribus exquiſitiſſimis excruciabant; vel *nicht peinliche*, quae bonis potius damnum inferebant. Gloſſa WEICHB. SAX. *art.* 17. *Peinliche klage iſt anders nicht, denn da man fodert von dem bruchhafftigen ſeine verdiente pein, vnd keinen abtrag noch buſſe*, attamen et relegationem et infamiam ad poenas, dolorem excitantes, (*peinliche ſtraffen*) referri conſueuiſſe, docet SCHILTER. *Exerc.* *XXXXVIIII.* §. 63.

§. CCCLXVIIII.

Apud veteres receptae poenae viuicomburii, ſuſpendii, decollationis, rotae.

Poenas capitales rariſſimas apud veteres Germanos fuiſſe, iam ſupra oſtendimus. Neque tamen ſemper eos vitae peperciſſe, exiſtimandum eſt. Et quidem poena omnium atrociſſima VIVICOMBVRIVM eſt, receptum WISIGOTHIS, *Lib.* 3. *tit.* 4. §. 14. qui ei aliquando et fuſtigationem praemittebant. IBID. *Lib. III. tit.* 2. §. 2. et *Lib. XI. tit.* 2. §. 1. Eamdem poenam et FRANCI ex legibus Rom. adoptauerant: CAPITVL. *addit.* 4. §. 160. Alias notiſſima Germanis ſupplicia erant ſuſpendium ex patibulo vel arbore, LEG. SAL. *tit.* 80. §. 1. *ſequ. et tit.* 29. §. 9. (§. 361. *) DECR. CHILDEB. §. 8. LEX RIP. *tit.* 79. capitis amputatio, LEX SAX. *tit.* 2. §. 8. *et* 9. *tit.* 3. §. 1. immo et rota vel crurifragium, quod vulgo recentius eſſe credunt. *

* Teſtimonium omni exceptione maius eſt in AVDOENI *vita S. Eligii Lib. II. cap.* 31. *Hoc apud regem obtinuerat, vt omnia humana corpora, quae vel regis ſeueritate, vel iudicum cenſura, perimebantur, ſiue per ciuitates, ſiue per villas, licentiam haberet et de bargis, et ex* ROTIS, *et de laqueis ſepelire.* Quin multo ante illa tempora rotae ſupplicium non vnius generis ipſis Romanis non ignotum fuiſſe, ex actis martyrum patet: ex quibus illud fuſius deſcripſit SAGITTAR. *de cruciat. mart. cap.* 18. §. 4. *ſequ.*

§. CCCLXX.

Lapidationis, ſuffocationis, immolationis.

Erant et alia ſuppliciorum genera, ſed minus frequentia: ad quae merito referas LAPIDATIONEM, Francis non ignotam. GREG. TVRON. *hiſt. Lib. IIII. cap.* 44. de Sigeberto iuniore: *Sed ille, vt erat intrepidus, adſcenſo equo, ad eos dirigit, eoſque verbis lenibus demulſit, multos ex eis poſtea* LAPIDIBVS *obrui praecipiens.* AIMON. *de geſt. Franc. Lib. III. cap.* 93. *Porro ſaepe dictus Theodericus -- S. Deſiderium, Viennenſem pontificem, exſilio reuocatum* LAPIDARI *praecepit.* Eiuſdem generis eſt SVFFOCATIO IN AQVIS, qua ſortilegos

Digitized by Google

legos praecipue plexos eſſe, ſupra (§. 355. *) ex ANNAL. FRANC. *apud Pith. p.* 406. NITHARD. *de diſſenſ. filior. Ludouici Lib. I. p.* 440. et THEGANI *de geſt. Ludouici cap.* 53. *p.* 318. demonſtrauimus. Sed nullum fortaſſis rarius et ſtolidius dixeris illo FRISICO *addit. tit.* 12. *Qui fanum effregerit, et ibi aliquid de ſacris tulerit, ducitur ad mare, et in ſabulo, quod acceſſus maris operiri ſolet, ſinduntur aures eius, et caſtratur, et immolatur diis, quorum templa violauit.*

§. CCCLXXI.

Aliquando laeſo tradebatur is, qui deliquerat, ea lege atque omine, vt ipſe pro arbitrio ſtatueret, quo eum mortis genere perire vellet. Exemplum eſt in LEGE BAIVVAR. *tit.* 2. *cap.* 1. §. 1. *et* 3. LEG. WISIG. *Lib. VI. tit.* 2. §. 2. Aliquando et pecunia redimere mortem licebat, LEG. SAL. *tit.* 34. §. 5. *tit.* 53. §. 2. ALAM. *tit.* 24. LANGOB. *Lib. I. tit.* 1. §. 4. *et tit.* 2. §. 3. vel iudicis relictum erat arbitrio, ſupplicium a reo ſumere, an ei gratiam eius facere, oculoſque eruere, LEX WISIG. *Lib. VI. tit.* 3. §. 7. vel illum in exſilium agere mallet: LEX ALAM. *tit.* 25. quamuis et ipſos reos non raro ſe laeſis addixiſſe in ſeruitutem, eoque modo ſupplicium euitaſſe,* iam ſupra (Lib. I. §. 37.) ex MARCVLFI *form. Lib. II. cap.* 36. *et* 58. oſtenderimus. Denique ſaepe ſupplicium *cum tormentis ſumtum*, LEX FRIS. *tit.* 20. §. 3. at numquam illud reo, niſi publice, irrogatum eſſe, nouimus. LEX WISIG. *Lib. VII. tit.* 4. §. 7.

Addictionis in ſeruitutem.

* Apud Burgundiones etiam vxorem et liberos aliquando ſimul addictos eſſe laeſo, legimus. LEG. BVRG. *tit.* 47. §. 1. *et* 2. At humaniores WISIGOTHI *Lib. VI. tit.* 1. §. 8. *Omnia*, inquit, *crimina ſuos ſequantur auctores. Nec pater pro filio, nec filius pro patre, nec vxor pro marito, nec maritus pro vxore, nec frater pro fratre, nec vicinus pro vicino, nec propinquus pro propinquo vllam calumniam pertimeſcat. Sed ille ſolus iudicetur culpabilis, qui culpanda commiſit, et crimen cum illo, qui fecerit, moriatur, nec ſucceſſores aut heredes pro factis parentum vllum periculum pertimeſcant.* Apud Francos aliasque gentes Germanicae originis non quidem directe damnabantur cognati: ſiquidem diſerte cautum fuerat CAPITVL. *Lib. VI.* §. 53. *vt non occidantur patres pro filiis, nec filii pro patribus, ſed vnuſquiſque pro peccato ſuo moriatur*: at participes tamen poenae erant eatenus, quatenus faidae ſeu bella priuata ad vniuerſam familiam delinquentis pertinebant, et haec pro cognato etiam ſoluere aut bonis cedere tenerentur. Quamobrem poſtea hanc ceſſionem, quae Francis *chrenechruda* dicebatur, abrogatam animaduertimus DECRETIONE CHILDEBERTI *regis* §. 15. addita ratione, *quia per ipſam cecidерit multorum poteſtas*, id eſt, vt ego interpretor, quia ſaepe contigerit, vt ob vnius delictum totae familiae ad incitas redigerentur.

§. CCCLXXII.

Mutilationis, qua reus priuabatur oculis, auribus, naſo, manu, virilibus.

A vita ſi diſceſſeris, nihil homini membris ſuis, eorumque integritate, carius eſt, quum ſine iis non poſſis niſi miſerum trahere ſpiritum, vitamque ipſa morte acerbiorem agere. Hinc et in praecipuorum membrorum amputatione vel corruptione poenam conſiſtere voluerunt Germani, veluti in eſfoſſione oculorum, LEG. WISIG. *Lib. II. tit.* 1. §. 7. *Lib. VI. tit.* 3. §. 7. LEG. BAIVV. *Lib. I. cap.* 6. §. 1. LEG. LANGOB. *Lib. I. tit.* 25. §. 61. auris abſciſſione LEG. FRIS. *addit. tit.* 12. naſi *ſcalpellatione*, vti vocatur LEG. LANGOB. *Lib. I. tit.* 25. §. 61. *et* 67. vbi conf. LEG. WISIG. *Lib. XII. tit.* 3. §. 4. manus amputatione * LEG. WISIG. *Lib. VII. tit.* 5. §. 1. *Lib. VII. tit.* 6. §. 2. LEG. BVRG. *tit.* 6. §. 11. *et tit.* 15. §. 1. BAIVVAR. *Lib. I. tit.* 6. §. 1. LANGOB. *Lib. I. tit.* 28. §. 1. *et* 2. et *tit.* 29. §. 1. denique in caſtratione. LEG. WISIG. *Lib. III. tit.* 5. §. 7. LEG. FRIS. *addit. tit.* 12.

* Attamen et haec pecunia redimi poterat, ſaltim apud Burgundiones, oeu patet ex LEG. BVRG. *tit.* 15. §. 1. Quin generatim exiſtimo hanc redimendi facultatem conceſſam eſſe reis, ſiquidem et ipſam vitam pecunia redimere pleriſque caſibus licebat. vid. LEG. SAL. *tit.* 34. §. 5. *et tit.* 53. §. 2. ALAM. *tit.* 24. LANGOB. *Lib. I. tit.* 1. §. 4. *et Lib.* I. *tit.* 2. §. 3. Ceterum notatu digniſſimum eſt, ipſos aliquando ejuſdem delicti ſocios coactos eſſe, ſibi inuicem carnificum operam praeſtare. Exemplum habes in CAPIT. *anni* 824. §. 6.

§. CCCLXXIII.

Poena talionis.

Quemadmodum porro nihil videri poteſt aequius, quam ius illud TALIONIS, quod ipſae leges diuinae ſaepe inculcant: ita non mirum, illud et gentibus Germanicis placuiſſe. LEX WISIG. *Lib. VI. tit.* 4. §. 3. *Quicumque ingenuus ingenuum pertinaciter auſus decaluare, aut turpibus maculis in facie vel cetero corpore, flagello, fuſte, ſeu quocumque ictu, feriendo aut trahendo malitioſe foedare vel maculare, ſiue quamcumque partem membrorum truncare, praeſumſerit, aut etiam ligauerit, vel in cuſtodia, aut in quocumque vinculo detinuerit, ſeu ligari ab aliquo, aut cuſtodia vel vinculo mancipari praeceperit, iuxta quod alii intulerit, vel inferendum praeceperit, correptus a iudice, in ſe recipiat* TALIONEM. Sed et calumnioſe accuſantem ea poena, qua plectendus fuiſſet reus, ſi criminis conuictus fuiſſet, plectendum eſſe ſancit LEX BAIVVAR. *tit.* 8. *cap.* 17. §. 1.

§. CCCXXIIII.

Digitized by Google

§. CCCLXXIIII.

Quo rariora vero erant ſupplicia capitalia, eo frequentius crimina atrociora fuſtigatione vel flagellatione ſolebant expiari. Idque aliquando fiebat extenſo reo. * LEG. WISIG. *Lib.II. tit.*2. *§.* 20. *et* 23. LEG. BAIVVAR. *tit.* 8. *cap.* 6. aliquando non extenſo: itemque vel ſine infamia, LEG. WISIG. *Lib. II. tit.* 2. §. 18. vel cum infamia, quando cum decaluatione coniunctum erat ſupplicium hoc fuſtuarium. IBID. *Lib. III. tit.* 3. §. 8. LEG. LANGOB. *Lib. I. tit.* 17. §. 5. CAPITVL. *Lib. VII.* §. 335. Attamen et hanc poenam, quae *diſciplinae corporalis* nomine venit in LEGE LANGOB. *Lib. I. tit.* 12. *§.* 3. *et tit.* 18. *§.* 2. aliquando redimi potuiſſe, vel eo praecipue caſu, ſi mulcta ſolui non poſſet, locum habuiſſe, patet ex DECRET. CHILDEB. *regis.* §. 14. et LEG. SAL. *tit.* 43. *§.* 1. Fuſtigationis, et flagellationis.

* Haec extenſio fiebat poenae cauſſa. At ſaepe etiam dirae quaeſtiones in eo conſiſtebant, vt homo extenſus in eculeo vel ſcamno, vel ex eodem ſuſpenſus, flagris caederetur. GREG. TVR. *hiſt. Lib. VI. cap.* 35. LEG. SAL. *tit.* 43. §. 1. Machinam illam, modumque reos extendendi ſuſpendendique luculento iconiſmo ob oculos poſuit ANT. GALLON. *de mart. cruciat. p.* 41. vnde illum in ſuas ad legem Salicam notas tranſtulit expoſuitque ECCARDVS *p.* 80. quocum coniungi meretur SAGITTAR. *de cruciat. mart. cap.* 17. §. 1. *ſequ. p.* 313. *ſequ.*

§. CCCLXXV.

Enimuero neſcio, an non omnibus his poenis, corpus quantumuis adfligentibus, atrocior fuerit ADDICTIO rei in ſeruitutem, multis gentibus Germanicis familiariſſima. LEG. WISIG. *Lib. II. tit.* 4. §. 7. LEG. BVRG. *tit.* 12. *§.* 2. ALAM. *tit.* 38. §. 4. *et tit.* 39. §. 2. BAIVVAR. *tit.* 6. *cap.* 2. *§.* 2. LANGOB. *Lib. I. tit.* 25. *§.* 60. Saepe enim laeſo addicebatur reus, aliquando fiſco, aliquando et alii, cuicumque Rex vellet. * LEG. WISIG. *Lib. III. tit.* 4. *§.* 17. Addebantur etiam addictioni certae leges, veluti, vt reus in tranſmarinas prouincias exportaretur, LEX WISIG. *Lib. VI. tit.* 3. *§.* 7. vt pretium inter fiſcum eumque, qui laeſus eſſet, diuideretur, LEX WISIG. *Lib. III. tit.* 3. *§.* 5. et quae ſunt aliae eius generis conditiones, inter quas et illa fuiſſe videtur, vt reus, oblato vel ab ipſo, vel a familia, pretio, eſſet manumittendus. LEX LANGOB. *Lib. I. tit.* 25. §. 60. Addictionis.

* Aliquando

* Aliquando non tam fiſco addicebatur reus, quam *vicinae ciuitatis deputabatur collegio.* Quod quid ſit, iam ſupra oſtendimus. (§. 218. *) Iam monemus, apud Langobardos olim ſimili modo feminas, quae velum ſumſerant, ſi ſtuprum paſſae eſſent, gynaeceo fuiſſe addictas, ante tempora Lotharii I. Imperatoris, qui eam poenam aboleuit Leg. Langob. *Lib. II. tit.* 37. §. 6.

§. CCCLXXVI.

Carceris perpetui. Quamuis porro carceris perpetui poena illegitima Romanis videretur: *l.* 8. §. 9. *l.* 35. *D. de poen.* eam tamen omnino non abſurdam eſſe, exiſtimarunt gentes Germanicae, maxime ſi crimen capitale non haberetur, et intereſſet tamen reip. reo non permitti licentiam vagandi, vbicumque vellet, veteraque flagitia nouis quotidie cumulandi. Vocatur hic carcer perpetuus apud Wisigothos *ardua detruſio*, Leg. Wisig. *Lib. III. tit.* 5. §. 5. itemque *retruſio* ibid. *Lib. VI. tit.* 2. §. 3. * quam poenam priore loco pontifices infligere iubentur. Nec aliud eſt bastonicvm in capitvlar. *Lib. VI.* §. 96. de quo iam ſupra egimus (§. 70. *)

* Quo loco et illa *retruſionis* vel arduae detruſionis poena ita deſcribitur: *Quos tamen iudex, ne vlterius euagantes talia facere permittantur, in retruſione faciat eſſe, vt ibi accepta veſte, atque ſubſtantia, (ἀέρα ἐπιούριον) ita viuant, ne viuentibus nocendi aditum habeant.*

§. CCCLXXVII.

Exſilii. Proximum huic poenae fuit exsilivm, ita comparatum apud Germanos, vt rei non ſolum ius in patria commorandi, ſed et bona ſua, plerumque amitterent, vt adeo non multum inter Romanam deportationem, et exſilium illud Germanicum, diſcriminis fuiſſe videatur. Tale ſane fuit exſilium apud Wiſigothos, Leg. Wisig. *Lib. II. tit.* 1. §. 7. Francos, Leg. Rip. *tit.* 69. §. 2. Decret. Childeb. §. 4. Alamannos, Leg. Alam. *tit.* 35. §. 1. non autem apud Saxones, qui exſulibus vt bona ſua venderent, certis conditionibus permittebant: Leg. Sax. *tit.* 16. nec apud Langobardos, ceu patet ex eorum Lege *Lib. I. tit.* 37. §. 1. vbi publicationis bonorum plane non fit mentio. Ceterum patria ita extorres a Germanis vocatos eſſe wargos in Lege Sal. *tit.* 57. §. 5. et Ripvar. *tit.* 85. §. 2. iam ſupra monuimus.

§. CCCLXXVIII.

§. CCCLXXVIII.

Quamuis vero pleraeque poenae atrociores, et maxime fuſtigatio, cum decaluatione coniuncta, famoſae eſſent; aliquando tamen et leges Germanicae facta quaedam, quamuis huiuſmodi poena non infligeretur; infamia notabant, vel reum omni dignitate priuabant. Exempla habes in LEG. WISIG. *Lib. II. tit.* 1. §. 7. BVRG. *tit.* 44. §. 1. Sed de hac exiſtimationis priuatione vel infamia iam ſupra (*Lib. I.* §. 390. *ſequ.*) plura nos dicere, meminimus. **Infamiae.**

§. CCCLXXVIIII.

Sed omnium frequentiſſima erat poena PECVNIARIA, vel, quae in bonorum iactura conſiſtebat. Ac primo quidem aliquando vniuerſa ſubſtantia reo eripiebatur, et ſiue propinquis, ſiue fiſco, ſiue vtrique addicebatur: LEG. WISIG. *Lib. II. tit.* 1. §. 7. *Lib. II. tit.* 1. §. 8. LEG. ALAM. *tit.* 39. §. 1. *et tit.* 40. LEG. BAIVVAR. *Lib. VI. tit.* 1. §. 2. RIPVAR. *tit.* 69. *cap.* 1. *et* 2. LANGOB. *Lib. I. tit.* 1. §. 1. *ſequ. Lib. II. tit.* 8. §. 5. aliquando hereditate tantum vel eius parte aliquis priuabatur. LEX ALAM. *tit.* 35. §. 1. *et tit.* 38. §. 3. **Bonorum priuationis.**

§. CCCLXXX.

Plerumque tamen ob atrociora delicta et fiſcus poenam fiſcalem, *fredum, bannum, compoſitionem regalem*; et laeſus, vel eius familia *compoſitionem, vveregeldum, vvidrigildum, faidam*, capiebat, et quidem vel certam ſolidorum ſummam; vel duplum, LEG. WIS. *Lib. VIII. tit.* 1. §. 7. BVRG. *tit.* 39. §. 4. ALAM. *tit.* 14. *et tit.* 31. §. 1. BAIVVAR. *tit.* 1. *cap.* 8. §. 1. *ſequ.* vel triplum, LEG. WISIG. *ibid.* BVRG. *tit.* 4. §. 3. SAL. *tit.* 66. §. 1. ALAM. *tit.* 13. §. 1. *tit.* 21. §. 1. BAIVVAR. *tit.* 1. *cap.* 10. §. 1. RIPVAR. *tit.* 11. §. 1. *et* 2. SAX. *tit.* 5. §. 1. ANGL. *tit.* 8. FRIS. *addit. tit.* 3. vel quadruplum, LEG. WIS. *Lib. III. tit.* 3. §. 3. vel ſextuplum, LEG. BVRG. *tit.* 12. §. 1. vel ſeptuplum, LEG. WIS. *Lib. VIII. tit.* 1. §. 5. vel octuplum, ſeu octogildum, LEG. LANG. *Lib. I. tit.* 19. §. 6. vel nonigildum, LEG. WISIG. *Lib. VII. tit.* 2. §. 10. BVRG. *tit.* 8. §. 2. *tit.* 19. §. 11. SAX. *tit.* 4. §. 7. FRIS. *tit.* 7. §. 1. LANG. *Lib. I. tit.* 25. §. 12. vel denique vndecuplum. LEG. WISIG. *Lib. VIII. tit.* 1. §. 6. *et* 10. *Lib. VIIII. tit.* 2. §. 2. * **Mulctae.**

* Sunt et hic quaedam ſingularia: veluti (1. quod aliquando et hae ipſae mulctae multiplicarentur. Hinc paſſim reperias octogild duplum, LEG. LANGOB. *Lib. I. tit.* 34. §. 1. tria nonigilda, LEG. ALAM. *tit.* 32. vel trinungildum, LEG. BAIVV. *tit.* 1. *cap.* 3. §. 3. nouem nonigilda, IBID. *tit.* 27. §. 1. (2. quod aliquando loco pecuniae pecudes, vel boues exigerentur: LEX RIPVAR. *tit.* 26. §. 1. LEX BVRG. *tit.* 27. §. 9. BAIVV. *tit.* 6. *cap.* 2. §. 1. (3. quod ſaepe mulctae quantitas non numero, ſed pondere, aeſtimaretur: cuius rei inſigne exemplum eſt in LEG. BAIVVAR. *tit.* 1. *cap.* 11. §. 1. vbi ab epiſcopi percuſſore mulctam hanc praegrandem exigi animaduertimus: *Si quis epiſcopum, quem conſtituit rex, vel populus ſibi elegit pontificem, occiderit, ſoluat eum regi vel plebi, aut parentibus, ſecundum hoc edictum. Fiat tunica plumbea ſecundum ſtatum eius, et, quod ipſa penſauerit, tantum donet, qui eum occidit, et, ſi aurum non habet, donet aliam pecuniam, mancipia, terram, villas, et quidquid habet, vſque dum impleat debitum. Et ſi non habet tantam pecuniam, ſe ipſum, et uxorem, et filios tradat ad ipſam eccleſiam in ſeruitutem, vſque dum ſe redimere poſſit.* Denique (4. diuturnae compoſitionis, id eſt, per omnem vitam duraturae, exemplum iam ſupra vidimus ex eadem LEGE BAIVVAR. *tit.* 7. *cap.* 20. (§. 296.)

§. CCCLXXXI.

Poenae in foro delicti, et praeuia conuictione infligendae.

Ceterum quemadmodum Romanorum leges ob oculos habuiſſe, et paullulum correxiſſe videtur THEODORICVS *rex*, *edict.* §. 103. dum eo loco, vbi facinus fuerat commiſſum, deferri illud et vindicari iuſſit, ſimulque reos, qui accuſantur, de prouincia ad aliam prouinciam tranſmitti vetuit, *ne per longum iter eriperentur, aut fugerent:* ita ipſa aequitas Germanis facile perſuaſit, ne ob ſolas ſuſpiciones cuiquam poena infligeretur. Hinc CAPITVL. *Lib. VI.* §. 149. *Non paſſim damus accuſandi vel puniendi licentiam, niſi aut manifeſtis indiciis patuerit ſcelus, aut legitime fuerit ad ipſum mallum accuſatum atque conuictum.* Quam arduum autem hoc fuerit negotium, reum conuincere, ob conſacramentalium et certaminum ſingularium ambages, infra ſuo loco patebit.

§. CCCLXXXII.

Poenae capitales, quarum meminit ius Sax. et Sueu.

Earumdem fere poenarum mentionem fieri animaduertimus inſequente aeuo. Nam et viuicomburio, (*durch brennen auff einer horde*,) in quoſdam animaduertebant, IVR. PROV. SAX. *Lib. II. art.* 13. et poena cullei, IVR. PROV. SVEV. *cap.* 231. nec non rota, IVR. PROV. SAX. *Lib. I. art.* 13. SVEV. *cap.* 114. laqueo vel patibulo, (*mit der vvyde*) IVR. PROV. SAX. *ibid. et Lib. II. art.* 27. gladio, * IVR. PROV. SAX. *Lib. II. art.* 13. et denique lapidatione, (*mit verronung mit ſteinen.*) IVR. PROV. SVEV. *cap.* 29.

* Vbi

* Vbi notatu dignum eſt, poenam ſtupri violenti, quae et ipſa capitalis erat, etiam bruta animantia ſubiiſſe, quibus ſtupratores tunc vſi fuerant. Ivs prov. Sax. *Lib. III. art.* 1. *Alle lebendige ding, die bey der notzǔung vvaren, die ſoll man enthaupten.* Vbi gloſſa: *Als die pferd, vvelche ſie nugen, vnd die leut, die dazu vorſchub thaeten, vnd endlich alles lebendiges, ſo dazu hülff gethan hat. Auch ſoll man die pferde, da ſie auff ſein vvegkommen, enthaupten.*

§. CCCLXXXIII.

Reliquas poenas hoc aeuo ita diſtingui animaduertimus, vt aliquae exitio ſint famae atque exiſtimationi, aliae corpori, aliae ſanitati, *es gieng einem an ehre, an leib, oder an geſund.* Ivs prov. Sax. *Lib. II. art.* 29. Exiſtimationi noxia erat infamia, de qua ſupra, quantum ſatis eſt, diximus: Ivr. prov. Sax. *Lib. II. art.* 13. fuſtigatio, quam vocabant: *haut vnd haar abſchlagen*, de qua itidem iam ſupra actum. Iam addimus, reos aliquando caeſos eſſe *mit* 32. *ſchlägen, mit einer grünen gerte, die zvvey daum-elen lang vvar*, Ivr. prov. Sax. *Lib. II. art.* 26. quamuis speculatori Svevo *cap.* 114. *§.* 2. magis placuerit ſcrupuloſior Iudaeorum obſeruatio, adeoque is 39. ictus (*vierzig vveniger einen*,) infligi reo voluerit: denique ſanitati mutilatio, cuius frequentiſſimae ſpecies erant amputatio manus, Ivs prov. Sax. *Lib. II. art.* 16. *et* 26. et aliquando linguae. Ivs prov. Sax. *Lib. I. art.* 59. Omnes vero poenas complecti videbatur proſcriptio abſentium, *die acht vnd oberacht*, de qua Ivs prov. Sax. *Lib. II. art.* 45.

Poenae, quae exitio ſunt famae, corpori et ſanitati.

§. CCCLXXXIIII.

Sed vel maxime mvlcta hoc aeuo frequentiſſima erat; eaque vel iudici ſoluenda, quae vocabatur *die vvette*, vel laeſo, quae vocabatur *die buſſe*, quacum non confundenda ſatisfactio, quae dicebatur *das vveergeld.* Mulcta, iudici pendenda, diuerſa erat pro dignitate ipſius iudicis. Sic e. g. comiti palatino, landgrafio et comiti debebatur mulcta 60. ſolidorum, marchioni 30. ſolidorum, ſculteto 8. ſolidorum, aduocato (*dem belehnten voigt*,) 3. ſolidorum, gaugrafio ſex numorum vel vnius ſolidi, *oder vvie der landleuthe vvillköhr ſtehet*; *dem bauermeiſter* ſex numorum, vel trium ſolidorum *vor haut vnd haar. Vnd das iſt dann der bauren in der gemeine, zu vertrincken.* Ita specvl. Saxo *Lib. III. art.* 64. Vnde specvlator Svevvs

Mulcta, et primo quidem iudici debita, die wette.

vvs *cap.* 40. *Das gevvette iſt aller richter gevvette nicht: man vvettet iedem richter nach ſeinem rechte, oder nach guter gevvonheit.*

§. CCCLXXXV.

Deinde laeſo, *die buſse.*

Aliae ac a ſuperiore diuerſae erant tum mulcta, ipſi laeſo eiuſue familiae debita, quae nomine *der buſse* veniebat, tum ſatisfactio vel compoſitio, quam *vvergeldum* vocabant. Vtraque enim differebat pro conditione perſonae laeſae. * Sic *iure Sax.* comites, dynaſtae, et ingenui, (*ſchôpfenbarfreye*,) ab aliquo laeſi, mulctae nomine accipiebant ſol. 30. (*dreyſig ſchilling*) qui illis in auro, his in argento praeſtabantur: pagani (*bauergûlden vnd pflegbaffte*) ſolidos 15. alii coloni liberi, et qui immobilia non poſſidebant, ſol. 15. laſſi ſol. 20. ſex numos et ſemiſſem, (*einen helbling,*) operarum locatores (*tagevvercken*) par chirothecarum lanearum et furcam: ſpurii et liberi ſacerdotum naturales plauſtrum foeno onuſtum: qui artem ludicram faciebant, ſeque aliis addicebant ſponte, vmbram viri, *den ſchatten eines mannes:* gladiatores eorumque liberi fulgorem ex clypeo, (*den ſchein von einem kampff ſchid gegen die ſonne*,) ob furtum vel rapinam vel falſum infamia notati *zween beſem vnd eine ſcheer.* Ceterum vxori dimidia ſumma mulctae illius, quae marito debebatur; virgini et viduae ſemiſſis eius, quam parens accepiſſet, ſoluebatur. Ivs prov. Sax. *Lib. III. art.* 45. (Lib. I. §. 407.) et Svev. *cap.* 397.

* Hinc ivs prov. Svev. *cap.* 103. *Niemand ſoll den leuten gleiche buſs vrtheilen, daſs man dem knecht bûſſe, als dem herren, vnd dem aigen man, als dem freyen, das iſt vveder gottes recht, noch landrecht. Man ſoll iederman bûſſen, nach ſeiner vvûrdigkeit, vnd ſoll dem richter bûſſen, nach demſelben recht.* Recenſet deinde *capite* 397. mulctas, ſingulis actoribus pendendas, ſimiles ferme illis, quas ius Saxonicum habet, ſed tamquam exoletas. Hinc non modo rubrica talis eſt; *vvie man in der alten ee ain yglich frâvel hat puſt.* Sed et in ipſo textu editionis Bergeri ſtatim ſequitur. *Dits ſind die alten puzz, die die clager* (legendum *die kônige*) *pey den alten tzeyten allerhand lâvvten geſetzt habent.* Denique ſub finem legimus: *Diſs puzz vvaren hievor in der alten ee.*

§. CCCLXXXVI.

Et ſatisfactio priuata, quae vocabatur wergeldum.

Eadem erat *vveregeldi*, quod vocabant, ratio. Nam et illud varium erat pro conditione perſonae. Sic nobilium et ingenuorum wergeldum erat octodecim talentorum, (*achtzehen pfund*,)

Digitized by Google

pfund,) paganorum decem, tantumdemque aliorum liberorum qui immobilia non poſſidebant, laſſorum nouem, eorum, qui operas locabant *ein berg voll veizens, das iſt ein hauff von zvvölff ruthen*: liberorum naturalium ſacerdotum, ſpuriorum, et infamium nullum erat wergeldum. Hinc eodem *Lib. III. art.* 45. SPECVLATOR SAXO ait: *Obn vvebr-geld ſind alle vnrechte leute, doch vver ihr einen vvundet, oder toedtet, oder raufft, oder vnrecht vveiber notzöget, vnd den fried an ihnen bricht, man ſoll vber ihn richten nach friedes rechte.* Huius quoque ſummae dimidiam tantum partem deberi mulieribus, SPECVLATOR SAXO eodem loco monet.

§. CCCLXXXVII.

Et tales quidem erant poenae, quas tum ex vetuſtis gentium Germanicarum legibus, tum ex iure prouinciali Saxonico et Sueuico, infligi conſueuiſſe, nouimus. Iis aliquando aliae quaedam extra ordinem accedebant, quibus iam non immoramur, e. g. numellae, ſtigmata, ſepultura viuorum, (*das vergraben vnd verpfählen,*) aliaeque, quarum ſupra paſſim meminimus. Id tantum addimus, veteres cadauera punitorum plerumque in furca, vel rota, vel aliquando eorumdem capita in portis et turribus diro ſpectaculo expoſuiſſe, vt tam triſte publicae diſciplinae monimentum alios a peccandi libidine abſterreret. Poenae quaedam iam olim rariores.

§. CCCLXXXVIII.

Et has quidem poenas pleraſque ſeruauit NEMESIS CAROLINA, quippe in qua capitales occurrunt viuicomburium, *art.* 110. 111. *et* 112. crurifragium, vel ſupplicium rotae, *art.* 131. diſſectio corporis in quatuor partes, *art.* 124. ſuffocatio in aquis, *art.* 131. 159. *et* 192. ſuſpendium, *art.* 159. decollatio, *art.* 192. ac denique viui hominis defoſſio, et eiuſdem transfixio, (*das lebendig vergraben vnd pfählen;*) *art.* 131. quamuis, poſtremum iſtud ſupplicium tantum non vbique ab vſu receſſiſſe tantum non omnes fateantur *. Poenae in conſtitutione criminali propoſitae, tum capitales,

* Contra numquam gentes Germanicae receperunt ſupplicium crucis, ſectionis ſerra factae, damnationis ad beſtias, excoriationis, cicutae, praecipitationis e rupe, tunicae moleſtae, ſimiliumque, quae ad excruciandos homines excogitauit tyrannorum truculentia.. Exoleuerunt etiam pridem poenae lapidationis, capitis aratro abſciſſi, et ſimiles, quae olim aliquando in Germania viſae ſunt: vt vere poſteri ſeruarint maiorum laudem, et,

ſi non tam rara, quam hi, habent ſupplicia capitalia, ea ſaltim ita infligant, vt moribundos quam minimum excrucient, ſatis magnam poenam pati exiſtimantes eos, quibus inuitis moriendum eſt, ſi vel maxime, ſe mori, non adeo ſentiant.

§. CCCLXXXVIIII.

tum non capitales.

Idem dicendum de poenis non capitalibus, quales ex CONSTIT. CRIMINALI ſunt fuſtigatio, *art.* 192. amputatio manus vel digitorum, *art.* 107. et 108. aurium naſique reſectio, *art.* 198. oculorum effoſſio, *art.* 159. linguae abſciſſio, *art.* 198. relegatio, *art.* 192. 193. confinatio, *art.* 162. numellae, *art.* 115. 123. 161. vt iam non dicamus de poena carceris, *art.* 157. et, quam alicubi conſuetudo inuexit, priuationis dignitatis, itemque mulctae pecuniariae, ſtigmatis et ſimilium, quamuis ne harum quidem omnium vſum admodum frequentem eſſe, animaduertamus. *

* Sic ſane vix in his terris exemplum occurrit amputationis manus, ſtigmatis, aurium abſciſſarum, oculi effoſſi, ſimiliumque mutilationum. Immo tantum abeſt vt his poenis, cum perpetua infamia coniunctis, adeoque reum non emendantibus, ſed eum agentibus ad deſperationem, delectentur Germani, vt ne *fuſtigationem* quidem ſatis conuenire legislatoriae prudentiae, exiſtiment, ac proinde eam e quibuſdam prouinciis plane proſcripſerint. Vt enim iam non dicam de terris Pruſſicis, vbi raro fuſtigatio, at eius loco plerumque poena carceris vel operarum publicarum, vel ergaſtuli, decernitur, ſimile edictum exſtat in prouinciis Brunſuico-Hanoueranis. *Relegatio* etiam eorum, qui fundos poſſident, et maxime ruſticorum, cum magno ſaepe vel dominorum, vel ipſius reip. detrimento eſt coniuncta. Quare et ea plerumque certa mulcta redimitur, niſi delictum cum maximo reliquorum ciuium ſcandalo ſit coniunctum, ac ideo legibus exprimatur: *es ſolle eine ſolche perſon im lande nicht geduldet vverden.*

§. CCCLXXXX.

Quibus ſaepe praemittitur vrpheda.

Rariſſima etiam eſt bonorum publicatio, et vix, niſi in crimine laeſae maieſtatis, recepta. Frequentius in commiſſum cadunt merces, quarum vectura prohibita, (*contrabande vvaaren*) quamuis et hae aliquando mulcta, vel poena pecuniaria redimantur. Id vero notatu dignum, inter reliquias veteris iuris Germanici referendum eſſe morem, eos, qui vel fuſtigatione, vel relegatione, vel carcere diuturno, puniuntur, adigendi ad praeſtandum iuſiurandum de vitando territorio, et vltione non meditanda. Quod iuſiurandum in bellis priuatis olim ſollemne, * hodienum vocant *einen vrſehden*: eiusque violatio-

tionem prima vice fuſtigatione; altera digitorum abſciſſione; tertia gladio puniendam exiſtimant. CLASEN [illegible] *art.* 108. KRESS. *ibid.*

* Solebant olim bello priuato capti, et carcere moleſtiore aliquamdiu detenti, interpoſita pactione, vel ſoluto λύτρῳ non aliter dimitti, quam praeſtito iureiurando, quo captus, ſe numquam arma iterum aduerſus victorem correpturum, neque iniurias, ſibi illatas, vlturum eſſe, pollicebatur, idque proprie vocabatur *ein vrpheden.* Sic anno 1249. inito inter Henricum, Thuringiae Landgrauium, et comites Thuringicos foedere, inter alia placuit, *vt captiui vtrobique dimitterentur, libere abſoluti, praeter illum Driſurte, et alios, qui apud Gotha fuerunt nuperrime, et illam facerent cautionem, quae* vrphede *vulgariter nuncupetur.* WECK. *deſcript. vrb. Dreſd. p.* 156. Similia exempla exſtant apud ill. de LVDEWIG. *reliquiar. T. VII. p.* 296. *et* 393. *et ſequ.* et *Tom. VIII. p.* 324. *et ſequ.* DATT. *de pace publ. Lib. I. cap.* 34. *n.* 21. PISTOR. *von Götz von Berlichingen ritterl. thaten p.* 255. *et* 266. vbi et formulae huiuſmodi iuramentorum occurrunt, ex quibus patet, aliquando, praeter iusiurandum vel chirographum, exigi conſueuiſſe vel conſacramentales vel fideiuſſores, qui captiuum dimiſſum in futurum quieturum, ſimul ſponderent.

§. CCCLXXXXI.

Poenae mortuis vel abſentibus irrogatae.

Addimus, aliquando et cadauera quorumdam vel in furcam vel rotam agi, vel comburi, vel ſaltim a carnifice per vrbem rapi, et vel ſub patibulo publico, vel alio inhoneſto loco ſepeliri: quorum prius in iis, qui conuicti aut confeſſi, antequam ſupplicium ſumeretur, vel ſua morte obierunt, vel manus ſibi ex conſcientia criminis intulerunt; poſterius in βιοθανάτοις, quibus non tam furor vel atra bilis, quam deſperatio, arma aduerſus ſe ipſos miniſtrauit, obtinet. Quamuis hoc non tam poenae loco ſit, quam νουθεσίας rationem habeat, vt nimirum diro iſto ſpectaculo territi viui et ſpirantes abhorrere a ſceleribus tam nefandis incipiant. Quod etiam de ſupplicio imaginario, quo in effigiem abſentis animaduertitur, dicendum videtur. COCCEI. *de inſtit. poen. in abſ. cap.* 3. GERARD. *diſſ. de exſequut. in effig.*

§. CCCLXXXXII.

Pleraeque poenae infliguntur hodie a carnifice.

Pleraque ſupplicia capitalia hodie infligit carnifex, cuius opera etiam iudices vtuntur in exſequendis poenis, quibus corpus excruciatur, e. g. in fuſtigatione, quum olim non modo actor, WEHN. *ſub voce beſiebnen*, agnati, MVLLER. *annal. Sax. ad ann.* 1470. ſodales, DATT. *de pace publ. p.* 8. verum etiam iunio-

res

res ſcabini eam operam in ſe ſuſciperent, BRVMMER. *de ſcabin. p. 363.* ceu iam ſupra monere nos meminimus. (Lib. I. §. 414.) Attamen aliquando, ſi pueros vel alias honeſtas perſonas caſtigari oporteat, decernitur, *daſs Inquiſit in dem gefängniſs durch den ſtockmeiſter tapfer mit ruthen zu züchtigen*, ne forte infamia notati videantur, ſi dicantur ſub manu carnificis fuiſſe. (Lib. I. §. 314.*)

§. CCCLXXXXIII.

Adhibitis variis ritibus, tum laudabilibus, tum rationi repugnantibus.

Multa alia ex moribus hic retinent Germani, veluti, quod ante ſupplicium capitale lautiore conuiuio excipiuntur tum reus, tum carnifex, quod vocant *das henckermal*, et poſtea condemnatio fit ſub dio, confracto baculo, (de quo ritu BECK. *diſſ. de fract. bac. in exſequut. ſent. §. 27.*) euerſis ſubſelliis, ſonante campana, (quam vocant *die ſchand-glocke*,) data prius carnifici fide publica, *daſs, vvann ihm ſeine kunſt miſslingen ſolte, er nichts deſto vveniger ſicher vnd vnverlezt ſeinem herrn vvieder heim ziehen möge, vvie er gekommen.* Exſequutus ſententiam carnifex interrogare ſolet: *Herr richter her, habe ich recht gerichtet?* reſponſumque capit: *Du haſt gerichtet, vvie vrtheil vnd recht es mit ſich gebracht.* Sunt etiam quaedam conſuetudines abſurdae, quas in rem ſuam alicubi inuexerunt carnifices, veluti, quod ſpolia et pannicularia ſibi vindicarent, quod laqueo eximentes ſuſpendioſum, omnia ſibi deberi dicerent, quae gladio attingere poſſent, de quo ſingularis exſtat IAC. FRIDR. LVDOVICI *diſſertatio.* Sed tam abſonis conſuetudinibus iam pridem repudium dederunt Germani, ad eaſque merito proferuntur, quae grauiter praecepit CONST. CRIM. *art.* 218.

LIB. III.

LIB. III.

DE

RE IVDICIARIA ET IVRE ACTIONVM.

TIT. I.

DE

IVRISDICTIONE ET IVDICIIS GERMANORVM.

§. I.

EXpenſis omnibus, quae vel ad PERSONARVM, vel ad RERVM IVRA pertinere videbantur: nihil iam supereſt, quam vt et de IVRE ACTIONVM et omni RE IVDICIARIA Germanorum agamus paullo accuratius. Qua in re ita verſabimur, vt primo loco de iuriſdictione generatim diſſeramus; hinc porro de iudiciis ciuilibus, et praecipuis eorum partibus; poſtremo de criminalibus modoque perſequendi facinoroſos, ea, quae ſcire noſtra intereſt, ſubnectamus. Tranſitio ad librum III. eiuſque partitio.

§. II.

Et iuriſdictionis quidem quae apud Germanos fuerit ratio, tum demum intelligemus rectius, ſi rei iudiciariae faciem in omnis aeui monimentis paullo accuratius perſpexerimus, qua in re neſcio, an noui quid adferri poſſit poſt incredibilem virorum doctiſſimorum, HERM. CONRINGII, IO. NIC. HERTII et CHR. THOMASII, diligentiam. * Attamen operam dabimus, vt et, quae tres viri iſti doctiſſimi obſeruarunt, in ordinem, quoad licebit, redigamus, et multa paſſim, quae ipſi obſeruauimus, adii- Optimi ſcriptores de veterum Germ. iudiciis.

adiiciamus, adeoque rem iudiciariam Germanorum omnem quam accuratiſſime deſcribamus.

* Herm. Conringii exſtat inſignis digniſſimaque tanto auctore diſſertatio *de iudiciis reipublicae Germanicae*, primum anno 1647. edita, poſtea anno 1677. eiuſdem *exercitationibus academicis de rep. imperii Germanici* numero 6. p. 114. ac demum ipſis eius operibus inſerta. Io. Nic. Hertius eamdem rem egit non modo in *Notitia populorum Germ. et regni Francorum*, verum etiam in diſſertatione, bonae frugis pleniſſima, *de conſultationibus, legibus et iudiciis in ſpecialibus imperii Rom. Germ. rebuspublicis*, defenſa primum Gieſſae anno 1686. ac deinde *opuſculis* eius inſerta *Vol. I. Tom. II.* p. 406. Denique Chr. Thomasii diſſertatio praeſtantiſſima *de iurisdictionis et magiſtratuum differentia ſecundum mores Germanorum* Halae noſtrae lucem vidit anno 1703. Exſtant et alia huius generis opuſcula, inter quae neſcio an primus locus debeatur Fridrici Brummeri *exercitationi de ſcabinis antiquis, medii aeui, et recentioribus*, et Io. Pauli Kressii *diſſertationi de iurisdictionis criminalis in Germania generibus*, Helmſt. MDCCXXX. ſed haec ſimiliaque ſuo ſingula loco laudare non pigrabimur.

§. III.

Iulii Caeſaris locus de Germ. iudiciis.

Germaniam ante Francorum epocham tot habuiſſe reſpublicas, quot populos, neque in commune regnum ante ea tempora vmquam coaluiſſe, tam eſt notum, quam quod notiſſimum. Hinc nec communem iudicem habuit Germania, ſed vere ſcripſit Caesar *de bello Gall. Lib. VI. cap. 23. Quum bellum ciuitas aut illatum defendit, aut infert, magiſtratus, qui ei bello praeſint, vt vitae neciſque habeant poteſtatem, deliguntur: in pace nullus communis eſt magiſtratus, ſed principes regionum atque pagorum inter ſuos ius dicunt, controuerſiaſque minuunt.* At quamuis Tacitus *de mor. Germ. cap.* 7. in eo a Caesare diſſentire credatur, quod ingruente bello, poteſtatem vitae et necis non tam ducibus, quam ſacerdotibus, videatur tribuere: illa tamen, quae de iudiciis, tempore pacis inſtitutis, refert, praeclare conueniunt iis, quae ex Caesare retulimus, vt alter ex altero quodammodo poſſit illuſtrari.

§. IIII.

Itemque Taciti.

Nam *cap.* 12. quo ex inſtituto de iudiciis Germanorum diſſerit Tacitus, primum obſeruat, *licere etiam apud concilium accuſare, et diſcrimen capitis intendere:* eiuſque rei exemplum affert iudicia de proditoribus, transfugis, ignauis, imbellibus et corpore infamibus inſtituta: deinde vero ſtatim ſubiicit: *Eliguntur in iiſdem conciliis et principes, qui iura per pagos vicoſque reddant,*

dant. Quos itaque Caesar *principes regionum ac pagorum*; eoſdem Tacitvs *principes pagorum vicorumque* vocat, et quum hic eos in comitiis electos, iiſque scabinos ex plebe, vti paullo poſt adparebit, adiunctos eſſe referat: non videmur nobis errare, ſi eos, ex nobilium ordine adlectos, comitibvs * ſimiles fuiſſe, dicamus.

* Pagus enim Germanis fuit regio quaedam vel tractus, in quo plures vici. De iis plura alii. His qui praeerant principes a Germanis patria lingua, *grauen* quaſi *graue*, cani, vel, vti Caesar *de bello Gall. Lib. IIII. cap.* 13. loquitur, *maiores natu*, ſeu, vt Dio Cass. *Lib. XXXVIIII.* πρεσβύτεροι vocabantur. *Comitum* vocabulum Romanum eſt, quumque Romani Germaniae vtrique ſequiore aeuo *duces* et comites praeficerent: Conring. *de ducibus et comit. Germ.* §. 10. factum eſt, vt Germani poſtea ſuos principes, quos belli tempore eligebant, *die hertzoge*, duces; reliquos, qui iura per pagos et vicos reddebant, *die grauen*, comites adpellarent. Commune forſan vtriſque nomen fuit *vorſte* quaſi *der vorderſte*, atque inde factum arbitror, vt Caesar aeque, ac Tacitvs, illos omnes, qui iurisdictioni tum militari, tum ciuili, praeerant, *principes* adpellarent.

§. V.

Neque tamen ſoli comites pro lubitu ius dicebant, ſed iis Eiuſdem adiungebantur quidam, qui in eorum eſſent conſilio, de qui- deſcri- bus idem Tacitvs *cap.* 12. *Centeni*, (alii *certi*) *ſingulis ex* ptio ſca- *plebe comites, conſilium ſimul et auctoritas, adſunt.* Qui ſane non bino- alii ſunt, quam adſeſſores, de quorum ſententia comites ius rum. reddebant, dicti poſtea *ſcabini, ſchoepffen, rachinburgii*, vti pluribus demonſtrauit Fridr. Brummer. *de ſcabin. cap.* 2. *p.* 280. *ſequ.* Hos vero dum ex plebe lectos eſſe docet Tacitvs, procul dubio non intelligit faecem ſeruorum ſeu propriorum hominum, (quum ne libertorum quidem aliquod momentum in ciuitate eſſet, Tac. *de mor. Germ. cap.* 25.) ſed ingenuos, quos deinde equeſtris nobilitatis nomen ſumſiſſe, nouimus, vel, vti multis poſt ſaeculis vocari ſoliti ſunt, *ſchoepffenbar-freye leute.*

§. VI.

Itaque inde colligimus, (1. iuris dicundi poteſtatem illo tem- Conſe- pore fuiſſe partim penes ordines ciuitatis, in comitiis congrega- ctaria ex tos, partim penes comites. (2. Illorum iuriſdictionem per to- locis tam ciuitatem vel rempublicam; horum per vicos vel pagos, Caeſaris quibus praeerant, porrectam fuiſſe. (3. In comitiis cauſſas pro- et Taciti. cul dubio grauiores, et ad ipſam rempublicam, apud comites

 leuio-

leuiores, et ad priuatorum magis vtilitatem pertinentes, fuiſſe diiudicatas. (4. Comites et illis temporibus nihil decreuiſſe, niſi de collegii ſcabinorum ſententia. (5. Probabile eſſe, et minora fuiſſe iudicia, ab iisque ad maiora fuiſſe prouocatum *.

* Non ſine ratione CAESAR *principes regionum et pagorum*; TACITVS principes, *qui per pagos, et qui per vicos iura reddant*, iunxit. Fuere nimirum comites, qui maiori terrae tractui vel pago; quo plures minores comprehendebantur, praeeſſent, quos recte dixeris *regionum principes*. Fuere, qui in minoribus pagis, maiore illo comprehenſis, ius dicerent, quos recte adpellaueris *pagorum principes*. Immo et celebriores vici habuiſſe videntur iudices ſuos, qui ſimul vice principum iudicarent, de quibus HERM. CONRING. *de vet. Germ. iudic.* §. 15. *Hoc non difficili ratiocinatione licet colligere, fieri vix potuiſſe; immo non potuiſſe, vt omnibus iudiciis ipſemet princeps interfuerit, cum quod integrae regionis, aut pagi vnius tantum fuerit princeps, huiusmodi autem tractus ſat amplis limitibus conſtiterit: tum quod in ea hominum multitudine non potuerint non indies variae enaſci controuerſiae, praeſentibus iudicibus minuendae. Veroſimile igitur ſit, iam tum ſingulorum pagorum principes vicarios hic alibi vſos. Quomodo ſequentibus ſaeculis ſemper mos tulit, praeponere iudiciis, ſculietum quem adpellant, qui principis vice curaret iudicia.* Neque ſane dubitandum eſt, quin ii, qui ſibi a minoribus iudicibus grauamen aliquod illatum exiſtimarent, adpellare potuerint iudices maiores vel principes. *Num vero, per adpellationem a iudicio principis adſeſſorumque eius, cauſſae potuerint ad concilia deuolui, quoniam haud perinde liquet, nec fas eſt, inanibus coniecturis indulgere, in medio merito relinquimus* cum CONRINGIO *ibid.* §. 14.

§. VII.

Litium in Germania paucitas.

Laudatiſſimus CONRINGIVS *ibid.* §. 18. ex ipſa gentium Germanicarum indole colligit, lites iſta tempeſtate perraras fuiſſe. Tam probis enim moribus, quales in Germanis laudauit TACITVS, talibusque inſtitutis in mores tranſlatis, raras admodum lites, et compoſitu faciles habere locum, nemo paullo prudentior ignorat. At ſunt et alia indicia, lites olim fuiſſe paullo rariores. Nam praeterquam quod multa, alibi iure diſceptari ſolita, armis diſceptarent maiores: VELLEI. *Lib. II. cap.* 118. TAC. *de mor. Germ. cap.* 21. multa etiam reliquiſſe videntur iuriſdictioni cuiusque domeſticae, adeoque cauſſas vxorum, filiorum familias, quin et ſeruorum ac ruſticorum, raro admodum cognouiſſe iudices vel principes, probabile eſt *.

* Vxores, adulterii reas, adhibitis in conſilium propinquis, damnaſſe maritos, domoque exegiſſe, verberibusque per vicum egiſſe, iam ſupra vidimus. *Adulterii* ergo, et aliorum fortaſſis delictorum, ab vxoribus admiſſorum, *poena praeſens, et maritis permiſſa.* TACIT. *ibid. cap.* 19. Eamdem

vitae necisque poteſtatem ſaltim Gallos in liberos ſuos habuiſſe, teſtatur CAESAR *Lib. VI. de bello Gall. cap.* 19. Idem vero ius et Germanis ſupra vindicauimus. (Lib. I. §. 135.) Denique multo minus dubitandum videtur, quin in ſuos quisque ſeruos exercuerit hanc poteſtatem, quamuis id magis per impetum, quam ſeruato iuris ordine, vel, vt ita dicam, pro tribunali factum eſſe videatur. Id enim vult TACITVS *de mor. Germ. cap.* 15. dum ſcribit: *Verberare ſeruum ac vinculis et opere coercere rarum. Occidere ſolent, non diſciplina ac ſeueritate, ſed impetu et ira, vt inimicum, niſi quod impune.* (Lib. I. §. 41.) Itaque late patuit patrumfamilias in ſuos poteſtas, adeoque fieri non potuit, quin multas illi minuerint controuerſias, quae alias iudices fatigaſſent, et hodie fatigant quam maxime.

§. VIII.

Eadem iudiciorum facies et medio aeuo fuit.

Eumdem morem et poſtea ſeruarunt Germani. Quemadmodum enim omnes fere gentes eius originis regna ſua in certos pagos deſcripſerant, veluti Alamanni, AMMIAN. MARCELL. *Lib. XIIII. cap.* 10. *Lib. XV. cap.* 4. *Lib. XVIII. cap.* 2. *et Lib. XXVIIII. cap.* 4. Saxones, ADAM. BREM. *Lib. I. hiſt. eccl. cap.* 1. Friſii, apud quos *Auſtrachia*, et *Weſtrachia*, (*ooſtergavv* et *vveſtergavv*,) pagi notiſſimi, iam ſub Carolo Martello memorantur in adpendice ANNAL. METENS. *init.* porro Burgundiones, LEX BVRG. *tit.* 89. et Franci: CAPITVL. *Lib. III. cap.* 73. ita dubium non eſt, quin iis more maiorum praefecerint COMITES, * qui iura, adhibitis in conſilium ſcabinis, redderent.

* Tales ſane videntur fuiſſe *comites regum* Alamannorum, quorum meminit AMMIAN. MARCELL. *Lib. XVI. cap.* 12. Satrapae Saxonum, apud BED. *hiſt. eccl. Angl. Lib. V. cap.* 11. et de quibus poeta vetus apud LEIBNIT. *ſcript. rer. Brunſu. Tomo I. p.* 121.

Plebs omnis habebat
Quot pagos, tot paene duces, velut vnius artus
Corporis in diuerſa forent hinc inde reuulſi.

Nec alios, quam comites, intelligo per *ſeniores* vel *maiores natu*, qui apud Oſtrogothos ac Wiſigothos in comitiis conſulebant in medium, de quibus CLAVDIAN. *de bello Get. v.* 479.

Primosque ſuorum
Conſultare iubet, bellis ANNISQVE *verendos.*
Crinigeri ſedere patres, pellita Getarum
Curia.

Et paucis interiectis: *v.* 485.

Heic aliquis grauior natu, cui plurima dictis
Conſiliisque fides.

Et SIDON. APOLL. *in panegyr. Auito Aug. dicto v.* 452.

Luce noua VETERVM *coetus de more Getarum*
Contrahitur. Stat priſca annis viridiſque SENECTVS
Conſiliis.

Et *v.* 458.

Poſtquam in concilium SENIORVM *venit honora*
Pauperies.

Additur PROCOPIVS *de bello Goth. Lib. I. et III.* vbi a Vitige in conſilium adhibitos eſſe ait πρεσβυτέρων πολλοὺς, item-

que Totilam inducit, conquerentem, interemtam a Graecis γερόντων ξυνετωτάτων πολὺν ὅμιλον, *magnam ſeniorum prudentiſſimorum multitudinem.*

§. VIIII.

Apud Wiſigothos ius dixerunt comites, eorumque vicarii.

Id vt luculentius demonſtremus, primo omnium ſatis conſtat, iudiciis apud WISIGOTHOS praefuiſſe *comites*. Eos vero ſaepe alios ſubſtituiſſe, patet ex LEGE WISIG. *Lib. II. tit.* 1. §. 14. *Nam et hi, qui poteſtatem iudicandi a rege accipiunt, ſiue etiam hi, qui per commiſſoriam* COMITVM *vel iudicum iudiciali poteſtate vtuntur, vices ſuas aliis, quibus fas fuerit, ſcriptis peragendas iniunxerint, licitum illis per omnia erit, ſimilemque et ipſi, qui informati a iudicibus fuerint, in iudicando, ſicut et illi, a quibus determinandi acceperunt vigorem, habebunt in diſcernendis vel ordinandis quibuſcumque negotiis poteſtatem.* Habebant ergo Wiſigothi et *propriam* iuriſdictionem, et delegatam vel *mandatam*, aeque ac Romani *.

* Quin et in *arbitrum* compromittere licebat partibus, modo id fieret praeſentibus tribus teſtibus, et compromiſſum ſua ſubſcriptione ſuisque ſigillis confirmantibus. Eo enim pertinet locus eiusdem LEG. WISIG. *Lib. II. tit.* 1. §. 14. *Dirimere cauſſas nulli licebit, niſi aut a principibus poteſtate conceſſa, aut ex conſenſu partium electo iudice, trium teſtium fuerit electionis pactio ſignis aut ſubſcriptionibus roborata.*

§. X.

Comitibus ſubfuerunt thiuphadi.

Apud eosdem tractus illi, quibus comites praeerant, in minores regiones, quas *thiuphadias* dicebant, diuidebantur, LEG. WISIG. *Lib. VIIII. tit.* 2. §. 1. 3. *ſequ. et* 9. eo quod iis praeeſſent *thiuphadi*, quibus praeter curam militiae, quae et comitibus incubuit, iuriſdictio etiam erat in illo tractu, tum in ciuilibus, tum in criminalibus cauſſis. LEG. WISIG. *Lib. II. tit.* 1. §. 15. 23. *et* 26. *et Lib. IIII. tit.* 5. §. 6.

§. XI.

His defenſores villici, ſaiones.

Quemadmodum vero ſub comitibus erant *thiuphadi*: ita his ſuberant ex officiis militaribus *millenarii, quingentarii, centenarii, decani, exercitus compulſores* et *annonarii*: ex iudicibus *defenſores, pacis adſertores, villici, et ſaiones. Defenſores*, qui in ciuitatibus; (LEG. WISIG. *Lib. II. tit.* 1. §. 26. *Lib. XII. tit.* 1. §. 2.) *villici*, qui in villis de cauſſis minoribus cognoſcebant: LEG. WISIG. *Lib. VI. tit.* 1. §. 1. *Lib. VIIII. tit.* 1. §. 8. *et* 9. *Lib. XI. tit.* 2. §. 2. pacis adſertores, qui *ſola faciendae pacis inten-*

intentione regali auctoritate deſtinabantur, nec alias dirimebant cauſſas, niſi quas illis regia deputauerat ordinatio: LEG. WISIG. *Lib. II. tit.* 1. §. 16. denique *ſaiones*, i. e. exſequutores litium, qui et in damnatos animaduertebant, et iuſſa ac ſententias magiſtratuum exſequebantur. LEG. WISIG. *Lib. II. tit.* 1. §. 17. *et* 25. *et alibi paſſim.* CASSIOD. *variar. I.* 24. *II.* 4. *III.* 20. *et* 48. *etc.* *

* Occurrunt hic quaedam vocabula vere Germanica. Thiuphados CAR. DV FRESNE a quibusdam deriuari ait a Germanico *tieff*, profundus: ſed id ne ſpeciem quidem veritatis praefert. Vere eſt a *thiuda*, gens vel populus, *verſ. Gothic. Luc. VII.* 5. et *fads* vel *faths*, (*vogt*) quod in compoſitione poſtponi ſolebat, et praefectum ſignificabat. Sic *ſynagogafads* eſt archiſynagogus, *ibid. Marc. XV.* 22. *hundafads* centurio, *ibid. Luc. VI.* 7. *thuſundifaths*, mille hominibus praefectus vel tribunus, *ibid. Io. XVIII.* 12. Ergo *thiudafaths* vel *thiuphadus* nihil aliud eſt, quam genti alicui vel tribui praefectus. SAIO vel SAGO, (nam vtroque modo ſcribitur,) vnde ſit, intellectu paullo difficilius videtur, niſi quod plerique locum ex ISID. HISP. *Origin. Lib. X.* proferunt, ex quo pateat, *ſaionem* ab *exigendo* dictum eſſe. LINDENBR. et DV FRESNE *voce ſaio.* Sed ego quidem locum illum reperire nondum potui. Si vere ita ſcripſit ISIDORVS: vocabulum illud deriuarim a Germanico *ſuchen*, quod veteribus *ſaichen*: quamuis vnumquemque hic facile patiar ſuo ſenſu abundare.

§. XII.

An et adſeſſores adhibuerint in conſilium?

An adſeſſores in conſilium adhibuerint WISIGOTHORVM iudices, nondum liquet. Probabile tamen hoc eſſe dixeris, quia et apud Oſtrogothos, quibus eadem fere erat reip. adminiſtrandae ratio, adſeſſores adiunctos eſſe magiſtratibus et iudicibus, teſtis eſt CASSIOD. *var. Lib. VI. cap.* 5. vbi quaeſturam aliaſque dignitates inter ſe contendens: *Aliae*, inquit, *dignitates adſeſſorum ſolatia quaerant: tua vero dignitas principi conſilia ſubminiſtrat.* Neque tamen diffitemur, Oſtrogothos haec inſtituta, Italis iam pridem ſollemnia, retinuiſſe magis, quam inuexiſſe. De magiſtratuum enim Romanorum adſeſſoribus omnia tam nota ſunt, vt verbum addere nolimus.

§. XIII.

Quid domeſticae cuiuſque iuriſdictioni reliquerint?

Certius multo eſt, apud WISIGOTHOS quoque permulta relicta fuiſſe iuriſdictioni domeſticae, non quidem mariti in vxorem, vel patris in liberos, ſiquidem vtraque poteſtas paullo adſtrictior apud illos erat, (Lib. I. §. 282. et §. 136.) ſed dominorum in ſeruos vel homines proprios. Inde enim eſt, quod in LEGE WISIG. *Lib. VIII. tit.* 5. §. 6. iudicibus iunguntur *ſeniores loci*, et *Lib. VI. tit.* 1. §. 1.

1. §. 1. domini loci, quamuis et horum apud Wiſigothos non fuerit tanta poteſtas, vt ob crimina in ſeruos animaduertere poſſent. *

* Diſcimus enim ex hac lege, dominos ſeruos ſuos, atrociorum criminum accuſatos, offerre iudici debuiſſe. Itaque probabile eſt, eos minora quidem delicta ipſos coercuiſſe, et cauſſas inter ipſos ſeruos agitatas cognouiſſe, at maiores relinquere debuiſſe iudicibus: vt Wiſigothi ea in re ius Romanum habuiſſe ob oculos, videantur.

§. XIIII.

De Burgundionum iudiciis.

Nec Bvrgvndionvm inſtituta a Wiſigothicis admodum diuerſa fuerunt. Nam apud hos quoque comites per pagos ius dicebant, iique in Bnrgundiones et Romanos diuidebantur, *addit. II.* §. 10. et vtrique a regibus videntur conſtituti, dicti quippe *iudices a regibus deputati. addit. I. tit.* 3. §. 1. *et* 2. An vero et alios iudices ſub ſe habuerint, itemque, an ſcabinos illis adiunxerint tamquam conſilium, hodie fere ignoramus, quamuis poſterius plures adfirment ob ea, quae habet Perardvs *in Burgund. p.* 36. Nec magis certi quid adfirmare licet de iuriſdictione domeſtica, quam late illa apud Burgundiones patuerit, quum praeter legem Gundobadam monimenta eius gentis quam pauciſſima aetatem tulerint.

§. XV.

Varia Francorum iudicia.

Sed magis operae pretium fuerit, Francorum expendere iudicia. Ii enim et ipſi mores patrios ſanctius, quam reliquae gentes originis Germanicae, cuſtodiuerunt, eoſque poſtea cum gentibus a ſe deuictis communicarunt, vt, qui horum inſtituta perſpecta habet, is et reliquorum Germanorum, qui eorum imperio ſubfuerunt, mores non minus perſpectos habere videatur. Quamobrem nec abſurdum fuerit, hos cum illis coniungi, et tot gentium eiuſdem originis concentum ſemel ſimulque demonſtrari. Ceterum quum recte obſeruarit Conringivs *de iudic.* §. 22. illa tempeſtate iudiciis praefuiſſe partim concilium ordinum, partim regem ipſum, partim conſtitutos a rege duces et comites cum ſcabinis adſeſſoribus, partim miſſos regios, partim epiſcopos: de ſingulis ordine erit paullo accuratius diſſerendum.

§. XVI.

Cauſſae in comitiis publicis, vel in

Et in *conciliis* quidem vel publicis conuentibus, ad quae quotannis maiores minoreſque natu, vti loquebantur, id eſt, epiſcopi, abbates, duces, comites, optimates et alii ingenui, confluere ſolebant, ipſorum regum, principum, primariaeque nobilitatis cauſ-

ſae

Digitized by

palatio regis agitatae.

ſae arduae et maioris momenti controuerſiae agitabantur, quamuis de his et apud regem, qui tunc comites palatinos, alioſque proceres in conſilium adhibebat, aliquando diſceptaretur. Cuius rei tot exempla, quae exſtant in Francorum annalibus, iam ab HERM. CONRINGIO *de iudic. reip. Germ.* §. 22. *ſequ.* et HERT. *Notit. regn. Franc.* §. 36. collecta ſunt, vt eorum ſcrinia expilare nolimus. *

* Attamen quaedam alia eius rei exempla, quae ſe nobis obtulerunt, addere iuuabit. Sic auctor eſt NITHARDVS *de diſſenſ. filior. Ludouici Pii, Lib. I. p.* 437. controuerſiam inter Ludouicum Pium patrem et Lotharium filium ita terminatam eſſe in conuentu publico, vt iis, qui adhuc Lothario adhaeſerant, capitis damnatis, at poſtea in exſilium miſſis, Lotharius ſola Italia contentus eſſe iuſſus ſit. Similem conuentum Ludouici Germanici cauſſa conuocatum eſſe Wormatiam, idem refert, *ibid. p.* 445. ſed quem mors Ludouici Pii turbarit. Ita et cauſſam Thaſſilonis in conuentu publico actam, iam ſupra vidimus, aliudque exemplum abbatis S. Benigni Diuionenſis in conuentu procerum iudicati eſt apud HIER. BIGNON. *ad Marculſi Lib. I. cap.* 25. *p.* 909. *Tom. II. capitul. Baluz.* vbi et rationem horum iudiciorum eleganter hunc in modum explicari animaduertimus: *Reges olim proprio ore ius dixiſſe notum eſt, epiſcopis et proceribus adſidentibus, praeſertim de maioribus cauſſis, et inter epiſcopos, abbates, comites, et potentiores perſonas,* CAPITVLAR. *III*, 77. *et V*, 308. *et de vaſſis et fidelibus ſuis,* CAPIT. *III*, 64. *V*, 101. *item ex cauſſa prouocationis, negati, vel diu dilati iudicii a comitibus,* CAPITVL. *V*, 243. *III*, 7. *et cum quis iudicatum facere negligit, aut ſe iudicio ſiſtere recuſat,* CAPIT. *II.* 19. MARCVLF. *I*, 26. 27. 28. *tum demum de neglectu regalium conſtitutionum, et decretorum, et ex variis cauſſis, de quibus alias ſingillatim.*

§. XVII.

Iurisdictio archicapellanorum et comitum palatii.

Rarius tamen ipſi reges ius dicebant: at plerumque eorum vice tum archicapellani, ſi cauſſa videretur eccleſiaſtica, tum comites palatii, ſi ciuilis, iudicabant. Hinc auctor eſt ADELARDVS apud HINCMARVM *Epiſt. XIIII. cap.* 19. *potiores in regio palatio duos regios miniſtros fuiſſe,* CAPELLANVM, *et comitem palatii, e quibus praecipue duos, apocriſiarium, vocatum apud Francos capellanum, vel palatii cuſtodem, de omnibus eccleſiaſticis, vel miniſtris eccleſiae, et* COMITEM PALATII *de omnibus ſaecularibus cauſſis vel iudiciis ſuſcipiendis, curam inſtanter habuiſſe, vt nec eccleſiaſtici, nec ſaeculares prius dominum regem abſque eorum conſultu inquietare neceſſe habuerint, quouſque ille prouideret, ſi neceſſitas eſſet, vt cauſſa ante regem venire merito deberet.* *

* De iſta archicapellanorum iuriſdictione in cauſſis eccleſiaſticis plura dabunt PETR. DE MARCA *de concord. ſacerd. et regni cap.* 7. §. 3. CAR. DV

Fresne *gloſſar. Lat. voce capellanus*, Mallinkrot. *de archicanc. et cancell. imper. p.* 7. 17. 37. de comitum palatii iuriſdictione et poteſtate Marqv. Freher. *orig. palat. cap.* 1. *p.* 27. *ſequ.* Petr. Pith. *dans les memoires des comtes de Champagne et Brie*, quam obſeruationem in Latinam conuertit et *originibus ſuis Palatinis p.* 1. praemiſit laudatus paullo ante Freherus. Tolln. *hiſt. Palat. cap.* 5. *p.* 137.

§. XVIII.

Comites iudices ordinarii.

Sed ordinaria erat comitvm per pagos ſuos iuriſdictio, qui ideo κατ' ἐξοχὴν vocati ſunt *iudices publici*, vel *iudices*. Ita ſane Venantivs Fortvnatvs eos fere promiſcue modo *comites*, modo *iudices* vocat, veluti *Lib. IIII. vit. S. Martini*, vbi Auitianum, quem antea vocauerat comitem, moribus *tumidum*, mox vocat iudicem:

Ivdicis *inde feri coniux aegra Auitiani.*

Ita eodem modo comites per pagos vicoſque ius dicebant apud Baiuuarios, Saxones, Alamannos, Friſios. Quod multis exemplis ac teſtimoniis probare nihil attinet, quum id extra omnem dubitationis aleam poſitum ſit. Memorabilis tamen de Francorum comitibus eſt formula Marcvlfi *Lib. I. cap.* 8. de comitibus per Saxoniam, praeter diploma de comitatu Trutmanni, a Meibomio *in vindiciis Billingianis* primum editum, quod nonnullis ſubleſtae fidei videtur, videndus eſt locus poëtae veteris apud Leibnitivm *ſcript. rer. Brunſu. Tom. I. p.* 153.

Tum ſub iudicibus, quos rex imponeret ipſis,
Legatiſque ſuis permiſſi legibus vti
Saxones patriis, et libertatis honore.

§. XVIIII.

Comitibus adiuncti ſcabini vel rachimburgii, nec non ſagibarones.

His apud Francos quoque adiungebantur scabini, eligendi a miſſis regiis, qui et indicem eorum ſcriptum ad reges deferre cogebantur. Capitvl. *Lib. III.* §. 33. *edit. Lindenbr.* Eos eſſe oportebat *Deum timentes*, *manſuetos et bonos*, ibid. §. 56. veraces, *addit. IIII.* §. 74. et ingenuos: (Lib. I. §. 74.) ac proinde malos etiam abrogare magiſtratum iiſdem Miſſis regiis licebat, capit. *addit. IIII.* §. 73. Eoſdem apud Francos dictos eſſe rachimbvrgios, vel rathinbvrgios, (quos fruſtra diſtinguit Wendelinvs *gloſſar. ſub rachimburgius*,) recte viderunt Goldast. *ad Ratpert.*

Digitized by Google

pert. de caſib. S. Gall. cap. 8. HIER. BIGNON. *ad Marculf. p.* 588. BRVMM. *de ſcabin. cap.* 5. §. 11. ECCARD. *ad leg. Sal. p.* 96. At diuerſos ab vtriſque eſſe SAGIBARONES, * vel inde patet, quod et numero pauciores adſiderent iudiciis, et ſimiles haberentur ICtis Romanorum, a quorum ſententiis diſcedere iudicibus nefas erat. LEX SAL. *tit.* 57. §. 4. BRVMM. *de ſcabin. ibid.* §. 4.

* *Sagibarones, ſagbarones, ſachibarones*, ipſi quoque comiti adſidebant, ſicuti ſcabini et rachimburgii, vt vtriſque veluti in conſilio eſſent. Quemadmodum ergo apud nos iudicibus et ſcabinis ſaepe adſunt *ſyndici*, qui vtriſque, iuris forſitan paullo imperitioribus, ſuggerant, quid factu opus ſit: ita idem apud Francos factum videtur, apud quos comites aeque, ac ſcabinos, militiae, quam rei iudiciariae, peritiores fuiſſe, probabile eſt. Ceterum ſcabinos dictos eſſe a *ſcepen*, vel *ſchoepfen* haurire, argumento eſt loquutio qua ſaeculo adhuc XV. vſum eſt imperium in *reformatione Fridrici V. Imp. declar.* 2. *art.* 5. *apud Goldaſt. in Reichs-Satz. p.* 171. *Recht ſprechen*, SCHOEPFEN, *oder beſchaeffen*, quamque Sueones et hodie exprimunt *ſkipa rätt*, teſte LOCCENIO. Rachemburgios a *rache* cauſſa et *bergen*, ſeruare deriuat ECCARD. *ad leg. Sal. p.* 96. *Sagibarones* manifeſto dicti a *ſache* et *baro* vir, quaſi *ſachmänner*, niſi credere malis, *baro* eſſe terminationem Germanicam *bar*, vt *ſachbar* eadem forma dicatur, ac *ſchoeppenbar*, *mannbar*, *dienſtbar*, etc. Eoſdem dictos eſſe *bonos homines*, oſtendit ECCARD. *ibid. p.* 100.

§. XX.

Nimirum ſcabini plerumque ſeptem cum comite conſtituebant iudicium, CAPITVL. *Lib. III.* §. 40. *et Lib. VI.* §. 238. totidemque rachimburgios exigi animaduertimus in LEGE SAL. *tit.* 53. §. 3. *tit.* 60. §. 1. LEGE RIPVAR. *tit.* 34. * At ſagibaronum tres tantum iudicio intereſſe poterant ex LEGE SAL. *tit.* 57. §. 4. *Sagibarones in ſingulis mallebergiis plures, quam tres, eſſe non debent, et ſi de cauſſa illi aliquid ſanum dixerint, penitus grauio nullam habeat licentiam remouendi.* Quod ſimile eſt priuilegio illi, quod ICtis ab Auguſto datum eſſe nouimus. §. 8. *Inſt. de iur. nat. gent. et ciu.* Tantum vero abeſt, vt comes ius dicere poſſet abſentibus ſcabinis, vt hi et in caſtra ſequi comitem iuris dicundi cauſſa cogerentur. CAPITVL. *Lib. IIII.* §. 5. Eorum numerum.

* Tot ſcabinis opus fuiſſe videtur ad quaeſtiones ſollemnes, quas in iure fieri oportebat, expediendas. At aliquando tamen plures in conſilium adhibitos eſſe patet ex LVDOVICI PII *Capitulari II. ann.* 819. §. 2. *p.* 605. *Tom. I. Vult dominus imperator, vt in tale placitum, quale ille nunc iuſſerit, veniat vnusquisque comes et adducat ſecum duodecim ſcabinos, ſi tanti fuerint, ſin autem, de melioribus hominibus illius comitatus ſuppleat numerum duodenarium.* Sed et octo ſcabinorum numerum in placito de mancipiis S. Remigii euindicantis

dicantis obſeruauit SAGITTAR. *de ducatu Thuring. Lib. IIII. cap.* 9. §. 5. Immo et pauciores, veluti ſex aliquando adſediſſe comitibus, idem probauit ex notitia iudicii pro monaſterio S. Andreae Exalatenſis apud BALVZ. *Tom. II. Capitul. p.* 1489.

§. XXI.

Vbi mallus vel iudicium habitum?

Ceterum hi comites et ſcabini vel rachimburgii conueniebant in *mallo*, id eſt, olim ſub dio, in loco, certo ſigno, veluti arbore procera, ſtatua, cruce, notato; poſtea in templo quodam, vel alio loco publico. At vtrumque morem abrogarunt Carolus M. et Ludouicus Pius, qui in eccleſiis vel atriis earum iudicia inſtitui prohibuerunt, iuſſeruntque certa praetoria exſtrui, *vt propter calorem ſolis et pluuiam publica vtilitas non remaneret.* Vid. CAPITVL. I. *ann.* 809. §. 25. CAPITVL. I. *anni* 819. §. 14. CAPITVL. *Lib. III.* §. 57. CAPITVL. *anni* 867. *cap.* 14. Ceterum diuerſos fuiſſe ſcabinorum ordines, vel inde patet, quod *primorum ſcabinorum* mentio fit in CAPITVL. *anni* 823. §. *vlt.* Eoſdem vero et in leges iuraſſe, et dignitatis illius incapaces habitos eſſe, ſimul ac vel publico iudicio fuiſſent damnati, vel ſordide et iniuſte iudicaſſent, diſcimus ex CAPITVL. *anni* 829. *tit.* 2. §. 2. CAPITVL. I. *ann.* 809. §. 28. *et* 30.

§. XXII.

Vicecomites vel vicarii.

At quemadmodum comites non modo iuri dicundo praeerant, ſed et in alia incumbebant reip. negotia, quin et ordines ducebant, quoties bellum aliquod ingrueret: ita fieri non poterat, quin aliquando aliis mandarent iuriſdictionem, SAGITT. *de duc. Thur. Lib. IIII. cap.* 9. §. 8. certoſque conſtituerent homines, qui vice ſua iudicarent, quos in vetuſtis monimentis VICECOMITES vel VICARIOS adpellari, animaduertimus. CAPITVL. V. *ann.* 803. §. 17. CAPIT. II. *anni* 813. §. 5. 6. 13. 25. CAPIT. 874. §. 9. Neque enim diuerſos fuiſſe vicecomites a vicariis, contra HIER. BIGNONIVM demonſtrauit SAGITT. *de ducat. Thur. Lib. IIII. cap.* 9. §. 4. *ſequ.* Hi ergo *vicarii* vice comitis iudicabant, * ſimulque, quod ex CAPIT. II. *anni* 813. §. 8. diſcimus praeerant *luparils*, i. e. venatoribus duobus, qui lupis ſtruebant inſidias, beſtiiſque tam noxiis purgabant prouinciam.

* Praeter vicecomites etiam *ſculdaſium* vel ſcultetum vice comitis iudicaſſe, aliqui exiſtimant; veluti CONRING. *de ind. reip. Germ.* §. 17. et SAGITTAR. *antiqu. duc. Thur. Lib. IIII. cap.* 11. §. 2. Sed teſtimonia tantum non omnia, quibus vtuntur viri doctiſſimi, ad Langobardos, non ad Francos

cos pertinent. Quin et CAR. DV FRESNE *in gloſſar. Lat. Tom. III. p.* 758. *ſequ.* vbi omnia veterum loca de ſculdaſiis corraſit, ne vllum quidem attulit, quod non vel ex LEGE LANGOB. vel ex PAVLLO WARNEFRIDO, CHRONICIS CASINENSIBVS, diplomatibuſque Italicis, depromtum ſit. Hinc a Langobardis tantum vicarios comitum dictos eſſe *ſculdaſios*, arbitramur, non a Francis reliquiſque Germanis, quamuis poſt Francorum tempora vbique non modo per vrbes ius dixerint *ſcultetı* vel *ſculdaſii*, *ſtadt-ſchulzen*, verum etiam qui vicis et pagis praefuerint, dicti ſint *dorff-ſchulzen, gerichts-ſchulzen*, et *lehn-ſchulzen*, ſi officium cum praedio quodam in feudum accepiſſent.

§. XXIII.

Quin non ſolum vicarios ſuos habebant comites, ſed et iudices inferiores, et, vt ita dicamus, pedaneos, qui certo pagi alicuius tractui praeeſſent et de minoris momenti cauſſis ius dicerent. Hinc ſinguli pagi, maxime ampliores, in certas deſcripti erant *centenas*, * DECRET. CHILDEB. *ann.* 595. §. 12. *et* 21. DECRET. CHLOTHAR. II. *ann.* 595. CAPIT. I. *ann.* 819. CAPIT. *ann.* 529. quales et Angli-Saxones in ſuo regno habebant, vocatas HVNDREDAS. GVIL. MALMESB. *Lib. II. cap.* 4. GVIL. GEMETIC. *ad ann.* 892. Immo et centenas in *decarias*, CAPITVL. CAR. CALVI *Toloſan. ann.* 843. §. 3. Quemadmodum ergo intra *centenas* de minoribus cauſſis ius dicebant CENTENARII, CAPIT. III. *ann.* 811. CAPIT. III. *an.* 813. §. 28. CAPIT. V. *an.* 819. §. 19. LEG. BAIVVAR. *tit.* 2. *cap.* 5. §. 1. LEG. ALAMANN. *tit.* 28. §. 3. qui et CENTENI, *Epiſt. Franc. LXII.* apud MARQ. FREH. *ſcript. rer. Franc. p.* 218. et CENTVRIONES dicti, in *Tradit. Fuld.* apud PISTOR. *Lib. II. n.* 45. ita decaniis cum eadem poteſtate praeerant DECANI, LEG. BAIVVAR. *tit.* 2. *cap.* 5. §. 5. CAPIT. CAROLI M. *de vill. ſuis* §. 10. *et* 58. MARCVLFI *adpend. cap.* 10. HINCM. *epiſt. IIII.* qui et DECVRIONES vocantur a WALAFR. STRAB. *de offic. ecclef. cap. vlt.* et in LEGE SALICA *tit.* 47. §. 1. *tit.* 49. §. 1. *tit.* 63. TVNCHINI vel TVNGINI adpellantur. Comitibus ſuberant centenarii et decani vel tungini.

* Equidem ad *centenam* centenas, ad *decaniam* denas domos vel familias pertinuiſſe, vulgo exiſtimant, eique ſententiae etiam ſuffragatur SAGITTAR. *an tiqu. ducat. Thuring. Lib. IIII. cap.* 5. §. 1. Sed probabilius eſt non tam praedia numeraſſe Francos aliasque gentes, quam ipſum pagum in certos tractus vel ditiones, quales apud nos ſunt praefecturae *ambter*, *voigteyen*, *gogräffſchafften*, diuiſiſſe. Erat ſane in ſingulis centenis vicus quidam primarius, a quo illis nomen haerebat. Sic *villae*, *ſitae in pago Oſſimenſi*, *in centena Nouiacenſi*, meminit CHRON. FONTANELL. *cap.* 7. in cuius *cap.* 8. *Diginantiacum*, villa, *ſita dicitur in pago Oſſimenſi*, *in centena Aiancionenſi*. Plura exempla protulit CAR. DV FRESNE *gloſſ. Lat. voce centena.* Id vero com-

commode fieri non potuiſſet, ſi ſingulae centenae centenas numeraſſent familias. Vnde ipſe Sagittar. *ibid.* §. 3. *p.* 224. *Sonſt iſt leicht zu ermeſſen, daſs weil die pagi vnd villae nicht von gleicher gröſse geweſen, daſs es auch nicht allemal mit denen centenis ſo genau können gehalten vverden, daſs eben hundert, vnd nicht mehr, auch nicht vveniger häuſser, darinn gevveſen, ſondern biſsvveilen die hunderte zahl überſchritten, auch vvohl nach gelegenheit nicht einſten erfüllet vvorden, ſo doch, daſs der nahme centenae verblieben.*

§. XXIIII.

In vrbibus etiam ius dicebant comites.

Ceterum tam aequabilis, ſibique per omnia ſimilis apud Francos erat iuriſdictionis ratio, vt ne vrbes quidem ac vici celebriores alterius cuiuſquam, quam comitis et ſcabinorum, iuriſdictioni ſubeſſent, ſiue ſpeciatim earum vrbium cura demandata eſſet his comitibus, ſiue ii praeter illa et tractibus vicinis ius dicerent. (Lib. I. §. 104.) Vtrumque luculenter demonſtrari poteſt. Et quidem in capitvl. *ann.* 805. *tit.* 7. vbi comites emporiorum Bardewicenſis, Scheslenſis, Erfurtenſis, Forchheimenſis, Breembergenſis, Ratiſponenſis et Lauriacenſis memorantur. Et aliunde conſtat, Hamburgenſes ſub Francorum imperio obtemperaſſe comitibus, ius dicentibus, hoſque ſimul praefuiſſe vicino Nordalbingiae tractui. Bernarius ſane comes, vir illuſtris, qui in Nordalbingia ius dicebat ſub Ludouico Pio, etiam Hamburgi praefecturam tenuiſſe dicitur Remberto *in vita S. Anſcharii cap.* 34. Et Gvaldvs *in vita eiuſd. cap.* 35.

Non erat obſeſſis arcere pericula mortis
Virtus, quum praeses, *Bernarius,* vrbis *abeſſet.*

Conf. Lambec. *orig. Hamb. n.* 17.

§. XXV.

Comites et ciuilem, et criminalem habebant iuriſdictionem.

Comitum porro et ſcabinorum tam late patebat iuriſdictio, vt penes eos et ciuilium, et criminalium cauſſarum eſſet diiudicatio. Quamuis enim et magiſtratus minores delicta quaedam, veluti furta leuiora, coercerent: ad comitum tamen cognitionem praecipue pertinebant *homicidia, raptus, incendia, depraedationes, membrorum amputationes, furta, latrocinia, alienarum rerum inuaſiones,* ceu patet ex Lvdovici *Pii praecepto pro Hiſpanis cap.* 2. *et* 3. Nec perſonae, quae in pago iſto reperiebantur, vllae praeter epiſcopos et abbates, exemtae erant a iuriſdictione comitum, leg. Alam. *tit.* 36. *§.* 5. * adeo vt et clerici

rici

rici minores a comitibus ob delicta quaedam coercerentur, DECRET. CHLOTHAR. *II. anno* 615. §. 4. CAPITVLAR. CAROLI CALVI *ann.* 844. §. 3. modo id praeſcitu epiſcopi vel praelati fieret. CAPITVL. *Caroli M. I. ann.* 769. §. 17. et CAPIT. *Lib. VI,* §. 156. *Lib. VII.* §. 89. ISAACI *Epiſc. Lingon. canon. tit.* 11. §. 21.

* Diſerte illa lex: *Qualiſcumque*, inquit, *perſona ſit, aut vaſſus ducis, aut comitis, aut qualiſcumque perſona, nemo negligat ad ipſum placitum venire.* Itaque et ingenui, vel, vti hodie vocantur, equeſtris nobilitatis viri a comite et ſcabinis iudicabantur. Atque hinc lucem capit lex Caroli M. qua cauetur, *ne quis ad mallum, vel ad placitum, infra patriam, arma, id eſt, ſcutum et lanceam, portare velit.* CAPITVL. *III. ann.* 806. §. 1. Armati enim, vt ſupra obſeruauimus, ſoli incedebant ingenui, iique ante Caroli M. tempora procul dubio et ad tribunal armati veniebant, more maiorum, qui et in comitiis conſidebant armati. TAC. *de mor. Germ. cap.* 11. et ad conuiuia armati procedebant, ID. *ibid. cap.* 22. et nihil publicae priuataeque rei, niſi armati, agebant. IBID. *cap.* 13. Quum vero ob faidas parum tutum videretur, in ius venire, et tamen non liceret amplius armatis ſe ſiſtere: mos poſtea inualuit, vt accuſatores peterent a iudice, *ihnen den frohnbothen zu leyhen, daſs er ſeine geſchliffene wehr ausziehe, und ihnen dieſelbe mit gewaffneter hand vortrage.* (*Lib. II. Part. II.* §. 28. *)

§. XXVI.

Miſſorum dominicorum officium.

Talia erant comitum, eorumque, qui vel eorum vice, vel ſub eorum diſpoſitione, cauſſas cognoſcebant, iudicia. Proximum ergo eſt, vt et ad MISSOS REGIOS progrediamur, qui et *legati*, *miſſi dominici*, *miſſi palatii*, *palatini*, vel *de palatio*, immo et *miſſi de latere*, vel *ex latere*, et *legati a latere miſſi*, dicebantur. CAR. DV FRESNE *gloſſ. Lat. Tom. II. pag.* 586. Hi enim extra ordinem e palatio in certas prouincias mittebantur cum ampliſſima poteſtate, *de omnibus cauſſis, quae ad correctionem pertinere viderentur, quanto poſſent ſtudio, per ſemet ipſos regia auctoritate corrigendi, et ſi aliqua difficultas in qualibet re eis obſiſteret, id ad regis, vel imperatoris notitiam deferendi.* * CAPITVL. *anni* 810. §. 3. *cap.* 3. *ſequ.*

* Praeclarum laudeque digniſſimum erat hoc regum Francorum inſtitutum, quo et Romani aliquando vſi videntur, ſi quid in prouincia eſſet turbidum. Sane enim in marmoribus memoratur P. AQVIVS SCAEVAE ET FLAVIAE FILIVS EXTRA SORTEM AVCTORITATE. C. CAESAR. EX SC. MISSVS AD COMPONENDVM STATVM IN RELIQVVM PROVINCIAM CYPRI. CAR. DV FRESNE *gloſſar. voce miſſus.*

§. XXVII.

§. XXVII.

Tum circa rempublicam.

Inprimis vero id negotii dabatur miſſis illis, vt in comitum, reliquorumque magiſtratuum acta inquirerent, CHRON. MOISSIAC. *ad ann.* 815. iudicibus, ſordide fungentibus officio, poteſtatem abrogarent, ſanctioresque ſurrogarent, CAPITVL. *Lib. III. §.* 33. de epiſcoporum, abbatumque vita et moribus ad regem referrent, monaſteria et eccleſias coram luſtrarent, CAPITVL. *Lib. I.* §. 121. prouinciamque latronibus, aliiſque prauis hominibus purgarent. CAPIT. CAROLI CALVI *tit.* 11. *§.* 1. *tit.* 12. *§.* 4. *tit.* 13. §. 1. *tit.* 20. §. 7. * Itaque ſimiles hi miſſi fuerunt iis, quos principes noſtri aliquando per dioeceſes eccleſiaſticas mittunt extra ordinem, vt, ſi quid praui moris paullatim irrepſerit, id prudenter emendent, vel, ſi impares ſe eſſe emendandis illis vitiis animaduertant, rem ad principes vel eorum ſacra tribunalia deferant. Id enim ſibi conſilii eſſe, ſatis perſpicue docet Ludouicus Imp. apud ERMOLD. NIGELLVM *Lib. II.* editum a MVRATOR. *Tomo II. part.* 2. *p.* 44.

Nam mihi mente ſedet, dederim quod nuper in orbem
Legatos, populos qui pietate regant.
Nunc, nunc, o miſſi, certis inſiſtite rebus,
Atque per imperium currite rite meum.

* Demandabatur itaque hoc negotium non vilioris conditionis hominibus, in quos corruptionis cadebat ſuſpicio, ſed ditioribus et honoratioribus in palatio, puta *archiepiſcopis, et reliquis epiſcopis, et abbatibus cum ducibus et comitibus, qui iam non opus habebant, ſuper innocentibus munera accipere*, vt eſt in CHRON. MOISSIAC. *ad ann.* 802. Quamobrem cum his *miſſis maioribus*, vti vocantur in CAP. CAROLI CALVI *ann.* 860. *tit.* 32. §. 8. non confundendi ſunt, minores, ſeu *diſcurrentes* apud FREDEGAR. *in chron. cap.* 88. Videntur hi ſane ex minoribus vaſſis fuiſſe, et extra ordinem repente in hanc illamue prouinciam eſſe ablegati, ſi quid incideret, quod accuratius noſſe vellent reges. Simile fuit Imperatorum Romanorum inſtitutum, qui vel libertos ſuos per prouincias dimittebant, acta praeſidum exploraturos, vel FRVMENTARIORVM eam in rem opera vtebantur, vti ex SPARTIANI *vita Hadr. cap.* 11. diſcimus, vbi plane egregia ſunt, quae ad locum illum adnotauit CLAVD. SALMASIVS *p.* 27. *ſequ.* obſeruans ſimul, eorum in locum a Diocletiani temporibus ſucceſſiſſe CVRIOSOS, ex corpore agentium in ſingulas prouincias miſſos, *ad explorandum annunciandumque, ſi qui forte motus exſiſterent.* AVREL. VICT. *in Dioclet. p.* 172. *edit. Annae Tanaqu. Fabrae.* His plane ſimiles eſſe miſſos illos regum Francorum minorum gentium, ſeu diſcurrentes, facile vnuſquiſque animaduertit.

§. XXVIII.

Tum circa priuatorum cauſſas.

Quemadmodum vero omnia, quae emendanda videbantur, ad horum legatorum curam et ſollicitudinem pertinebant: ita et, ſi cui iuſtitia vel a comite et ſcabinis, vel a quibuſcumque aliis, eſſet denegata, ipſi ius dicebant, et viduarum praecipue aliarumque perſonarum miſerabilium curam gerebant. CAPITVL. *Lib. IIII. §.* 66. CAPITVL. CAR. CALVI *tit.* 17. *§.* 7. EDICT. PISTENS. *cap.* 2. Hinc miſſi dicuntur *ad iuſtitias faciendas, et oppreſſiones populorum releuandas*, ANNAL. MET. *ad ann.* 798. *et* 814. RATPERT. *de caſ. S. Gall. cap.* 5. eoque conſilio quatuor per ſingulos annos conuentus iuris dicundi cauſſa, diuerſis locis, ſtatiſque temporibus, puta menſibus Ianuario, Aprile, Iulio et Octobre agebant, eoſque Francorum more *placita*, communi conuentibus et iudiciis vocabulo, adpellabant. * CAPITVL. *III. anni* 812. §. 8. *et Lib. III. §.* 83.

* Exſtant paſſim notitiae huiuſmodi placitorum, ſeu iudiciorum, a miſſis dominicis inſtitutorum. Sic inter STEPH. BALVZII acta vetera *Capitularium Tomo II.* adnexa *num.* 34. *p.* 1416. habes iudicium pro epiſcopo Gerundenſi, ob villam, cui nomen Baſchara, anno 817. habitum, et ex archiuo eccleſiae Gerundenſis depromtum, et *n.* 80. *p.* 1467. placitum miſſorum dominicorum, in quo terminata eſt lis, quae fuit inter Agilmarum, Archiepiſcopum Narbonenſem, et Wigerigum, comitem, vbi in priore inſtrumento memorantur *miſſi a glorioſiſſimo domino Ludouico, Imperatore, Nifridus, Gerundenſis Epiſcopus, Chriſtianus item epiſcopus, ſeu et iudices, qui iuſſi ſunt dirimere cauſſas, Adroarius, Cirella, Adaulfus, Calbus, Prouaſius, Sculpiliarius, et Remulus, ſeu et Magnentius et Salo, qui in praeſentia aliorum multorum hominum, qui cum ipſis ibidem adfuerint*, cauſſam terminarint. Nifridum tamen archiepiſcopum inter miſſos tum fuiſſe, vix veroſimile eſt, niſi credere velis, eum iudicem in propria cauſſa fuiſſe.

§. XXVIIII.

Ad eos prouocari poterat.

Non male ergo coniecerunt IOACH. VADIANVS *de colleg. et monaſter. pag.* 27. apud GOLDAST. *rer. Alam. Tom. III.* et CONRING. *de iudic. vet. Germ.* §. 36. prouocationi locum fuiſſe a comitibus eorumque ſcabinis ad miſſos aut legatos regios, ſi quis ſe neglectum fraudatumque, aut iniquius ab illis tractatum conquereretur: quamuis et ipſe rex et palatii comes poſſent adpellari, ſi cauſſa eſſet maioris momenti, vel talis, vt impares eſſent vel comites vel miſſi illi definiendae, eo tamen ſeruato diſcrimine, vt *cauſſae pauperum et minus potentum* per adpellationem ad regem deuolutae, a palatii comite; potentiorum

ab ipſo rege deciderentur. CAPITVL. *Lib. III.* §. 77. Vnde *et addit. Lib. IIII.* §. 82. edicitur, *vt miſſi notum faciant comitibus et populo, regem in omni hebdomade vnum diem ad cauſſas audiendas et iudicandas ſedere velle.*

§. XXX.

Iudicia ſacra quotuplicia?

Superſunt ergo iudicia EPISCOPORVM. In veram enim iuriſdictionem paullatim euaſiſſe epiſcopalem illam, quae a principibus illis indulgebatur, audientiam, in vulgus notum eſt. Recte autem obſeruatum eſt a CONRINGIO *de iudic.* §. 30. *ſequ.* ſacra illa iudicia partim ad mores et vitam Chriſtianorum, partim ad lites clericorum et monachorum, partim ad alias cauſſas, in quibus licebat prorogare iuriſdictionem, pertinuiſſe: immo fuiſſe cauſſas, quae vel ad concilia et ſynodos, vel ad papam fuerint delatae: denique de bonis eccleſiaſticis etiam aduocatos eccleſiarum ius dixiſſe, putat. De quibus iudiciis omnibus quaedam hic diſſerere operae pretium omnino fuerit.

§. XXXI.

Iudicia epiſcoporum de vita et moribus Chriſtianorum.

In vitam et mores Chriſtianorum cenſuram agere ſemper licuit epiſcopis, eatenus, vt extra legem viuentes, ſi lenioribus remediis locum non dederint, abſtentos reddere, iiſque ſacrorum vſu cauſſa cognita interdicere poſſent. Apud Francos autem tantus fuit diſciplinae illius eccleſiaſticae rigor, vt excommunicatus nec ſacris intereſſe, nec cibum potumue cum vllo Chriſtiano capere, nec oſculo aut munere excipi, nec ſalutari a quoquam poſſet. CAPITVL. *Lib. V.* §. 42. *et Lib. VI.* §. 130. Si ne ſic quidem ad frugem redibat diris deuotum caput, regis iuſſu exſulatum ibat: quin et is, qui cum illo quidquam habuerat commercii, eadem ſeueritate ſacris arcebatur. CAPITVL. *Lib. V.* §. 42. Nec prouocationi ab illa epiſcopali ſententia locus erat, niſi ad iudicium metropolitani *. CAPITVL. *Lib. V.* §. 42.

* Recte ergo obſeruauit CONRING. *de iudic. vet. Germ. reip.* §. 30. maiorem apud Francos fuiſſe epiſcoporum potentiam, quam vllibi terrarum. *Tam late enim*, inquit, *patebat hoc iudicium ſacrum, vt nihil fere non criminum illuc ſenſim traheretur. Quod ex multis capitularium locis percipere eſt. Seorſum de perfidis* CAPITVL. 141. *libri VI.* de*cernit, ne iudices quidquam de perfidorum exceſſibus extra ſacerdotum conniuentiam iudicare praeſumant. Quae omnia poteſtatem ſacerdotalem ſupra modum et morem Germanicarum gentium auxerunt. Etſi enim iam alibi interdum idem effectus excommunicationis dudum obtinuiſſet, ceu liquet ex epiſtola CVII. Syneſii, qua excommunicatur Andronicus Pentapolita-*

nus

nus praeſes: tamen non paſſim hactenus is rigor inualuerat, certe apud Germanicas gentes tale quid fuerat inſolitum. Quamobrem non mirum eſt, ſaeculo VIIII. in SYNODO WORMATIENSE *cap.* 13. cautum eſſe, *ne epiſcopi pro leuibus et paruis cauſſis quemquam excommunicent.* Et notae ſunt HINCMARI Rhemenſis aliorumque teſtium veritatis ex illo ſaeculo VIIII. querelae de inſigni excommunicationum abuſu, quas ex parte ſiſtit MATTH. FLAC. *catal. teſt. verit. Lib. VIIII. p. 96. Tom. II.*

§. XXXII.

Deinde mature ſibi epiſcopi vindicarunt iuriſdictionem omnem in clericos, monachos et moniales ſuarum dioeceſium. Nota enim eſt hac de re ſanctio CONCILII CHALCEDONENSIS *can.* 9. *Si quis clericus habet cum clerico litem aut negotium, proprium epiſcopum non relinquat, et ad ſaecularia iudicia non excurrat, ſed cauſſam prius apud proprium epiſcopum agat, vel de epiſcopi ſententia apud eos, quos vtraque pars elegerit, iudicium agitetur. Si quis autem praeter haec fecerit, canonicis poenis ſubiiciatur.* * Quem canonem repetit, ſuaque conſtitutione firmat CAROLVS M. *capitul.* 1. *ann.* 789. *§.* 27. CAPITVL. *Lib. I. §.* 28. Conf. *Lib. I.* §. 3. *et Lib. VI.* §. 434. In clericos, monachos, et moniales.

* At ſaepe tamen, vbi ſe crimine quodam, veluti homicidio, furto, vel ſimili, indignos reddiderant illo fori priuilegio, cum epiſcopi praeſcitu ad tribunalia comitum et ſcabinorum rapiebantur, poena, quam meruiſſent plectendi. Exempla ex EDICTO CHLOTARII *ann.* 615. §. 4. CAROLI CALVI *Capitul. tit.* 6. *§.* 3. iam ſupra adduximus (*§.* 25.) Sed paullatim et hoc ab vſu receſſit, vt ne de his quidem atrocioribus criminibus vlla iudicibus relinqueretur cognitio, ac ne animaduerſio quidem, niſi auctoritate et iuſſu epiſcoporum.

§. XXXIII.

Id vero mirum, ac monſtro paene ſimile videtur, Francorum regibus perſuaderi potuiſſe, vt et alias quaſcumque cauſſas ciuiles, ſiue de poſſeſſione, ſiue de iure et titulo litigaretur, ad epiſcoporum tribunal pertrahi paterentur. CAPITVL. *Lib. VI.* §. 366. *edit. Baluz.* Ita enim fieri non potuit, quin epiſcopi omnem paene iuris dicundi poteſtatem paullatim ſibi vindicarent. Sed prorogatae illius iuriſdictionis aequitatem tanto maiorem eſſe exiſtimabant, quanto minus ipſi principes Romani id ciuibus ſuis indulgere dubitaſſent, *l.* 1. *C. Theod. de epiſc. iud.* * quam cum aliis quibuſdam eiuſdem generis conſtitutionibus, tamquam extrauagantem, Lib. XVI. laudati codicis ſubiunxit IAC. GOTHOFREDVS *Tomo VI. p.* 303. Cauſſae in quibus ſponte iuriſdictio prorogabatur.

* Dici non poteſt, quam haec conſtitutio, quippe epiſcopis vtiliſſima, placuerit canonum compilatoribus, qui ideo omnes eam in ſuis collectionibus exſtare voluerunt. Praeter CAPITVLARIVM enim auctorem citatum, illam conſtitutionem iactare animaduertimus IVONEM *Part. XVI. cap.* 312. et GRATIAN. *c.* 11. *qu.* 1. *c.* 35. Sed quamuis illam integram et ſinceram eſſe contendant IAN. A COSTA *in Decretales p.* 281. et SELDENVS *de ſynedr. Hebr. Lib. I. cap.* 10. tamen eam, permultis adductus argumentis, falſam eſſe, probauit IAC. GOTHOFREDVS *in comment. ibid. p.* 304. Ei ſeſe oppoſuit ſub finem ſaeculi ſuperioris IO. DE GENDRE, Anteceſſor Pariſienſis, ſed cuius libellum me nondum vidiſſe, fateor.

§. XXXIIII.

Ipſorum epiſcoporum cauſſae vbi tractatae.

Quemadmodum itaque epiſcoporum perampla erat iuriſdictio: ita ipſi, tantum abeſt, vt ad tribunalia iudicum ordinariorum vocari poſſent, vt eorum cauſſae non niſi apud metropolitanum, aut, ſi hunc ſuſpectum haberent, apud primatem dioeceſeos, vel Pontificem Romanum, tractandae eſſent. CAPITVL. *Lib. VII. §.* 234. 240. Plerumque tamen non ſoli metropolitani vel primates iudicabant, ſed in conſilium adhibebant ſuffraganeos ſuos, vel comprouinciales epiſcopos, adeoque cauſſa, in ſynodo cognita, de communi patrum ſententia dirimebatur. SYNOD. FRANCOF. *ann.* 794. *cap.* 6. Prouocationem tamen ad pontificem Romanum ſero, et nonniſi ſub altera regum ſtirpe, conceſſam eſſe, pluribus iam oſtenderunt alii. Et ſane Carolingi ad prouocationem illam concedendam pellecti ſunt binis monimentis, quae partim ſubleſtae fidei, partim ἀπροσδιόνυσα eſſe, iam pridem demonſtratum eſt. * Vid. CONRING. *de iudic. vet. Germ. reip. §.* 32. *ſequ.* HERT. *notit. regn. Franc. cap.* 5. *§.* 39.

* Nam in CAPITVL. *Lib. VII. §.* 412. prouocatur ad auctoritatem capitulorum in collectione Hadriani, et ad *concilii Sardicenſis canonem IIII.* Sed ſicuti collectio illa 75. capitulorum, quae ſub Hadriani nomine temporibus Caroli M. ab Ingilramo, Epiſcopo Metenſi, in Gallia ſparſa eſt, permulta habet et interpolata et mutila, et in alienum ſenſum detorta, prout conducere viſum eſt ad extollendam Romani pontificis auctoritatem: PETR. DE MARCA *ibid. Lib. III. cap.* 5. *§.* 4. *p.* 231. et *Lib. VII. cap.* 20. §. 4. *p.* 1073. ita canones Sardicenſes non ad cauſſas omnes epiſcoporum, ſed ad eorum tantum depoſitionem, quam vocant, nec ad cauſſas a metropolitano et ſynodo iam deciſas, pertinere, nec libertatem prouocandi ad ipſos principes tollere, pluribus docent idem PETR. DE MARCA *ibid. Lib. VII. cap.* 3. *ſequ.* et CONR. *ibid.* §. 33.

§. XXXV.

§. XXXV.

Superſunt iudicia ADVOCATORVM, vel vicedominorum, per quos intelligimus perſonas ſiue nobiles, ſiue ingenuas, ſacro quidem ordini non adſcriptas, ſed epiſcopis tamen et praelatis adiunctas, eum in finem, vt, quum ſacerdotibus parum conuenire videretur in foro litigare, hae illorum loco lites de bonis eccleſiaſticis ſuſciperent. Solebant ergo hi lites de bonis eccleſiaſticis non quidem decidere, ceu exiſtimauit CONRING. *ibid.* §. 35. ſed ſuſcipere pro eccleſiis ſuis, et has defendere pro virili, CAR. DV FRESNE *gloſſ. Lat. voce aduocatus*, immo et pro iiſdem, ſi res ita ferret, certamen ſingulare ſubire: cuius rei exempla dedit MABILLON. *act. ſanct. ord. S. Bened. ſaec. III. part. I. n.* 12.

Aduocatorum eccleſiaſticorum partes in iudiciis.

§. XXXVI.

Talis fuit ſub Francis iuriſdictio: nec alia apud Alamannos, Boioarios, Saxones, Thuringos, reliquoſque populos, qui et in Germania, et extra illam, Francis parebant, erat rei iudiciariae ratio. Nos id modo obſeruamus, rariorem illis temporibus, nec tamen plane ignotam fuiſſe iuriſdictionem patrimonialem, quam domini exercebant in homines proprios et colonos, * immo et in fundos eorum, quamque in locum veteris poteſtatis dominicae ſurrogatam eſſe, ex inſtituto oſtendimus. *diſſert. de orig. et indole iurisd. patrimon.*

An et iuriſdictio quaedam patrimonialis apud Francos?

* Neque enim alio videntur pertinere MALMANNI, quorum iam Carolus M. meminit in diplomate *Oſnabrug. ann.* 803. *apud* SCHATEN. *Hiſt. Weſtphal. Lib.VIIII.* Eos enim fuiſſe ruſticorum genus, quod ad domini mallum vocari, ibique iudicari potuerit, ipſum horum ſeruorum nomen ſatis videtur probare. Sed magis perſpicuum eſt teſtimonium, quod ex CHRON. MSC. EBERSHEIMENSI excerpſit SCHILT. *de cur. dominical. in mantiſſa p.* 574. vbi Erchonoaldus maior domus, *ducatum Germaniae adeptus, et ſedem in villa regia, quae Ebenheim vocatur, vel in caſtro, in vertice montis ſito, Altitona olim, nunc Hohenburc, inſulam Nouientum ſiue Ebersheim* IVRE MERIDATARIO *poſſedit, et monaſterium in honorem S. Mauritii dedicauit, et dotauit* 20. *curtibus, in Sulza,* CVRTE DOMINICA *cum omnibus adpendiciis ſuis, eccleſia videlicet matrice, cum decimis ſuis, manſis cenſualibus atque ſeruilibus, agris cum vineis ac pratis, curtibus cum curtificiis, familia miniſteriali, ſeruili et cenſuali, aquarum decurſibus, cum molendinis ac foreſtis, ac toto ſimul* BANNO GENERALI. Praeclarum ſane hoc teſtimonium, ex quo patet, Erchonoaldum monaſterio S. Mauritii contuliſſe praedia allodialia, quae tamquam priuatum patrimonium poſſidebat, et tamen in illis fuiſſe *curiam dominicalem*, in qua ius dicebatur emphyteutis, immo eum ibi habuiſſe *bannum generalem*, id eſt omnem iuriſdictionem in familias miniſteriales, cenſuales et ſeruiles. Quae proinde vere erat patrimonialis illa iuriſdictio.

§. XXXVII.

Iudiciorum ratio poſt Francos.

Eadem fere manſit iudiciorum ratio, extremo Francorum regno, quamuis pauca quaedam mutata paullatim eſſe in illa temporum perturbatione, non abs re animaduerterit Herm. Conr. *ibid.* §. 40. Fieri enim non potuit, ducibus et comitibus iure veluti hereditario prouincias regere incipientibus, quin et ipſi per alios iura redderent, et paullo difficilius, quam antea, in ius vocarentur. At ſatis conſtat, duces, qui prope omnem Germaniam inter ſe diſtraxerant, illa tempeſtate paene regium vſurpaſſe imperium, adeo, vt Arnulphi, Boioariae ducis ducatum *regnum* diſerte vocet Witichind. *annal. Lib. I. pag.* 637. Burcardum vero, ducem itidem *tyrannice Sueuiam rexiſſe*, teſtetur Eckard. *de caſib. monaſt. S. Galli cap.* 5.

§. XXXVIII.

Regum ac Imp. cauſſae in comitiis diſceptatae.

Vt tamen eumdem, quem antea, ordinem ſeruemus, primo in comitiis regni, tum ipſorum regum regiaeque familiae, tum et principum regni, cauſſas tunc etiam diſceptatas eſſe, comperio. Nam quod ad regum attinet cauſſas, notiſſimum eſt, imperii proceres anno erae Chriſtianae 1066. Triburiae conuenientes, Henrico IIII. regi denunciaſſe, aut regno ei cedendum eſſe, aut familiaritati atque amicitiae archiepiſcopi Bremenſis renunciandum. Lamb. Schafnab. *ad d. ann.* 1066. Tales diſceptationes et in aliis comitiis factas, referunt annales. Vid. Lamb. Schafn. *ad ann.* 1072. Brvno *hiſt. belli Sax. p.* 181. *ſequ.* 184. 214. Lamb. Schafn. *contin. ad ann.* 1076. Alb. Stad. *ad ann.* 1235. quamuis fatendum ſit, pleraque magis per tumultum, quam more maiorum, et iure legitimo, acta eſſe, maxime quum et Pontificibus maximis in turbido eſſet conſilium, iique ſibi in reges iuriſdictionem, inaudito antea in Germania exemplo, * vindicarent.

* Praeclare demonſtrauit Conring. *de iudic. vet. reip. Germ.* §. 44. *ſequ.* ante Henrici IIII. Imp. tempora non exſtare exemplum regis vel principis, a pontifice Romano iudicati. Quamuis enim ſaepe antea periculum fecerint pontifices, an non et reges et principes ſuo fulmine terrere poſſint, idque ſatis perſpicue demonſtrari poſſit exemplis Ludouici Pii, Lotharii; Lotharingiae regis, Caroli Calui, aliorumque: Dvpinivs tamen *de antiqua eccleſ. diſcipl. Diſſ. III. p.* 279. *ſequ.* praeclare oſtendit, et cautius illo tam violento remedio vſos eſſe praeſules Romanos, et illud non ad reges regnis priuandos, ſed ad eccleſiaſticam tantum diſciplinam, fuiſſe comparatum:

tum: ſateturque tandem p. 280. non poſſe excommunicationem impedire, quo minus rex regnum adminiſtret, regat, gubernet, moderetur, ac proinde non poſſe ſubditos a ſacramento fidei abſolui, vel regem regnandi iure priuari.

§. XXXVIIII.

Manſit etiam conſuetudo, maiores principum cauſſas, maxime vero, quae ad eorum prouincias, ſtatum, dignitatemque pertinebant, in comitiis ſeu conciliis ordinum tractandi, adeo, vt legitimo modo damnatus non videretur princeps, niſi cauſſa in principum, ſaltim eius prouinciae, vnde quis oriundus erat, (Lib. II. Part. III. §. 45. *) concilio cognita. Exſtant eius rei exempla paene innumera, veluti ex ſaeculo X. Alberti, Francorum comitis, LVITPR. *Chron. Lib. I. cap.* 3. OTTO FRIS. *Chron. Lib. VI. cap.* 15. WITTICH. *Ann. Lib. I. p.* 635. MAR. SCOT. *ad ann.* 908. Erchangeri et Bertoldi, comitum, ECKARD. *de caſib. S. Galli p.* 16. Euerardi, comitis, de quo diploma apud SAGITTAR. *antiqu. Magdeb.* §. 87. *ſequ.* Vdonis et Adalberti, apud REGIN. CONTIN. *ann.* 967. ex ſaeculo XI. Erneſti ducis Alamanniae, apud WIPPON. *vit. Conradi p.* 436. Conradi Bauari, HERM. CONTR. *ad ann.* 1053. Ottonis Bauari, LAMB. SCHAFNAB. *ad ann.* 1070. et Ecberti marchionis, apud HEDAM *de epiſc. Vltraiect. p.* 159. ex ſaeculo XII. Henricorum, Superbi, et Leonis, patris et filii, quamuis hunc conqueſtum nouerimus, ſe iniuſte eſſe damnatum, quod, de Sueuia oriundus, non tamen conuictus ſit in terra natiuitatis ſuae: ARNOLD. LVBEC. *chron. Slau.* II. 24. ex ſaeculo XIII. Ottonis Wittelsbachii. GODOFR. *monach. ad ann.* 1208.

Itemque maiores principum cauſſae, tum ante interregnum;

§. XXXX.

Nec poſt fatale illud interregnum vſque ad finem ſaeculi XV. aliter ſeſe rem habuiſſe, recte obſeruauit CONRING. *ibid.* §. 48. idque probauit exemplis ſententiarum ſub Rudolpho Habsburgico aduerſus Ottocarum, Boemum, et Henricum, Bauarum, GER. A ROO *Auſtr. p.* 21. *ſequ.* ſub Adolfo Naſſouio aduerſus Meinardi Tirolenſis filios, AVENTIN. *annal. Boior. Lib. VII. cap.* 12. §. 6. ſub Henrico VII. aduerſus Boemum, GOLDAST. *Reichs-Satz. Part. II. p.* 29. ſub Carolo IIII. aduerſus Bauarum pro Ruperto Palatino, GEWOLD. *de ſeptemuir. cap.* 10. *p.* 765. ſub Sigiſmundo, aduerſus Ludouicum Bauarum, AVENTIN. *Annal. Boi. Lib. VII. cap.* 24. §. 44. *ſequ.* nec non aduer-

tum poſt illud.

aduerſus Fridricum, Auſtriae ducem, Ger. a Roo *hiſt. Auſtr. Lib. IIII. p.* 138. et Ericum Saxonem Lauenburgicum, Muller. *Richs-tags-theatr. P. V. cap.* 13. §. 16. *ſequ.* aliarumque ſimilium, communi principum ſuffragio latarum. *

* Idem Conring. *ibid.* §. 50. non modo exemplis rem probat, verum etiam publicis Imperatorum et imperii legibus. Huc pertinet celebris conſtitutio Fridrici II. anno 1235. in comitiis Moguntinis condita, apud Goldast. *Reichs-ſatz. Part. II. p.* 6. quam primum omnium vernacula lingua conſcriptam eſſe exiſtimat Conr. *de orig. iur. Germ. cap.* 27. vbi imperator *cap.* 24. ſtatuit, *haſs der hoffrichter ſolle die leute richten, die ihm klagen von allen leuten, ohne fürſten vnd andere hohe leute, vvo es gehet an ihrem leibe, oder an ihr recht, oder an ihr erbe, oder an ihre ehre, das vvollen vvir ſelber richten.* Quam ſanctionem repeti obſeruamus in conſtitutione Rudolphi I. Imp. ann. 1287. apud Lehmann. *chron. Spir. Lib. V. cap.* 108. et Alberti I. apud Goldast. *Reichs-ſatz. Part. II. p.* 1. Sed et ex Sigiſmundi et Fridrici V. aeuo plura huius generis adfert Conring. ſimulque obſeruat, §. 53. principes aliquos tum compromittere coepiſſe in arbitros, eamque eſſe originem *auſtregarum*, §. 54. eosdem ſaepe armis lites dirimere, quam eas ad Caeſarum tribunal deferre, maluiſſe, denique §. 55. etiam pontifices Romanos ſenſim coepiſſe in principes iurisdictionem ſibi adrogare, aliaque facta eſſe contra fas et aequum, quae non potuerint non fieri, collabaſcente paullatim Imperatorum auctoritate. Quamuis, quod ad *auſtregas* attinet, eas multo antiquiores, et iam inde a Carolingarum aetate repetendas eſſe, exiſtimet Vlr. Obrecht. *prodr. rer. Alſat. cap.* 12. *p.* 293.

§. XXXXI.

Cauſſae minores in aula Caeſarum tractatae.

Ceterum ex Fridrici II. conſtitutione, quam in ſcholio antecedentis paragraphi laudauimus, patet, Imperatores et Reges etiam his temporibus exemplo Francorum regum in palatio ſuo habuiſſe iudicem aulicum, *einen hoffrichter*, qui cauſſas minores, ad ſe delatas, dirimeret, quod etiam patet ex monimentis a beato fratre editis *in antiqu. Goslar. Lib. III. ad ann.* 1289. *p.* 303. *ſequ.* vbi protulit ſententias, latas ab Hermanno von Bonſteten, *houerichter ſines herrn, des Künges Ru. von Rome*, et *Lib. IIII. ad ann.* 1418. *p.* 371. vbi ſimilis exſtat ſententia Guntheri, Comitis Schwarzburgici et domini de Ranis, *des allerdurchlauchtigſten Fürſten vnd Herrn, Herrn Sigmunds, Römiſchen Königes, zu allen zeiten mehrers des Reichs vnd zu Hungarn etc. Königs hoffrichters.* Add. Datt. *de pace publ. Lib. IIII. cap.* 1. §. 19. *p.* 705. Quum vero reuiuiſcente paullatim ſub Maximiliano I. et Carolo V. imperatorum au-

auctoritate, et principum ordinumque cauſſae vel ad camerale, vel ad aulicum illud imperatorum iudicium deferri coepiſſent: natum inde eſt illuſtre iudicium aulicum, *der Reichs-Hoffrath*, quem diuerſo ſenſu et antiquiſſimum, et ſub Carolo V. demum natum eſſe, recte dixeris. *

* Et ita quidem facile redibunt in gratiam, qui de origine tribunalis illius auguſtiſſimi diſſentiunt. Sunt enim, quibus illud tam antiquum videtur, ac ipſum imperium: Vffenb. *de conſil. aul. cap.* 1. *p.* 1. Mavrit. *diſſ. de iud. aul.* §. 5. Aliis ſub Maximiliano I. coepiſſe videtur: Iren. *ad Burgold. Part. II. diſc.* 19. *p.* 46. aliis a Carolo V. vel Ferdinando I. inſtitutum creditur. Hipp. a Lapide *de rat. ſtat. Part. II. cap.* 5. *ſect.* 5. Boecler. *notit. imp. Lib. XIII. cap.* 4. Nam vti ipſum iudicium eſt antiquiſſimum: ita a temporibus Maximiliani I. Caroli V. et Ferdinandi I. qui nouis legibus iudicium hoc firmauit, nouam veluti faciem induiſſe, certiſſimum eſt.

§. XXXXII.

Saepe poſt Carolingorum tempora etiam celebratur iudicium comitis palatini Rheni, cui in ipſos Imperatores et Reges iuriſdictionem fuiſſe, legimus. Quamuis vero falſum ſit, comitem palatinum vmquam capitis vel damnaſſe vel damnare potuiſſe Caeſarem vel Regem, idque inter ſomnia referendum ſit auctoris spec. Svev. *cap.* 23. 147. *et* 156. et Weichb. Magd. *art.* 8. nec illud ius palatini admodum antiquum eſſe, inde colligat celeberrimus Strvv. *ſynt. iur. publ. diſſ.* 24. §. 2. quod in Henrici IIII. Regis hiſtoria, totque inter eum et imperii ordines gliſcentibus controuerſiis, altum de hoc iudicio ſilentium ſit: tamen ipſam illam iuriſdictionem in cauſſis, quae inter regem et ſtatus vertebantur, non plane ſine exemplo eſſe, * ex ipſis vetuſtis annalibus oſtenderunt laudatus Strvv. *ibid.* §. 3. et Pfeffing. *Vitriar. illuſtr. Lib. III. tit.* 12. §. 14. *ſequ. Tomo III. p.* 880. *ſequ.* Iuriſdictio comitis palatini Rheni.

* Et quis dubitet, quin illud fundamentum omnino habeat, cuius ipſae leges imperii, puta avr. bvlla *tit.* 5. §. 3. faciant mentionem, vbi conſulendi omnino interpretes, et inprimis ill. a Lvdewig. *in Commentar. Tomo I. p.* 588. *ſequ.* Sane ne in dubium quidem hanc Palatini iuriſdictionem vocat Carolus IIII. ſed id tantum curat, vt iudicium non alibi, quam in palatio Imperatoris, adeoque eo praeſente inſtituatur. Enimuero vti iam olim rariora eius rei exempla fuerunt: ita multo magis de hodierno eius vſu poteſt dubitari. Vid. Strvv. *ibid.* §. 4.

§. XXXXIII.

Circa comitatus maxima contigit hoc tempore mutatio.

Maxima tum mutatio circa comitum iudicia facta eſt, ceu recte obſeruauit CONRING. *de iud. reip. Germ.* §. 83. Nam et multi comitatus vni committi, et plures epiſcopis et abbatibus dari coeperunt: plurimi ducibus et principibus ceſſerunt. Quin quum per incuriam aulae regiae inter bella Germanica quidam comitatus nemini conferrentur, omnem illam vim ac poteſtatem alicubi plebem occupaſſe, exemplo Friſiae demonſtrat: cui et Dithmarſiae et multorum Heluetiae tractuum exempla poſſent addi, niſi id in vulgus notum eſſet. Denique pleroſque, immo omnes paene comitatus, factos paullatim hereditarios, vel ſaltim feudi iure poſſeſſoribus conceſſos eſſe, tam notum eſt, quam, quod notiſſimum.

§. XXXXIIII.

Nec tamen plane comites ius dicere deſierunt.

Equidem et hac epocha aliquamdiu durabat comitum iuriſdictio. Quamuis enim comitatus plerique in patrimonium cederent principum et comitum potentiorum: Imperatores tamen et Reges iis ſaepe adiungebant alios, eodem titulo fulgentes, * qui res fiſcales curarent, et de illis, nec non de criminibus, ius dicerent, ceu probarunt GVILLIMANN. *Habſp. Lib. IIII. cap.* 2. et ex eo, variiſque diplomatibus et annalium teſtimoniis HERT. *de conſult. leg. et iudic. in ſpec. Imp. Rom. Germ. rebuspubl.* §. 19. Quin eo vel maxime pertinent comites palatini, in prouinciis et ducatibus primariis Germanis ſuperſtites, veluti comites palatini ad Moſellam, BROWER. *annal. Treu. Lib. XV. ad ann.* 1142. *et Lib. XI. ad ann.* 1111. Sueuiae vel Tubingenſes, Boioariae, Saxoniae, immo et Luſatiae apud LAMB. SCHAFFN. *ad ann.* 1062. ad quorum officium vel id maxime inter cetera pertinuit, vt, quoties de rebus fiſcalibus imperatorum in illa prouincia lis oriretur, de ea ipſi ius dicerent, ceu ex CONRING. *cenſur. dipl. Lindau. cap.* 11. docet idem HERT. *ibid. p.* 442. *ſequ.*

* At poſtremis temporibus raro illi comitis vocabulo locus fuit, ſed ſi in aliqua prouincia Imperatori bona fiſcalia eſſent, iiſque aliquis iuris dicundi cauſſa praeficiendus eſſe videretur: illis ADVOCATORVM vel prouincialium, vel terrae alicuius, nomen datum. Et notae ſatis ſunt aduocatia prouincialis Alſatiae, (*die Landvoigtey in Elſaſs,*) aduocatia Plauienſis, vnde hodienum tractui vicino haeret nomen *des Voigtlandes.* Alios terrae aduocatos in MONIM. WVRTENB. et quidem in *dipl. monaſt. Phulling. n.* 5. *et* 7. *et Bebenhuſ.*

huſ. n. 19. obſeruauit HERT. *ibid. p.* 443. *ſequ.* Alicubi et comitum, et aduocatorum illud nomen euiluit, at manſere tamen iudicia, quae et hodie in terris principum et ordinum imperii exercentur Imperatorum nomine, vocanturque *Kayſerliche Landgerichte*, qualia noſtris temporibus non ſolum in Sueuia et Franconia, ſed et in aliis Germaniae prouinciis ſuperſunt. Eo enim referri poteſt iudicium prouinciale Mittelhuſanum in Thuringia, de quo FR. CHRIST. PAVLLINI *annal. Iſenac. p.* 206. Hennebergicum Waſungenſe, de quo SPANGENB. *chron. Henneb. p.* 179. et alia.

§. XXXXV.

Hoc ergo rerum ſtatu iuriſdictionem rarius *ἀμέσως* penes comites fuiſſe, ſed principes comiteſque in terris ſuis per alios ius reddidiſſe, facile eſt ad exiſtimandum, idque tum potiſſimum vbique contigit, quum principes bona illa fiſcalia regum vel regni pleraque, immo et iudicia iſta prouincialia, quae paſſim per Germaniam ſuperfuiſſe diximus, paullatim in beneficium accepiſſent, aliiſque titulis ſibi illa peperiſſent. * Principes et comites iam per alios iudicabant.

* Sic imperialem aduocatiam in Alſatia, antequam genti auguſtae Auſtriacae hereditaria fieret, nonniſi perſonale officium fuiſſe, quo functi ſint anno 1276. Conradus Wernherus de Hadiſtadt, anno 1281. Otto de Ochſenſtein; collegam anno 1292. nactus comitem Cattimeliboccenſem; anno 1297. Theobaldus, comes Phiretarum, anno 1299. Ioannes de Liechtenberg, anno 1308. Sibotho de Liechtenberg, ex genuinis ac coaeuis monimentis demonſtrauit VLR. OBRECHTVS *rer. Alſat. prodrom. cap.* 13. *p.* 318. *ſequ.* Ita et *Voigtlandiae* aduocatiam initio munus perſonale fuiſſe, antequam cederet Meraniis, probabile eſt. Hi vero hoc potiti munere, commodiſſimam deinde nacti ſunt occaſionem, variis oppidis, caſtris ac villis, et tantum non tota prouincia potiundi, ceu recte ſuſpicatus eſt v. c. IO. DAV. KOELER. *diſſ. de ducibus Meran. et comit. de Andechs* §. 20.

§. XXXXVI.

Immo potius ab illo tempore ſinguli pagi, qui olim ſingulos comites habuerant, in multas particulas ac minores tractus diſtrahi coeperunt: quorum alios principes et comites per praefectos, (*ambt-leute* vel *ſchöſſer*, *voigte*, *pfleger*,) adminiſtrarunt, alios vrbibus, nobilibuſque, vel equeſtribus familiis, vel in feudum dederunt, * vel ſimpliciter, ſiue venditione, ſiue pignoris iure, ſiue aliis titulis, in alios tranſtulerunt: quamuis id iure fieri negarit SPECVLATOR SAXO *Lib. III. art.* 64. Vid. CONR. *ibid.* §. 85. Hinc variae natae ſunt in vno eodemque pago iuriſdictiones.

* Et quidem in spec. Svev. *cap.* 107. et ivr. fevd. Alam. *cap.* 134. monemur, *die dritte hand möge nichts mehr fürbaſs gericht leiben, daſs es den leuten an ihr leib, oder an ihr blutvergieſſen gieng.* Cuius loci is ſenſus eſt, imperatorem vel regem primum iuriſdictionem in feudum dare principi, hunc alii, qui eius vice iudicet: vltra vero ſubinfeudari iuriſdictionem non poſſe, quamuis alioquin feudum aliud ad ſeptimam manum poſſit peruenire. Hinc eodem *capite* 107. ait Speculator: *Die erſte hand des gerichts, das iſt der König, die ander hand des gerichts, iſt, der der König leyhet, die dritte hand iſt, die es einem andern darleyhet. - - Wer es darüber thut, der thut vvieder GOtt, vnd vvird an allem dem ſchuldig, über den da die vierte hand richtet.* At in specvlo Sax. *Lib. III. art.* 53. etiam ad quartam manum peruenire poſſe iudicia, docet Repkovivs, idque adfirmari etiam animaduertimus in ivre fevd. Sax. *cap.* 72. Quod diſſidium facile et ſine pulueris iactu componi poſſe, exiſtimat celeberrimus Thomas. *diſſ. de iuriſdict. et magiſtr. differ. ſecundum mor. Germ.* §. 62. ſi diſtinguamus terras imperii *mediatas*, in quibus ad quartam, et *immediatas*, in quibus ad tertiam tantum manum peruenire potuerit iuriſdictionis feudum. Sed quum non extra omnem dubitationis aleam poſita ſit haec diſtinctio, quam et ipſe Thomas. poſtea dimiſit: non abs re dixeris, diuerſos hac in re, vti et in aliis, fuiſſe Saxonum et Sueuorum mores.

§. XXXXVII.

Quibus praeerant iudices tum ordinarii, tum vicarii.

Iudices vero iſti, quos principes comiteſque praeficiebant certis prouinciarum ſuarum tractibus, vel *ordinarii* erant, vel *vicarii.* Iudices ordinarii ius dicebant de cauſſis maioribus, veluti de criminibus, ob quae quis de capite vel membris periclitabatur, et de actionibus in rem, eorumque vnus tantum eidem tractui praeerat, qui ter quotannis conuentum iuris dicundi cauſſa indicebat, ad quem omnes prouinciales, tum equeſtrium, tum plebeiorum natalium, confluebant. Thomas. *ibid.* §. 71. *ſequ.* Vicarius iudex non modo in conſilio erat iudici ordinario, ius dicenti, ſed et ſolus minoris momenti lites, tum ciuiles, tum criminales, dirimebat, eorumque plures eſſe poterant, ſingulis minoribus tractibus praefecti. Thomas. *ibid.* §. 75. *ſequ.* Immo et fuiſſe vicarios iudices ab ipſis prouincialibus electos in cauſſis repentinis, quos gograuios vocabant, idem *ibid.* §. 78. et ante eum Conring. §. 86. obſeruarunt. *

* Quemadmodum ergo vicarios ordinarios, qui plerumque *ſchultzen* vocabantur, ab ipſo iudice ordinario eligebantur, vel iuriſdictionem ab eo in feudum accipiebant: ita qui ab ipſo populo vel a prouincialibus eligebantur, *gograuii* adpellabantur. Fundus huic rei eſt locus specvlatoris Sax. *Lib. I. art.* 55. 56. 57. quem fuſius explicat Conring. *ibid.* §. 86. vbi etiam obſeruat, ab hoc *gogranio*, quorum fere momentanea et vno actu iu-

iudiciali, (puta *einem gericht vber handhaffte that*) circumſcripta erat iuriſdictio, diſcernendum eſſe alterius generis, at eiuſdem nominis *gograuium*, qui et de aliis criminibus iudicabat, de quo SPEC. SAX. *Lib. I. art.* 58. *Welchen gografen man aber kieſe* ZU LANGER ZEIT, *den ſoll der graff oder marggraff belehnen, vor dem thut man auch leute in die acht, das iſt, in die rug. Der mag auch vvol übernáchtig vngericht richten. Wann der graff kommt zu des gografen ding, ſo ſoll des gografen gericht niedergeleget ſeyn.* Similes his poſterioribus fuerunt *die bauermeiſtere*, de quibus IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 2. 13. 68. *Lib. II. art.* 13. *Lib. III. art.* 64.

§. XXXXVIII.

Omnes hi debebant eſſe ingenui.

Hi omnes et ipſi ingenuis natalibus cenſebantur, et ſcabinos habebant in conſilio, non niſi ingenuos, (*ſchöppenbar-freye.*) Ita enim IVS PROV. SAX. *Lib. III. art.* 61. *Es mag niemand ſchuldheis geſeyn, er ſey dann* FREY, *vnd von dem lande gebohren, da das ſchultheiſſthum oder gericht innen lieget.* Et *Lib. II. art.* 12. *Schöppenbar-freye leute mögen vrtheil finden über einen jeglichen mann. Es mag aber über ſie kein mann vrtheil finden, das ihnen an ihren leib, oder an ihre ehre gehet, oder an ihr erbe, noch vrtheil ſchelten, er ſey ihnen dann ebenbürtig.* Numerus ſcabinorum, quemadmodum iam ſub Francis, ita et hoc temporis tractu, erat varius. Pauciores tribus eſſe non poſſe, olim iudicarunt ſcabini Magdeburgenſes apud GRYPHIANDR. *de Weichb. Sax. cap.* 64. *n.* 9. Plerumque tamen 11. erant, ceu patet EX IVR. PROV. SAX. *Lib. I. art.* 2. WEICHB. *art.* 10. *et* 16. *

* Non duodecim, vti ex his locis colligit BRVMMER. *de ſcabin. cap.* 6. §. 3. Nam duodecimus tum demum erat ſcultetus, ſi ipſe comes vel burggrauius iudicaret. Hinc mira philoſophia gloſſatoris ad WEICHB. *art.* 16. *Vnd daſs da elff ſchöppen ſeyn, die bedeuten die elff jünger vnſers herrn, vnd als der zvvölffte, (das vvar Iudas) vervvorffen vvar, da blieb Chriſtus ihr vnd vnſer haupt. Vnd der richter iſt der zvvölffte.* Aeque frigida ſunt, quae ſequuntur, quibus nos iam, quum tam multa magis neceſſaria dicenda ſuperſint, non immoramur.

§. XXXXVIIII.

Quale officium *des fronbothen?*

In ſingulis iudiciis etiam officio exſequutoris litium fungebatur *der* FRONBOTE, vel *der* BÜTTEL, vti vocatur in SPEC. SAX. *Lib. III. art.* 61. SVEV. *cap.* 26. qui, quamuis ſupplicia ſumeret ab hominibus, teſte gloſſa IVR. SAX. *Lib. III. art.* 55. IVR. SVEV. *cap.* 36. tantum tamen abeſt, vt ex faece hominum fuerit, aut leuis notae macula laborarit, vt liberum eſſe oportuerit, et ho-

 no-

norabile fuerit eius munus, et cum aliqua iuriſdictione coniunctum. IVS SVEV. *cap.* 36. WEICH. *art.* 8. Sane eius teſtimonium pro duorum teſtimonio habebatur, et mulcta ei ſoluenda, (*die buſſe*) duplo maior erat, quam plebeiorum. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 8. IVS PROV. SVEV. *cap.* 259. Ius dicebat de iis, qui aliquem verberarant, vel pulſauerant; ita vt tumeſceret membrum, vel ſanguis ſine vulnere, (quod vocabant *eine fleiſchwunde*,) eliceretur. IBID. *art.* 68. immo et de aliis criminibus, *vom vngericht*, WEICHB. *art.* 8. *et* 27. Inſidebat puluinari, quod honorificum apud Germanos erat, nec tamen gladiatus incedebat, quippe ſacroſanctus, ſatiſque tutus ipſius populi praeſidio, * qui, audito eius clamore, et quiritatione ſtatim concurrere tenebatur ad opem illi ferendam. Quin iure gaudebat decimum quemque, capitalem ſententiam paſſum, dimittendi, *alſo daſs er ihn zu löſen geben mochte.* IBID. *Lib. III.* §. 56. SVEV. *cap.* 26. *ſequ.*

* Hoc et nomen innuit. *Fron* enim veteribus erat ſanctus, adeoque *fronbothe* nuncius vel viator ſacroſanctus. Vnde errare dixeris gloſſatorem ad IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 53. ſcribentem: *Der fronbotte, das iſt der büttel. Vnd heiſt der frone aus zweyerley ſachen: zum erſten, daſs er zu ſeinem amte ſchweren muſs, zum andern, daſs er GOttes rächer iſt.* Rectius auctor gloſſae ad *Lib. III. art.* 55. vbi ipſe iudex, *der belehnte richter* vocatur *der rechte frohnboth*, ait: *Ein frohnboth heiſſt ſo viel, als ein heiliger bothe oder knecht GOttes, vnd er mag die leut ohne ſünd wol peinigen vnd toedten - - - Siehe nun wol zu, du fronbot, oder ſcharfrichter, daſs du den namen mit der that habeſt, vnd ſey gerecht, da du wirſt heilig genannt.* Hoc ſenſu OTFRIDVS Euang. *I. 5. 66.* Gabrielem angelum vocat *boten frone* nuncium ſacrum, ipſumque Chriſtum *gotes frono*, ſanctum Dei III, 16, 6. Ceterum durauit antiquum vocabulum in iudicio regio ciuitatis Halenſis, vbi et hodie adparitor vocatur *der gerichts-frohn.*

§. L.

Qualia iudicia municipalia?

At qualia iudicia in vrbibus et municipiis, quorum hoc temporis tractu quam plurima condi per Germaniam coepiſſe, diximus? Et municipes ſuberant iudici ordinario, eiuſue vicario, ſculteto, qui a SPECVLATORE SVEVO vocari ſolet *der burggraff.* THOMAS. *de iuriſd. et magiſtr. diff.* §. 82. Id enim perſpicue probari poteſt ex IVR. PROV. SVEV. *cap.* 115. §. 1. *et* 2. et *cap.* 390. §. 2. *et* 3. Ita et reges in vrbes imperiales mittebant aduocatos, *die reichs-voigte*, quorum vicarii erant *die reichs-ſchultheiſſen*, de quibus plura HEIDERVS. Conſules ac decuriones non niſi de rebus ad decus ciuitatum pertinentibus ex delegatione iudicis ordinarii iudicaſſe, veluti de ponderibus et menſuris, de obſoniis in foro venalibus, denique

que de carnibus, pane, ſimilibuſque rebus, patet ex WEICHB. *art.* 19. 42. *ſequ.*

§. LI.

Iuriſdictio patrimonialis his ſaeculis ſaepe conceſſa decurionibus.

Enimuero a ſaeculo XIII. gliſcentibus vrbium opibus, prouinciarum ac territoriorum domini ſaepe omnem iuriſdictionem in municipes, tum criminalem, tum ciuilem, ipſis decurionum collegiis vel in feudum dederunt, vel vendiderunt, vel per modum priuilegii conceſſerunt, immo et aliquando locarunt, vel oppignorarunt. Vid. HERT. *de conſult. leg. et iudic. in ſpecial. imp. Rom.* §. 22. Quod multo magis factum ab imperatoribus et regibus, qui pleraſque aduocatias vrbium imperialium decurionibus permiſerunt, LEHM. *chron. Spir. Lib. IIII. cap.* 32. *hiſtoriſch. bericht von den reichs-voigt. p.* 13. 91. *et apolog. cap.* 2. *p.* 154. * ita, vt et iis locis, vbi et hodie praeſides horum iudiciorum vocantur *reichsſchultheiſen*, ii tamen non ab imperatoribus, eligantur. Conf. KNIPSCH. *de ciuit. imp. Lib. II. cap.* 6. HEIDER. *apolog. von reichs-voigt. cap.* 2. *p.* 156.

* Neque tamen omnes iſtae aduocatiae vel praefecturae ceſſerunt collegiis decurionum, vel ciuitatibus, ſed quaedam etiam vicinis epiſcopis, ducibus, comitibus in feudum datae ſunt. Ita aduocatia Colonienſis, olim comitibus Arensbergenſibus data, ab his poſtea ceſſa eſt archiepiſcopis Colonienſibus. KYRIAND. *annal. Treu. Part. XIII. p.* 106. Officium ſculteti Ratisponenſis eſt feudum ducis Bauariae. HVND. *metrop. Saliſb. Tom. I. p.* 220. De officio aduocatiae et ſculdaſiae in ciuitate Northuſana videndus WEHN. *obſeru. pract. ſub voigtey p.* 645. cum eoque iungenda ſcripta, quae noſtra memoria, ceſſis domui Regiae Pruſſicae his iuribus, publico nomine prodierunt. Alia huius generis exempla complura collegit auctor *Apol. von reichs-voigt. praelim.* 4. et 8.

§. LII.

Iuriſdictio patrimonialis nobilium.

Multo minus dubitandum eſt, quin eodem tempore plerique praediorum poſſeſſores iuriſdictionem patrimonialem exercuerint in ſubditos ſuos, eorumque praedia. Quin quum ea iam inde ab antiquiſſimis vſque temporibus nihil aliud eſſet, quam poteſtas herilis Germanorum in ſeruos eorumque praedia: illa a ſaeculo XIII. magnopere amplificata eſt, principibus plures iuriſdictiones ſibi tum ruri, tum in oppidis, competentes, vaſallis ſuis vendentibus. Exemplum eſt apud ADLZREIT. *Part. I. Lib.* 25. §. 26.

§. LIII.

Miſſorum regiorum

Quae ſupra de miſſis regum eorumque placitis obſeruauimus, ea hoc aeuo plane in deſuetudinem abierant, niſi quod adhuc

ſub

an adhuc quaedam iuridictio fuerit?

ſub Ottonibus *miſſorum regiorum* mentionem fieri obſeruat Conring. *de iudic. Germ.* §. 88. quemadmodum et *miſſorum diſcurrentium* adhuc anno 1200. veſtigium in diplomate Henrici II. Imp. Oſnabrugenſi notauit Sagitt. *de ducat. Thuring. Lib. IIII. cap.* 17. §. 3. Neque tamen in eo ſuffragari poſſumus laudatiſſimo Conringio, quod eorum poteſtatem in duces potiſſimum tranſlatam fuiſſe, ſuſpicatur.

§. LIIII.

Adpellationum quae fuerit ratio?

Illud monere vix operae pretium fuerit, ſaepe et remediis ſuſpenſiuis, et deuolutiuis, vſos eſſe maiores. De prioribus infra commodior erit dicendi locus. De poſterioribus notandum, grauatos a ſculteto prouocaſſe ad iudicem ordinarium, et ab hoc vel ad principem, vel ad Regem. Ivs prov. Sax. *Lib. II. art.* 12. Weichb. *art.* 17. Ivs prov. Svev. *cap.* 79. 107. *§.* 1. *et* 3. Immo et id inualuerat, vt vrbes, quae aliarum vrbium iura municipalia adoptarant, in cauſſis dubiis ad has vrbes, veluti metropoles, eorumque ſcabinatus, prouocarent, vel ſaltim miſſis ad haec tribunalia actis, quaererent, ſtandumne priori ſententiae, an ea mutanda videretur * ?

* Licebit hic repetere, quas de his adpellationibus collegimus *in hiſt. iur. ciu. Lib. II. cap.* 2. §. 85. * Auctor eſt Io. Sibrandvs *in iur. publ. vrb. Lubec. Part. I. ſect.* 10. *n.* 7. Roſtochienſes, quia iure Lubecenſium vtebantur, adpellationes a tribunali ſuo detuliſſe ad Lubecenſe. idem *n.* 15. *p.* 102. profert priuilegium, Stralſundenſibus datum anno 1314. quo permittitur ciuibus, *daſs ſie mögen vnd ſollen ihre beſchuldete vrtheil führen vnd holen zu Lubeck.* De adpellationibus Neomagenſium ad ſcabinatum Aquiſgranenſium deuoluuis, ſimilique more apud Belgas paſſim obuio quaedam haud vulgatia diſſerit Io. Is. Pontanvs *hiſt. Gelr. Lib. I. p.* 59. quibus ex Conring. *orig. iur. Germ. cap.* 28. *p.* 169. addimus, alias quoque vrbes Rhenanas partim Aquisgranum, partim Coloniam, prouocare ſolere in cauſſis dubiis. Conſ. Nopp. *chron. Aquiſgr. Lib. III. n.* 22. *p.* 61. *et n.* 23. *p.* 63. Helmſtadienſes *a tribunali* magiſtratus ſui *ad conſiſtorium Magdeburgenſe*, id eſt, ad ſcabinatum illius vrbis, ſolitos eſſe adpellare, refert Magnus, dux Brunſuicenſ. et Ioannes, abbas Werthinenſis, in diplomatibus ann. 1358. apud Io. Andr. Schmied. *de Helmſtad. per frawenradam adflicto p.* 6. 8. Vnde non mirum, ipſos Polonos, Boemos, et Sileſios Halam, vel Magdeburgum, a quibus ius acceperant, prouocaſſe. Weichbild. *art.* 10. §. 1. quem morem in Polonia ſuſtuliſſe anno 1356. Caſimirum II. Regem, tradit Mechov. *Chron. Polon. Lib. IIII. cap.* 19. *p.* 227.

§. LV.

§. LV.

Enimuero ne externae illae vrbes a ciuibus ſuis, tamquam oracula, conſulerentur in cauſſis dubiis: principes exemplo regum et imperatorum paullatim in aulis ſuis vel vrbibus primariis inſtituerunt curias prouinciales ſupremas, *hoff-gerichte*, vel *land-gerichte*, * quas adpellarent ciues, qui, ſibi grauamen a iudicibus illatum eſſe, exiſtimarent. De earum antiquitate agens Hert. *de conſult. leg. et iudic. in ſpecial. imp. Rom. Germ. rebuspubl.* §. 21. ex Cvspiniani *Auſtr. p.* 47. adducit chartam Ludouici et Fridrici archiducum, ann. 1325. ſcriptam, qua ſtatuitur: *Wir ſollen auch beyde aynen hoffrichter, vnd aynen hoff-ſchreiber haben, daſs vnſer gericht vngetheilet ſey.* Ita idem obſeruat, iudicium prouinciale Palatinum inſtitutum eſſe anno 1462. Trith. *chron. Spanheim. ad dict. ann.* Vltraiectinum anno 1474. Rev. *hiſt. Dauentr. Lib. II. ad dict. ann.* At antiquiſſimum eſt iudicium prouinciale Hermanni Landgrauii Thuringiae, cuius iam anno 1199. mentio fit apud Pertvch. *chron. Part. II. p.* 52. Origo curiarum prouincialium.

* His curiis praeerat *der hoff-vel land-richter, land-droſt, land-voigt, lands-hauptman*: cui addebatur, qui ab actis eſſet, ſcriba vel notarius, *der hoff-gerichts-ſchreiber* vel poſtea *protonotarius*. Quum vero ita ferrent Germanorum mores, vt non vni et ſoli eſſet iuris dicundi poteſtas, ſed ei certi adſeſſores eſſent in conſilio: horum quae antiquitus fuerit ratio, eleganter oſtendit Seckendorff. *hiſt. Lutheran. Lib. I.* §. 75. *addit. lit. g. p.* 117. *Notari hac occaſione meretur mos priſcus illius temporis. Principes nempe in aulis praeter cancellarium, quem rudioribus ſaeculis primarium ſcribam,* den oberſten ſchreiber, *vocabant, et plerumque ex clero, qui tunc ſolus fere litteris imbutus erat, ſumebant, non niſi viros ex nobilitate prouinciae, et praefectos arcium et oppidorum in negotiis publicis conſiliarios habuiſſe, ad quae hodie adhiberi ſolent, qui intimi, (die geheimen räthe) nominantur. Cauſſas vero et litigia partium in iudiciis, certo tempore conſtitutis, acciitis ex academiis et oppidis iuriſperitis tractaſſe. Iudicia illa vocabantur aulica, (hoff-gerichte,) in loco, vbi princeps erat, et quando opus eſſet, indicta. Poſteaquam vero tempore Caroli V. non ſolum cauſſae religionis, ſed et aliae politiae et publicae, indies magis arduae et difficiles principibus occurrerent: iuriſperiti iam non in academiis ſolum frequentius conſuli coeperunt, ſed et in aulas ad deliberationes aduocati, conſtantem ibi ſedem et domicilium conſtituerunt. Ita factum eſt, vt praeſentibus legum et forenſium cauſſarum peritis, ſiue conſiliariis litteratis, (gelehrte räthe,) quotidie cognoſci de litibus priuatorum ſummarie quidem ab initio coeperit, aut amica conuentione finita ſint iurgia, remiſſis ad iudicia illa ordinaria, certis anni temporibus locisque conſtanter habenda, cauſſis intricatioribus. Et haec eſt vera iudiciorum ſiue curiarum, quae hodie in prouinciis Saxonicis ſingulis trimeſtribus ex nobilitate et ICtis conuenientibus adſeſſoribus, et praepoſito primario ex equeſtri ordine viro, quem iudicem aulicum, (den hoffrichter) vocant, celebrantur.*

§. LVI.

Iudicia ſacra horum temporum.

De iudiciis ſacris nihil eſt quod addamus iis, quae accuratiſſime diſſeruit Conring. *de iudic. Germ.* vbi §. 66. obſeruat, cauſſas epiſcoporum dubias, non ſine iniuria metropolitanorum fere omnes ad ſe traxiſſe pontifices, §. 67. *ſequ.* eoſdemque nihil reliqui feciſſe ab Hildebrandi temporibus, vt omnem imp. et regum Germaniae iurisdictionem circa perſonas et res ſacras euerterent, idque conſilium, obnitentibus licet pro virili imperatoribus, iis feliciter ceſſiſſe: §. 70. iudicia epiſcoporum, inuecto ſaeculo XIII. in Germaniam iure canonico et pontificio *, facta eſſe taedioſiſſima, et tum potiſſimum coepiſſe impeditam illam ac perplexam procedendi rationem, de qua iam ſaeculo XIII. conqueſtus ſit Abbas Vrspergensis: §. 71. *ſequ.* epiſcopos et abbates Germaniae pleraque iura ſuperioritatis territorialis paullatim impetraſſe, bona eccleſiaſtica ab oneribus publicis immunia reddidiſſe, aduocatorum quoque iuriſdictionem ceſſaſſe, cognitionem porro de bonis eccleſiaſticis ſibi pontificem vindicaſſe: monaſteria plura ſubtracta epiſcopis, ab eorumque iuriſdictione exemta, ſoli pontifici ſubeſſe coepiſſe, denique in ipſos laicos tam multum ſibi adrogaſſe epiſcopos, vt innumerae auditae ſint vſque ad felicem illam temporum reparationem querelae, innumera grauamina.

* Id quando in his terris factum ſit, accurate notauit auctor chron. mont. Ser. ad ann. 1205. p. 79. vbi haec legimus: *At hoc primum fratres Sereni montis adpellationis et verborum decretalium, eis hactenus ignotorum, vſum habere coeperunt, quarum rerum praefati Tiderici electores, a Bertoldo, Merſeburgenſi praepoſito, et Henrico, eius fratre, informati, auctores fuerunt.* Egregium ſane, notatuque digniſſimum de vſu huius iuris, in hoc terrarum tractu inualeſcente, teſtimonium.

§. LVII.

Iudicia Weſtphalica.

Nihil adhuc diximus de iudiciis Westphalicis, quae nihil aliud erant, quam iudicia criminalia, primum ab Imperatoribus inſtituta inter Rhenum et Viſurgim, et eorum nomine habita, poſtea principibus in feudum data, qui vocabantur *Stuhl-herrn.* Hi tribunali praeficiebant iudicem, vocatum *den freygraffen*, qui ſibi legebat adſeſſores, *freyſchoepfen* vel *ſtuhlgenoſſen.* Hi diro adacti ſacramento, animaduertebant in facinoroſos homines, omniaque tam clam habebant, vt iudicia illa inde nomen ſortirentur, *der heimlichen gerichte.* Enimuero quum et de cauſſis ciuilibus

libus cognoſcere auderent hi iudices, et iuriſdictionem per magnam Germaniae partem ſibi adrogarent, et ipſa iudicandi ratione ac ſaeuitia terribiles omnibus eſſent: non mirum profecto eſt, pleroſque imperii ordines primum exemtionem impetraſſe, ac ipſos demum reges ita reformaſſe haec tribunalia, vt, quamuis plane abolita dici nequeant, vix tamen ibi ita hodie vrnam moueat Minos, vt terrori ſint exteris. Sed occuparunt hanc materiam GRYPHIANDER, FREHERVS, CONRINGIVS, MENKENIVS, HERTIVS, DATTIVS, THOMASIVS, poſt quos Homeros Iliada nos ſcribere nolumus.

§. LVIII.

Axiomata de veterum Germ. iuriſdictione.

Ex his vero, quae ex antiquitatibus Germanicis collegimus, diſcimus I. in Germania ſemper iudices vel ordinarios, vel vicarios fuiſſe. II. Iuriſdictionem criminalem a ciuili non fuiſſe ſeiunctam, antequam iſtud ius in vrbes et dynaſtas transferretur. III. Iuriſdictionem patrimonialem nobilibus competentem vere eſſe poteſtatem veterum herilem, iuriſdictionis σχήματι paullatim indutam. IIII. Alia fuiſſe iudicia ſtata et ordinaria, ob quae conuentus iuridici certis temporibus indicebantur, * alia extraordinaria et repentina, quae priuatim et veluti clauſis cancellis, quoties opus erat, habebantur. V. Omnibus iudiciis praefuiſſe iudicem, eique adſediſſe ſcabinos, et adparuiſſe viatorem, quem ſupra diximus *den fronbothen.*

* Talium *placitorum*, (ita enim medio aeuo vocabant conuentus, iuris dicundi cauſſa indictos,) ſaepiuſcule mentio fit in diplomatibus. Charta Adelheidis, abbatiſſae Gandersheimenſis ann. 1188. apud LEVKFELD. *antiqu. Gandersh. cap.* 25. §. 17. *p.* 305. *Gandersheimenſis Aduocatus ſiue principalis, ſiue quislibet alius, vice principalis inſtitutus, feminarum oppreſſiones, rapinas, furta, latrocinia, ſeditiones ſanguinarias, et cauſſas pecuniarias, coram ipſo legitime propoſitas, ſententionaliter iudicabit.* TRIBVS VICIBVS *in anno* SOLEMNI IVDICIO *praeſidebit, in quo tam litones, quam forenſes homines comparebunt.* Similium conuentuum, ter quotannis indicendorum, mentio fit apud MIRAEVM *donat. piar. cap.* 53. *p.* 62. et alibi paſſim. Contra ea exſtat diploma apud ill. DE LVDEWIG. *reliquiar. MSSC. Tom. I. p.* 6. vbi Rodolfus, Epiſc. Halberſtadienſis, aduocatiae coenobii Eilwardesdorffienſis iura anno 1147. deſcribens: *De ſingulis*, inquit, *manſis duo maltra frumenti et vnum anſerem aduocatus ſingulis annis recipiat, hac conditione, vt* IN LEGITIMIS PLACITIS *ſuis homines ſub obſeruatione quadam, vulgo dicta* VARA, *adſtare, et reſpondere non cogat.* Vnde patet, huiuſmodi placitum dictum eſſe *vara*, procul dubio a Germanico *fahr* vel *gefahr*, quia hic vnicuique licebat, alterius delicta deferre, adeoque ſuo quiſque periculo ſeſe ſiſtebat huic iudicio. Obtinebant tamen

men et alia nomina. Sic in Marchia vetere notum eſt huiuſmodi placitum, quod vocatur *loding* et *boding*, et in vicina Marchia media, *das voigt-geding*. *Ding* enim vel *geding* eſt iudicium, *laten* et *bieten* vel *gebieten*, eſt citare et indicere, adeoque *loding* et *boding* nihil aliud eſt quam placitum indictum, *ein gebotending; voigt-geding*, conuentus iuridicus ab aduocato indictus.

§. LVIIII.

An et hodie iudices vicarii?

Quum ergo in Germania iudices ſemper fuerint vel ordinarii vel vicarii: (§. 58. 1.) facile reddi poterit ratio (1. cur non modo in pleriſque praefecturis paullo amplioribus praefecto primario adiungantur vicarii, veluti *land-richter*, *ambts-verwalter*, *voigte*, *gogräffen*, *amts-ſchulzen*, verum etiam (2. in maioribus tribunalibus noti ſint *vicecancellarii*, *vicarii praeſides*, *vice-praeſidenten*, *vice-hoffrichter*. Quin (3. eiuſdem originis alicubi in vrbibus ſint proconſules, et (4. in eccleſiaſticis iudiciis ſubaduocati, quorum ſaepiſſime et in veteribus monimentis fit mentio. *

* Quemadmodum enim ſaepe principes, quorum maiores eccleſias vel monaſteria condiderant, ſibi ius aduocatiae reſeruauerant, (cuius rei exemplum exſtat in KETNERI *diplom. Quedlinb. p. 7.*) vel eam alii potentiori obtulerant, quale quid factum animaduertimus a Ludolpho, Saxonum duce, conditore parthenonis Ganderſheimenſis, eiuſque filiis apud LEVKF. *antiqu. Gandersh. cap. 14. p. 93.* vel denique id ius acceperant ſiue ab imperatore vel rege, vti apud MIR. *donat. piar. cap. 32.* ſiue ab ipſa eccleſia, veluti apud KETNER. *ibid. p. 167. ſequ.* ita hi omnes alium ſubſtituere ſolebant minoris dignitatis virum, qui pro iſto officio fungeretur, vocatum ideo SVBADVOCATVM, vel eorum plures, niſi id diſerte eſſet prohibitum, vti factum apud MIR. *don. piar. d. cap. 32.* De iis plura dixit PAVLLINI *de aduoc. monaſt.* §. 14. *p.* 546.

§. LX.

Quae hodie ratio mandatae iuriſdictionis?

Vti vero (5. in eo magna eſt iuris antiqui et noui differentia, quod olim iudices vicarii ab ordinariis conſtituerentur: hodie plerúmque ab ipſo principe adiungantur ordinariis: ita (6. veteris tamen moris veſtigium ſupereſt in *iuſtitiariis*, quos vocant. Nam notum eſt, et praefectos, et nobiles, qui iuriſdictione patrimoniali gaudent, iuriſdictionem ſuam mandare ſolere iuriſperito cuidam, qui vocatur *der gerichtshalter*, in eumque (7. praeter regulam iuris Romani *l. 1. pr. D. de offic. eius cui mand. iuriſd.* transferre non modo ciuilem, ſed et criminalem iuriſdictionem, immo et eam, quae extraordinaria dicebatur, nec, niſi ex

ſi ex ſpeciali lege cuiquam competebat, ſiquidem haec omnia mandantibus iuriſdictionem in Germania non ex ſpeciali lege, ſed vel ratione officii, vel iure hereditario competunt. LAVTERB. *exerc. for.* V. §. 1. MEV. *ad ius Lubec. Part. II. tit.* 1. *art.* 15. *n.* 16.

§. LXI.

Quemadmodum porro iuriſdictio criminalis a ciuili vetere iure Germanico non erat ſeiuncta: (§. 58. 2.) ita (8. et hodie plerumque eadem eſt ratio, nec dubitatur, quin regulariter vtraque iuriſdictio coniuncta ſit, ſi quis nomine et vice principis ius dicit,* niſi hic illam ſibi reſeruarit, aut eam a regimine, vel certo collegio criminali exerceri velit: id quod tamen poſtremi demum aeui inſtitutum videtur. Sic ſane nemo ignorat, praefectos fere omnes principum etiam in facinoroſos iure animaduertere, tamquam iudices ordinarios. At non deſunt tamen leges, quae reos, a praefectis primum auditos, ad iudicia vel curias ſupremas remitti iubent, quale quid in Friſia fieri animaduertimus. Ex eodem porro (9. reddes rationem, cur ciuilis etiam vel inferior iuriſdictio, alicui conceſſa, vbique fere coniuncta ſit cum poteſtate coercendi crimina leuiora, ob quae poena capitalis vel corporis adflictiua non ſolet irrogari. * MYLER. *de princip. imperii cap.* 48. §. 7. Iuriſdictio criminalis et ciuilis plerumque coniuncta.

* Sic in Saxonia electorali in CONST. PROV. ann. 1555. tit. *was zu ober-nieder-vnd erbgericht gehöret*, definitur: *Was kleinere vnd geringere fälle ſeynd, die ſollen in die erbgerichte gerüget, vnd durch dieſelben geſtrafft vnd gerechtfertiget werden, als nemlich haar-rauffen, ſchläge, die nicht tödtlich ſind, noch lämde bringen, daraus auch keine wunde wird, als braun vnd blau, naſenbluth, maulſchellen, zähn bluthen, ſo die nicht wackeln, auch andere blutrünſten, mit nägeln gekratzt, oder ſonſten verletzt, daraus keine vvunde noch lämde erfolget, ſchlechte lugen-ſtraffen, ſchlechte vvorte, die auſſerhalb hohen vnd befreyeten perſonen vnd örtern geſchehen, vnzüchtig muthvvillig geſchrey, meſſerzücke, vvenn niemand dadurch beſchädiget vvird, meſſer vnd verbotene vvaffen tragen, verbothene vvaare feil haben, verbothene ſpiel ſpielen, deuben, die vnter dreyen ſchillingen, das iſt, vveniger denn 4. gl. vverth ſeyn.* etc. Eadem fere repetuntur in ORD. POL. MAGD. *cap.* 58. §. 3. niſi quod additur, licere iudicibus ciuilibus, *einen, der ſchvvere miſſethaten begangen zu dem ende gefänglich ſetzen, daſs er demjenigen, vvelchem das ober-vnd hals-gerichte zuſtändig, vberantvvortet vverde*, nec non quod furta duobus imperialibus minora, ſtupra feminarum, quae ſtupratoribus nupſerunt, item *beſchadigungen der güter* iudici ciuili relinquuntur. De ducatu Brunſu. ad HAHN. *ad Weſenbec. Lib. II. tit.* 1. *num.* 8. Res redit ad ſingulares locorum conſuetudines, adeoque nemo facile dixerit, quid vbique ad iuriſdictionem hanc inferiorem referendum ſit. CARPZ. *ibid. n.* 20.

 §. LXII.

Digitized by Google

§. LXII.

Iuriſdictio criminalis aliquando reſtricta.

Quum vero ex eo tempore, quo iuriſdictio in vrbes ac dynaſtas transferri coepit, criminalis aliquando diuelli coeperit a ciuili, (§. 158. 2.) factum inde eſt, (10. vt ſaepe aliis ciuilis tantum, aliis criminalis, ſub variis nominibus * conferretur: (11. vt poſterior variis circumſcriberetur limitibus, et (12. aliquando ad certa crimina reſtringeretur, veluti (13. ad caedem, incendium, ſtuprum violentum, rapinam, quae vocari ſolent *die vier zent-fälle*, KRESS. *de var. iuriſd. crim. in Germ. gener. cap.* 5. §. 2. aliquando (14. his adderentur *flieſſende wunden, vnd was hals vnd hand, pein vnd rain antrifft:* IDEM. *ibid.* aliquando (15. diſcrimen ſtatuatur inter *hohe vnd niedere zentfälle*, et ad hos referantur *bluthrünſten, ſchmähe vvort über das zentgeſchrey, vnd vvas hals vnd hand betrifft.* IDEM *ibid. in ſchol.* §. 2. *p.* 47. Neque enim dubitari poteſt, (16. quin res redierit ad pacta et voluntatem principum, hanc iuriſdictionem in alios transferentium, ac proinde (17. vix quidquam certi ea de re dici poſſit, quod vbique eodem modo obtineat.

* In chartis enim antiquis vocari ſolet *vngericht*, SPEC. SAX. *Lib. II. art.* 13. KRESS. *de iuriſd. omnimoda Helmſt.* 1730. iuſtitia alta et maxima, MIR. *donat. Belg. cap.* 108. *dipl. Belg. Lib. II. cap.* 85. altum iudicium *hochgerichte*, vel *gogherichte*, HEDA *de epiſc. Vltraiect. p.* 134. SCHATEN. *annal. Paderb. Lib. XI. ad ann.* 1256. *et Lib. XII. ad ann.* 1317. iudicium colli et manus, RANGO *dipl. Pomer. p.* 179. PERTVCH. *chron. Portenſ. cap.* 3. *p.* 131. iudicium ſanguinis, vel *halsgerichte*. PERTVCH. *chron. Portenſ. cap.* 2. *p.* 65. Sed et hodie notae ſunt denominationes *der zent, zentbarkeit, zentgerichten* INSTR. PAC. OSN. *art.* 5. *n.* 43. *der ober-gerichte, peinlichen gerichte, bluthbannes* et in Bauaria viciniſque prouinciis *der frays*, vel *der fraiſlichen obrigkeit*, a vetere Germanico *frais*, periculum, apud OTFRED. *euang. II.* 12. *v.* 50. 3. 4. *v.* 43. NOTKER *Pſalm. XXXXVIIII.* 7. *VII.* 1. Conf. SCHILT. *gloſſar. Teut. p.* 313. WEHNERVS tamen *obſ. pract. p.* 131. adducit tranſactionem inter epiſcopum Bambergenſem et Marchionem Brandenb. in qua diſtinguitur inter *fraiſsliche oder malefiz-ſachen*, *et freuel-ſachen*, et ad poſteriores cauſſas referuntur, *ſchelten, ſchmähen, iniurien, rauffen, werffen, ſchlagen, hauen, ſtechen, verwunden, lähmen, vnd darzu gemeinlich alle ſachen, darumb einer an ſeinem leib, leben oder gliedern mit billigkeit vnd ordentlichen rechten nicht geſtrafft werden möge.* Quod denuo argumento eſt, in Germania coercitionem delictorum leuiorum ad inferiorem iuriſdictionem referri.

§. LXIII.

Signa eius plerumque incerta.

Quum vero res ad pacta et voluntatem principum, iuriſdictionem aliis concedentium, redeat: (§. 61. 16.) conſequens eſt, (17. vt

vt pleraeque praeſumtiones, ex quibus argumenta ducunt ad probandam iuriſdictionem criminalem, admodum incertae ſint, * ac (18. ne patibula quidem ſigna habeantur huius iuriſdictionis omni exceptione maiora, quum (19. in promtu ſint exempla tribunalium, tum quibus iuriſdictio criminalis ſine iure exſequendi competit, STRYK. *vſ. hodiern. digeſt. Lib. II. tit.* 1. §. 10. tum (20. quae exſequi poſſunt ſententias ferales, cum ipſa de criminibus haud cognoſcant. Sic Halae noſtrae et academia et ſenatus iuriſdictionem criminalem exercent, at neutra exſequutioni mandat ſententias capitales. Contra iudicium regium, (*die berg-gerichte*) ſententias capitales exſequitur, quum tamen non cognoſcat de criminibus.

* Eius generis in primis eſt argumentum, quod a venatione maiorum ferarum ad iuriſdictionem ſuperiorem, et ab hac ad illam, duci ſolet. Quo pertinent paroemiae iuris Germanici: *Wohin der dieb mit dem ſtrang, dahin gehöret auch der hirſch mit dem ſang.* Itemque: *ſo vveit die ſtraffgerichte gehen, ſo vveit gehet auch der forſt*, quas explicat reprobatque HERT. *Lib. II. paroem. 16. p.* 611.

§. LXIIII.

Quum porro iuriſdictio, quae praediorum equeſtrium poſſeſſoribus competit, patrimonialis initio ex poteſtate herili in ſeruos ſeu homines proprios nata ſit: (§. 57. 3.) inde facile intelligitur, (21. cur hi praediorum poſſeſſores vocari non ſoleant iudices, ſed *iudicii domini*, *gerichts-herrn*, iiſque (22. iuriſdictio non competat ob officium, quale nullum gerunt, ſed iure proprietatis, *ihrer güter wegen.* CONST. CRIM. *art.* 2. itemque, (23. cur praediis ad feminas quoque deuolutis, et illis haec iuriſdictio contra regulam *l.* 12. *D. de iudic.* et *l.* 2. *D. de reg. iur.* competat, quod (24. et moribus Galliae ſaepe contingere, obſeruat Innocentius Papa III. *c.* 4. X. *de arbitr.* (25. Cur non ſemper nobilibus competat iuriſdictio ſuperior, vel criminalis, ſed eo tantum caſu, ſi illam vel in feudum acceperint a principibus, vel (26. alio iuſto titulo adquiſiuerint. * KRESS. *de var. iuriſdiction. crim. in Germ. gener. obſ.* 5. §. 6.

Iuriſdictio patrimonialis ex poteſtate herili.

* Iuriſdictio enim patrimonialis eſt ex poteſtate herili. Ea quamuis tanta eſſet TACITI temporibus, vt ſeruum occidere poſſet dominus ſaltim impune: tamen quia id paullatim mutatum, et ius illud vitae et necis in ruſticos arctioribus circumſcriptum eſt limitibus: ſequebatur, vt domino tantum relinqueretur ius componendi ſeruorum controuerſias, ipſoſque coercendi, ſi fraena morderent, (Lib. I. §. 41.) vel leuiora delicta admiſiſſent: (§. 61.)

(§. 61.) animaduerſio vero in facinoroſos ſeuerior eſſet penes illos, quibus iuriſdictionem conceſſerat Imperator vel rex Germ. Attamen quidam et iuriſdictionem criminalem retinuerunt, eamque ſibi non principis beneficio, ſed iure proprietatis et allodii, competere profeſſi ſunt. Vid. LEIBN. *ſcript. rer. Brunſu. Tomo II. p. 272.* Et quum poſtea ſaepe hi iura ſua ſiue per inueſtituram, ſiue aliis titulis in vrbes et nobiles transferrent: (§. 57. 2.) horum etiam non paucis hoc ius animaduertendi ceſſit, at iuriſdictionis ſchemate indutum. (*Lib. I. §. 41.*) Quod ſaeculo demum XV. factum eſſe in Saxonia obſeruat WECK. *deſcript. Dreſd. Part. IIII. tit. 6.* Et hoc ſenſu verum eſt, quod ſcripſit KRESS. *ibid. §. 6. Mediatos nobilei iuriſdictione criminali hinc inde pollere, notum eſt. Quae tamen non e veteri iure dominorum in ſeruos, ſed ex praeſcriptione, conſuetudine loci, priuilegio, inueſtitura, pactoque, deriuanda.*

§. LXV.

Non tamen ſuperior, niſi ſpeciatim conceſſa.

Et ex vltimis hiſce concluſionibus denuo reddi poteſt ratio, (27. cur hodie nobilibus dubia reddatur iuriſdictio ſuperior, niſi titulus probari poſſit. Vid. quae ex LVNIGII *de nobil. med. Tom. I. p. 1222. et 1231.* nec non ex TARNOVII *de feud. Meklenb. n. 221.* extulit KRESS. *ibid. p. 57.* (28. Cur ſaepe, maxime in Weſtphalia, alii competat iuriſdictio colonaria, alii criminalis, immo (29. et colonaria ſaepe admodum reſtricta ſit, vt non niſi carcere coerceri poſſint coloni, ſi praeſtanda non praeſtent. MEINDERS. *de iuriſd. colon. p. 39. 54.* (30. Cur iuriſdictio illa criminalis ſaepe circumſcripta ſit limitibus praediorum, STRYK. *de iuriſd. circumſepta cap. 3.*

§. LXVI.

Eius ſpecies fonceria, ſeu fundalis iuriſdictio.

Ex eadem poteſtate dominica in ſeruos, in manumiſſos quoque retenta, repetenda videtur (31. iuriſdictio *très-foncière, cenſuelle ou cenſière, iuſtice domaniaire, praediaria, ſolaria,* FONCERIA, vel FVNDALIS, vti commodius vocat vir excellentiſſimus, I. N. AB HONTHEIM, in aula electorali et curia archiepiſcopali Treuirenſi conſiliarius eccleſiaſticus, et in academia anteceſſor, in litteris ad me amantiſſime ſcriptis, et in diſſertatione, eius ductu *de iuriſd. et imp.* defenſa. GE. HENR. HARTMANNVS, *Treu.* 1734. Quum enim illam ſatis obſcure explicarit REN. CHOPPINVS *conſu. Andegau. Lib. I. cap. 1. p. 99. ſequ.* SCHILTERVS vero *Exerc. VI. §. 7.* eam iuriſdictionem, trans Rhenum maxime obuiam, ex LONGEVALLIO ita deſcripſerit: *quod ſit iuriſdictio competens domino ſoli, villae, vel vici, ad tutanda tantummodo iura, quae a ſubditis annuatim ei penduntur:* laudatiſ-

ſimi

Digitized by Google

ſimi viri *d. diſſ.* §. 13. illam definiunt multo accuratius, et ita quidem, vt adpareat, eam a iuriſdictione patrimoniali, noſtris competente nobilibus, non niſi in eo diſcrepare, quod, quum haec et ad perſonas, et ad earum res omnes pertineat, illa non niſi fundos ſeu immobilia ſubditorum adficit *.

* Merito honoris cauſſa nomino doctiſſimum humaniſſimumque virum, I. N. HONTHEMIVM, qui non ſolum literis peramanter ſcriptis, priorem, quem viderat, Elementorum meorum tomum mirifice ſibi probari teſtatus eſt, quod quidem magis eius aequitati, quam iudicio, tribuerim, verum etiam me de hac *fundali*, ſeu *fonciería* iuriſdictione ſubmonuit, ipſamque diſſertationem, quam laudaui, beneuole ſubmiſit, maiora pollicitus peramanter, puta diplomata vetera et chartas, quae ad illuſtrandam illam in Lotharingia et vicino tractu notiſſimam iuriſdictionis ſpeciem pertinent. Quo nomine viro doctiſſimo publice gratias ago, et quandoquidem illa monimenta videre nondum licuit, ſaltim ea, quae in laudata diſſertatione hac de re ſcripta ſunt, lectori non inuidebo. Primo ergo auctor originem eius iuriſdictionis ita deſcribit: *Vlteriorem iuriſdictionis ſpeciem ſuppeditat* SCHILTERVS *exercit. VI.* §. 7. *quam ipſe ex Gallico* FONCERIAM, *nos* FVNDALEM *adpellamus, his in partibus frequentiſſimam. Eam domino ſoli, villae, vel vici ad tutanda iura, quae a ſubditis annuatim ei penduntur, tantummodo competere, ait* SCHILTERVS *l. c. Nos quidem ex ſupra th. 9. memorata ſeruorum manumiſſione, non alia conditione facta, quam vt praedia, quibus adſcribebantur perpetuorum colonorum more, ſicut hactenus teſte Tacito de mor. Germ. cap. 25. adſueti fuerant, colere pergerent, hanc fundalem iuriſdictionem proxime ortam, proindeque ad tutanda iura redituſque dominicos primario quidem pertinuiſſe, facile largimur.* At deinde latius patere obſeruat hanc iuriſdictionem, quam SCHILTERVS exiſtimauerat, additque: *Sed intra hos cancellos eius vis minime perſtitit, ſiquidem ei tribui videmus ius circa immobilia cognoſcendi de omnibus actionibus realibus, petitoriis, poſſeſſoriis et mixtis, nec non in rem immobilem ſcriptis. Quo pertinent rei vindicatio, Publiciana, ad exhibendum, confeſſoria et negatoria, Seruiana et quaſi, finium regundorum, communi diuidundo, familiae erciſcundae, (ſi tamen potiſſima pars hereditariorum bonorum immobilis ſit, arg. l. 50. D. de iudic.) item actiones de retractu, de paſtu, et legis Aquiliae, nec non reſignationum iudicialium in alienatione immobilium regiſtrandarum auctoritas: ius condendi ſtatuta georgica, habendi et deputandi magiſtratum fundalem, citandi etiam forenſes per edictum, coercendi contumaces remediis ciuilibus, mittendi in poſſeſſionem bonorum, et demum ſua iudicata exſequendi.* Habemus ergo vere exemplum iuriſdictionis patrimonialis, quamuis ad immobilia tantum bona, ſeu fundos ſubditorum, adſtrictae. Denique de vſu eius iuriſdictionis addit vir doctiſſimus: *Quae omnia ſcriptae Luxemburgenſium et Lotharingorum conſuetudines ita enunciant: apud Treuiros alioſque vicinos, ſcriptis ſuper hoc iure conſuetudinibus deſtitutos, tantum valiturae, quantum valet argumentum a vicinia ductum, de quo* BECK. *de iure vicin. in adpend. cap. 1. §. 1. p. 664.*

§. LXVII.

Ea in Gallia magis reſtricta, quam in Lotharingia et vicino tractu.

Sed vt fortaſſis in Lotharingia viciniſque tractibus tam late pateat iuriſdictio illa fundalis: tamen, quum conſuetudines huiuſmodi, diuerſis locis, diuerſiſſimae eſſe ſoleant, (32. negandum non videtur, alibi eam adductiorem eſſe, et, (33. hinc recte SCHILTERVM cum LONGOVALLIO exiſtimaſſe, eam duntaxat ad tuenda domini iura, et praeſtandas ei quotannis penſiones eo facilius exigendas, eſſe comparatam. Ita enim ſe eam ex vniuerſae paene Galliae moribus habere, teſtatur iureconſultus, iurium et conſuetudinum patriarum callentiſſimus, IO. PAPONIVS *in corp. iur. Franc. Lib. VII. tit.* 7. §. 33. * Vt adeo dicendum videatur, (34. iuriſdictionem hanc cis Moſam in terris, quae Lotharingiae olim accenſebantur, omnem paene poteſtatem iuris dicundi de rebus immobilibus ſubditorum comprehendere; trans Moſam tantum ad iura dominorum in praediis tuenda pertinere.

* Quum ne hic quidem liber in omnium manibus ſit: non pigebit ea, quae p. 242. de hac iuriſdictionis ſpecie obſeruauit, adſcribere: *Nonnullae conſuetudines quartam adhuc iurisdictionis ſpeciem conſtituunt, puta* IVRISDICTIONEM FVNDIALEM, *ab infima ſegregatam: attamen nonnullae praedictarum conſuetudinum inferiorem iuriſdictionem vocant infimam, fundialem, et nudae inſpectionis, veluti conſuetudo Andegauenſis et Cenomanenſis, quae conſuetudines duae, vt ait corpus conſuetudinarium, ſane hanc materiam melius, quam ceterae conſuetudines, tractant. Primum enim caput harum conſuetudinum hunc titulum praefert:* de infima iuriſdictione, fundiali, et ſimplici, ſeu nuda inſpectione, *quae vnum et idem ſunt. Conſuetudines, quae iuriſdictionem fundialem ab infima iuriſdictione ſeparare voluerunt, ei tantum attribuerunt cognitionem inter dominos fundales, cenſuales et ipſorum ſubditos pro iuribus cenſualibus et dominicis ſcilicet, quo videlicet adigant ad ſoluenda ſibi iura feudalia, cenſus et reditus tantum, vt loquitur* BOVTICVLARIVS tit. de infimam iuriſdictionem habente. *Et haec iuriſdictio in conſuetudine Andegauenſi, Turonenſi, Cenomanenſi, Bleſenſi* nuda inſpectio *vocatur, et* MASVERIO tit. de iudicibus et iudiciis *vocatur* iuriſdictio domanialis, *in Senonenſi et Altiſſiodorenſi dicitur, eum, qui iuriſdictionem fundialem habet, poſſe quidem habere viatorem ad colligenda iura ſua, et menſam, ſeu ſtationem, ad ea percipienda: at non etiam iudicem, aut ſedem, aut auditorium, et in Valeſia dicitur, dominos fundiales, iuriſdictionem non habentes, nullam cauſſae cognitionem habere, neque officiarios, verum iura ſua dominicalia perſequi coram iudicibus partium, ipſiſque libellum ſupplicem offerre debere, quo ſcilicet eis liceat capere feuda, a ſe mouentia, vel fundos cenſuales, cenſum ipſis praeſtantes, et non etiam vigore decretorum ſuorum, quod per abuſum ſaepe ſit, ad huiuſmodi capionem procedere. Atque ita quarta haec iuriſdictionis ſpecies ſecundum conſuetudines determinatur, vti lector videre poteſt* Lib. II. tit. 3. collationis D. GVENOSII, *deque eo plene tractat* BACQVETVS ſupra citato libro I. c. Ex eo vero loco patet, mirifice

mirifice variare conſuetudines Andegauenſes, Cenomanenſes, Turonenſes, Senonenſes, Bleſenſes, Altiſſiodorenſes, et Valeſias: at nuſquam tamen in Gallia vltra facultatem iura ſua, ſibi in fundis ſubditorum competentia, tuendi dominis fundorum quidquam permitti, immo ne hanc quidem dominos ſua auctoritate exercere ex moribus Valeſiorum.

§. LXVIII.

Quemadmodum olim iudicia alia ſtata et ordinaria erant, ob quae conuentus iuridici certis temporibus indicebantur, alia extraordinaria et repentina: (§. 58. 4.) ita (35. hodie ſeſe rem eodem fere modo habere, animaduertimus, dum non modo curiae ſupremae, *die hoffgerichte*, alicubi certis anni temporibus habentur, veluti ſingulis *quatuor temporibus*, quae vocant, verum etiam (36. iudicia minora, qualia alibi ſunt *die land gerichte*, alibi *die rüge gerichte*, alibi *die voigtgedinge*, *lotding*, *botding*, ſimileſque conuentus. Sed et (37. ex eodem more maiorum eſt, quod in his iudiciis omnes ſubditi ſe ſiſtere tenentur, (38. quodque non modo ſinguli iubentur denunciare, ſi quid contra bonos mores fieri obſeruarint, verum etiam (39. cauſſa breuiter cognita, qui peccarunt, in mulctam condemnantur, quae vocatur *die land gerichts vvroge.* Quin (40. et alia in his conuentibus iuridicis fieri ſolent, quae ad publicam diſciplinam, et ſubditorum vtilitatem videntur pertinere *. Conuentus iuridici et hodie ſtatis temporibus habentur.

* Sic memini, quum ipſe, exigente officii ratione, huiuſmodi conuentui intereſſem, finito iudicio, (1. praelectas fuiſſe leges ruſticas, *die dorff-ordnung*, (2. examen inſtitutum catecheticum, exploratumque, quantum pueri ac puellae in ſingulis pagis profecerint, (3. praemiola diſtributa eſſe iis, qui diligentiam ſuperioribus probaſſent, (4. ſubditos ſingulos adactos eſſe ad exhibendum certum numerum capitum paſſerum, et (5. ſi quid numero legibus definito deeſſet, eos certam mulctam pendere coactos. Alibi (6. ruſticos et ad arma domeſtica, laternas, ſimilemque ſupellectilem, maxime ad reſtinguenda incendia neceſſariam, oſtendendam adigi, (7. et conuentum illum plerumque epulis finiri audio, vt vere adhuc moribus obtineat, quod notarat Tacitvs, puta, quod Germani nihil fere publicae priuataeque rei ſine poculis tranſigere ſoleant.

§. LXVIIII.

Contra vbique fere iudicia repentina et extraordinaria paullatim quotidiana facta ſunt vel (42. ſicubi tam arctis limitibus circumſcriptum eſt territorium, vt iudices quotidie litibus non fatigentur, plerumque dies hebdomadis certi deſtinati ſunt et cognitionibus et ferendis ſententiis, qui vocantur *gerichtstâge*, inter Dies iuridici, quibus per totum annum ius dicitur.

inter quos (43. iam inde ab antiquiſſimis vſque temporibus tam celebris fuit dies Martis, vt κατ' ἐξοχὴν dictus ſit *dienſtag*, quaſi *dingſtag*, a *ding* Germanico, quod iudicium ſignificare, iam ſaepe monuimus *.

* Falluntur ergo VEREL. *ad Gotric. cap.* 4. *p.* 37. qui *dinſtag* dictum putat a *Thurra* vel Tor, quaſi *tyrsdag*, WORMIVS *faſt. Dan. Lib. I. cap.* 15. qui id nomen repetit a *Diſa*, Dea, et Germanorum veluti Themide, vt idem ſit ac *distag*, LOCCENIVS *antiqu. Sueo-Goth. cap.* 4. *p.* 18. qui vocabulum hoc arceſſere mauult a Germanico *thit* vel *theot*, populus, vt ſit quaſi *thitstag*. Nam in Saxonia inferiore nomen huius diei vetuſtiſſimum adhuc in vſu eſt, efferturque *dingsdag*. Vnde recte GOB. PERSONA *coſmodrom. Aet. II. cap.* 4. *Ding*, inquit, *in antiquo vulgari ſonat iudicium, prout patet in his vocabulis: holtgeding, frigeding, et quia iudicium mortis gentiles attribuerunt Marti, dies Martis dingestag apud gentiles Teutonicos dicebatur. Et in ſignum iſtius iudicium quoddam occultum, concernens poenam morte puniendorum in certis caſibus, in partibus Weſtphaliae, praecipue die Martis celebratur, quod quidem iudicium incolae friding adpellant.*

§. LXX.

Iudicia ſaltim criminalia et hodie ſcabinos requirunt.

Quum porro Germani comitibus, ſcultetis, reliquiſque iudicibus ſemper in conſilio eſſe voluerint adſeſſores, iiſque adiunxerint etiam adparitorem, quem vocabant *den fronbothen*; (§. 58. 5.) non mirum eſt, (44. non modo hunc morem paene vbique ſupereſſe, ſed et (45. nomina illa antiqua comitum, * ſcultetorum, ſcabinorum, *des fronbothens* pleriſque locis audiri: in primis vero (46. vix legitimum et ſollemne haberi iudicium criminale, niſi iudici adſideant ſcabini, qui in CONST. CRIM. *art.* 1. vocantur *vrtheiler*, iiſque aeque, ac iudicibus praeſcribitur certa iuriſiurandi formula *art.* 4. quamuis (47. illi plerumque ex plebeiis, quin ruſticis, adlegari ſoleant, quin (48. in Franconia diuerſi generis ſint, nec ibi omnes promiſcue ferant ſuffragium. Noti enim ibi ſunt praeter ſcabinos ordinarios *die ſtummen ſchoepſen*, ſiue *die horcher*, et *noth-ſchoepſſen*. Vid. LVDOV. *ad Conſt. crim. art.* 4. *p.* 13.

* De vocabulis *ſchultheiſs* et *ſchoepſen*, quae in omnibus fere non modo ciuitatibus, ſed et vicis pagiſque audiuntur, nemo, credo, dubitabit. At comitum nomen iudicibus tribui, non aeque peruulgatum eſt. Sic Halas noſtrae patrum adhuc memoria fuiſſe iudicem, dictum *burggraffium*, eiuſdemque nominis iudices Auguſtae Vindelicorum et Ratisponae ius dicere, obſeruat OCKEL. *de palat. reg. theſ.* 157. *ſequ.* Et qui iuriſdictioni rei ſalinariae apud nos praeeſt, hodie adhuc vocatur *der ſaltz-graffe*. Ita paſ-

ſim

ſim alibi ſuperſunt *die zentgrafen*, de quibus FICHARD. *conſil. Germ.* 121. *et* 123. *die gograven*, de quibus KNIPSCH. *de ciuit. imp. Lib.* III. *cap.* 6. §. 17. immo et *graffen* ſine additamento, veluti Coloniae: KNIPSCHILD, *ibid. Lib. III. cap.* 10. §. 28. *p.* 683. Neminem etiam ignorare putarim officium *Hansgrauiorum* Ratisponenſium, qui ex priuilegio, vrbi a Fridrico II. Imp. conceſſo, tum in ciuitate, tum extra illam, ea curant, quae ad nundinarum pertinent negotia, de quibus vid. WIG. HVND. *metrop. Salisb. p.* 1. Omittimus iam *frygrauios* iudiciis Weſtphalicis praefectos, *dykgrauios*, qui aggeres curant, *watergrauios* in Flandria, qui fluminibus et lacubus praeſunt, alioſque, quorum recenſum instituit PFEFFINGER. *Vitriar. illuſtr. Lib.* I. *tit.* 17. §. 9. *p.* 602. *ſequ. Tom.* II.

§. LXXI.

Nec ſcabini tantum et adparitores hodie iudicantibus adſunt, verum etiam (49. ſcribae, notarii, actuarii, * qui nunc plerumque ſecretariorum adfectant titulum. Hos vero, (50. vt fidem eorum protocolla inueniant, iuratos eſſe oportet, maxime (51. in cauſſis criminalibus, quibus qui adſunt, ſcribis formulam iuriſiurandi praeſcribit CONST. CRIM. *art.* 5. Quin (52. in Saxonia ſcribas in his cauſſis non modo iuratos, ſed et notarios publicos Caeſaris auſpiciis creatos eſſe oportet. CARPZ. *proc. iur. tit.* 2. *art.* 4. §. 5. *n.* 53. *ſequ. et Part. III. Deciſ.* 201. IO. PHILIPPI. *ad deciſ. Sax.* 38. *obſeruat.* 2. *n.* 29. *p.* 698.

Nec non ſcribas vel actuarios.

* Iam ſub Francorum imperio iudiciis intererant *ſcribae*, qui et *notarii* dicebantur, CAPITVL. I. *ann.* 805. §. 3. itemque *cancellarii*, LEG. RIPVAR. *tit.* 59. §. 2. *ſequ. et tit.* 88. CAPIT. VI. *ann.* 803. §. 2. et *Lib. III.* §. 43. Hi quoque non niſi iurati munere ſuo fungebantur, LOTHAR. *in capitul. exceptis ex lege Langob.* §. 21. et *eiuſdem capitul. adiect. legi Langob.* §. 11. et ex LEGE RIPVARIORVM amittebant dextrum pollicem, vel plane manu abſciſſa admiſſum a ſe falſum luebant. LOTHARII *capitula ibid.* Et extant ſane *notitiae iudiciorum* complures, a MABILLONIO, BALVZIO, aliiſque editae, quae nos dubitare non patiuntur, quin res iudicatae in acta publica relatae fuerint, tum a Francis, tum a Langobardis, quorum in primis laudanda fuit in actis conſignandis induſtria. Vid. LEG. LANGOB. *Lib. II. tit.* 40. §. 1. *et* 2. Mirum ergo eſt, in IVRE SAX. et SVEVICO tam raro mentionem ſcribarum fieri: cuius rei hanc rationem reddit THOMASIVS *de vera orig. nat. et interitu iudic. Weſtphal.* §. 40. *not. q.* quod proceſſus fuerit oralis, additque: *Quod mirum alicui non videbitur, qui cogitauerit, omnia ibi publice in praeſentia totius populi geſta eſſe, adeoque ſcriptura non fuiſſe opus. Proceſſus igitur ſcriptus, hodie receptus, originem debet iuri canonico, vtpote quod integro ſaeculo ante Iuſtinianeum in Germania obtinuit.* Sed ſunt hic quaedam, quae mea non fecerim. Attulit ſane beatus frater in *antiqu. Goſl. Lib. II. p.* 221. veteres tabulas cereas, ex quibus patet, ſaeculo ſaltim XIIII. ea, quae in iudiciis deciſa ſunt, in acta publica relata fuiſſe, adeoque procul dubio non defuiſſe ſcribas, quibus id datum fuerit negotii.

§. LXXII.

§. LXXII.

Corollaria quaedam de nouis iuriſdictionis ſpeciebus, et officiis ſculteti et ſcabinorum olim hereditariis.

Sed haec quidem de iuriſdictione Germanorum dicta ſufficiant. Plura moneri poſſent de variis ritibus forenſibus, hinc inde obuiis, qui ex vetuſtis moribus facile poſſent deriuari, niſi de iis intra ſuis locis dicendum foret. Iam id tantum veluti corollarii loco addimus, (53. imperatores, reges et principes, ex quo ſemel aliis concedere coeperunt iuriſdictionem, varias eius ſpecies nouas inuexiſſe, veluti academicam, nauticam, ſilueſtrem, * mercatoriam, ſalinariam, metallicam, et (54. cum iis, qui in his tribunalibus iuri dicundo praeſunt, modo criminalem et ciuilem, modo ciuilem tantum, iuriſdictionem communicaſſe. Denique (55. quum olim et in vrbibus plerumque hereditaria eſſent ſcultetorum, iudicum et ſcabinorum officia, et, vti alia feuda, ad filios et agnatos deuoluerentur, ceu patet ex IVR. PROV. SAX. *Lib. III. art.* 26. et IVR. PROV. SVEV. *cap.* 79. §. 3. WEICHB. *art.* 33. et exemplis probat ZACH. SCHNEIDER. *chron. Lipſ. Lib. V. p.* 225. *ſequ.* hodie id rarius contingere, adeoque (56. pleraque iudicum officia in vrbibus eſſe perſonalia, et cum ipſis perſonis exſpirare.

* Sunt haec iudicia, quae paſſim ſub vocabulo *der forſt-ämter*, item *der forſt- vnd iagd-gerichte* exercentur, quorum iuriſdictionem olim in hoc ducatu etiam carnifices agnoſcere tenebantur. Similia ſunt *die zeidlergerichte*, quae exercentur in eos, qui praedia, mellificio apta, poſſident, *zeidel-güter*. De iis vide LIMN. *iur. publ. Lib. VII. cap.* 35. *n.* 30. *et addit. Tom. II. ad Lib. V. cap.* 7. *p.* 774. BESOLD. *theſaur. pract. ſub voce zeidelgerichs p.* 1038. DIETHER. *p.* 678. Celeberrimum eſt iudicium huius nominis, competens Noribergenſibus. Nec ignotae ſunt huius generis ſocietates in inferiore Luſatia, (vid. ill. a LVDEWIG *reliqu. MSSC. Tom. I. p.* 165. 169. 478.) vbi ii, qui *zeidleris* praefecti ſunt, voce Slauonica adpellari ſolent *ſtaroſten*, id eſt, ſeniores.

TIT.

TIT. II.

DE ACTORE, REO, ADVOCATIS PROCVRATORIBVS.

§. LXXIII.

Tranſitio ad reliquas perſonas, quae iudicium conſtituunt.

QVae ſuperiore capite diſſeruimus, ea maxime ad IVDICIS, SCABINORVM, ceteraſque, quae iudicium conſtituunt, perſonas pertinent. Supereſt, vt de reliquis perſonis, quae cauſſas in foro agunt, breuiter agamus, et quidem tum de *principalibus*, quales ſunt ACTOR et REVS, tum *de minus principalibus*, quales ſunt ADVOCATI et PROCVRATORES. Nam et his vſos eſſe maiores noſtros, quamuis ab ingenioſis cauſſidicorum Romanorum calumniis alieniſſimos, et ficti illius dominii litis, cuius obtentu Romani procuratores primum in forum admiſerunt, plane ignaros, ex iis, quae paullo poſt dicemus, perſpicue adparebit.

§. LXXIIII.

Qui vetere iure Germ. actores eſſe potuerint?

Quemadmodum ipſa recta ratio vnicuique permittit, ius ſuum in iudicio perſequi: ita idem et Germanos ſuis permiſiſſe probabile eſt, * quamuis fatendum ſit, ſaepius homines feroces, et litium pertaeſos, ius ſibi manu dixiſſe, et armis finire ſolitos negotia, quae iure fuiſſent terminanda. Non tamen temere admittebant ACTORES ', calumniae ſuſpectos, et ſi qua huiuſmodi incideret ſuſpicio, cauſſa cognita, an quis admittendus ſit, ſtatuebant. Ita enim cautum fuerat CAPITVL. *Lib. V. §. 245. edit. Lindenbr. Eius, qui frequenter litigat, et ad accuſandum eſt facilis, accuſationem abſque grandi examine nemo ſuſcipiat.* Quamuis enim de cauſſis criminalibus agere videatur locus: ciuiles tamen non excludi, ex verbis: *qui frequenter litigat*, ſatis intelligitur.

* Neque tamen dubitandum eſt, quin et apud Germanos quidam non habuerint perſonam ſtandi in iudicio. Sane quod ad ſeruos attinet, eos liberos homines in ius vocare vetat LEX WISIG. *Lib. II. tit.* 2. §. 9. et LEX LANGOB. *Lib. II. tit.* 50. §. 1. niſi domini eorum vltra 50. milliaria abſint, vel abſentes epiſtola negotium hoc ſeruis dederint. LEG. WIS. *ibid.*

Multo minus ergo ſerui conſiſtere poterant cum dominis, aut iis crimen obiicere. CAPIT. *Lib. VII.* §. 48. *et* 342. *et Lib. VI.* §. 144. *edit. Lind.* Sed et pro filiofamilias patrem, pro pupillo tutorem agere, eumque feminae quoque agenti adeſſe, eamque defendere debuiſſe, facile eſt ad exiſtimandum. LEG. WISIG. *Lib. IIII. tit.* 3. §. 3. LEG. LANGOB. *Lib. II. tit.* 25. §. 4. Vxor apud Wiſigothos ipſa pro ſe recte poſtulabat, et ne ipſe quidem maritus, pro ea acturus, ſine expreſſo mandato admittebatur. LEG. WISIG. *Lib. II. tit.* 3. §. 6. Quum etiam principes et epiſcopos minus decere videretur, in foro litigare, eos cauſſas ſuas ſemper aliis mandare iubet LEX WISIG. *Lib. II. tit.* 3. §. 1. non quaſi perſonam ſtandi in iudicio non haberent, ſed *quod tantis culminibus videri poſſet contumelia irrogari, ſi contra eos vilior perſona in contradictione videretur adſiſtere.* Quae omnia et in perſona reorum obſeruanda fuiſſe, facile intelliges.

§. LXXV.

Actor ſequebatur forum rei.

Sed et id commune cum Romanis, gentibuſque tantum non omnibus, habebant Germani, quod actor ſequi teneretur forum REI. Pertinent huc permulta CAPITVLARIVM loca, quorum tamen praecipua tantum hic delibare iuuabit. Sic *Lib. VII.* §. 251. *edit. Lindenbr. Clericus vel laicus, ſi crimine vel* LITE *pulſatus fuerit, non alibi, quam in foro ſuo, vocatus audiatur.* Et §. 283. *Pulſatus ante ſuum iudicem cauſſam dicat: et non ante iudicem ſuum pulſatus, ſi voluerit, taceat.* Denique *addit. Lib. III.* §. 75. *Quicumque cauſſam habuerit, a propriis iudicibus iudicetur, et non ad alienos, cauſſa vagandi et proteruiae, dimittens ſuam patriam, tranſeat.*

§. LXXVI.

Fora quotuplicia iure Germ.

FORA autem et apud Germanos diuerſa fuiſſe comperio. Nam praeter forum DOMICILII * etiam forum REI SITAE habuit locum, in eoque quaeuis inſtitui potuit actio realis, qua res ibi ſita petebatur, ceu patet ex LEGE ALAM. *tit.* 84. et LEGE BVRG. *tit.* 16. *cap.* 1. §. 2. Sane enim quum ex loco priore pateat, veniendum fuiſſe in rem praeſentem, idque fieri a iudice non potuerit, niſi cuius in pago vel territorio ſitum eſſet praedium: conſequens eſt, vt rem in foro rei ſitae vindicari oportuerit. Fori contractus nullum in legibus Germanorum deprehendo veſtigium. Delinquentes vero eo in loco ſortiebantur forum, vbi deliquerant, et quamuis in alio pago, vel in alia centena, deprehenderentur, tamen exhibendi erant comiti vel iudici eius loci, vbi delictum admiſerant. LEX BVRG. *tit.* 89. DECRET. CHLOTHARII §. 1.

* Quaeritur, an et foro originis fuerit locus? Eius ſane rei veſtigium nullum me reperire fateor in antiquitatibus Francicis. At de inſequentibus temporibus certum eſt, quod iam ſupra monuimus, non potuiſſe principes, quamuis in alia prouincia rerum potirentur, alibi, quam in ea prouincia, vnde originem duxerant, conueniri: (§. 39. et Lib. II. Part. II. §. 140. *) Immutabile ergo apud Germanos aeque, ac apud Romanos, videbatur hoc forum originis, ſaltim principibus. Atque inde eſſe arbitror, quod ſingularum ſuae aetatis familiarum illuſtrium origines tam diligenter recenſuit auctor obſeruationis, SPECVLO SAXONICO praemiſſae, cuius principium eſt: *Nun vernemet vmb der herren geburt von dem lande zu Sachſzen.* Vbi enim recenſuit principes, comites et dynaſtas origine Sueuos, Francos, Saxones, ſtatim ſubiicit: *Welcher biſchoff auch vom reich belehnet iſt mit fahn-lehn in dem lande zu Sachſzen, vnd den heerſchild davon hat, der heiſt ein Sachs, er ſey gebohren, aus welchem lande er wolle, vnd er mag wol vrtel finden vnd vrtels warten, vnd auch vorſprecke ſeyn zu lehen-recht vnd zu landrecht, vor dem reich, gegen einen ieglichen mann, da es allein an leben nicht gehet: aber anders nicht, weder zu landrecht oder zu lehen-recht.* Quae ſane de epiſcopis monere nihil attinebat, ſi reliquorum principum eadem fuiſſet conditio. Hi vero ſi eſſent Sueuicae originis, non erant Saxones, quamuis in Saxonia feuda vexilli poſſiderent, nec ibi poterant de principe iudicare, vel ab eius principibus iudicari. Cuius iuris et conſuetudinis origo procul dubio ex iis, quae ſequente ſtatim §. obſeruabimus, repetenda eſt.

§. LXXVII.

Id enim ſingulare habebant Germani, quod apud eos actor non modo forum, ſed et ius rei, ſequi teneretur. Neque enim Saxo poterat conueniri ex iure Alamannico, quamuis in Alamannia conſtituiſſet domicilium, ſed ex Saxonico tantum: eademque erat reliquarum prouinciarum ratio, in quibus ſua quiſque lege viuebat, ex eaque, ſi qua cauſſa vel lis incideret, erat iudicandus. Qua de re iam ſupra (Lib. I. §. 323.) quaedam nos obſeruare meminimus. Ex quo facile patet, cur et exſtincta Carolidarum ſtirpe principes, paſſi ſententiam, ſeſe iniuſte damnatos eſſe, contenderent, ſi ſententia, non principum prouinciae, ex qua originem duxerant, ſuffragiis lata eſſet. * (§. 39.) Immo et ius rei ſequi tenebatur actor.

* Hoc ad principes tantum pertinere contendimus. Quod enim ad priuatos attinet, illa iurium confuſio mature videtur abolita eſſe. Nam in IVRE PROV. SAX. *Lib. I. art.* 30. legimus. *Ein ieglich einkommen mann empfehet erbe in dem lande zu Sachſzen nach des landes recht, vnd nicht nach des mannes recht, er ſey Beyer, Schwabe oder Francke.* Similia occurrunt in SPEC. SVEV. poſt *cap.* 270. *edit. Berg. p.* 56. (nam in Meichſneriana ea fruſtra quaeſi-

quaeſiueris.) *Ain yeglich man, der aus ainem land in das ander vert, wil er vor gerichs nemen recht vmb ain gut, das im lande liegt, er muſs nemen recht nach des landes recht, da das gut inn ligt, vnd nicht nach ſeinen landſitten.* Quum idem caput paullo aliter legatur in edit. SCHANNATI *cap.* 121. etiam ex eo verba adſcribere iuuabit: *Spricht ain man eigen an, da ſchol er nit vmb antworten, denn an der ſtat, da es leit, vnd niemans in dem geding vor dem landrichter, da muſs er vor igleichen landtaiding antworten, ob das gut in demſelben gerichs leit. Der künig ſchol auch nit richten, nach des recht, er ſchol nit richten, wen nach des landes recht.*

§. LXXVIII.

Aduocati an temporibus Taciti noti Germanis.

Quod ad ADVOCATOS attinet, eos parum placuiſſe Germanis antiquiſſimis, litium non admodum amantibus, vel inde colligas, quod in clade illa Variana, teſte FLORO *Lib. IIII. cap.* 17. in nullos alios magis ſaeuitum eſt, quam in cauſſarum patronos, quorum *aliis oculos eruerunt, aliis manus amputarunt, vnius etiam os ſuerunt, receſa prius lingua, quam manu tenens barbarus: Tandem*, inquit, *vipera, ſibilare deſiſte.* Enimuero non tam patrocinium cauſſarum diſplicuiſſe videtur maioribus noſtris, quam caninum iſtud patronorum ſtudium, optimum quemque adlatrandi. Nam inſequentibus temporibus et Germanis in honore fuit officium aduocatorum, ſed honeſtorum, et qui non lites ex litibus ſerere, ſed eaſdem pro virili componere didiciſſent.

§. LXXVIIII.

An iure Wiſigothico?

Neque tamen omnes gentes iiſdem plane moribus vixerunt. Apud WISIGOTHOS inoleuerat conſuetudo, Graecis quoque et Romanis olim ſolemnis, vt in ius vocati plures ſecum amicos adducerent, opem laturos periclitantibus, cauſſamque eorum pro virili acturos. Sed morem hunc e foro proſcripſit Flauius Receſwindus Rex, ſtatuitque *Lib. II. tit.* 2. §. 2. *vt ne audientia tumultu et clamore turbetur, ſed in parte poſitis, qui cauſſam non habent, illi ſoli iudicium ingrediantur, quos conſtet intereſſe debere*; *item*: *vt*, SI IVDEX NOLVERIT, *nullus ſe in audientiam ingerat, partem alterius quacumque ſuperfluitate aut obiectu impugnaturus, qualiter vni parti nutriri poſſit impedimentum.* Denique: *vt ſi admonitus quiſquam a iudice, vt in cauſſa taceat, ac praeſtare cauſſando patrocinium non praeſumat, et auſus vltra fuerit parti cuiuslibet patrocinari, decem auri ſolidos, eidem iudici profutu-*

profuturos, coactus exſoluat, ipſe vero in nullo reſultans, contumelioſe de iudicio proiectus abſcedat. * Si quis potentiori, opprimendi aduerſarii ergo, cauſſae ſuae commendaſſet patrocinium: ipſe cliens cauſſa cadebat, potentiorque, qui exire iuſſus, non parebat, duas auri libras exſoluebat, vnam iudici, alteram aduerſario, et a iudicii limine cum contumelia repellebatur. LEG. WISIG. *Lib. II. tit.* 2. §. 8. Itaque non in vniuerſum prohibebantur alii pro aliis poſtulare, ſed tantum id facere non licebat inuito iudice, nec potentioribus, qui terrori eſſe poſſent aduerſariis.

* Reuocaſſe Wiſigothi videntur mores maiorum ſuorum, in borealibus terris viuentuum, quippe quos et multo poſt nullum aduocatis et cauſſidicis locum in foro dediſſe, ſatis conſtat. LOCCEN. *antiqu. Sueo-Goth. Lib. II. cap.* 4. *p.* 44. *Priſci vel nunquam, vel raro aduocatis et procuratoribus vſi ſunt, ſed ipſi litigantes, prout potuere, cauſſam ſuam egerunt, vt conſtat ex art.* 15. *proceſſ. iudicial.* Idem confirmat STIERNHOEK. *de iure Sueon. vetuſt. Lib. I. cap.* 6. *extr.* obſeruans tamen, viduis, pupillis, rudibus rerumque imperitis, vel plane excordibus, adeſſe in iudicio potuiſſe aliquem cognatorum, vel ſi eius non eſſet copia, idem paene obtinuiſſe, quod apud Romanos ſimili caſu ſe facturum promiſerat Praetor: SI NON HABEBVNT ADVOCATVM, EGO DABO. *l.* 1. §. 4. *D. de poſtul.*

§. LXXX.

His non minus ſeueri etiam OSTROGOTHI videntur fuiſſe, apud quos ſanxerat THEODERICVS, *Rex, edict.* §. 44. *vt nullus ſe* POTENS, *Romanus aut barbarus tamquam defenſor aut ſuffragator negotio miſceret.* Attamen non in vniuerſum eos ab aduocatis abhorruiſſe, ſed eorum maximi feciſſe operam, vel ex CASSIODORO patet, qui ſaepe inter merita eorum, quibus Theodoricus rex maximas dignitates palatinas contulit, vel primo loco refert facundiam forenſem, operamque, clientibus cum laude praeſtitam. Vid. *Var. Lib. V. cap.* 4. *et* 40. *Lib. XI. cap.* 4. Itaque nihil illa THEODERICI diſpoſitio habet, quod a moribus Romanorum alienum ſit: immo ex ipſis eorum legibus videtur depromta, puta ex *l.* 1. *et l.* 2. *C. ne liceat potent. patroc. litig. praeſt.* An Oſtrogothico?

§. LXXXI.

Quare etiam ſimilis LEX BVRGVNDIONVM, quae *tit.* 22. occurrit, facile intelligitur. Quum enim Burgundiones, tamquam victores, facile terrori eſſe potuiſſent Romanis, vel pro- Nec non Burgundico.

 uincia-

uincialibus : non iniqua profecto erat lex GVNDOBALDI, regis : *Quicumque Romanus cauſſam ſuam, quam cum alio Romano habet, Burgundioni agendam tradiderit, cauſſam perdat, et is, qui ſuſcepit, inferat mulctae nomine ſolidos* 12. Quam legem repeti animaduertimus *tit.* 55. *§.* 1. *et* 2.

§. LXXXII.

Et Francico.

Sed progredimur ad FRANCOS, quibus in foro litigantibus eo magis opus erat iuriſperitorum auxilio, quo pluribus formularum ac ſollemnitatum tricis implicata erat eorum iuriſprudentia, et quo facilius in his verbis labi poſſunt homines plebeii, et aliis diſtracti negotiis. SCHILT. *Exerc. X.* §. 7. Quamuis enim aduocatorum iſtorum nec in LEGE SALICA, nec in altera RIPVARIORVM, occurrere veſtigium obſeruarim, ſaepe tamen eorum mentio fit in Carolingorum conſtitutionibus, quibus cauetur, vt ſint viri honeſti atque integrae famae, non inceſtis nuptiis polluti, CAPITVL. *Lib. VI.* §. 306. nec calumniae in aliis iudiciis conuicti, IBID. *Lib. VII.* §. 114. ſed publice electi a miſſis dominicis, LEHM. *chron. Spir. Lib. II. cap.* 26. et expertae probitatis. Nam ſeuere animaduertebatur in eos, qui quid calumniae cauſſa fecerant, iiſque non modo aduocatione interdicebatur, CAPIT. *Lib. VII.* §. 114. verum etiam carceris poena imminebat, ſi quando dictae a ſcabinis ſententiae nec ſtare vellent, nec eam improbare, vel, vti Franci loqui ſolebant, blaſphemare auderent. CAROLVS M. *Capit. leg. Salic. tit.* 8. *

* Hoc loco aduocati vocantur CLAMATORES et CAVSIDICI. Et prius quidem vocabulum et alibi paſſim occurrit in monimentis Francicis, veluti CAPITVL. *II. ann.* 805. §. 8. CAPIT. *I. ann.* 810. §. 1. *et* CAPIT. *II.* §. 8. CAPITVL. *ann.* 823. §. 12. CAPIT. *de villis cap.* 29. HINCM. *opuſc. V.* idque non ideo inditum aduocatis, quod clamoribus iudices obtunderent, ſed quod poſtulare Francis eſſet *clamare.* Hinc *clamare pro cauſſis*, idem eſt, ac agere, CAPITVL. *Lib. I.* §. 10. et *proclamare,* in ius vocare vel intendere litem. LEG. SAL. *tit.* 39. CAPITVL. *Lib. VI.* §. 399. *proclamatio* actio. PETR. DIAC. *Chron. Caſin. IV.* 48. et actores dicuntur clamantes, CAPITVL. *ad Leg. Sal.* §. 2. itemque aduocati *reclamatores* LEG. LANGOB. *Lib. II. tit.* 53. §. 23. in iudicio accuſati *clamodici.* CAPIT. CAROLI CALVI *tit.* 39. §. 3. Solebant enim accuſatores in cauſſis maxime criminalibus, nec non vim maiorem paſſi, accuſationem proferre cum clamore, *mit geruͤffte*, ceu infra ſuo loco monebimus.

§. LXXXIII.

§. LXXXIII.

Reliquae leges vix meminerunt aduocatorum, praeter LANGOBARDICAM. Quum enim et haec gens paullo plus tribueret iuri ſubtiliori et formulario: homines plebeii, et harum rerum imperiti vix poterant aduocatorum iuriſperitorum opera carere. Hinc apud illos eadem fere omnia, ac apud Francos, obſeruamus. Nam et hic publica auctoritate, praeſentibuſque comitibus, eligebantur viri non modo periti, ſed et honeſti iuſtique ac aequi amantes. LEG. LANGOB. *Lib. II. tit.* 48. §. 1. 2. 5. quamuis merito dubites, eccleſiarumne aduocatos hic intelligant legiſlatores, an eos, qui priuatorum cauſſas agunt. Id certius eſt, non potuiſſe apud Langobardos quemquam pro alio poſtulare, niſi cui eius rei poteſtatem vel rex, vel iudex, feciſſet. IBID. *Lib. II. tit.* 52. §. 1. Denique Langobardico?

§. LXXXIIII.

Haec de aduocatis. Horum vero diſcrimen a procuratoribus non ignoraſſe veteres Germanos, ſatis conſtat. Procuratores *adſertores* vocat LEX WISIGOTHICA, *Lib. II. tit.* 3. §. 2. *et* 3. quum alias iure Romano ii demum, qui in cauſſa liberali pro alio poſtulabant, eo nomine venirent, moribus Germanorum autem in hiſce cauſſis procurator non admitteretur. CAPITVL. *Lib. VII.* §. 274. Eum exhibere oportebat mandatum, ſiue a domino, ſiue a teſtibus ſubſcriptum ac ſignatum. LEX WISIG. *ibid.* §. 3. Qualia ſcripta mandata paſſim ſuperſunt apud MARCVLF. *Form. Lib. I. cap.* 21. *Lib. II. cap.* 31. *Adpend. cap.* 9. 25. 53. FORM. SIRM. *cap.* 20. FORM. LINDENBR. *cap.* 183. Ceterum quemadmodum ne iure quidem Romano omnes promiſcue poterant fieri procuratores: ita et Germanorum moribus ab ea opera abſtinendum erat feminis, LEG. WISIG. *Lib. II. tit.* 3. §. 6. ſeruis, niſi dominorum dominarumue ſuarum, eccleſiarum, pauperum, vel fiſci negotia ſuſcepturis, IBID. §. 3. denique quibuſcumque infamia notatis. Nam in ADDIT. CAPITVL. *Lib. IIII.* §. 7. generalis occurrit regula: *Infamis perſona nec procurator eſſe poteſt, nec cognitor*, deſumta ex PAVLLO *recept. ſent. Lib. I. tit.* 2. §. 1. * Procuratorum quae ex his legibus conditio fuerit?

* Immo et alia pleraque, quae de procuratoribus in Germanorum legibus praecipiuntur, ex iure Romano expreſſa eſſe, animaduertimus, veluti quod femina mandatum ſuſcipere non poſſet, poſſet vero ſuam cauſſam in foro

foro agere. Pavli. *ibid.* §. 2. quod mandatum ad acta eſſet exhibendum. Leg. Wisig. *Lib. II. tit.* 3. §. 2. Immo et ius Romanum ſapiunt, quae eaedem Wisigothorvm leges de reuocando mandato praecipiunt. *Lib. II. tit.* 3. §. 5. Mere vero Germanica, quae de lucro et incommodo ad dominum, non ad procuratorem, pertinente, ipſaque mercede huic a mandatore ſoluenda dicuntur. ibid. §. 7.

§. LXXXV.

Agere qui potuerint iure Sax. et Sueu.

Enimuero vt iam ad medii aeui iuriſprudentiam Germanicam progrediamur: veteres mores et his temporibus viguiſſe, obſeruamus. Primum enim in cauſſis ciuilibus actoris vice omnibus fungi licebat, quorum intererat, praeterquam diris deuotis et praeſcriptis, *die in acht vnd bann waren*, qui quidem rei fieri, at non agere poterant. Ivs prov. Sax. *Lib. III. tit.* 16. et Svev. *cap.* 124. *et cap.* 26. Neque tamen quemquam ad agendum cogebant inuitum, praeterquam quod accuſator, ſemel edito clamore, litem perſequi teneretur. Ivs prov. Sax. *Lib. I. art.* 62. *Man ſoll niemand zwingen zu einer klag, die er vor gericht nicht angefangen, noch begunſt hat. Ein ieglicher mann mag wol ſeinen ſchaden verſchweigen, vnd nicht klagen, dieweil er will.* * *Schreyet er aber das gerüfft vmb vngericht, das an ihm begunſt wäre, das muſs er vollführen mit rechter klage.*

* Itaque maiores noſtri ignoraſſe videntur prouocationes ex *lege diffamari* et ex *lege ſi contendat*, quippe ex iure Romano demum in fora Germanorum inuectas. Nec reliqui caſus, quibus aliquis ad agendum cogi poteſt, in iuriſprudentia patria locum habuiſſe videntur, veluti *l.* 13. §. *pen. D. de act. emt. l.* 75. §. *vlt. D. de legat.* 1. *l.* 8. §. *vlt. D. de opt. leg. l.* 2. *pr. D. ad L. Rhod. de iactu. l.* 5. §. 12. *D. commod. l.* 1. *C. de his quib. vt indign.* Nam vti non tam ſubtiles erant in pactis adiectis formuliſque legatorum concipiendis, ac Romani: ita non dubitabant, quin ob iactum factum actio directe danda ſit iis, quorum merces iactae fuerant, aduerſus reliquos, qui ſua ſeruauerant, ad damnum contributione ſarciendum. Quin ne opus quidem vlla actione fuit, ideo, quod contributio ſtatim fieret in portu, nec antea ſeruatae merces traderentur. Vnde vocatur *hauerey*. Schilt. *Exerc. XXVII.* §. 129. Vid. ivs Wisbyense *art.* 20.

§. LXXXVI.

Quinam perſonam ſtandi in iudicio habuerint?

Neque tamen promiſcue omnes habebant perſonam ſtandi in iudicio. Nam filium pater defendebat, niſi eſſet correus: ivs prov. Sax. *Lib. II. art.* 17. vxorem maritus, feminam et pupillam tutor legitimus. Ivs prov. Sax. *Lib. I. art.* 46. ivs prov.

Svev.

Digitized by Google

SVEV. *art.* 307. *et* 323. Ipſam tamen virginem vel viduam audiebat iudex de tutore ſuo conquerentem, eique hoc caſu, et quotieſcumque legitimi tutotis non eſſet copia, tutorem vel curatorem in litem dabat. IVS PROV. SAX. *Lib. I. cap.* 44. 46. 47. IVS PROV. SVEV. *cap.* 322. 307. Quae omnia etiam in perſona rei locum habuiſſe, facile intelligitur.

§. LXXXVII.

Actor ſequebatur forum rei, praeterquam in reconuentione.

Deinde non ſecus ac olim ſub Francorum imperio actor ſequebatur forum rei. Qui tamen ſemel in agendo ſeruauerat iudicis cuiuſdam arbitrium, eum et contra ſe habere iudicem non dedignari debebat, vti loquitur ius noſtrum *l.* 14. *C. de ſentent. et interloqu.* Hinc cuiuis fas erat inſtituta reconuentione agere aduerſus extraneum, a quo in foro ſuo fuerat conuentus: eoque pertinet regula iuris: *vvo der mann recht fodert, da ſoll er vviederumb rechtens pflegen.* IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 61. *Lib. III. art.* 79. IVS SVEV. *cap.* 87. Attamen IVS SVEVICVM *l. c.* excipit clericos.* IVS SAXONICVM vero *Lib. III. art.* 79. actiones criminales; eo enim pertinent verba: *vvo der mann klagt, da muſs er vvieder antvvorten, ob man vvieder auf ihn klag, ohn zu kampfvvarts.* Ceterum vtrumque in eo conuenit, quod reconuentioni non prius ſit locus, quam finita conuentione, praeſtitoque eo, quod iudicatum fuerit. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 12. et IVS PROV. SVEV. *cap.* 87.

* Attamen clericos non omnino excipit SPECVLATOR, ſed eos ſaltim conditione certi ante tribunal iudicis ordinarii reconueniri poſſe ſtatuit. En verba: *Wir ſprechen, wo der mann recht fordert, da ſoll er auch recht nehmen, ohn geiſtlich leuth: die klagen wol vor veltlichen gericht, vnd man muſs ſie beklagen vor geiſtlichem gericht, ohn vm ein ſach. Vnd iſt, daſs ein geiſtlich mann einen leyen beklaget vor weltlichem gericht vmb gilt, der richter ſoll ihm richten, vnd will er ihm ſein pfennig zur hand geben, oder gute pfand, das ſoll er nemmen, vnd der ley beklagt den geiſtlichen mann wohl vor vveltlichem gericht, vnd der richter ſoll ihm richten als recht, über den geiſtlichen mann, NB. aber nicht dann vmb gilt.* At gloſſator IVR. SAX. *Lib. II. art.* 12. ne clericis quidem gratiam facit reconuentionis, qua in iudicio ordinario pulſetur. Ait enim: *Hiebey aber vviſſe dieſes, daſs in der vviederklage muſs auch ein biſchoff vor einem ſchultheiſſen zu recht ſtehen, vnd der bauren vrtel leiden, vor den er zuvor geklaget hat.* Et ſane in reconuentione ceſſare fori priuilegium, etiam clericis competens, modo cauſſa, ob quam reconueniuntur, ſit talis, vt eam iudex ordinarius cognoſcere poſſit, ipſi iuris canonici doctores plerique bona fide agnoſcunt. FELIC. DE OLIVA *de foro eccl. Part. III. quaeſt.* 32.

§. LXXXVIII.

§. LXXXVIII.

Forum domicilii, rei ſitae, delicti.

Quamuis vero et hoc tempore forum commune ordinarium eſſet illud, quod DOMICILII vocant, quumque iſtud turbarent iudicia Weſtphalica, imperii ordines ſibi ſaepe proſpicerent impetratis priuilegiis de non euocando: de quibus IMM. SVTORIVS libro ſingulari, edito Ienae 1661. attamen actiones in rem et hoc temporis tractu non alibi, quam in foro rei ſitae inſtituendas eſſe, putarunt. Teſtimonium ex IVRE SVEVICO iam ſupra adduximus. Iam addi poſſunt, quae ex notitia iudicii Ruperti Imp. anno 1405. inter Siboldum Scelmen et Sifridum Wamboldum excerpſit SCHITER. *Exerc. XIII. §. 31. not. a.* Ad forum delicti pertinet IVS PROV. SAX. *Lib. I. art. 59.* ex eoque patet, vbi delictum admiſſum, reuſue deprehenſus fuerit, ibi eum forum agnouiſſe. Fori originis, contractus, reliquorumque, immo et moris, reum ſecundum ius originis ſuae iudicandi * in his iuribus vix volam vel veſtigium exſtare videas.

* Quamuis enim exſtet locus IVRIS SVEV. *cap.* III. ex quo colligere poſſis, translato domicilio etiam priuatos ius, quo antea vixerant, non mutaſſe, ſiquidem ibi SPECVLATOR diſerte ſcribit: *Ein ieglicher mann, auff den man klaget, der ſoll antwworten nach ſeiner geburt:* ſenſus tamen eſt, eum iudicandum eſſe, ex iure, quod in loco domicilii viget, non ex eo, quo actor vtitur. Ita enim ſpeculator verba interpretatur, dum addit: *das iſt, nach ſeinen rechten, vnd nicht nach des klägers recht,* quamuis poſtrema verba deſiderentur in editione BERGERIANA p. 320. Add. IVS PROV. SAX. *Lib. III. art.* 33. Vterque excipit prouocationem ad ſingulare certamen, *wann man ihn vmb kampff anſpricht. Denn des mag er wohl wwegern zu antworten, ohne in dem lande, da er innen gebohren iſt.* Vel vt SPECVLATOR SVEVVS loquitur: *Spricht ein mann einen kämpffiichen an, ſo mag er des kampffs da wol über werden, ob er von dem land nicht gebohren iſt, da er ihn anſpricht.*

§. LXXXVIIII.

Varia fora priuilegiata, quorum origo in haec tempora incidit.

At eodem tempore paſſim magis magiſque inualuiſſe animaduertimus fora, quae priuilegio nituntur. Quod vt exemplis illuſtremus, notum eſt, ciues academicos iam ſaeculo XII. foro ordinario exemiſſe Fridricum I. Imp. *auth. habita C. ne fil. pro patre.* idque deinde et principes obſeruaſſe, quum academias conderent. Vid. ſtatuta acad. Vienn. apud LAMBEC. *biblioth. Vindeb. Lib. II. cap. 5. p. 95.* et diploma Ruperti Palat. ann. 1386. apud TOELN. *cod. dipl. Palat. p. 126.* Sed et iudicia metallica paſſim floruiſſe ſaec. XIII. ex ALBINI *Meiſn. berg-chronic.*

tit.

Digitized by Google

tit. 7. *p.* 64. *ſequ.* aliiſque eius aeui monimentis probat illuſtris ENGELBR. *de iudic. metall. cap.* 1. §. 5. Sic et curiarum dominicalium poſſeſſores hoc aeuo cognouiſſe cauſſas emphyteutarum ſuorum ſeu manſuariorum, patet tum ex IVRE FEVD. SAX. *cap.* 69. tum ex ALAM. *cap.* 125. §. 1. et maxime ex vetuſtis monimentis, quae IO. SCHILTER, ſingulari *de curiis dominicalibus* diſſertatione edidit. Vt iam non dicamus de iudiciis ſilueſtribus, quorum ac metallicorum veterem faciem oſtendunt Goſlarienſium leges metallicae apud LEIBN. *ſcript. rer. Brunſu. Tom. III. p.* 325. de feudalibus, de quibus omnia in vulgus nota ſunt, aliiſque, de quibus HERT. *de conſult. leg. et iudic. in ſpec. imp. Rom. Germ. rebuſp.* §. 24. *ſequ.*

§. LXXXX.

Id vero praetermittere non poſſumus, in iudiciis feudalibus aeque ac aliis, quorum adſeſſores eligebantur, neminem temere admiſſum, niſi qui eiuſdem cum reo ſtatus ac conditionis eſſet.* IVS PROV. SAX. *Lib. II. art.* 12. *Schoeppenbar-freye leute mögen vrtheil finden über einen ieglichen mann, es mag aber über ſie kein mann vrtheil finden, das ihnen an ihren leib, oder an ihre ehre gehet, oder an ihr erbe, noch ihr vrthel ſchelten, er ſey ihnen dann ebenbürtig.* Quare plane Germanica ſunt, quae in hanc ſententiam ſanxit HENRICVS I. *Rex Angliae, leg. cap.* 31. *Vnuſquiſque per pares ſuos iudicandus eſt et eiuſdem prouinciae: peregrina vero iudicia modis omnibus ſubmouemus.* Iudices electos reo dignitate pares eſſe oportebat.

* Id in reliquis omnibus actibus, qui ad iudicium pertinent, obſeruabatur. Sic enim e. gr. nemo poterat alterum ad ſingulare certamen prouocare, niſi eiuſdem eſſet conditionis ac dignitatis. IVR. PROV. SAX. *Lib. III. art.* 29. *et* 65. Quod eleganter exprimit SPECVLATOR SVEV. *cap.* 164. *Ein ieglicher mann wird wohl über, daſs er nicht kämpffet mit ſeinen vngenoſſen. Ein ieglich mann muſs kämpffen mit ſeinen genoſſen, oder auch mit ſeinen übergenoſſen.* Et hinc quum Otto Bauarus ab Henrico IV. Imp. iuberetur cum Eginone, accuſatore, manus conſerere: improbabant conditionem principes, iniquum eſſe dicentes, hominem illum cum nobiliſſimo componi. LAMB. SCHAFFN. MON. HERVELD. et BERTOLD. CONST. *ad ann.* 1070. CHRONOGR. SAXO *ad ann.* 1071. Sed et teſtes contra vaſallum non audiebantur, niſi illi natalibus pares, ceu diſerte monet auctor IVRIS FEVD. SAX. *cap.* 25. §. 1. *et* 2. *edit. Lat.* Nam in exemplaribus Germanicis *cap.* 46. haec non exprimuntur. Conf. IVS PROV. SVEV. *cap.* 78. IVS FEVD. SVEV. *cap.* 3. *cap.* 142. §. 5. Quin obſeruauit CAR. DV FRESNE *gloſſar. Lat. Tom. III. p.* 137. ne arreſtum quidem indici alicui potuiſſe regum iuſſu, niſi ab homine eiuſdem conditionis. Et hinc facile patet, cur con-

conuaſalli, ad iudicium feudale euocati, dicti ſint pares curiae, puta, quaſi eiuſdem conditionis, ceu contra GVIL. BVDAEVM, HADR. TVRNEBVM, PITHOEVM, CHOPPINVM, alioſque, eius vocabuli originem a patriciis Francicis repetentes, ſolide probauit laudatus DV FRESNE *gloſſar. Lat. ibid. p.* 134.

§. LXXXXI.

Qui aduocati eſſe potuerint?

Quod ad ADVOCATOS attinet, ii in IVRE SAXONICO aeque, ac SVEVICO, plerumque vocantur *fürſprechere*, et aliquando *vormunden*, quaſi pro aliis poſtulantes. Excuſabant vero Germani non modo pueritiam, ſed et adoleſcentiam. Nam quum SPECVLATOR SVEVVS *cap.* 74. monuiſſet, iudicis officio fungi non poſſe annis 21. minorem, vel maiorem 80. annis: ſtatim ſubiicit: *Alles vvas vvir haben geſprochen, daſs an den richtern ſoll ſeyn, das ſoll auch an den fürſprechern ſeyn.* Nec minus poſtulare pro aliis prohibebant feminas, eumque in finem et IVS PROV. SAX. *Lib. II. cap.* 63. et IVS PROV. SVEV. *p.* 287. *edit. Bergerianae* ad C. Afraniae exemplum nos remittunt, quod vterque SPECVLATOR, et maxime prioris interpres Latinus, ſatis ridicule referunt. Denique IVS SVEV. quod *cap.* 74. idem in aduocato exigit, quod in iudice, poſtulare prohibet periuros, proſcriptos, diris deuotos, infideles, haereticos, ſpurios, ruſticos, claudos, caecos, mutos et fatuos, * vt ſatis adpareat, honorificum fuiſſe hoc officium, quod et Germani nec a vulturibus togatis, nec a faece hominum pollui voluerint.

* IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 61. hic a Sueuico non diſcrepare obſeruamus, niſi quod prius et clericos pro aliis poſtulare vetat. Ait enim: *Ieglicher mann mag vorſprech ſeyn in dem lande zu Sachſsen, zu land recht, (ohne pfaffen,) den man an ſeinen rechten nicht beſchelten mag.* At IVS PROV. SVEV. *cap.* 88. hanc parentheſin omittit. Vtrumque porro eodem articulo et blaeſum (*einen ſtammelnden mann,*) poſtulare poſſe, ait, quamuis id fraudi non ſit clienti, ſi aduocatus linguae vitio bonam cauſſam male egerit. Recte autem SPECVLATOR SAXO addit: *zu land-recht*, quod itidem SVEVVS omiſit. Iure enim feudali vaſallus, quantumuis integrae famae, aduocati munere fungi non poterat, niſi ſaltim dimidio manſo vel libra argenti (*mit einem pfund gelds der landpfennig*) inueſtitus eſſet. IVS FEVD. SVEV. *cap.* 15. Quin *cap.* 142. §. 5. legimus: *über furſten vnd über ander herrn, die fahn lehen haben, mag niemand fürſprech geſeyn, noch vrtheil finden in lehenrecht, wann der auch ein fürſt iſt, oder fahn-lehen hat.*

§. LXXXXII.

Ius poſtulandi at-

Sed et in eo moris veteris patrii diligens manſit cuſtodia; quod non ſuo ſibi quiſque arbitrio aduocatum ſumeret, ſed is peten-

petendus impetranduſque eſſet a iudice. IVS PROV. SVEV. *cap.* 90. §. 3. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 60. Aliquando is aduocatum ex officio dabat illis, qui indefenſi videbantur, IVS PROV. SVEV. *cap.* 74. §. 2. nec non pauperibus, quibus hic gratis patrocinium praeſtare tenebatur, IBID. §. 4. quum alioquin honorarium iure ſibi ſtipularetur. IBID. §. 1. Nec quiſquam a iudice datus detrectare poterat hoc officium, niſi ex iuſtis cauſſis, quas ita exprimit SPECVLATOR SAXO *Lib. I. art.* 60. *Vorſprecbe mag ſich niemand vviedern zu ſeyn im gericht, da er inn vvonhafftig iſt, oder da er ſein gut innen hat, oder da er recht fordert, ohn auf ſein gebornen freund, oder auf ſeinen herren, oder auf ſeinen mann, ob ihm die klag an ſein leib, oder an ſein geſund, oder an ſein ehr gehet.* que impetrandi erant a iudice.

§. LXXXXIII.

Neque tamen quiſque cogebatur aduocati opera vti, ſi ſuo periculo pro ſe poſtulare mallet. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 60. *Ohne vorſprechen mag ein mann vvol klagen vnd antvvorten, ob er ſich des ſchadens ervvegen vvill, der ihm dauon kommen mag, als ob er ſich verſprecbe, daſs er ſich des nicht erhohlen darff, als er mit dem verſprechen vvohl thun mag, dievveil er nicht an ſein vvort gehet.* Conf. IVS PROV. SVEV. *cap.* 86. §. 2. Neque aduocato vti poterat, qui ipſe iam litem erat conteſtatus. IVS PROV. SAX. *Lib. III. art.* 30. Contra ea qui ſemel aduocato cauſſam mandarat, ei non licebat cauſſam pro ſe agere. Rata ſi quis habuiſſet ea, quae aduocatus in foro dixerat, huius oratio et proderat et oberat clienti, * IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 62. alias hic in integrum reſtituebatur. IDEM *Lib. III. art.* 14. *Ob ein mann an ſeines vorſprechen vvort nicht gehet, dievveil bleibt er an ſeines verſprechen vvorten ohne ſchaden.* Conf. IVS PROV. SVEV. *cap.* 86. §. 2. 3. Quid iuſtum circa aduocatos tum recipiendos, tum iam receptos?

* Hinc aduocatus actoris vel rei veniam petere poterat a iudice, clam colloquendi cum cliente ſuo, ei mandaturo, quae dicta vellet. Rem ita deſcribit SPECVLATOR SVEVVS *cap.* 86. §. 3. *Das iſt nach der leut gewonheit, als der mann furſprechen genimmt, ſo ſoll er ihm nicht offenbar ſagen, er ſoll ihm zuräunen, was er will. Der furſprech ſoll ihm geſprechs begeren, das ſoll ihm der richter erlauben. Vnd will er zu lang ſprechen, der büttel ſoll ihm gebieten, daſs ſie wieder für den richter kommen.* Quum ergo ita arcanorum particeps fieret aduocatus, prudenter ſanxerant Germani, ne aduocatus praeuaricari, vel ab actore ad reum tranſire, vel in eadem cauſſa contra eum, cui antea patrocinium ſuum commodauerat, poſtulare poſſet, IVS PROV. SVEV.

SVEV. *cap.* 74. quin vt damnum omne reſarcire teneretur, quod negligentia ſua clienti dediſſet, dolum vero praeterea linguae amiſſione lueret, niſi eam a iudice decem libris redimere mallet. IBID. §. 2.

§. LXXXXIIII.

Procuratores Saxones et Sueui non admittebant, niſi ad abſentiam excuſandam.

Ceterum ex his, quae hactenus diximus, ſatis intelligitur, aduocatos hos, quos Latinus iuris Saxonici interpres *ferendarios* vocat, datos tantum eſſe praeſentibus in iudicio. Abſentes procuratorem pro ſe mittere non poterant, adeoque vſus PROCVRATORVM his temporibus fere nullus fuit. SCHILT. *Exerc. X.* §. 40. Saxones enim abſentibus permittebant, vt abſentiam excuſarent per procuratorem, (*durch einen bothen*:)* ſed is tunc non poterat cauſſam domini agere, ſed dilationem tantum aliquam impetrabat. Aliquando datis fideiuſſoribus de ſiſtendo vadimonio cauebat abſens. Tunc ſi non obitum eſſet vadimonium, non domino per procuratorem cauſſas ſonticas allegare licebat, ſed ipſis fideiuſſoribus. IVS PROV. SAX. *Lib. II. art.* 7. *vvelcher eine dieſer vier ſachen den mann irret, daſs er zu geding nicht kommt, vvird ſie bevveiſt, als recht iſt, von einem ſeiner* BOTEN, *vver der ſey, er bleibt es ohne ſchaden, vnd gevvinnet des tages bis an das nechſte geding, nachdem er von der ehehaffien noth ledig vvird. Wer aber bürgen ſetzet fürzukommen, benimmt es ihm die ehehaffte noth, daſs er nicht vorkommen kan, die ehehaffte noth ſollen ſeine bürgen bevveiſen, oder benennen, oder darumb ſchweren auf den heiligen, vnd anders keiner ſeiner* BOTEN. Similia de vaſalli procuratoribus habet. IVS FEVD. ALAM. *cap.* 116. *Mag der mann nicht gevvärlich vorkommen, ſo ſoll er ſein* BOTEN *darſenden, der ſoll ſein ehehaffte noth de bereden. Der* BOT *mag ſeyn ein ieglich mann, der an ſeinen rechten vnbeſcholden iſt, ſo ſoll ihm der herr einen andern tag geben.*

* Procuratores itaque, excuſantes reorum abſentiam, dicebantur BOTHEN, *miſſi, nuncii.* GLOSSAR. MONSEENSE apud PEZIVM *p.* 377. POTO *interuentor.* Ex quo iam patet, cur poſt Francorum in Germania imperium, ii, qui regium fiſcum in Sueuia curabant, dicti ſint camerae nuncii. ECKEGARDVS *de caſib. monaſt. S. Galli cap.* 1. *Nondum adhuc illo tempore Sueuia in ducatum erat reducta, ſed fiſco regio peculiariter parebat, ſicut hodie et Francia. Procurabant ambas* CAMERAE, *quos ſic vocabant,* NVNCII. Camerae enim nuncios recte GOLDASTVS *in not. p.* 108. exponit *procuratores fiſci.*

§. LXXXXV.

Axiomata.

Ex his vero, quae de iure vetere hactenus praemiſimus, ſatis perſpicuum eſt, I. Germanos non admiſiſſe ad agendum, niſi

Digitized by Google

niſi qui iure Germanico haberent perſonam ſtandi in iudicio. II. Actorem ſequutum eſſe forum rei, eique III. ius dictum eſſe ſecundum leges eius prouinciae, in qua actionem inſtituerat. IIII. Aduocatos a iudice fuiſſe impetrandos; at V. ab iis tamen vix diſcrepaſſe procuratores, qui VI. penetrante demum in fora Germanorum iure canonico, aliorum mandato cauſſas agere coeperunt.

§. LXXXXVI.

Concluſiones de perſona ſtandi in iudicio.

Ex primo itaque axiomate patet, (1. non eſſe ex iure Romano, ſed ex ipſo iure Germanico, quod infantes, furioſi, mente capti, non habent perſonam ſtandi in iudicio, ſed eorum nomine tutores et agant, et conueniantur. (2. Eiuſdem originis eſſe, quod pater agat nomine filii, in poteſtate ſua conſtituti, tamquam tutor eius legitimus: (Lib. I. §. 138. 5.) nec non (3. quod pleriſque locis, vbi Themis Romana iuriſprudentiam patriam non plane egit in exſilium, vxoris nomine vel maritus agat, vel (4. curator in litem ei conſtitutus, STAT. HAMB. *Part. I. tit. 9. art.* 5. immo (5. nec reliquae feminae innuptae et viduae ſine curatoribus ſeſe in iudicio ſiſtere poſſint. Ita enim (6. iure Saxonico, Magdeburgico, Holſatico, Lubecenſi, Hamburgico, ſe rem habere, inter omnes conſtat.

§. LXXXXVII.

De foro rei ſequendo.

Ex ſecundo reddideris rationem, (7. cur et hodie earum tantum ſpecierum fori, quarum ſupra veſtigia in iure Germanico deprehendimus, habeatur ratio, adeoque (8. apud nos nullum ſit forum originis: et (9. forum contractus rariſſimum, niſi citatio reum in eo deprehendat: quamuis ne iure quidem Romano rem aliter ſe habere, contra eos, qui alia omnia ex *l.* 19. §. 1. *D. de iudic.* colligunt, probarit STRYKIVS *vſ. digeſt. Lib. V. tit.* 1. §. 21. (10. Cur contra fora domicilii, rei ſitae, delicti, priuilegiata, prorogatae iuriſdictionis, et illud maxime (11. quod per reconuentionem naſcitur, et hodie vbique obtineant in Germania, quippe nec maioribus noſtris ignota, quamuis iuris Romani ignariſſimis.

§. LXXXXVIII.

De iure, ad cuius normam in iudi-

Quemadmodum porro olim ius dictum eſt ſecundum leges eius prouinciae, in qua actor actionem inſtituerat: ita (12. idem et hodie obſeruatur: praeterquam (13. ſi iudicium aliquod ſu-

 premum

ciis pronunciandum.

premum plures prouinciae, diuerſo iure vſae, agnoſcant, qualia ſunt ſuprema imperii iudicia. Id enim eius prouinciae iura obſeruare in iudicando tenetur, ex qua cauſſa illa ad iudicium ſupremum deuoluta eſt. ORD. IVD. CAM. *ann.* 1507. §. 1. *nach inhalt gemeiner rechten, oder löblicher gevvohnheit, vnd gebrauch ieden orts.* Conf. ORD. *an.* 1495. 1521. ORD. CAM. *ann.* 1619. *P. I. tit.* 19. *pr.* Quin (14. et id obſeruandum eſt, ſtandum eſſe pactis, contractibus, teſtamentis, ſecundum loci cuiuſque, vbi facta ſunt, leges et conſuetudinem factis, at (15. ſi in illis quidquam diſpoſitum ſit de rebus immobilibus, contra leges et iura prouinciae, vbi ſitae ſunt, magis huius prouinciae, quam eius, vbi actus explicatus eſt, leges ac conſuetudines ſeruari oportere. HVBER. *de conflictu leg. diuerſ. in diuerſ. imp.* §. 3. *ſequ.* §. 12. *ſequ.* §. 14. *ſequ.*

§. LXXXXVIIII.

De aduocatorum conſtitutione.

Quumque iam olim aduocati eſſent a iudice impetrandi: (§. 95. 4.) facile intelliges, (16. cur et hodie non cuiuis liceat cauſſas agere in foro, ſed (17. plerumque a ſuperioribus conſtituatur certus aduocatorum numerus, nec (18. ei temere quiſquam adſcribatur, niſi qui doctrinam moreſque illis, inſtituto examine, ſatis probarit. Quin (19. cur, ſi vel maxime aliquibus extra ordinem ius poſtulandi concedatur, tamen et hi non niſi auctoritate publica, et indulgente principe, vel eius conſilio, iure illo gaudeant, * et hinc (20. plerumque vocentur *fürſtliche hoff-aduocati, königliche regierungs-aduocati*, etc.

* Quod adeo verum eſt, vt ne doctoris quidem dignitas amplius vbique ſufficere videatur, ſed doctoribus quoque, ſi facultatem cauſſas in foro agendi non rite impetrarint, obſtet exceptio, *was maſsen ſie ſich ad praxin in hoc foro, noch nicht legitimiret.* In dubio ergo in his prouinciis producendum eſt diploma, quo quis aduocati dignitatem facultatemque cauſſas agendi eſt conſequutus, vel ſi illud exhibere nequit, a limine iudicii repellitur.

§. C.

Eorumque officio et coercitione.

Ex eodem eſt (21. quod magiſtratus ex officio aduocatum dat pauperibus, modo (22. vel teſtimonio magiſtratus, vel iureiurando praeſtito, probent, *daſs ſie in ihrem vermögen ſo viel nicht haben, daſs ſie einen aduocatum beſolden, vnd die gerichtskoſten abſtatten könten.* * RIVIN. *ad ordin. proceſſ. Sax. tit.* 1. *enunc.* 13. BEYER. *poſit. pandect. Lib. III. tit.* 1. §. 28. *ſequ.*

Quod

Quod (23. in multis iudiciis conſtituti ſunt aduocati pauperum, quorum ad officium pertinet, eorum cauſſas agere: alibi (24. cauſſae pauperum inter aduocatos diſtribuuntur, vt ſinguli, tangente eos ordine, pro iis poſtulare teneantur, gratis quidem, ſi ſuccubuerint, at recepturi honorarium, ſi victoriam reportarint. Ziegl. *ad ord. proc. Sax. tit.* 1. *verb. damit armuths wegen.* Denique (25. quod merito aduocatione interdicitur vel mulcta irrogatur iis, qui fraudibus, falſiſque adlegationibus, quam argumentorum robore, victoriam impetrare maluerunt, qui falſum admiſerunt, vel praeuaricatione, tergiuerſatione, calumnia, ſimilibuſque delictis, eo ordine ſe indigniſſimos reddiderunt. Berg. *ad ord. proc. Sax. tit.* 3. *obſ. ſequ.*

* Aſt quis iure noſtro pauper eſt? Sunt qui eum pro paupere habendum exiſtimant, qui ne 50. quidem florenorum ſubſtantiam poſſideat. Rivin. *ad proceſſ. Sax. tit.* 1. *enunc.* 12. Ziegl. *ad ord. proc. ibid. verb. den armen.* At Beyervs *poſit. Pand. Lib.* III. *tit.* 1. §. 30. *not. f.* obſeruat, alibi iurare debere pauperem, *daſs er ſo arm, an fahrenden vnd liegenden gütern auch auſſtehenden ſchulden, dazu er ohne proceſs gelangen könte, daſs er nicht* 200. *gülden im vermögen habe, auch nicht vermöge, in ſeiner rechts-ſache die canzley- vnd andere gebühren zu erlegen, oder einen aduocatum zu beſolden, auch ſolches nirgends zu erlangen wiſſe, vnd vmb leiſtung dieſes eydes, ſein gut vnd habe nicht veräuſſert, noch andern übergeben habe, auch keinen bürgen auff bringen könne.* Sed dubito, an ad certam quantitatem exigi poſſit paupertas, ac non potius ad perſonae conditionem ac dignitatem familiaeque, quam alere tenetur, magnitudinem, ſimilesque circumſtantias attendendum ſit. Quae alii diuitiae ſunt, alteri pro paupertate eſſent futura, ſi nihil vltra poſſideret. Ceterum hoc omnino iuſtam rationem habet, quod iureiurando huic inſeri ſolet clauſula: *daſs, ſo er im rechten obliegen, oder ſonſt zu vermögen kommen würde, er alsdann einen iedem nach ſeiner gebühr auffrichtige zahlung thun woll:* itemque, quod poena carceris coercentur pauperes, quos litem temere ac per calumniam mouiſſe, adparet. Rivin. *ibid. enunc.* 19.

§. CI.

Ex quinto axiomate (§. 95. 5.) diſcimus, cur (26. aduocati plerumque ſimul et procuratorum munere in foro fungantur, et hinc (27. non ſolum conſilio adſint clientibus, ſed et mandato inſtructi in foro abſentium cauſſam agant. Cur quamuis (28. negari non poſſit, in iudiciis ſuperioribus diſtincta eſſe ſolere horum et aduocatorum officia: tamen (29. non cuilibet procuratoriam operam praeſtare liceat, ſed vbique a magiſtratu conſtituantur procuratores ordinarii, quorum vni quiſque cauſſam mandare poſſit, quin (30. non modo poſſit, ſed debeat, quum,

De procuratoribus ordinariis.

quum, ne lis, alterutra parte abſente, nimis protrahatur, pleriſque legibus cautum ſit, *daſs die partheyen bey gewiſſer ſtraffe procuratores ad acta zu conſtituiren ſchuldig ſeyn ſollen*, idque (31. multo magis neceſſarium ſit, ſi ciuitates, aliaeque vniuerſitates in foro vel agant vel conueniantur. *

* Mirum eſt de ſyndicis vel procuratoribus ciuitatum vniuerſitatumque nihil paene occurrere in legibus Saxonicis et Sueuicis, quum tamen dubitari nequeat, quin illae et his temporibus frequenter litigarint, et ipſum IVS SAX. *Lib. III. art.* 86. diſquirat, quomodo ob damnum aliis datum mulctanda ſit vniuerſitas? Sed ex hoc ipſo articulo non abs re colligere mihi videor, praefectum pago, (qui vocatur *der bauermeiſter*,) pro vniuerſitate cauſſam egiſſe. Ait enim SPECVLATOR: *Wegern ſie aber des rechten, vnd werden ſie aber vor dem oberrichter verklaget: ihr bauermeiſter muſs vor ſie alle- wetten ein gemein gewette, vnd den gebauren mit* 30. *ſchillingen büſſen, vnd ihnen allen ſchaden gelten.* Vix autem adparet, quo iure mulcta exigi potuerit a praefecto, niſi pro vniuerſitate interueniſſet. Ceterum et ſyndicos impetrandos fuiſſe a ſuperiore, luculenter probari poteſt ex *cap.* 7. *X. de procur.* vbi vniuerſitas Pariſienſis ab Innocentio Papa III. petit, vt ſibi ſyndicum vel procuratorem conſtituere liceret. Conf. HIER. BIGNON. *ad Marculf. Lib. I. cap.* 21. et SCHILTER. *Exerc. X.* §. 40.

§. CII.

Eorumque conſtitutione.

Ex eodem axiomate patet, (32. cur ex plurium gentium ac ciuitatum moribus non admiſſus ſit procurator, niſi indulgente vel principe, MARCVLF. *formul. Lib. I. cap.* 21. IO. FABER *ad* §. 6. *inſt. de rer. diuiſ.* vel (33. iudice. LAMB. GORIS *ad conſuet. Velau. cap.* 16. *ad rubr. n.* 2. *et* 3. Cur (34. quamuis id poſtea, (et quidem in Gelria anno demum 1629.) ab vſu receſſerit: nihilominus tamen ibi et Machliniae non admittatur procurator, niſi apud acta conſtitutus. LAMB. GORIS *ibidem art.* 1. idemque (35. obſeruetur et alibi, veluti Noribergae, REFORM. NORIB. *tit.* 5. §. 1. 2. nec non in Haſſia et prouinciis Naſſouicis, ceu obſeruauit SCHILTER. *Exerc. X.* §. 40.

§. CIII.

De hodierna procuratorum conditione.

Denique quum pleraque alia, quae hodie iuſta exiſtimantur circa procuratores, non ex iure Germanico, ſed vel ex Romano vel canonico nata ſint: (§. 98. 6.) (36. actum omnino nobis agere videremur, ſi, quae in omnibus iuriſprudentiae vtriuſque compendiis ea de re traduntur, cum lectoris taedio hic repeteremus, maxime quum ne illa quidem omnia eodem vbique modo ſeſe habeant. Praeterea otium hic nobis fecit vir olim

olim muſis noſtris amiciſſimus, nunc eheu deſideratiſſimus, Christ. Gottfr. Hoffmannvs *diſſ. de origine et conditione procuratorum e iure Rom. et canon. nec non eorum progreſſu in forum Germanicum*, *Hal.* 1716.

TIT. III.

DE IN IVS VOCATIONE, FERIIS ET DILATIONIBVS.

§. CIIII.

QVum nefas ſit, quemquam indicta cauſſa damnare, adeoque conſtare debeat, reo non ademtam fuiſſe occaſionem ſeſe defendendi: apud omnes pleraeque gentes receptum erat, vt is ſolemniter in ius vocaretur vel citaretur ad iudicem, et nullum haberetur, quidquid in eum abſentem iudex decreuiſſet, niſi probari poſſet, eum legitimo modo in ius vocatum citatumue eſſe. Idem ergo et Germanos, rituum ſollemnitatumque ſtudioſiſſimos, obſeruaſſe, iam paucis erit demonſtrandum, oſtendendumque, quos ritus ea in re adhiberi voluerint, quidque requiſiuerint, ſi legitima videri deberet in ius vocatio. Tranſitio ad in ius vocationem.

§. CV.

Equidem quid antiquiſſimis temporibus iuſtum ea in re viſum ſit maioribus noſtris, hodie nos ſcimus iuxta cum ignariſſimis, quum hic nos deſtituat Caesaris aeque ac Taciti diligentia. At ivre Wisigothico, ſeu patet ex *Lib. II. tit.* I. §. 18. reus, petente actore, citabatur ab ipſo iudice per epiſtolam, ab adparitore inſinuandam *coram ingenuis perſonis*, id eſt, adhibitis teſtibus, ne reus id poſtea poſſet inficiari. En verba: *Iudex, quum ab aliquo fuerit interpellatus, aduerſarium querulantis admonitione vnius epiſtolae vel ſigilli* * *ad iudicium venire compellat, ſub ea videlicet ratione, vt coram ingenuis perſonis is, qui a iudice miſſus exſtiterit, ei, qui ad cauſſam dicendam compellitur, offerat epiſtolam vel ſigillum.* Citatio qualis apud Wiſigothos?

* Hic sigillvm non eſt annuli impreſſio vel ſignaculum, ſed ipſa epiſtola, quam medio aeuo frequenter eo nomine veniſſe, ipſiſque Graecis vocatam

catam eſſe σιγίλλιον, multis eius aetatis ſcriptorum teſtimoniis probant LINDENBR. *in gloſſar. p.* 1479. et CAR. DV FRESNE *gloſſ. Lat. et Graec. his vocib.* obſeruantes, eandem notionem illos ſubieciſſe vocabulo *annulus* vel δακτύλιον, quod itidem vtriuſque linguae ſcriptores acceperunt pro epiſtola. Enimuero eo minus dubitari poteſt, quin iudicii ſignaculo munitae fuerint citationes, quum alias nulla fuiſſet ratio, illas *ſigilla* vel annulos adpellandi.

§. CVI.

Quam dilationem illi reis concesserint?

Eodem iure cautum fuerat, vt dilatio talis indulgeretur reo; quae ei ſufficeret, ſeſe ad iudicium praeparanti. Hinc pro itineris breuitate vel magnitudine minoris vel maioris temporis induciae dandae erant reis, e. g. ei, qui vltra centum paſſuum millia aberat, praeter ordinariam dilationem dabantur dies decem, qui vltra ducenta, viginti, et ſic porro. IVS WISIG. *ibid.* Qua in re Romanos imitati videntur WISIGOTHI, qui dilationis tutori ſeſe excuſaturo dandae eodem modo inibant rationem, niſi quod hi in ſingula 20. * illi in ſingula 10. milliaria ſingulos dies darent. §. 26. *Inſt. l.* 13. §. 1. *ſequ. D. de excuſ. tut.* Quod et in aliis citationibus abſentium obſeruaſſe Romanos patet ex *l.* 3. *pr. D. de verb. ſign.*

* Et quidem modicum videbatur iter hoc diurnum, ac proinde *talis itineris dinumeratio neutri litigatorum onerosa eſſe* dicitur. *d. l.* 3. *pr. D. de verb. ſign.* Sane hanc viam iuſtus exercitus horis aeſtiuis quinque conficiebat, teſte VEGET. *de re militari Lib. I. cap.* 27. idque iter Hadrianum Imp. peditem et armatum ſaepe facere conſueuiſſe, teſtatur SPARTIAN. *Hadrian. cap.* 10. vbi conferendus IS. CASAVBONVS, et IVST. LIPS. *de milit. Rom. Lib. V. diſſ.* 27.

§. CVII.

Poena contumaciae.

Quo humaniores vero erant WISIGOTHI in concedendis reo induciis: eo ſeuerius animaduertebant in eos, qui in ius vocati non ibant. Ii enim, qui latitabant, aut fugam capeſſiuerant, 5. ſolidis auri, et qui ſine fuga, (quam *dilatationem* vocat legiſlator,) contemſerant iudicem, totidem ſolidis, pro parte actori, pro parte iudici exſoluendis, mulctabantur: quin ſi ſoluendo non eſſent, fugam et contemtum iudicis 50.; ſolum contemtum 30. flagelli ictibus ſine infamia luebant, niſi ſe iureiurando a ſuſpicione contemtus purgarent. Qua in re tam acerbae ſunt WISIGOTHORVM leges, vt et epiſcopum vadimonium deferentem 50. ſolidis; presbyterum, diaconum, ſubdiaconum, vti alios laicos, mulctent, hoſque, ſi vel ſoluendo non ſint,

vel

vel epiſcopus pro iis ſatisfacere nolit, triginta dierum ieiunium ferre cogant, ſub ſolis demum occaſum pane et aqua reficiendos. Ei tamen, quem fuga abſtulerat, intra quinque dies; abſenti vltra centum millia paſſuum intra decendium, moram purgare licebat, eatenus, vt nec mulctam inferret, nec flagris caederetur, nec adfligeretur longo iſto ieiunio, ſi intra has inducias vadimonium obiret. LEX WISIG. *ibid.*

§. CVIII.

Multo magis ergo impune ferebat deſertum a ſe vadimonium, qui iuſtum legitimumque impedimentum adlegare, idque praeſtito iureiurando vel teſtibus idoneis probare poterat. Talia impedimenta legitima erant morbus ſonticus, inundatio fluminum, nix cumulata et alta, quae montes ſuperari non pateretur, LEX WISIG. *ibid. d. §.* 18. immo et feriae, quales ex eadem lege erant dies dominicus, paſcha, quod 15. dierum erat, * dies natiuitatis Chriſti, circumciſionis, epiphaniae, pentecoſtes, feriae meſſium ac vindemiarum, quarum tamen illas, ſecus ac Romani, a 15. Kal. Aug. ad 15. Kal. Sept. has a 15. Kal. Octobr. ad 15. Kal. Nouembres, Carthagine vero, vbi perpetua erat ac anniuerſaria locuſtarum pernicies, meſſis ferias a 15. Kal. Iul. ad 15. Kal. Aug. porrigebant. IBID. §. 11. quamuis has ferias humanas nec facinoroſis hominibus, nec iis, qui iam litem conteſtati fuerant, *prodeſſe vellent.* IBID. Ea ceſſabat ob impedimenta legitima et ferias.

* Duplex nimirum erat Chriſtianis veteribus paſcha *σταυρώσιμον* alterum, quod in memoriam paſſionis Chriſti celebrabant: alterum *ἀναστάσιμον*, quo Chriſti in vitam reditum ea, qua par eſt, pietate recolebant. Ad *τὸ σταυρώσιμον* referebant totam hebdomada ſacram, quam ideo *τὴν πασχαλίαν ἑβδομάδα*, vel *τὰς πασχαλίας ἡμέρας* vocabant: ad *ἀναστάσιμον* hebdomada, a paſchatos die ad diem dominicam in albis, quam *paſcha neophytorum* vocat AVGVSTINVS *Epiſt.* 119. *ad Ianuar.* De hac hebdomade CONCIL. IN TRVLLO *Can. LXVI.* cauet, *vt non neophyti tantum, ſed fideles omnes, per hebdomada paſchae in templis commorentur, pſalmos hymnoſque canant, lectioni S. Scripturae attendant, et S. myſteriis fruantur, neque per hos dies ſpectacula aut ludi equeſtres fiant*: quod ſaeculo VIIII. et patres CONCILII MELDENSIS *can. LXXVII.* anathematis fulmen interminati, obſeruari iuſſerunt. Ex quo patet, quinam ſint quindecim illi paſchatos dies, quos nefaſtos eſſe voluerunt WISIGOTHI.

§. CVIIII.

Apud FRANCOS citatio vocabatur *mallatio* vel *admallatio*, quia ad *mallum*, id eſt ad locum, vbi ſui copiam faciebat comes, Citatio quomodo dicta Francis?

mes, eiuſue vicarius, reus euocabatur, itemque *manitio*, a vernaculo *mahnen* monere. Eccard. *ad leg. Sal. p.* 11. porro *adrhamitio*, non a ramo, cuius vſum aliquem in citationibus fuiſſe adfirmat probatque idem laudatus Eccard. *ibid. p.* 73. ſed a vernaculo *anberaumen*, quod in inferiore Saxonia adhuc efferunt *anberamen*: denique *ſolſadia* a *ſole*, i. e. die, et Germanico *ſetzen*: vnde *ſolem collocare* eſt citare vel diem dicere. Lex Sal. *tit.* 40. §. 1. *tit.* 43. *tit.* 53. Vid. Eccard. *ibid. p.* 74. Qui enim citabatur, ei dies dicebatur, quo die eum adeſſe in iudicio oporteret.

§. CX.

Quo ritu facta?

Id vero omnino extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, Francos, iuriſprudentiae formulariae ſtudioſiſſimos, certis ritibus vſos eſſe in citandis reis, qui quidem in eo videntur conſtitiſſe, quod actor praeſentibus teſtibus reum in ius vocaret, et bacillum vel feſtucam in eius ſinum proiiceret, ab eoque aliam, tamquam pignus vadimonii certo obeundi, reciperet. Teſtium ſane mentio fit in Leg. Sal. *tit.* 59. §. 1. In ſinum vero proiectam eſſe feſtucam, vel inde patet, quod citatus ideo dictus ſit *adiactiuus* vel iectiuus. Leg. Sal. *tit.* 52. Form. Lindenbr. 157. 159. 165. 167. 169. Denique et recepiſſe actorem feſtucam, argumento eſt locus Legis Ripvar. *tit.* 30. §. 1. vbi feſtuca producta fidem facere dicitur actor.

§. CXI.

Quam dilationem reus citatus habuerit?

Habuere et Franci legitimam dilationem reo concedendam: quam aeque ac vetuſtiſſimi Galli et Germani, de quibus Caes. *de bell. Gall. Lib. VI. cap.* 18. et Tacit. *de mor. Germ. cap.* 11. non numero dierum, ſed noctium finiebant, ac proinde illud ſpatium *legitimarum noctium* nomine venit in charta Pipini regis, quam ex Felibieni *probat. hiſt. abbat. S. Dionyſii cap.* 41. extulit Eccard. *ad leg. Sal. p.* 74. Ita vero dies, inter citationem et diem iudicii intermedii, quorum modo tres, modo ſeptem, modo 21. modo 42. indulgebantur, vocari ſolebant. Leg. Sal. *tit.* 40. §. 1. *tit.* 43. Capitvl. *Lib. III. cap.* 45. Ipſum enim terminum, quem vocamus, dictum eſſe *ſolem*, ac inde eſſe phraſes *ſolem collocare*, *ſolſadire*, iam paullo ante notauimus.

§. CXII.

Poena contumaciae apud Francos.

Quemadmodum vero, qui iuſto die ſiſtebant vadimonium, *placitum cuſtodiuiſſe* vel *attendiſſe*, vel *adimpleſſe* dicebantur, modo vel

vel *a mane vſque ad veſperam* vel per triduum in iudicio permanſiſſent: MARCVLF. *Lib. I. form.* 37. FORM. *ſec. legem Rom. cap.* 33. ita impune id non ferebant, qui *legitime adiactiui, vel admallati ſecundum legem Salicam*, conſtituto die aberant, et nec excuſabant abſentiam, nec legitimum impedimentum, quod illis erat *ſunis*, id eſt, *ſaumniſs*, adlegabant. Mulctam enim 15. ſolidorum inferre cogebantur, tantumdemque debebat actor, qui alium citans ipſe aberat. * LEG. SAL. *tit.* I. §. I. *et* 2. Neque tamen ſtatim pro confeſſo et conuicto habitus videtur contumax, ſed iterum tertiumque illi dies erat dicendus, quo caſu vel mulcta, vel debitum creſcebat. LEG. SAL. *tit.* 53. §. 2. Si ne tunc quidem ſe ſiſteret, res eius *in bannum mittebantur*. CAPIT. *Lib. IIII.* §. 25.

* Hinc litigator, qui vadimonium obierat, a iudice petere ſolebat teſtimonium, quod die conſtituto adfuerit, et quamdiu exſpectauerit aduerſarium. Exſtant formulae huiuſmodi, quamuis ſatis barbarae, in FORMVLIS ANDEGAV. *cap.* 12. *et ſequ.* apud MABILLON. analect. *Tomo IIII. p.* 243. ex quarum vna partem adſcribemus: *Qui ipſi iam ſuperius nomenati placetum ſtorum legebus a mane vſque ad veſperum viſi fuerunt cuſtodiſſe. Nam ipſa femena nec ad placetum aduenit, nec miſſo ad perſona addirexit, qui* SONIA *redebuiſſet. Propterea neceſſe fuerit praedictis hominibus, vt hanc notitiam bonorum hominum manibus roboratis proſequere deberent, qualiter et viſi ſunt fecisſe.*

§. CXIII.

Legitima impedimenta.

Talia legitima impedimenta, quae illis *ſunis*, et, voce magis magiſque in alium ſonum detorta, *ſunnis*, *ſunnia*, *ſonia*, *ſoinus*, *ſonius*, *eſſonia*, *exonia*, *eſſonium*, *exonium*, *eſſonius* vocabantur, aliquot in ipſa lege recenſentur, veluti *dominica ambaſcia*, *infirmitas*, mors propinqui, cuius cadauer inſepultum domi ſit. LEG. SAL. *tit.* I. §. 3. *et tit.* 19. §. 6. Nec Francorum inſignis religio nos dubitare patitur, quin et feriis diuinis interquieſcere voluerint forenſem ſtrepitum. Saltim diebus dominicis ſilere iuſſerunt vocem praeconis. CAPITVL. I. *ann.* 813. §. 15. et CAPITVL. *anni* 823. Nec dubium eſt, quin dies etiam feſtos nefaſtos habuerint. Ii autem recenſentur a CAROLO M. *capitular. Lib. I.* §. 164. *Lib. II.* §. 35. *et in addit. I. Ludouici Pii* §. 46. *

* Sunt illi dies feſti natalis domini, cum tribus inſequentibus, S. Stephani, Ioannis, euangeliſtae et innocentum, octaua domini, dies epiphanias, eiuſque octaua, purificatio S. Mariae, Paſchatis dies octo, letania maior, dies adſcenſionis domini, pentecoſtes, S. Ioannis baptiſtae, SS. Petri et Paulli, S. Martini, et S. Andreae. Huic indiculo *Lib. I.* §.

164. additur : *De adſumtione S. Mariae interrogandum relinquimus.* Sed eam quoque inter dies anniuerſarios retulit Ludouicus Pius *Lib. II.* §. 35. addiditque diem *dedicationis S. Michaelis, et natalem S. Remigii* et *Addit. I.* §. 46. *diem S. Laurentii.* Merentur hic ſane legi, quae de Caroli M. fluctuatione circa diem feſtum adſumtionis B. Mariae, virginis, ad illum Capitularium locum notauit STEPH. BALVZ. *Tom. II, p.* 1171.

§. CXIIII.

Qualis in ius vocatio apud Alamannos?

Ceteras gentes, quae ſub Francorum imperio legibus patriis viuebant, parum, quod ab horum moribus diſcreparet, videntur habuiſſe. Apud ALAMANNOS tamen videtur citatio facta in ipſo iudicio, vel conuentu iuridico, cui omnes, ei iuriſdictioni ſubiectos, intereſſe debuiſſe, iam ſupra monuimus. Ita enim intelligenda videntur verba LEGIS ALAM. *tit.* 36. §. 3. *Si quis aliquem mallare vult de quacumque cauſſa, in* IPSO MALLO PVBLICO *debet mallare ante iudicem ſuum, vt ille iudex eum diſtringat ſecundum legem, et cum iuſtitia reſpondeat vicino ſuo, aut qualiſcumque perſona eum mallare voluerit.* Reo concedebantur induciae 7. *noctium, ſi pax parua eſſet in prouincia*; rebus tranquillis quatuordecim. * IBID. §. 2. Vadimonii vero deſerti poena erat multa 12. ſolidorum. IBID. §. 3.

* Sed apud Alamannos breues admodum fuiſſe lites oportet. Nam vt IBID. §. 3. legimus, *in vno placito actor mallabat cauſſam ſuam : in altero, ſi velles iurare, iurabat ſecundum conſtitutam legem, ideo in primo mallo ſpondere debebat ſacramentales, et fideiuſſores praebebat, ſicut lex habet, et wadium ſuum dabat miſſo comitis, vel illi centenario, qui praeerat, vt conſtituto die aut legitime iuraret, aut, ſi culpabilis eſſet, componeret, vt per neglectum non euaderet, aut ſi euaderet,* 60. *ſolidis de fredo ſemper eſſet culpabilis.* In primo ergo ſtatim termino cauſſa finiebatur, ſi actor habebat confitentem reum, in altero, ſi reo inficianti deferretur iuſiurandum. Et hinc IBID. §. 5. ait legiſlator : *Quod in vno placito finiri non potuerit, in alio finiatur.*

§. CXV.

Qualis apud Boioarios?

Apud BOIOARIOS priuatim quiſque in ius vocabat aduerſarium, praeſentibus teſtibus. Si ire nollet, iudex, auditis teſtibus, qui eum in ius vocari audiuerant, ipſe euocabat hominem, et non modo cognita cauſſa ferebat ſententiam, verum etiam reum actori 12. et Duci 40. ſolidos pendere cogebat. Ita enim intelligendus eſt locus LEG. BAIVVAR. *tit.* 12. *cap.* 2. §. 1. *et* 2. *Si quis liber alicui libero, qui eum mallat, in qualicumque re dedignabitur iuſtitiam facere, ille qui quaerit cauſſam ſuam, habeat ibi teſtes duos vel*

vel tres, qui audiant, et videant, qualiter ille reſpondeat, vt poſſint ante iudicem teſtes eſſe. Tunc iudex iubeat eum in praeſenti venire, et iudicet ei et componat 12. *ſol. quia non dignabatur iuſtitiam facere ei, cui debuit. Sic omnis, qui non dignabitur iuſtitiam facere ei, cui debuit, de qua re adpellatus fuerit, pro fatigatione, quam facit ei, qui eum adpellat, componat* 12. *ſol. et poſtea reſpondeat ſecundum legem, et faciat iuſtitiam, ſicut legem habet, duci vero* 40. *ſolidos.*

§. CXVI.

Apud Langobardos alia erat mannitio, alia diſtrictio ſeu bannus comitis.

In legibus BVRGVNDIONVM, SAXONVM, FRISIONVM, nihil, quod ad citationem, dilationes, contumaciam, feriaſque pertineat, occurrit. * At tanto accuratius ea de re agunt leges LANGOBARDORVM, quibus diſtinguebatur, eſſetne de ingenuitate vel de hereditate, an de alia cauſſa diſceptatio. Prioribus enim caſibus priuatim et ſollemniter in ius vocari oportebat reum, id quod vocabant *mannitionem*; poſteriore comes ipſe citari reum, eumque ante certum diem adeſſe iubebat, quod ipſis erat *diſtrictio* vel *bannus*. LEX LANGOB. *Lib. II. tit.* 43. §. 2.: *De* MANNITIONE *vero, niſi de ingenuitate, aut de hereditate non ſit opus obſeruare: de ceteris vero cauſſis per* DISTRICTIONEM *comitum veniant. Et* §. 4. *Si quis de ſtatu ſuo, id eſt, de libertate, vel de hereditate compellatus eſt, iuxta legis conſtitutionem* MANNIATVR: *de ceteris vero cauſſis, vnde quis rationem eſt redditurus, non* MANNIATVR, *ſed per comitem* BANNIATVR.

* Attamen apud Saxones non aliter in ius vocari conſueuiſſe reos, quam apud Francos: vel inde patet, quod et illi vſi ſint verbo *adramire* vel *adframire*, itemque vocabulo *iactiuus*. Ita enim legendum eſſe patet pro *inactiuus* in CAPITVLAT. *de part. Saxon.* §. 31. *Si cuilibet homini ſacramentum debet,* ADFRAMEAT *illum ad eccleſiam ſacramento ad diem ſtatutam, et ſi iurare contemſerit, fidem faciat,* (productis nimirum teſtibus,) *et ſolidos* 15. *componat, qui* INACTIVVS (iactiuus vel iectiuus) *adparuit, et deinde cauſſam pleniter emendare faciat.* Ex quo loco patet, apud Saxones quoque in ius vocationem factam eſſe priuatim, praeſentibus teſtibus, et iacta in eius ſinum feſtuca: quippe quod ipſa vocabula indicant. Ex eodem vero diſcimus, deſerti vadimonii poenam fuiſſe mulctam 15. ſolidorum, quin et cauſſa cecidiſſe reum, qui iusiurandum ſibi delatum ſtato die non praeſtitiſſet.

§. CXVII.

Quomodo mannitio facta?

MANNITIO fiebat praeſentibus teſtibus. Id enim tam erat neceſſarium, ac veluti ad eſſentiam huius in ius vocationis pertinebat, vt vetus gloſſa apud LINDENBROGIVM *p.* 1430. *mannitum* inter-

interpretetur *vocatum tribus teſtibus praeſentibus*. Repetenda autem ea in ius vocatio erat quater, diuerſis temporum interuallis, de quibus *Lib. II. tit.* 43. §. 1. *Prima mannitio ſit ſuper* 7. *noctes; ſecunda ſuper noctes* 14. *tertia ſuper noctes* 21. *quarta ſuper noctes* 42. Vbi et Langobardos non dierum, ſed noctium numerum more maiorum iniiſſe, animaduertimus. Et tres quidem priores citationes non erant peremtoriae, quamuis, qui deſeruerat vadimonium, ſingulis vicibus 15. ſolidis mulctaretur: * quarta vero adeo ſtringebat reum, vt res eius omnes, ipſaque beneficia *in bannum mitterentur*, donec ſe ſiſteret. Si intra annum non veniret, rex de facultatibus eius ſuo arbitrio ſtatuebat. LEX LANGOB. *Lib. II. tit.* 43. §. 1. 3.

* Attamen apud Langobardos quoque legitima impedimenta excuſabant. Id enim ſibi volunt verba *d.* §. 1. *Si quis ad mallum legibus mannitus non fuerit, et non venerit, ſi eum* SOMNIS *non detinuerit, ſol.* 15. *culpabilis iudicetur*. Vbi ſane nihil mutandum eſt, quum vocabulum *ſomnis* Germanicum *ſiumniſs* egregie exprimat. Haec eadem procul dubio fuerunt, ac apud Francos. Immo ipſi quoque praeter diem dominicam ferias obſeruabant, quarum recenſum dedit Otto M. Imp. *Lib. II. tit.* 49. §. 2. *natalem Domini, epiphaniam, ſtatutos ieiuniorum dies, paſcha, adſcenſionem Domini, pentecoſten, et feſta praecipua*, in quibus forenſem conticeſcere ſtrepitum voluit Imperator, ita tamen, vt in facinoroſos etiam tempore meſſis et vindemiarum animaduertere liceret iudici. *Nec enim*, inquit, *tempore meſſis vel vindemiarum legis edictum effugere debent, qui in nullo tempore peccare deſierunt.*

§. CXVIII.

Quomodo diſtrictio?

At *diſtrictio* quam vocabant, vel *bannus* ipſius comitis, vt diximus, auſpiciis fiebat, per adparitorem procul dubio, vel per litteras. Neque quater repetenda erat haec citatio, ſed contumax erat, qui ſemel iterumque vocatus non aderat. Denique nec 15. ſolidorum mulctam exigere poterat actor, quia ipſe non in ius vocauerat: ſed vti olim iure Romano in bona eorum, qui neque ſui poteſtatem faciebant, neque defendebantur, ibatur: *l.* 2. *D. ex quib. cauſſ. in poſſeſſ. eat.* ita apud Langobardos ſanxerat Ludouicus Pius, Imperator *Lib. II. tit.* 43. §. 4. *Et ſi poſt vnam aut alteram admonitionem comitis aliquis ad mallum venire noluerit: rebus omnibus in bannum miſſis, venire ad iuſtitiam facere compellatur.*

§. CXVIIII.

Digitized by

§. CXVIIII.

Medio aeuo reus in ius vocabatur ab adparitore.

Talis erat veterum in ius vocatio, quam et inſequentibus temporibus manſiſſe, vel ideo ſuſpicamur, quod et in IVRE SAXONICO et SVEVICO, aliiſque eius aeui legibus, ubique expreſſiſſima exſtant moris illius vetuſti veſtigia. Nos et illa ex inſtituti noſtri ratione inueſtigabimus. Et primo quidem reum non ab actore, ſed iuſſu iudicis, ab adparitore in ius vocatum eſſe comperio. IVS PROV. SVEV. *cap.* 93. *Der einen mann beklaget in einem gericht, vnd der richter nicht daheim iſt, der fronbote ſoll ihn furgebieten, als recht iſt: vnd als der richter kommet, ſo ſoll er ihn richten zu hand, vnd man ſoll ihm nicht mehr furgebieten. Denn die fürgebott ſind der fronbothen, vnd nicht der richter. Kein richter mag niemand fürgebieten, es iſt nicht ſeines amts. Ein richter ſoll ein richter ſeyn, vnd nicht ein fronboth.* *

* Neque tamen exiſtimandum eſt, ſuo arbitrio id facere potuiſſe adparitorem. Primo enim SPECVLATOR monet, in ius vocationem ab adparitore iniuſſo factam valere, *wann der richter nicht daheimen ſey.* Ergo vbi illius copia erat, nihil agebat adparitor, niſi eius iuſſu. Deinde ſub finem huius capitis legimus: *Wann der richter ein tag fürgiebt, oder ein büttel fürgebeut, vnd kommt der richter nicht dar, da verleuret niemand ſein recht mit.* Itaque iudicis erat diem conſtituere, ante quem diem reus adeſſe deberet: adparitoris, reum citare, eique denunciare, vt illo die adſit.

§. CXX.

Dilatio quanta iure Saxonico.

Etiam his temporibus citatis dabantur induciae quatuordecim noctium. Adeſſe enim iubebantur *über vierzehen nächte.* IVS PROV. SAX. *Lib. I. art. II. Heget man aber geding aus vmb vngericht, nach dem rechten gerichts ding über* 14. *nacht, das ſollen ſuchen die pfleghafften.* Et *Lib. I. art.* 67. *Wann man klagt vmb vngericht über den, der nicht gegenvvärtig iſt, dem ſoll man tagedingen drey mal, ia über vierzehn nächte.* Quod et in aliis cauſſis criminalibus obtinebat, niſi quod ingenuo, capitis reo, (*einem ſchoeppenbar-freyen mann, dem es an ſeinen Leib gieng,*) ter dies diceretur, et ſingulis quidem vicibus ſex hebdomadum. IVS SAX. *ibidem: Den ſoll man tagedingen dreymal, immer über ſechs wochen vnter konigsbann zu der rechten ding-ſtadt.* Ter ergo repetenda erat citatio, nec prius pro contumace habebatur reus, niſi is tertium quoque citatus deſeruiſſet vadimonium. *

* Ex quo patet, vnde natus ſit terminus dilationis Saxonicae, *eine Sächſiſche friſt*, id eſt, induciae ſex hebdomadum, trium dierum. Quum enim citatio fieret ter, et ſemper quidem poſt 14. noctes: ter quatuordecim noctes conficiebant ſex hebdomadas. Additis tribus diebus, quibus in

iudicio ſe ſiſtere debuiſſet reus, totum iſtud ſpacium ſex hebdomadum et trium dierum emergit. Obſeruauit hoc GVNDLINGIVS *Gundlingian. Part. XXVI. diſſ.* 1. vbi tamen permulta aliena, coniecturas etiam quaſdam parum ſolidas, immiſcet. Audire praeſtabit GLOSSAM *ad d. art.* 67. *Das vernimm alſo: Klagſtu heut, ſo betaget man dich über vierzehen tag: klagſtu dann aber, ſo betagt man dich wieder über* 14 *tag. Alsdann vollführeſtu erſt deine klage mit der dritten klage, vnd verfeſteſt auch erſt den beklagten mit der dritten klage. Alſo machen nach einander dreymal über vierzehen tag ſechs wochen.* Si addideris tres dies, quibus comparendum fuiſſet reo: habebis dilationem Saxonicam.

§. CXXI.

Poena contumaciae in cauſſis criminalibus.

Quum itaque duae priores citationes non eſſent peremtoriae: quae poena fuit eorum, qui citati ſe non ſtitiſſent? Diſtinguebant Saxones inter iudicia criminalia, quibus vel caput, vel corpus, periclitabatur, et reliqua ciuilia. In illis poena poſt tertiam citationem non ſiſtentis vadimonium erat proſcriptio: in his illa locum non habebat. IVS PROV. SAX. *ibid. Wer nicht vorkommt zu dem dritten dinge in peinlicher klage, den echtiget man. Vmb anders keine klag ſoll man den mann echtigen, ohne vmb die, die an den leib, oder an die hand gehet.* Qualia, quamuis mutatis verbis, occurrunt etiam in IVRE PROV. SVEV. *cap.* 91. §. 1. *et* 2.

§. CXXII.

In cauſſis ciuilibus.

Quid vero ſi non cauſſa criminalis, ſed ciuilis deducta eſſet in iudicium, et reus ter citatus vadimonium tamen non ſtitiſſet? Tunc vero condemnatus eſſe videtur contumax, perinde ac ſi vel confeſſus, vel conuictus fuiſſet. * IVS PROV. SAX. *Lib. III. art.* 5. *Dreymal aber, immer über vierzehen nacht, ſoll man jenen, des das gut iſt, vorladen, ſein gut zu vertretten, ob er wolle. Thut ers dann nicht, man gewweldigt es jenem, der darauff klaget.* Et *Lib. I. art.* 41. *Klagt ein jungfravv oder wittvve zu landrecht über ihren vormunden, daſs er ſie entvveldige ihres eigens oder lehens, oder ihrer leibzucht, vnd wird er darumb geladen zu dreyen dingen, vnd kommt nicht vor zu dem dritten ding, rechts zu pflegen, man ſoll ihn balmunden, das iſt, man ſoll ihm vertheilen alle vormundſchafft.* Quod ſane idem eſt, ac ſi tamquam confeſſus vel conuictus condemnatus eſſet tutor.

* Praeterea ad mulctam iudici pendendam tenebatur reus, tum prima, tum ſecunda, et tertia vice contumax. At tertia vice ſimul pro confeſſo et conuicto habebatur. Huc pertinet locus IVR. PROVINC. SAX. *Lib. III. art.* 39. *Wenn man für gerichs beſchuldiget, vnd der richter ihm zu rechter antwort gebeuth,*

gebeuth, vnd vvill er nicht antvvorten, noch mit recht ſich entreden, daſs er nicht antvvorten darff, ſo theilet man ihn vvethaffiig. Alſo thut man auch zum andern vnd dritten mal, vnd antvvortet er dennoch nicht, ſo iſt er VBERVVVNDEN, (pro confeſſo et conuicto habetur,) *in der ſchuld.* Ceterum *vvetten* eſſe mulctam praeſtare iudici non reo, iam ſupra oſtendimus. Geminus eſt locus SPEC. SAX. *Lib. II. art. 6. Wer zu ding nicht kommt, den theilt man vvethaffiig, ob er dahin dingpflichtig iſt zu kommen. Er möge es dann mit recht vviederreden.* An et in expenſas condemnatus ſit reus contumax, non facile dixerim. Saltim me nihil quod eo pertineat, in vtroque illo iure obſeruaſſe, fateor.

§. CXXIII.

Legitima impedimenta a contumacia excuſabant.

Attamen et Saxones, et Sueui, eos immunes eſſe patiebantur a poena contumaciae, quibus in promtu erat adlegatio impedimentorum legitimorum, quae et hodie vetere vocabulo vocantur *ehehafften.* Ea, vt iam ſupra obſeruauimus, ſiue per procuratorem, (*durch ihren boten,*) ſiue per fideiuſſores, quibus de iudicio ſiſti cauerant, adlegare ac probare tenebantur. (§. 94.) Talia vero legitima impedimenta praecipue erant quatuor, de quibus IVS PROV. SAX. *Lib. II. art. 7. Vier ſachen ſeynd, die ehehaffte noth heiſſen, gefängnis, kranckheit, wallfarthen auſſer landes, vnd des reichs dienſt. Welcher eine dieſer vier ſachen bevveiſt, als recht iſt, von einem ſeiner bothen, wer der ſey, er bleibt es ohne ſchaden, vnd gewinnet des tages ſ||bis an das nechſte geding, nachdem er von der ehehafften noth ledig wird.* Addit SPECVL. SVEV. *cap.* 268. *ſeines herren dienſt,* adeoque quinque huiuſmodi impedimenta recenſet, quibus adlegatis moram purgare liceat.

§. CXXIIII.

Itemque feriae.

In primis eo pertinebant etiam feriae, tum diuinae, quas vocabant *heilige* vel *feyer-tage,* tum humanae, quae illis erant *gebundene tage.* Quin non minus ad humanas referebant, quatuor dies hebdomadis, quibus pax certis hominibus ſancita fuerat, (Lib. II. part. 2. §. 73.) puta dies Iouis, Veneris, Saturni et Solis. Omnibus ergo his diebus conquieſcebat iudiciorum ſtrepitus, paucis quibuſdam exceptis caſibus, de quibus omnibus iam ipſa SPECVLATORIS verba audire iuuabit. Pertinet ergo huc locus IVR. PROV. SAX. *Lib. II. art. 66.* HEILIGE *vnd* GEBVNDENE *tage ſind allen leuten zu friedt-tagen geſetzt, vnd darzu in ieglicher woche vier tage, der donnerſtag, der freytag, der ſonnabend vnd der ſonntag. - * Darumb ſind dieſe vier tage gemeine friedtage allen leuten, ohne den, die in handhaffiiger that gefangen werden, oder die in des reichs überacht ſind, oder geechtet ſind in dem gericht.*

* Omiſimus hic illa, quibus rationes reddere conatur SPECVLATOR, cur quatuor hiſce diebus pax ſeu treuga, ceu tum vocabant, omnibus ſancita ſit: nimirum *diem Iouis* praeſtare ait ſecuritatem, quia eo die conſecretur chriſma, quo Chriſtiani ſignentur: quia Chriſtus tum ſacram euchariſtiam inſtituerit, adeoque primordia coeperit nouum foedus: (*da fieng auch an vnſer neue ehe*) quia eodem die Chriſtus in caelum adſcenderit, viamque eam muniuerit humano generi: *diem Veneris*, quia et homo conditus ſit eo die, et Seruator pro homine mortem obierit: *diem Saturni*, quia eo die et Deus condito orbe, et Chriſtus, defunctus paſſione, in ſepulcro quieuerit, eodemque die et ſacerdotes, Chriſtianorum magiſtri et antiſtites, conſecrentur: denique *diem ſolis*, quia illo homo in gratiam cum Deo redierit, idemque dies et primus mundi fuerit, et futurus ſit poſtremus. Sed ſunt hic quaedam, quae temporum illorum ignorantiam ac credulitatem produnt, pleraque autem ita comparata, vt nullum omnino inde duci poſſit argumentum. Quid enim magis eſſe poteſt ἀσυμφόρον, quam die Saturni inducias homini deberi, quia eo die vngi ſoleant clerici?

§. CXXV.

Quae feriis humanis explicari potuerint?

Nec minus huc pertinet alter locus IVR. PROV. SAX. *Lib. II. art.* 9. vbi diſtinctius docemur, quid diebus his feriatis fieri a iudice vel queat, vel nequeat. *Den geächten mann mag man wohl beſtätigen* (cuſtodiae mandare) *in den gebundenen tagen, man mag aber über ihn nicht richten, es ſey dann die handhaffige that gegenvvärtig.* * Et paucis interiectis: *in gebundenen tagen mag man nicht ſchvvehren anders, dann vm friede, vnd auch auff den mann, der in handhaffiiger that gefangen vvird. Wer den frieden bricht in den gebundenen tagen, den beſchirmen die gebundene tage nicht.* Denique: *was man anders klaget in gebundenen tagen ohne vngericht, das mag der richter wol richten über dem mann, der gegenvvärtig, und alldazu antvvorten ſchuldig iſt, und ſoll ihm gebieten, daſs er der ſchuld bekenne vnd beſſere zu rechter zeit, oder daſs er deren leugen, vnd darüber ſchvvere. Nicht mag er aber dingen in gebundenen tagen. Wo man aber eyde gelobet, die ſoll man leiſten zu hand, oder zu den nächſten vngebundenen tagen.* Similia et in IVRE PROV. SVEVICO *cap.* 105. quod ex inſtituto agit *von gebundenen tagen*, reperimus.

* *Handhaffie that*, vel, vti a Sueuis vocabatur, *handgethat*, eſt quodcumque facinus, cuius auctor in ipſo delicto vel ἐν αὐτοφώρῳ deprehenditur. SPECVL. SAX. *Lib. II. art.* 35. *Die handhaffie that iſt das, ſo man einen mann begreifft in der that, oder in der flucht der that: oder daſs er dieberey oder rauberey in ſeinen gevvehren hätt, da er ſelbſt den ſchlüſſel zuträge an ſeiner ſeiten.* Ita deprehenſi ſtatim ducebantur ad iudicem, et accuſabantur, modo conuinci poſſent de homicidio tribus, de reliquis delictis capitalibus ſeptem, de

de facinore manus amputatione coercendo binis teſtibus, vel accuſator certamen ſingulare offerret. Ivs PROV. SVEV. *cap.* 161. Et hinc huiuſmodi iudicium et diebus feriatis inſtitui poterat. IDEM *cap.* 105. §. 1. *Einen mann begrieffen mit der handgethat, den ſchirmen die gebunden tage nicht.*

§. CXXVI.

Axiomata.

Ex his omnibus, quae ex genuinis antiquitatum Germanicarum fontibus hauſimus, patet, I. vtrumque in ius vocationis genus in Germania fuiſſe receptum, eamque priuata auctoritate, et iuſſu iudicis factam. II. Citationem certum ſpatium comprehendere debuiſſe, ne reo imparato obeundum eſſet vadimonium. III. Eam rite factam fuiſſe, actorem probare debuiſſe, ſi accuſare vellet contumaciam. IIII. Contumacem et mulctatum, et, (V. ſi peremtoria fuiſſet citatio, pro confeſſo et conuicto habitum. VI. Purgare reum potuiſſe moram, ſi legitima impedimenta adlegaret, eaque rite probaret; et hinc VII. excuſatum etiam eſſe, qui diebus feriatis non ſtitiſſet vadimonium.

§. CXXVII.

In ius vocatio qualis ſit hodie?

Quemadmodum vero iam olim in Germania et priuata auctoritate, et iuſſu iudicis, in ius vocabantur rei: (§. 126. I.) ita non mirum eſt, (1. et hodie alibi priorem, alibi poſteriorem in ius vocandi modum, magis receptum eſſe. Quamuis enim (2. plerisque locis mos inualuerit, vel citationem ſcriptam inſinuandi per adparitorem ſeu viatorem iudicis, vel, quod in inferioribus iudiciis ſaepe fieri animaduertimus, reum per hunc ſine ſcripto euocandi: paſſim tamen (3. adhuc priuata auctoritate actorem in ius vocare reum animaduertimus, non modo in Francia, REBVFF. *ad conſt. reg. Part. III. de citat. art.* 2. *gloſſ.* 4. verum etiam in Germania, ceu de tractu ad Rhenum et Hennebergico obſeruat SCHILT. *Exerc. VII. obſ.* 7. Quin (4. alicubi actorem inſalutato iudice iniungere poſſe adparitori, vt aduerſarium in ius vocet, teſtantur GVDELIN. *de iure nouiſſ. Lib. IIII. cap.* 5. et BACHOV. *ad Treutler. Vol. I. diſp.* 4. *theſ.* 2. *lit. D.* Quem morem (5. eo iniquius reprehendit STRYK. *vſ. hodiern. Dig. Lib. II. tit.* 4. §. 1. quo magis ciuitatibus Germanicis licuit veteres mores iuri Romano praeferre, et (6. quo minus illum in ius vocandi modum ipſos etiam principes et imperii ordines hodienum adſpernari, animaduertimus.*

 * Tan

* Talis enim eſt requiſitio ad auſtregas, quippe quae non auctoritate eorum, qui cauſſam cognituri ſunt, ſed iuſſu ipſius actoris, ad auſtregas prouocantis, fieri ſolet, et quidem per notarium vel tabellionem. Quamuis enim Schilter. *Exerc. VII.* §. 4. et hanc requiſitionem legitimae citationi vel ideo aequiparandam eſſe exiſtimet, quod et tabelliones ſint iudices, chartularii nempe: *gloſſ. in l. fin. C. vbi et apud quem.* et Bertachin. *in repert. voce notarius*: iple tamen huic rationi non multum tribuiſſe videtur, quia ſtatim addit: *Sed tamen quum notarius deſtituatur iubendi poteſtate, etiam requiſitio, per eum facta, vim et effectum citationis iudicialis vix habebit per omnia, bene tamen in ius vocationis.*

§. CXXVIII.

Quantae reo concedendae induciae? Quumque aequum eſſet certum temporis ſpatium indulgeri; ne illi imparato obeundum eſſet vadimonium: (§. 126. 2.) non obſcurum eſt, (7. cur non modo in Saxonia, aliiſque prouinciis, vbi iuris Saxonici aliquis vſus eſt, verum etiam (8. alibi, vbi huic iuri nihil pretii ſtatuitur, adhuc hodie reo dentur induciae *einer Sächſiſchen friſt.* (9. Cur in Saxonia et alibi non modo dies menſis, quo comparendum ſit, exprimatur, verum etiam ille demonſtrari ſoleat a proximo die feſto, vel dominico, quippe qui ruſticis, aliiſque ex infima plebe hominibus, notior eſſe ſolet, quam dies menſis. Hinc formula: *Den 6. Nouembr. iezt lauffenden Iahres, vvird ſein der dienſtag nach aller heiligen, vor uns zu erſcheinen.* (10. Cur addi ſoleat: *zu rechter früher tages zet*: quae verba olim fortaſſis de primo mane ſeu ſolis exortu intellecta, hodie non niſi de horis, quibus iudex ſui copiam facit, intelligenda videntur. * Ant. Matth. *de probat. cap.* 7. *p.* 448. (11. Cur quae ius Rom. de dilationibus praecipit, fere nuſquam recepta ſint in Germania, ac proinde (12. dilatio citatoria, quam vocant, abſorbeat deliberatoriam, ipſo fatente Strykio *in vſu hod. Digeſt. Lib. II. tit.* 12. §. 16. *ſequ.*

* Veteres Germani non niſi antemeridianas horas iudiciis impendebant, quod ferri non poſſet ſententia niſi a ieiunis. Car. M. *capitul. de cauſſis admon.* §. 15. *Vt nullus ebrius ſuam cauſſam poſſit conquirere in mallo, nec teſtimonium dicere. Neque comes placitum habeat, niſi ieiunus.* Quod multo magis in cauſſis criminalibus obſeruabatur. ivs prov. Sax. *Lib. III. art.* 69. ivs prov. Svev. *cap.* 80. ivs Cliviae MSC. ex quo locum debemus v. c. Io. Gvil. Hoffm. *in diſſ. de modo iudic. priu. exercendi apud Germ.* §. 5. *Das gerichs ſoll nüchtern geendet werden.* Quae quum ita ſint, conſequens eſt, vt iudicia inchoarentur bene mane et ſtatim poſt ſolis ortum, et finis illis imponeretur circa meridiem. ivs prov. Svev. *cap.* 110. *edit.*

Digitized by Google

edit. Schilt. Man ſoll gerichtes warten von der zit daz die ſunne vfgat vntz ze mitten tag. Ex ivs prov. Sax. *Lib. III. art. 61. Gerichts ſollen warten alle die dingpflichtig ſind zu dem gericht, von der zeit an, daſs die ſonn aufgehet, biſs zu mittag, ob der richter anders da iſt.* Addit laudatus Hoffmannvs *ibid.* locum ivr. Cliv. MSC. *Von guter alter loeblichen gewonheit vnd herkommen ſo ſoll das gericht geſchehn bey ſonnen ſcheine, vor dem mittage.* Et alibi: *Das gericht ſolt geſchehen, wan ſich die ſonne geſetzt hat recht gegen ſüden. Vnd zwiſchen dieſe zeit darff niemand erſcheinen mitt anſprache oder ſich verantvvorten, oder antvvort zu geben, es ſey dann, daſs es ſachen vvâren von dem Herrn, oder von reiſsfertigen leuten, oder von verderblichen oder ſterblichen gütern, oder vvo ſich iemand anders verbunden hatte, oder verlobet, das mag geſchehen nach ſeinem behöre.*

§. CXXVIIII.

Ex tertio quoque axiomate (§. 126. 3.) in foris Germ. ſuperſunt variae veteris iuris patrii reliquiae, veluti (13. quod contumaciae accuſationi non eſt locus, niſi probetur, citationem rite eſſe inſinuatam, idque (14. plerumque probetur, vel accepto a reo ſcripto teſtimonio, (*durch ein recepiſſe*) vel (15. confeſſione adparitoris, ſiue exemplo citationis ſubſcripta, ſiue ad acta adſcripta, quam vocant *relationem nuncii*: * quamuis (16. non ſit negandum, ex eo tempore, quo ius canonicum aeque, ac ciuile Romanum, paullatim in fora Germanorum penetrauit, in tribunalibus ſupremis inualuiſſe morem citationes reis offerendi vel per tabellionem, vel per nuncium iudicii iuratum, et ab his exigendi ſollemne inſtrumentum, ex quo de rite facta citatione conſtet. Ord. cam. *part. I. tit.* 48. *§.* 11. *ſequ. et tit.* 52. *princ.* Blvm. *proceſſ. camer. tit.* 65. §. 34. *ſequ.* Quid obſeruandum actori rei contumaciam accuſaturo?

* Adparitoris teſtimonium ſufficere viſum eſt, non quod iureiurando fidem adſtrinxerit: nam alioquin ne quidem iurati teſtis vnius teſtimonium plene probare nouimus: ſed ex principio veteris iuris Germanici, puta quo adparitoris teſtimonium pro duorum teſtimonio habebatur (§. 49.) ivr. prov. Sax. *Lib.* I. *art.* 8. et Svev. *cap.* 159.

§. CXXX.

Ex quarto et quinto axiomatibus (§. 126. 4. et 5.) reddi poteſt ratio (17. vnde ſit condemnatio in *expenſas termini*, quae fieri ſolet, ſi quis rite citatus non ſtiterit vadimonium. Eam enim in locum mulctae, in quam olim condemnabantur contumaces, eſſe ſurrogatam, vix dubitamus. (18. Cur raro prima vel ſecunda citatio habeatur peremtoria, ſed plerumque tertia demum ita fiat, vt accedat Contumaciae ena.

com-

comminatio, reum pro confeſſo et conuicto, vel inſtrumenta pro agnitis habitum iri : * quamuis (19. in Saxonia electorali per ORD. PROCESS. VET. *tit.* 10. *§.* 4. altera ſtatim citatio fuerit peremtoria, eamque ad rem cautum ſit : *im fall aber der beklagte vngehorſamlich auſſen bliebe, ſoll er auff des klâgers vorhergehende beſchuldigung, vermöge landüblichen Saechſiſchen proceſſes, erſtlich in ehehafft vnd behelfliche vviederrede vertheilt, vnd da er auff fernere labdung, vvelche der klâger hiezu ausbringen ſoll, folgenden termin ſolche ehehafften vnd legitimum impedimentum ausführen, vnd darthun, oder eydlich erhalten vürde, ferner zugelaſſen vverden. In gegentheil, da er ſolche ehehafft nicht beybringen kônte, oder auff die andere citation gar nicht erſchiene : ſoll er alsdann auf fernere beſchuldigung des klâgers in die hülffe verthleilet, vnd dieſelbe nach innhalt der klage an ihm vollſtrecket vverden*, at (20. noua et emendata *ibid.* §. 2. has ambages tollat, et primam ſtatim citationem vult eſſe peremtoriam, praeterquam in lite conſiſtoriali ſuper malitioſa deſertione, nec non in proceſſu banni (*im achts-proceſſ.*)

* Fruſtra ergo ſunt, qui hanc poenam contumaciae ex iure Romano eſſe contendunt, quum ii numquam reum, deſerentem vadimonium, pro confeſſo vel conuicto habuerint, ſed vel in bona actorem miſerint, ceu patet ex *l.* 2. *l.* 7. *D. quib. ex cauſſ. in poſſ. eat. l.* 19. *D. de in ius voc. l.* 2. *C. vbi in rem act.* Cic. *pro P. Quinct. cap.* 6. vel actionem aduerſus fideiuſſores vel vades dederint ad certam quantitatem, ſi ea promiſſa eſſet, ſin minus, ad id, quod intereſſet. *l.* 2. *§. vlt. D. qui ſatiſd. cog. l. vlt. ſi quis in ius voc. non eat. l.* 81. *D. de verb. obl. l.* 12. §. 1. *ſi quis caut. iud. ſiſt. cauſſ. fact. non obtemp.* Praeterea abſens euocandus erat legitimis edictis vel tribus denunciationibus, per interualla non minus decem dierum propoſitis. *l.* 68. *ſequ. D. de iudic.* Si tunc reus aderat cognitionis die, audiebatur quidem, ſed vt prius omnia damna, quae fruſtratione ſua dederat aduerſario, ſarciret. *l.* 15. *C. de iudic.* Si ne ſic quidem veniret, a praecone publice et nominatim inclamabatur, et tunc, eo abſente etiam ſententia ferebatur, non tamen, vt ſemper pro confeſſo et conuicto damnaretur, ſed prout id cauſſa exigere videbatur. Hinc Vlpianvs *l.* 73. *D. de iudic. Et poſt edictum peremtorium impetratum, quum dies eius ſuperuenerit, tunc abſens citari debet, et, ſiue reſponderit, ſiue non responderit, agetur cauſſa, et pronunciabitur : non vtique* SECVNDVM PRAESENTEM, *ſed interdum vel* ABSENS, *ſi bonam cauſſam habuit,* VINCET. Conf. *l.* 1. *C. quom. et quand. iud.* et quae hanc in rem egregie monuit Hvgo Donell. *Comment. iur. Lib. XXVIII. cap.* 3. *p.* 432.

§. CXXXI.

§. CXXXI.

Quum a contumacia iure Germanico excuſarent legitima impedimenta: (§. 126. 5.) non mirum eſt, (21. id et hodie obtinere, ac proinde, (22. quum in eo ius Romanum cum Germanico fere conſpiret, hoc tanto facilius in fora noſtra penetraſſe. Ex quo porro conſequitur, (23. vt non quatuor vel quinque tantum iſta impedimenta legitima, quae Sueui et Saxones vocabant *ehehafften*, * vel *ehehaffte noth*, a ſuſpicione doli et contumaciae excuſent, ſed et alia, in iure Rom. recenſita, veluti vis maior, teſtimonii dictio, funus domeſticum, languor ex partu, κ. τ. λ. modo (24. rite probentur, quamuis petita prima vice dilatione ſaltim adlegari, ſecunda aliqualiter demonſtrari, tertia legitimo modo probari, ſoleant. **Impedimenta legitima quae excuſent?**

* Non confundenda haec impedimenta legitima cum certis eiuſdem nominis cauſſis, ob quas et exemti imperii ordines in Sueuia viciniſque tractibus ad iudicium Rotwilenſe vocari poſſunt, de quibus plura ſcriptores iuris publici, et, qui ex inſtituto de hoc iudicio pleniſſime agit, Eric. Mavrit. *de iudic. Rothvvil. cap.* 3. §. 5. *p.* 523.

§. CXXXII.

Denique quum et de feriis idem fere iure Romano, quod olim Germanico, conſtitutum ſit: (§. 126. 7.) non mirum ſane eſt, (25. et hic fere per omnia receptum eſſe ius Romanum. Id tantum (26. ex iure patrio ſupereſſe videtur, quod plerumque ſupremae curiae citationibus inſerant clauſulam: *auf den 6. Nou. vvird ſeyn, der dienſtag nach allerheiligen*, ODER, *vvann dieſes kein gerichts-tag vvâre, den darauff folgenden, vor uns zu erſcheinen.* Quum enim frequenter contingeret, vt extra ordinem ferias diuinas indicerent praeſules et epiſcopi: monitos volebant litigatores, incidentibus huiuſmodi feriis, eos ſine noua citatione proximo die iuridico in iure adeſſe debere. Sed de his omnibus plura praecipit acuta pragmaticorum natio, quae quidem hic multis repeti, vix neceſſarium eſſe ducimus. **Quid de feriis obſeruandum?**

TIT. IIII.

DE ACTIONIBVS EARVMQVE EDITIONE IN IVDICIIS GERM.

§. CXXXIII.

Tranſitio ad actiones earumque editionem.

REus vbi ſe ſiſtebat in iudicio, actoris erat, actionem edere, vt et iudici et reo ipſi conſtaret, quid ille petat, intendatue, et cui fundamento ſuperſtruat ius ſuum, ob quod vel rem ſuam eſſe, vel alterum dare facere ſibi oportere, contendat. Itaque facturi nobis videbimur operae pretium, ſi et de ACTIONIBVS Germanorum quaedam diſſeramus, et modum actionem reo praeſenti EDENDI, ea, qua fieri poterit, perſpicuitate explicemus.

§. CXXXIIII.

Actionum iuris Germ. certas claſſes primus conſtituit auctor libelli des richtſteigs.

Quamuis vero hactenus iis, quae antiquiſſimis gentium Germanicarum legibus cauentur, praemiſſis, demum ad inſequentium temporum iura progredi conſueuerimus: tamen, quum nullum legiſlatorem actiones forenſes in certas claſſes, certaque genera deſcripſiſſe, reperiamus, id vero multo poſt cum laude praeſtiterit auctor libri, qui inſcribitur *richtſteig über das Sachſſiſche landrecht*, qui quidem poſtremis ſaeculis vixit, at modum litigandi Germanorum, ex iuribus peregrinis nondum interpolatum, accurate deſcripſit: * conſultius viſum eſt, ex eo claſſes actionum forenſium deſcribere, eaſque ex omnis aeui monimentis antiquitatis Germanicae illuſtrare.

* Auctor libelli non magis certus eſt, quam aetas, qua vixit. IAC. FR. LVDOVICI, qui illum, tamquam adpendicem, ſubiecit introductioni ad proc. feudalem, in *praef.* §. 9. ſcribit: *Der auctor nennet ſich am ende des lezten richtſteigs, allvvo auch die zeit zu finden, da beyde richtſteige heraus gegeben vvorden, vvievvol ich ſonſt von der perſon ſolches auctoris biſsher keine ſpecialia finden können.* Sed ſub finem nihil legas, quam quae ſequuntur: *Volbracht is alſo ſalichliken deſſe nivvoe Saſſen-ſpegel mit ſynen additien. In der Keyſerliken ſtat Auſsburch, des landes Schvvauen, dorch Syluanum Othmer bukbrenther. Dorch verordninge vnde koſten des vorſichtigen heren Hanſs Rennman van Oringen namhafftigſten bukfurer. Vnde vulendet an vnſer leuen Vrouvven auent, den man nennet lichtmyſſen, in dem yar, als men ſellet na godes*

der geborte M. D. vnde XVI. Videtur vir doctiſſimus vel non intellexiſſe vocabulum *bukprenther*, vel illud pro nomine auctoris habuiſſe, vt adeo ex eius mente hunc libellum conſcripſerit vel *Siluanus Othmer*, vel *Silu. Othomarus Buckprenther*. At *bukprenter* idem eſt, ac typographus, qui ſpeculum Sax. cum eoque hunc libellum typis expreſſit, iſque, non vero auctor, dictus eſt *Siluanus Othmer*. Praefatio hunc libellum, qui vocatur *richtſteig*, confectum eſſe refert iuſſu Friderici Imp. *na godes bort duſent yar, vnd anderhalff hunderr yar, in deme achte vnde tvvintigſten yare, in dem drütten yare ſynes rykes in deme pingeſter dage, to Meylan in deme palaze.* Sed hic quoque nihil ſani reperias, nec quod cum temporum illorum ratione poſſit conciliari. In gloſſa WEICHB. *art.* 10. legimus: *Vnd auch ſetzet Burcard von Mangelfeld den richtſteig, Gerke aber von Kertavv der vollvvortete den richtſteig.* Quod quum maxime probabile ſit: conſequens eſt, vt auctor vixerit ſaeculo Chriſti XIIII. Illis enim temporibus pleroſque floruiſſe gloſſatores, ſatis conſtat. Vid. STRVV. *hiſt. iur. cap.* 6. §. 22. *p.* 462. *ſequ.*

§. CXXXV.

Prima earum diuiſio in ciuiles, criminales et mixtas.

Hic ergo auctor, omnes actiones *cap.* 5. trium eſſe generum obſeruat. Alias enim CIVILES * eſſe ait, vel BORGELIKK, *vnd de heten daromme ſo, dat de kleger, en de antvverter vor de ſaken borgen blieuen, vnde dat erer neen den andern vluchtig vverden en darff, dat is, als vmme ſchuld, vnde vmme gut, vnde vmme aneſangk*: alias CRIMINALES, PYNLICK, *vnde heten darumme ſo, dat de kleger nichts begert, vvenn dat me den andern pynighe vmme ſynen broke*: alias denique MIXTAS, VORMENGEDE *klagen*, quae quum primum ſint ciuiles, poſtea in criminales degenerare, vel ex criminalibus ciuiles fieri poſſint.

* Ipſe quidem auctor has actiones ſemper vocat *borgelicke klagen*, quaſi a fideiuſſoribus vel fideiuſſione nomen tulerint. Sed quum his opponat *criminales* et *mixtas* actiones, *peinliche vnd vermengte klagen*: probabilius eſt, eas non tam *borgelicke* quam *borgerlike klagen* dici debuiſſe, ac proinde eas Latine CIVILES vocare non dubitauimus. Attamen et VOCABVLARIVS, Loſſanae ſpeculi Sax. editioni ſubiunctus, has actiones vocat *Bürgeliche klagen, da man allein ſchuld vnd gülde fodert, vnd alle bürgeliche ſachen.* Siue ergo a fideiuſſione, *vom bürgen*, ſiue a rebus creditis, *von borgen*, ſiue a modo procedendi ciuili nomen inuenerit: non male iis quadrabit nomen actionum CIVILIVM.

§. CXXXVI.

Ciuilium ſubdiuiſio, in actiones vmb

Actiones ciuiles ab auctore noſtro eodem *cap.* 5. diuiduntur in eas, quibus RES CREDITAE condicuntur *klagen vmb ſchuld*: quibus RES vindicantur, *klagen vmb gut*, et quibus REBVS FVRTIVIS vel VI EXTORTIS manus iniicitur, *klagen vmb aneſangk.*

ſchuld, vmb gut vnd vmb anefang. De quibus ſingulis diſtincte erit agendum. Solidam enim et vere Germanicam eſſe hanc actionum ciuilium diuiſionem, vel ex eo patet, quod et LEGES GOSL. apud LEIBNIT. *ſcript. rer. Brunſu. Tom. III. p.* 484. primum agunt *van erue-gude*; *p.* 516. *vmme ſchuld*; et *p.* 530. *van anevanghe.*

§. CXXXVII.

Actiones vmb ſchuld quotuplices? Actiones, quibus RES CREDITAS condicimus, ex variis cauſſarum figuris oriri, *cap.* 6. obſeruat, veluti primum *ex mutuo vel commodato, als eſſt me eme ſulven vvat tho bürge dut:* deinde *ex promiſſo* vel *pacto*, *van louede*, tum porro *ex facto defuncti, van erues vvegen, als vvenn me de eruen beſchuldiget vmme des doden ſchuld:* denique *ex auctoris adfirmatione, van vndervvindinghe, als eſt ſick vve des vndervvint, dat ein ander ſegget, he ſy yt eme plichtig vvedder to nomene.*

§. CXXXVIII.

Itemque actiones in rem, vel mobilem. Porro auctor *cap.* 11. actiones, quibus RES vindicantur; in varias ſpecies diſpeſcit. Quidquid enim vindicamus, id trium generum eſſe ait, aut enim nos vindicare *res mobiles*, *varende haue*, aut *feudum*, *leben*, aut *allodium*, *eygen oder erue.* RES MOBILES ex ſex cauſſis apud nos eſſe, obſeruat, ſiue a nobis *inuentas*, ſiue *emtas*, ſiue ab alio nobis *datas*, ſiue furibus vel raptoribus *ereptas*, ſiue iure hereditario in nos *deuolutas*, ſiue denique propria induſtria *partas*, de quibus omnibus deinde ſigillatim agit *cap.* 12. *et ſequentibus.*

§. CXXXVIIII.

Vel feudum et allodium. Similiter ob FEVDVM ex iure prouinciali tripliciter agi poſſe, *cap.* 18. obſeruat, *primum* ſi feudum emtum, pretio ſoluto, nondum traditum ſit: qui caſus in IVRE PROV. SAX. *Lib. I. art.* 9. occurrit: deinde, ſi frater cum fratre feudum diuidere nolit, de quo IBID. *art.* 14. denique ſi duo feudi poſſeſſores pignus ceperint, vel alter alterum poſſeſſione deiicere velit, de quo caſu ipſe AVCTOR fuſius agit *cap.* 22. Denique actiones ob ALLODIA *cap.* 23. inde oriri ait, quod vnus alterum coheredem praeſcriptione ſubmouere, vel tamquam natalibus imparem repellere, vel allodium ſine heredum conſenſu alii tradere, vel duo eandem hereditatem petere, vel denique vnus ſibi rem tamquam allodium, alter tamquam feudum vindica-

dicare velint, de quibus caſibus deinde prolixius agit a *cap.*[b] 23. *vſque ad cap.* 27.

§. CXXXX.

Quid veteribus anefang?

Qui rebus FVRTIVIS vel RAPTIS iniiciebant manus, ii eas dicebantur *capere, anefangen*. De eo AVCTOR noſter *cap.* 17. *Des ſebe tho dem erſten, vvo du einen anefangk don ſchaleſt. Wenn du vvilt einen anefangk dun eines dinghes, dat dy duncket, dat dy verſtolen oder affgerouet ſy, vnder vveme du yt vindeſt, tho dem ſpreck alſus.* Sequitur iam formula, qua quis res illas, tamquam ſuas repoſcit, aut ſi nolit poſſeſſor, eum in ius vocat. Addit auctor, in ius vocatum tunc cum clamore eſſe accuſandum, tamquam furem, quibus fere ſimilia ſunt, quae in LEGIB. GOSL. apud LEIBNIT. *p.* 530. leguntur.

§. CXXXXI.

Actiones criminales quotuplices?

Sequuntur apud AVCTOREM noſtrum *cap.* 28. accuſationes CRIMINALES, quas, quod ad poenam attinet, quinque generum eſſe ait, ſiquidem aliae homini adimant *vitam, ſein lyf*; aliae *ſanitatem, ſyngeſunt*; aliae *ius ſuum, ſyn recht*; aliae *exiſtimationem, ſyne ere*: aliae denique *ſecuritatem, den gemeenen vreden.* Deinde eaſdem accuſationes *cap.* 30. in quatuor claſſes diſpeſcit. Aut enim accuſari obſeruat eum, qui ἐπ' αὐτοφώρῳ ſit deprehenſus, quod vocatur, *eine handhaſte that*: aut eum, qui poſtea demum in ius vocatur, quod vocatur *eine übernâchtige that*: aut eum, qui extra vincula in iudicio adeſt, *der vngefangen tho der antvverde is*: aut denique fugitiuum et abſentem, *de vorflûchtig iſt.* De primi generis reis *cap.* 31. *et ſequ.* de ſecundi *cap.* 33. de reliquis ſequentibus agit.

§. CXXXXII.

Itemque mixtae?

Denique vti actiones MIXTAS auctor noſter vocat, quae vel ex ciuilibus criminales, vel ex criminalibus ciuiles fieri poſſunt: ita *cap.* 36. prius fieri obſeruat, ſi ciuiliter conuentus ob crimina quaedam minora, fugam capeſſiuerit: poſterius, ſi ius ignorantiae vel ruſticitati ignoſcat, *vann dat recht dot gnade der dorheit.* Prioris caſus exempla tria *cap.* 47. *ſequ.* recenſet, puta accuſationem ob verbera, *braun vnd blavv*: ob manus rebus furtiuis iniectas, *anefangk*; et ob promiſſum non praeſtitum, *louede.* * Poſterioris *capite* 42. *ſequ.* totidem, accuſationem nimirum ob damnum, vehendo per agrum conſitum

 da-

datum; ob homicidium ab infante vel furioſo admiſſum, ac denique ob quodcumque homicidium caſuale, vel ab ignorante perpetratum.

* Quamuis enim ob verbera initio ciuiliter ageretur, reus tamen fugiens ob contumaciam proſcribi poterat IVS PROV. SAX. *Lib. I. LXVIII.* Ita et is, apud quem res furtiuae deprehendebantur, quamuis initio ciuiliter conuentus, tamen, ſi adpareret, eum hominem infamem eſſe, *der ſein recht mit dieberey oder raub verlohren habe*, non admittebatur ad iusiurandum, ſed ei optio dabatur, vt aut brachium immitteret in ahenum, aqua feruente plenum, aut manus cum accuſatore confereret. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 31. Denique ob guarandam promiſſam, alio rem eamdem petente, et a promiſſore non repulſo, aliquis debebat *eine vvehrbuſſe*, IVS PROV. SAX. *Lib. II. art.* 15. vbi addit ſpeculator: *Wehrbuſſe, das iſt, eines mannes hand, da er die gevvehr mit gelobet, oder ein halb vvehr-geld.* Ex quibus facile intelliges, cur AVCTOR noſter has actiones in criminales degenerare, obſeruarit.

§. CXXXXIII.

Obſeruatio auctoris de actionibus falſo mixtis.

Subiungit AVCTOR noſter *cap.* 45. *ſequ.* quaſdam actiones mixtas ſpurias, de quibus ipſe ait: *Des hebben bôſse lûte vpgebracht mit vnrechte, dat ſie von borgelicken klagen pynlicke maken.* Sed quum tota eius obſeruatio eo redeat, quod ob ſolum aes alienum, vel aliam ex contractu obligationem, nemo conueniendus ſit criminaliter, nec aliae ac plures actiones mixtae fingendae ſint, quam quas leges admittunt: non eſt, quod his iam immoremur. Atque hae ſunt illae actionum claſſes, quas neminem ante hunc auctorem noſtrum tanta cura diſtinxiſſe, animaduertimus.

§. CXXXXIIII.

Veteres leges non ignorant actiones ciuiles, criminales, mixtas.

Sed haec eadem omnia etiam in legibus vetuſtioribus, non quidem eodem ordine, at eadem tamen, deprehendimus. Et quidem de actionibus CIVILIBVS et CRIMINALIBVS nemo dubitauerit, quas accurate diſtinguit LVITPRANDVS, rex Langobard. LEG. LANGOB. *Lib. II. tit.* 21. §. 23. dum ſcribit: *Hoc loco admonendi ſumus, quod* MALEFICIORVM LITIGIVM, *niſi lis conteſtata fuerit, aduerſus heredes non tranſeat: ſi vero* CONTRACTV LITIGAVERIT, *ſiue lis conteſtata, ſiue non, heredi et in heredem competit.* Nec dubitandum eſt, quin et MIXTAS actiones habuerint veteres. Saepe enim eos, qui iudicium ſubterfugerant, vel ius dicenti non obtemperarant, poenam aliquam criminalem ſubiiſſe, patet ex LEGE WISIG. *Lib. II. tit.* 1. §. 18. *et alibi*

paſ-

paſſim. Saepe etiam eum, qui criminis accuſatus fuerat, ob idoneam exceptionem non niſi ciuiliter eſſe condemnatum comperio. Vid. LEX FRISON. *tit.* 5. §. 1. *et* 2.

§. CXXXXV.

Idemque ſubdiuiſionem ciuilium in reales, perſonales, et perſequutionem rerum furtiuarum.

Ciuiles porro actiones vel ad RES CREDITAS, vel ad RERVM VINDICATIONEM, vel ad rerum furtiuarum vel raptarum PERSEQVVTIONEM pertinuiſſe, facile vel ex ipſis Francorum legibus poteſt probari. Sane enim duo priora actionum genera in mente habuit Ludouicus Pius, dum CAPITVL. *Lib. VII.* §. 211. ſtatuit: *Quoties de reuocanda re vel cauſſa integri reſtitutionis beneficium petitur, aut in* REM, *aut in* PERSONAM *agendum eſt.* Qui locus, tametſi ad reſtitutiones in integrum praecipue pertineat, et quodammodo exprimat iuris Romani doctrinam, quae actiones, ad in integrum reſtitutionem comparatas, alias perſonales, alias reales eſſe, docet, ſatis perſpicue tamen oſtendit, diſcrimen actionum PERSONALIVM, *vmb ſchuld*, et REALIVM, *vmb gut*, ne veteribus quidem Francis fuiſſe ignotum. De PERSEQVVTIONE vero rerum furtiuarum, quam *auctor des Richeſteigs* vocat *den aneſangk*, in LEGE SALICA ſingularis exſtat titulus, puta 50. qui agit *de filtortis*,* *hoc eſt, qualiter homo furatas res intertiare debet*: cui gemina ſunt, quae occurrunt in LEGE RIP. *tit.* 33. et 73. et CAPITVL. *Lib. VI.* §. 209.

* Quid vero filtorti? Quum meliora non ſuccurrant: adſcribam, quae de hac voce obſeruat ECCARD. *ad leg. Sal. p.* 93. *Violentia*, inquit, *vis*, *damnum*, *iniuria*, *et iniuſtitia quaecumque*, (*quo etiam ablatio rerum alienarum pertinet*,) *in medii aeui ſcriptis frequenter tortus et* tortum *vocatur*, *et* recto *opponitur. Sicut olim* HORATIVS *cantauerat*: curuo dignoſcere rectum. ita *Galli adhuc dicunt* tort *et* droit. GLOSSA LATINAE GALLICAE: Tortus, ta, tum, tort iniurieux, tortus, tus, torſion, iniure. *Charta Ludouici II. Imp. pro monaſterio Caſaurienſi*: Pro nulla denique mallatura quiſpiam a monachis praefati monaſterii, vel ab aduocato eorum in tortum quaerere audeat, quia -- eidem monaſterio conceſſimus, EDICTVM PISTENSE *Caroli Calui cap.* 20. Sic iniuſtitiam iſtam exſoluant, ſicut illi, qui in ſuo miniſterio tortum faciunt. *Et cap.* 32. *ibid.* Sicut ille, qui tortum in ſuo comitatu vel miniſterio fecerit. VETVS NOTIT. *ex tabulario Vindocinenſi a* CANGIO *citata*: In peruerſo et aperto torto nobis poſtea abſtulit. TABVLAR. S. IOANNIS *ibid.* Teobaldus fecit eis multa torta. *Prior ſyllaba filtortis eſt* fil *vel*, *vt Ga. iphervytanus codex habet* fel. *Hanc ego putoue a noſtro* fehlen, *falli*, *errare*, *vnde Itali etiam ſumſere ſuum* fallere, *et* fallire, *Galli* faillir, *Angli* fail, *Belgis idem eſt* fallen, feyllen. *Quae ſi inuicem componas, feltortus erit falſa iniuria, vel etiam erronee vel falſo iniuriatus, aut cui falſo crimen latrocinii vel furti imputa-*

putatum eſt. Haec ECCARDVS, quamuis SCHILT. *in gloſſar. Teut. p.* 298. eamdem vocem compoſitam malit a *fil* commendare, cuius radix ſuperſit in *befehlen* et *torte* tertius, vt ſit res tertio commendata, vel *intertiata.* Ita enim GLOSSA PITHOEI: Filtorta, *res intertiatae.*

§. CXXXXVI.

Nec actiones ex credito, promiſſo, obligatione defuncti, et *van vnterwindigh.*

Sed et ſpeciales actiones perſonales ex *credito*, *promiſſo*, *obligatione defuncti*, et quam vocant *van vnteruvinding*, non videntur veteribus ignotae fuiſſe. Ad primum genus pertinent, quae de re praeſtita habes in LEGE WISIG. *Lib. V. tit.* 4. LEG. SAL. *tit.* 54. LEG. FRIS. *addit. tit.* 11. §. 1. Ad ſecundum loca ex LEGE WISIG. *Lib. II. tit.* 5. §. 1. *ſequ.* LEG. SAL. *tit.* 53. Ad tertium, quae occurrunt in LEGE RIPVAR. *tit.* 67. §. 1. BVRG. *tit.* 65. §. 2. WISIG. *Lib. VII. tit.* 5. §. 8. Ad quartum illa, quae de auctoribus, a quibus ſe cauſſam habere ait is, apud quem res furtiuae deprehenduntur, cauentur in LEGE SAL. *tit.* 50. Nam actio *van vnteruvindingh* in eo conſiſtebat, quod quis alterum adigere vellet ad auctorem, a quo cauſſam haberet, nominandum. *

* Ita enim eam ipſe deſcribit AVCTOR *des richtſteigs cap.* 6. *Tho deme vierdten kummet yt tho van vnderwindinghe, als eſt ſick vve des vndervvint, dat einander ſegget, he ſy yt eme plichtich vvedder to nomene.* Id eſt: *Quarto talis actio oritur ex eo, ſi quis aliquid dicat, quod ſe ex alio audiuiſſe ait; alterque dicat, eum obligatum eſſe, vt ſibi auctorem nominet.* Eoque etiam pertinent exempla, quae ibi citantur ex IVRE PROV. SAX. *Lib. II. art.* 36. *et Lib. III. art.* 41. *fin.*

§. CXXXXVII.

Nec eas quae ob res mobiles, feudales, et allodiales dabantur.

Notam et veteribus Germanis fuiſſe diuiſionem rerum in MOBILES et IMMOBILES, iam ſupra vidimus. (*Lib. II. part.* 1. §. 11.) Vtraſque vel FEVDALES, vel ALLODIALES fuiſſe, (*ibidem* §. 12. *et ſequ.*) obſeruauimus. Itaque ne dubitare quidem licet, quin eaedem actiones, quas AVCTOR *des richtſteigs* de his rebus dari ait, et veteribus notae fuerint. Sic ſane rerum mobilium inuentarum nomine datam eſſe actionem, patet ex LEGE BAIVV. *tit.* 2. *cap.* 13. §. 2. LANGOB. *Lib. I. tit.* 25. §. 1. Inſtitutae ob res emtas actionis exemplum habes in LEG. BAIVVAR. *tit.* 15. *cap.* 4. quemadmodum actiones ob res mobiles *datas*, vel, vti loquebantur, *commendatas* habes in CAPITVL. *Lib. VI.* §. 22. 30. *Lib. V.* §. 204. *edit. Lindenbr.* ob *res furi ereptas*, in LEG. WISIG. *Lib. VII. tit.* 2. §. 20. Denique quid iuris fuerit circa *res hereditarias* et *adquiſitas*, oſtendimus ſupra *Lib. II. part.* I. §. 13.

§. CXXXXVIII.

§. CXXXXVIII.

Facile etiam oſtendi poſſet, eas quoque actiones, quae de rebus IMMOBILIBVS, tum FEVDALIBVS, tum ALLODIALIBVS, ex mente AVCTORIS *des richt-ſteigs* competebant, nec non CRIMINALES, quas ille vocat *peinliche klagen*, veteribus non ignotas fuiſſe. Sed quum de feudis iam non agamus, de iudiciis vero criminalibus infra futurus ſit dicendi locus: iam quidem his non immoramur. Nec reliquas ab auctore *des richt-ſteigs* recenſitas.

§. CXXXXVIIII.

Quod ad medii aeui iura, quae ſpecula SAXONICVM et SVEVICVM ſiſtunt, attinet: de priore aliquid addere ſuperuacuum eſſet futurum, quia totus ille libellus, *der richtſteig*, ex iure prouinciali Saxonico depromtus eſt, auctorque illius, vel quicumque alius, in margine vbique notauit, vnde ſua hauſerit. In LVDOVICIANA ſane editione, quae iam ſola ad manus eſt, hae remiſſiones, quas vocant, ſingulis capitibus actionumque generibus adſcriptae ſunt. Itaque nihil ſupereſt, quam vt paucis diſpiciamus, an eadem genera actionum etiam in IVRE SVEVICO, aliiſque medii aeui legibus ac ſtatutis praeſidium reperiant? An diuiſiones ab hoc auctore traditae iuri Saxonico congruunt?

§. CL.

Et IVS quidem GOSLARIENSE in omnibus his geminum eſſe IVRI SAXONICO, iam ſupra obſeruauimus. Ad SVEVICVM quod attinet, nemo dubitauerit, quin illud diſtinguat actiones CIVILES et CRIMINALES. Sed et MIXTAS eo iure proditas fuiſſe, tum quae ex ciuilibus in criminales, tum quae ex criminalibus in ciuiles degenerabant, ſatis perſpicuum eſt ex *cap.* 99. §. 1. 160. §. 5. 117. §. 2. *ſequ.* 158. Ciuiles porro vel perſonales erant ex contractu, *vmb ſchuld*, ceu patet ex *cap.* 92. vel reales ex iuribus in re, *vmb gut*, veluti *cap.* 121. vel ex perſequutione rerum furtiuarum, *van anefanghe*, de quibus *cap.* 158. vbi et vocabulum illud *anefangen* occurrit in SCHILTERIANA *cap.* 312. (*der ſol ſin gut wol anuahen*) et in rubrica ipſa: *Der diuphait oder raup kauffet, vnd daz angeuangen wirt:* nec non in BERGERIANA *p.* 343. (*vnd der mag ſein gut* ANVENGEN *mit des richters vrlaub:*) quum in MEICHSNERIANA perperam legatur: *mag er ſein gut wol* ANFALLEN *mit des richters vrlaub.* Ius Sueuicum prodidit actiones *vmb ſchuld*; *vmb gut* et *vmb anefang.*

§. CLI.

Quumque AVCTOR *des richtſteigs* actiones *de rebus creditis*, ſeu perſonales ex pactis et contractibus, diuidat in eas, quae ex mutuo, In eodem iure fundamentum

habent actiones *vmb borge, vmb louede, van erues wegen, et van vnterwinding.*

tuo, commodato ſimilibuſue contractibus oriuntur, *vmb borge*; quae ex promiſſis dantur, *vmb louede*, nec non quae ex facto defuncti naſcuntur, *van erues wegen*, et quae ad nominandum auctorem dantur, *van vntervvindinge*: (§. 137.) has quoque actiones omnes in iure Sueuico reperimus. De primo enim genere actionum agitur *cap.* 130. De ſecundo exſtat *caput*, cui rubrica eſt: *Der dem andern icht gelobt*, in BERGERIANA *p.* 326. quod in MEICHSNERIANA non reperitur. De tertio *cap.* 254. *ſequ.* denique de quarto * *cap.* 158. *ſequ.*

* *Auctor* in MEICHSNERIANA *cap.* 159. vocatur *der gevvehre*, vti apud Saxones *der vvehrmann*: in BERGERIANA *p.* 321. *der geſcholl*, quamuis et *ibid. p.* 344. vocabulum *der gevvere* occurrat. *Geſcholle* vero eſt a *ſchollen* vel *ſollen*, idque pro debitore vel reo in IVRE AVGVSTANO fere ſemper vſurpari, obſeruat SCHILTER. *in gloſſar. Teut. p.* 358. Illa nominatio auctoris in criminibus furti et rapinae vocabatur *der ſchub: weil man dieſe verbrechen auff einen andern ſchob.* Sic enim ſaepe is, apud quem res furtiuae deprehendebantur, auctorem ſuum nominabat, a quo cauſſam haberet. Is deinde eo nomine actione pulſatus, iterum alium, hic denuo alium nominabat, idque vocabatur *der ſchub.* IVS PROV. SVEV. *cap.* 163. §. 3. et *cap.* 160. 162. 169. 172. §. 3. Non ergo *ſchub* proprie eſt indicium rei furtiuae, ceu vocabulum hoc interpretatus eſt THOMAS. *de occaſ. concept. ac intent. conſt. crim. Car.* §. 23. *p.* 34. *ſequ.* nec ipſa rei furtiuae deprehenſio, ceu viſum eſt DATTIO *de pace publ. Lib. I. cap.* 1. *num.* 71. ſed nominatio auctoris. Vnde in cauſſis ciuilibus ita vocatam eſſe litis denunciationem, obſeruauit SCHILTER. *gloſſ. Teut. p.* 720.

§. CLII.

Nec non actiones de variis rebus mobilibus.

Nec minus actiones omnes, quas AVCTOR *des richtſteiges* de REBVS MOBILIBVS, FEVDIS et ALLODIIS dari oſtendit, apud Sueuos receptas fuiſſe, facile poteſt demonſtrari. Quod enim ad *res mobiles* attinet, de *rebus inuentis* agit IVS PROV. SVEV. *cap.* 389. de *emtis cap.* 247. §. 1. * de *datis* vel *commendatis cap.* 243. §. 2. de *furi ereptis cap.* 158. de *hereditariis cap.* 408. *De adquiſitis* quamuis nihil ſpeciatim cautum reperiam: in Sueuia tamen hodienum frequentiſſimum eſt vocabulum iuridicum *die errungenſchafft* vel *errungene güter*, quod ſane argumento eſt, rerum quoque adquiſitarum, maxime quod ad communionem inter coniuges attinet, ſingulare ibi ius fuiſſe.

* Quum aliquando homines dicis cauſſa res ſuas, ſiue allodiales, ſiue feudales, ob imminens periculum, vel concurſum praeuiſum venderent, et quidem veluti ſub pacto fiduciae; ſeu ea lege, vt defunctis periculo bona vendita redderentur: ea quoque fraus occaſionem dabat variis actionibus.

bus. Vocabatur ea venditio iure Germ. FLVCHTSAAL, idque vocabulum ita deſcribitur ab auctore IVRIS SVEV. *cap.* 132. *Vnd iſt, daſs ein mann gelten ſoll, vnd ſetzet ſein gut in eines andern mannes hand, dann in des hand, dem er gelten ſoll, das heiſset fluchtſaal.* Conf. IVS FEVD. ALAM. *cap.* 109. et 124. IVS FEVD. SAX. *cap.* 58. et GLOSS. *ad ius prou. Sax. Lib.* I. *cap.* 44. Ex quibus locis patet, prohibitam fuiſſe huiuſmodi alienationem in fraudem vel domini, vel creditorum, factam, et feudum, hoc modo alienatum amiſſum eſſe, niſi alienatio intra 6. hebdomadas reuocata fuiſſet, vel fugitiuus deceſſiſſet. Plura de hac alienatione vel ſubinfeudatione dixit SCHILTER. *commentar. ad ius feud. Alam. cap.* 7. *p.* 387.

§. CLIII.

Itemque variae actiones de feudis.

Quum porro actiones de FEVDIS, ab AVCTORE *des richtſteigs* recenſitae, vel ad feuda *emta*, *nondum tradita*, vel ad *indiuiſa inter fratres*, vel ad communia, ex quibus quis alterum expellere conſtituit, pertineant: de primo caſu IVS FEVD. SVEV. agit *cap.* 22. de altero *cap.* 65. de tertio *cap.* 31. Nec omittendae actiones, quae de ALLODIIS dabantur. Et *primum* quidem genus actionis, quo quis hereditatem petens praeſcriptione ſubmouebatur, non videtur locum habuiſſe apud Sueuos ob regulam, quam in IVRE PROV. SVEV. *cap.* 270. et SAX. *Lib. I. art.* 29. inculcari animaduertimus: *Das reich vnd die Schvvaben mögen ſich nicht verſaumen an ihrem erb, dievveil ſie es erzeugen mögen. Alterius* vero exemplum eſt in IVR. SVEV. *cap.* 293. *Tertii* IBID. *in edit. Berg. p.* 33. Nec *quartum* ignoraſſe arbitror Alamannos, quamuis iam locum fruſtra me quaerere, fatear.

§. CLIIII.

Actionem apud Francos nemo edebat niſi impetrata prius venia.

De CRIMINALIBVS actionibus, vel, vti Romani vocare malebant, accuſationibus, infra ſuo loco dicere licebit. Iam, quomodo actor aduerſario ſuo edere actionem conſueuerit, paucis dicemus. Primo omnium obſeruo, tanta Germanos veneratione proſequutos eſſe iudices, vt non prius actionem proponerent, quam venia loquendi ab iis impetrata. Pertinet huc formula LEGIS SAL. *tit.* 53. *§.* 2. *Rogo te, tunzino, vt Neiſtigante* * *gaſſachio meum illum, qui mihi fidem fecit, (legitimum enim mihi debet debitum,) ſecundum legem Salicam mihi adſtringas.* Ad quae tunzinus vel decanus: *Ego Neſtigantio Gaſachio illo tuo in hoc mallo, quod lex Salica habet.* Apud RIPVARIOS, teſte eorum LEGE *tit.* 55. formula erat: *Ego vos (rachimburgios,) tangano, vt mihi legem dicatis.* Cuius formulae tanta erat vis, tantumque pondus, vt qui ita rogati ius dicere nollent, 15. ſolidis mulctarentur. Conf. LEG. SAL. *tit.* 60. *§.* 1.

* Mon-

* Monſtrum hoc vocabuli Eccardvs *ad leg. Sal. p.* 95. idem Francis fuiſſe exiſtimat, quod ICtis Romanis Lucius Titius, Sempronius, vel in §. 2. *Inſt. quib. mod. toll. obl.* A. Agerius et Numerius Nigidius. Et ſane tale quid ſignificare illud *neſtigante*, ex altera Legis Salicae editione, a Carolo M. emendata, patet, vbi haec formula verbis magis perſpicuis ita exprimitur: *Rogo te, iudex, vt hominem illum* denominatvm, *gaſachionem meum, qui mihi fidem fecit, de debito tali denominato, ſecundum legem Salicam mihi cum inde adſtringas.* Vbi, qui in antiqua editione eſt *neſtigante* in hac recentiore eſt *homo ille denominatus.* Tangano, quo verbo vſos eſſe diximus Ripuarios, idem eſt ac rogo, vel adiuro. Glossa apud Lindenbr. p. 1485. tangano *adiuro, interpello*, procul dubio a Germanico *dingen* vel *thiggen*, quo pro orare vtitur Otfredvs *Lib. I. cap.* 4. et alibi paſſim. Coniectura enim Eccardi *p.* 103. verbum hoc eſſe a Germanico *zange*, quod Saxonibus ſit, *tange*, tam a re aliena eſt, vt, forcipibus et fidiculis omnibus adhibitis, ad Francicum illud tangano trahi vix poſſit.

§. CLV.

Quod et medio aeuo obſeruatum.

Idem et medio aeuo obſeruatum video: idque luculenter probari poteſt ex avctore *des richtſteigs*, qui omnibus fere actionibus huiuſmodi veniam petendi formulam praemittit, veluti *cap.* 7. 8. *Here her Richter wil gy N. wort hören?* cui iudex reſpondere iubetur: *ya. cap.* 10. *Here her Richter, N. biddet eines ordels. cap.* 11. *Here her richter, ick klage gode vnd yvv, dat N. ſyn. N. hebbe, vnd bidde, das gyene darumme to ter antvverde beyden.* Et in cauſſis criminalibus, de quibus *cap.* 31. *Eya here her richter, ick bidde dorch Got eines mannes, de myn wort ſprecke. Here her richter N. de biddet, dat he mute bringen vor yu in dat gerichte einen, de he bereden will, dat he ſyn deef ſy, vnd den he in der hanthaffiigen daet begrepen heft. Heere her richter, wil gy dorch Got vnd dorch des rechten willen N. wort vort horen.* Sic nemo omnino in iudicio vel pro ſe, vel pro alio poſtulabat, adeoque nec actionem edebat, nec exceptionem proferebat, niſi rogata prius venia. *

* Quin nec diſcedere e foro cuiquam licebat, niſi impetrata venia. Ac proinde ſtatim initio iudicii iudex de conſilii ſententia edicebat, ne quid in iudicio fieret ſine venia *Er gebot dinges laub*, vti eſt in ivre prov. Sax. *Lib. I. art.* 59. ad quae verba glossa notat: *Dinges laub das iſt, daſs niemands ohne vrlaub hinweggehen, vnd das geding oder gerichte laſſen möge, ehe es aufgegeben wird. Welches aber allein von den ſchoepfen, den klägern, vnd antvvortern geſaget iſt.* Quemadmodum vero apud Francos nihil ſine venia a iudice impetrata in iudicio dicendum faciendumue erat, et tamen non licebat iudici rogato cuiquam ſui copiam negare: ita idem et medio aeuo obſeruatum eſſe, nouimus. ivs prov. Sax. *Lib. III. art.* 16. *Der richter ſoll niemandes zu klagen verbieten, oder zu ſeiner klage hinderung thun.*

§. CLVI.

§. CLVI.

Impetrata venia, actor breuiter proponebat actionem, ſimili fere formula, qua olim Romani vti ſolebant. Quemadmodum enim hi non prolixis libellis actiones intentabant, ſed formulis vtebantur, quas vel iureconſulti, vel praetores prodiderant, e. g. AIO HVNC FVNDVM, QVI IN CAMPANIA EST, MEVM ESSE EX IVRE QVIRITIVM: AIO TITIVM MIHI CENTVM EX MVTVO DARE OPORTERE, κ. τ. λ. CAR. BRET. *ord. perant. iudic. ciuil. cap.* 24. *et* 26. ita ſimili breuitate magnopere delectatos eſſe animaduertimus maiores noſtros. Tales ſane ſunt formulae agendi in LEGE ALAM. *tit.* 56. *§.* 2. MARITVS MIHI DEDIT MORGENGEBA *tit.* 84. HIC EST NOSTER TERMINVS etc. Et in LEGE BAIVVAR. *tit.* 15. *cap.* 11. §. 1. ISTVD MANCIPIVM EGO COMPREHENDI EXTRA TERMINVM, VBI DVX EXERCITVM DVXIT. et §. 4. PATER MEVS RELIQVIT MIHI HOC MANCIPIVM IN HEREDITATEM. Conf. *tit.* 16. *cap.* 1. *§.* 2. *tit.* 17. *cap.* 2. vbi plures huiuſmodi formulae, quae actoribus, ne eas pro arbitrariis habeas, tamquam legitimae ac ſollemnes praeſcribuntur. * Actiones ſingulas veteres breui formula complectebantur.

* Et eas quidem formulas non ſcriptas offerebant: ſed viua voce praecinebant, quamuis in acta vel protocolla referrentur a ſcribis iudicii. Non ergo opus erat, vt libellus offerretur, iſque deinde cum reo a iudice communicaretur: ſed eodem die et actio edebatur, et ei a reo opponebatur exceptio, et iudex ſuper probatione pronunciabat, et praeſentes teſtes audiebat, vel reum iurare iubebat, vel certum diem certamini ſingulari vel alii huiuſmodi purgationis generi praefiniebat, et litem ſententia definitiua terminabat. Recte ergo viri docti ſuſpicantur, illas litium ambages, quas hodie in plerisque Germaniae foris miramur, nos iuri eccleſiaſtico et ciuili debere, eoque demum inuecto, tantam factam eſſe rerum conuerſionem, vt iam pridem optent cordatiores, vt fora murice ſternantur?

§. CLVII.

Morem hunc maiorum mordicus tenuerunt poſteri: idque denuo luculenter probatur ex AVCTORE *des richtſteigs*, vero Saxonum Flauio, quippe qui omnium fere actionum formulas, pauciſſimis fortaſſe, praeter cauſſidicos, notas euulgauit. Sic *cap.* 7. occurrit actio mutui: *ſo klaget N. over N. dat he eme ſchuldig ſy teyn marck, vnde biddet eines ordels, eft gy ene icht tho der antvverde byden ſchollen. cap.* 50. actio aduerſus heredem ex nomine a defuncto contracto: *N. biddet eines ordels, nademe dat he ſchulde vordert vppe N. na doder handt, eft he ſyeme icht bevvyſen ſolle. cap.* 13. actio, qua quis rem mobilem a ſe emtam perſequitur: *N. ſprecket, de ſe have ſy ſyne, vnde he hebbe ſy gegen N. ſuluen gekoſſt. cap.* 23. hereditatis petitio: *Here her richter, N. de* Itemque fiebat medio aeuo.

 biddet,

*biddet, dat gy bekennen, oder eme gunnen, dat he dat bevviſen mutte, dat he N. rechte erue ſy. Here her richter, * ſo klage ik yu, dat N. ſy gekommen, und hebbe ſick mynes deels ondervvunden, vnd bidde, dat gy en tho der antvverde beyden.* Et tales ſunt formulae actionum omnium, quae in libello iſto vtramque faciunt paginam.

* Quum tam ſaepe hactenus haec adloquutio occurrerit: *Here her richter*: operae pretium fuerit, diſquirere, quid illa ſibi velit. Poſterius *her* eſſe dominum, nemo dubitauerit. Eum enim honorem maiores noſtri habebant iudicibus, vt eos veluti κατ' ἐξοχὴν dominos, *die herren*, vocarent. Hinc frequentiſſime formulae: *Die herren ſind beyſammen, ita pronunciarunt domini*, ceterae. At quid prius *Here*? Mihi hic videtur clamor forenſis, omnibus gentibus originis Germanicae ſollemnis, et adhuc receptus apud Normannos, qui vocem hanc eloquuntur *haro*, a vetere vocabulo Celtico et Gothico *hior* gladius. Nam notum eſt, alibi pro *haro* etiamnum in cauſſis criminalibus clamari: *wapen, wapen*. Ceterum non modo in cauſſis criminalibus auditam eſſe hanc quiritationem, ſed et in ciuilibus eamdem hodie quoque audiri apud Normannos, obſeruarunt MONACHI BENEDICTINI *congregationis S. Mauri in additionibus* ad CAR. DV FRESNE *gloſſar. Lat. voce Haro, Tomo III. p.* 1064. vbi ſelectiſſimae de hac voce obſeruationes occurrunt. Eius veſtigia ſupereſſe puto in formula carnificis: *Herr richter her, hab ich recht gerichtet?* Ita enim hanc vocem veterem, ſibi non amplius intellectam, deprauarunt poſteri: quaſi carnifex accedere ad ſe iubeat iudicem, teſtem rei bene geſtae ſibi futurum. Nugae.

§. CLVIII.

Quando prolixiores inualuerint libelli, iique ſcripti.

Tales erant veteres actionum formulae. Sed ex quo in foris noſtris cauſſas agere coeperunt homines iuris Romani et pontificii principiis innutriti, vel potius DVRANDI, aliorumque eius ordinis hominum praeceptis imbuti: alia plane eſſe coepit rerum facies. Iam enim actiones non amplius ad iuris Germanici, ſed ad Romani, normam exigebantur: nec breui formula amplius intentionem ſuam complectebantur actores, ſed eam vel in articulos redigebant, quem vocabant libellum ARTICVLATVM e foro proſcriptum per REC. IMP. *vltimum* §. 27. *et* 59. vel praemiſſa facti narratione, poſitoque agendi fundamento ſubnectebant petitionem, vt iudex pro ſe litem daret, qui pragmaticis eſt libellus SVMMARIVS. Omnia etiam haec non viua voce proferebant, ſed ſcripta offerebant iudici, ex eoque nata eſt ingens actorum forenſium moles, quum ſaepe integris voluminibus cauſſam ſuam tueantur litigantes, quam olim pauciſſimis verbis non minus dextre perorabant.

§. CLVIIII.

Digitized by Google

§. CLVIIII.

Fatendum tamen eſt, paucas paſſim ſupereſſe veteris moris patrii reliquias, veluti (1. quod in inferioribus iudiciis paſſim et actio viua voce ad protocollum dictetur, et reliquae adlegationes a ſcriba iudicii eodem modo excipiantur: (2. quod in Saxonia, quamuis libellus offeratur ſcriptus, iſque ante terminum cum reo communicetur, tamen poſtea is in termino repetendus ſit viua voce, *dieklage muſs von mund aus in die feder wiederbolet werden.* Quod adeo religioſe obſeruant, vt nec ex ſchedula quidem eum legere liceat, et qui in curiis ſupremis, eam conſuetudinem neglexerit, in expenſas termini mulctamque 5. imperialium condemnetur. SCHWENDENDOERF. *ad Fibig. p.* 272. MARTINI *ad proceſſ. Sax. tit.* 5. *§.* 1. *n.* 114. Praeterea (3. quamuis alibi id non tam amare exigatur: prouocationi tamen, quam vocant, inſerant formulam: *klâger vvolle ſeine vbergebene klage nach allem ihrem inhalt vnd clauſuln von vvort zu vvort anhero viederholet haben, vnd der antvvort gevvârtig ſeyn.* SCHWENDEND. *ibid. p.* 271. MARTINI *ibid. p.* 216. Denique (4. quod quamuis libellus ſcriptus offeratur, plerumque tamen actores vtantur formula: *Klâger ſaget zu anbringung ſeiner klage.* Sed paucae hae ſunt reliquiae iuris patrii, nanteſque in gurgite vaſto.

Veteris iuris reliquiae.

TIT. V.

DE EXCEPTIONIBVS ET LITIS CONTESTATIONE.

§. CLX.

MAle actum fuiſſet cum reo, ſi, audita actoris intentione, ſtatim eo inaudito de re decreuiſſet iudex. Immo potius tam fauorabiles erant rei partes, vt nihil eorum, quae ad iſtius defenſionem pertinere videbantur, ei negandum exiſtimarent. Hinc frequens illud iuris Germanici veteris axioma: *Alles vvas ein mann vor gericht nicht thut, vvie vviſſentlichen es ſonſt vvâre, deſſelben môcht er mit ſeiner vntſchuld entgehen, vnd man môcht ihn des nicht vberzeugen.** IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 18. Itaque, quo pacto reus apud Germanos et litem conteſtatus ſit, et ſe exceptionibus aduerſus actorum intentionem defenderit, hoc titulo paullo accuratius pro inſtituti ratione oſtendere iuuabit.

Rei partes admodum fauorabiles.

* Senſus eſt, negante reo actum, qui extra iudicium geſtus ſit, non admiſſum eſſe actorem ad probationem, ſed fauorabiliores fuiſſe partes rei, ſi

hic

hic iureiurando ſe purgate veller. Id enim ſignificat phraſis : *einer klage mit ſeiner vnſchuld entgehen.* At ſimilis eſt *art.* 7. *Wer etwas borget, oder gelobet, der ſol es gelten, vnd vvas er thut, das ſoll er ſtett halten. Will er es aber leugnen darnach, er ervvehret ſich des mit ſeinem eyde, vvo er es vor gericht nicht gethan hat. Was er aber vor gerichte thut, da ſoll der mann nicht vmbſchvvehren. Denn das überzeuget ihn der ſachvvaldige vvohl mit zvveyen anderen mannen, vnd der richter ſoll der dritte ſeyn.* Et hoc quidem ius inter tria illa eſſe ait SPECVLATOR *d. art.* 18. quae inuito Carolo M. ſibi reſeruarint Saxones. At gloſſator et hanc eorum iurium originem negat, et ipſam regulam falſam eſſe exiſtimat. Ait enim : *Dieſes iſt auch vnrecht. Denn man überzeuget einen Sachſsen, vnd alle, ſo dem Sächſiſchen, recht vntervvorſſen ſind, auch nach dieſes buches recht, gleich ſo vvoll, als andere leute, vt ſupra art.* 7. 8. 13. *et* 25. *infra art.* 64. *Auch findeſtu es im andern buch im* 6. 22. 34. *vnd* 69. *articul. Vnd in dem dritten art.* 21. 24. 27. 28. *vnd* 30. *Darumb ſiehſtu, daſs es ia falſch iſt.* Qua de re plura ſuo loco.

§. CLXI.

Litis conteſtatio quid, et quotuplex? Per litis conteſtationem Germani intelligebant reſponſionem rei ad actionem ab aduerſario inſtitutam. Vnde reus a Francis dicebatur *gaſachio*, quaſi contradictor, * LEG. SAL. *tit.* 53. §. 2. a Germanis reliquis *der antvvorter.* Quum vero, qui reſpondere dicuntur, vel aiant, rem ita ſe habere, vel negent: litis conteſtationem GERMANIS vel ADFIRMATIVAM vel NEGATIVAM fuiſſe oportet. Quamuis vero ab hac reſponſione plane diuerſa fuerit litis conteſtatio Romanorum : CAR. BRET. *de ord. perantiquo iud. cap.* 30. *Antiqu. noſtr. Rom. Lib. IIII. tit.* 6. §. 42. tamen et Germanicarum gentium leges hac voce vti, animaduertimus, puta LEG. LANGOB. *Lib. II. tit.* 21. §. 23.

* GASACHIO a Germanico *ſache* deriuant plerique, veluti LINDENBROG. *in gloſſar. p.* 1406. cui *gaſachio* eſt quaſi *gegenſacher*, ECCARD. *ad leg. Sal. p.* 95. SCHILTER. *in gloſſ. Teut. p.* 347. Sed quum cauſſam non minus actor, quam reus, habere dicatur, nullaque ratio ſit, cur reus potius, quam actor, dicatur gaſachio, ſi a cauſſa nomen hoc oritur : et praeterea maiores noſtri, orthographiaeparum curioſi, litteris ch, g, k, fere promiſcue vſi ſint, dicentes *chind* pro *kind*, et *chibot* pro *gebot* : mallem *geſachionem* dictum a *ſagen. Geſagen* vero veteribus erat, quaſi *gegenſagen* reſpondere. Obſeruauit hoc auctor GLOSSAE MONSEENSIS, quam edidit PEZIVS *p.* 338. vbi GISAGET, *condixerit.*

§. CLXII.

Litis conteſtationis negatiuae effectus apud Wiſigothos. Reo *negante* actionis fundamentum, non idem vbique obtinebat. Modo enim alterutri iuſiurandum deferebatur, modo eius vice erat ſingulare certamen, modo actori probatio; modo reo onus ſeſe purgandi incumbebat, modo tum demum reus iurabat, ſi quando, probatione

batione ab vtroque litigante ſuſcepta, nondum tamen liqueret. Poſtremum obſeruabant WISIGOTHI, quorum LEGE *Lib. II. tit.* 2. §. 5. cautum erat: *Quoties cauſſa auditur, probatio quidem ab* VTRAQVE PARTE, *hoc eſt, tam a petente, quam ab eo, qui petitur, debet inquiri, et quae magis recipi debeat, iudicem diſcernere competenter oportet. Tamen, ſi per probationem rei veritas inueſtigari nequiuerit: tunc ille qui pulſatur,* SACRAMENTIS *ſe expiet.* Quumque tunc, qui iureiurando ſeſe purgauerat, innocens haberetur: eadem lege cautum eſſe videmus, vt, *poſtquam iurauerit ille, qui pulſatus eſſet, quinque ſolidos, qui pulſauerit, cogatur exſoluere.*

§. CLXIII.

Apud BVRGVNDIONES, qui litem conteſtabatur negatiue, aut ipſe ſe ad iurandum paratum oſtendebat, aut iusiurandum ab aduerſario oblatum ſuſcipiebat. Iurante alterutra parte, lis erat finita. Sin quis oblatum ab altera parte reſpueret iusiurandum, neque cauſſam eius ac conſacramentalium religioni committere auderet: integrum illi erat, ad ſingulare certamen prouocare aduerſarium, * ex quo ſi victor abiret actor, omnem ſummam libello comprehenſam nouies ex victi bonis conſequebatur: victo contra actore, omnes eius conſacramentales 300. *ſolidos mulctae nomine, abſque vlla induciarum praeſtatione, exſoluere cogebantur.* LEX BVRG. *tit.* 45. Addatur *tit.* 80. §. 2. ex cuius §. 3. conſtat, etiam eum, qui calumniatori auctor ad ſubeundum ſingulare illud certamen fuerit, eandem mulctam debuiſſe. Apud Burgundiones.

* Hoc ipſum eſt, quod in illa Burgundionum lege tam acriter reprehendunt AGOBARD. *adu. legem Gundobad. cap. 6. p. 113. Tom. I. Op.* aliique veteres. Nam primum teſtes non admittebant, ab actore productos, ſed reum iurare patiebantur, quantumuis teſtibus idoneis conuinci poſſet. *Quae vtilitas eſt*, inquit feruidiſſimi ingenii praeſul, *vt propter legem, quam dicunt Gundobadam, cuius auctor exſtitit homo haereticus, et fidei catholicae vehementer inimicus, (cuius legis homines ſunt perpauci,) non poſſit ſuper illum teſtificari alter, etiam bonus Chriſtianus? Ex qua re oritur res valde abſurda, vt, ſi aliquis eorum in coetu populi, aut etiam in mercato publico commiſerit aliquam prauitatem, non coarguatur* TESTIBVS, *ſed ſinatur* PERIVRARE, *tamquam non fuerint, per quos veritas poſſet agnoſci.* Deinde ne pueros quidem in verba ſua adigere dubitabant Burgundiones, eoque pertinet locus CAPITVLAR. *Lib. I. §. 63. Et vt paruuli, qui ſine rationabili aetate ſunt, non cogantur iurare, ſicut Gundebodingi faciunt.* Denique in ſingularia illa certamina quam maxime inuehitur AGOBARDVS *ibid. cap. 7. p. 113. Horum enim cauſſa*, inquit, *accidit, vt frequenter non ſolum valentes viribus, ſed etiam infirmi et ſenes, laceſſantur ad* CERTAMEN *et* PVGNAM, *etiam pro viliſſimis rebus, quibus feralibus certaminibus contingunt homicidia iniuſta, et crudeles ac peruerſi euentus iudiciorum, non ſine amiſſione fidei et caritatis, ac pietatis, dum putant, Deum illi adeſſe,*

ſe, qui potuerit fratrem ſuum ſuperare, et in profundum miſeriarum deiicere. Et *cap.* 11. *p.* 118. *Quum haec omnia ita ſint: quis eſt tam temerarius, vt credat, ſi duo pro aſino molino, aut quidquid etiam ſit vutus, contendant, non poſſit alter cadere, cuius illud eſſe debere putatur, quum forte aut multa; aut maiora exſiſtant peccata eius, quam alterius, pro quibus puniendus ſit? Vere haec non eſt lex, ſed nex.* Denique 14. *p.* 121. *Hic autem interrogo, vtrum cauſſa mala fuerit, pro qua bellator vterque occumbit?*

§. CLXIIII.

Apud Francos. Francos, ſaltim Agobardi aetate, ad ſacramenta et certamina ſingularia non deſcendiſſe, ſi teſtes in promtu eſſent, quibus reus negans conuinceretur, vel ex eo patet, quod Burgundiones ideo ad Francorum leges amplectendas cogi cupit Agobardvs, ne amplius teſtimonia reiiciantur idonea, nec vnicuique fas ſit, perfidiam ſuam vel iureiurando, vel gladio tueri. Et hinc tam multa ſalutaria de teſtibus praecipiuntur in capitvlaribvs, vt vel loca hic colligere velle taedioſum eſſet futurum. Contra in iiſdem *Lib. V. §.* 197. prudenter monentur iudices, ne litigantes facile ad iuſiurandum admittant: *Volumus, vt ſacramenta cito non fiant, ſed unuſquiſque iudex prius cauſſam veraciter cognoſcat, vt eum veritas latere non poſſit, nec facile ad ſacramenta veniant.* *

* Saepe quidem iureiurando ſe purgabant rei, cuius moris exemplum eſt apud Greg. Tvron. *hiſtor. Lib. VII. cap.* 23. et in annal. Bertin. *ad ann.* 831. ſaepe conſacramentales adhibebant, vti apud eumdem *Lib. VIII. cap.* 9. et *Lib. VIIII. cap.* 32. ſaepe in cauſſa dubia ad ſingulare certamen vel ad iudicium ignis, vel aquae ſiue frigidae ſiue feruentis, vel ad examen crucis confugiebant, ceu praeclare demonſtrarunt Car. dv Fresne *in gloſſar. Lat. voc. aqua, ignis, ordalia.* Sirmond. *ad Goffrid. Vindoc. Lib. III. epiſt.* 38. Balvz. *ad capitul. Tom. II. p.* 1155. Sed praeterquam quod haec omnia magis ad cauſſas criminales, quam ad ciuiles, pertinuiſſe videntur, (quamuis et in ciuilibus negotiis ad ſingularia certamina aliquando itum eſſe, obſeruet Hadr. Vales. *rer. Francic. Lib. XV. ad ann.* 590.) ſub regibus Carolingis haec iudicia Dei, quae vocabant, pro illicitis haberi coepiſſe, ſuo loco demonſtrabimus. Interim legi poteſt Agobardi libellus *contra iudic. Dei, T. I. p.* 301.

§. CLXV.

Quomodo litem negatiue conteſtati ſint Saxones? Similes fere fuerunt mores reliquarum gentium, quos tamen ideo hic fuſius recenſere nolumus, quod infra, vbi de probationibus dicendum fuerit, eos accuratius pertractandi futura ſit occaſio. Iam tantum, quae poſt Carolidarum aetatem fuerit litem negatiue conteſtandi ratio, paucis oſtendemus. Vbi denuo nobis inſigni adiumento eſt avctor *des richtſteigs*, qui libello iſto non modo formulas agendi, ſed et excipiendi, litemque conteſtandi cum cura praeſcripſit. Exemplum huiuſmodi litis conteſtationis eſt.

eſt *cap.* 8. vbi rei aduocatus, impetrata loquendi venia, ita reſpondere iubetur: *Vnſchuldich ſegt he ſick, dat he N. icht ſchuldich ſy, vnd biddet eines ordels, offt he is eme icht neger tho vntgande ſy, vven em yenne ſy over tho gande.* Et *cap.* 13. *Here her richter, ick bin des vnſchuldich, dat ick ſy eme verkoſt, vnd bidde enes ordels.* Denique *cap.* 16. *Here her richter, ick en hebbe ſyner haue nicht*, id eſt, nego, me quidquam rerum eius habere: vbi ſimul monet AVCTOR, interrogaſſe actorem, an ſi probare poſſit, reum res ſuas poſſidere, hic iurare teneatur? Ex quo intelligitur aliquando, probante actore, non condemnatum eſſe reum, ſi ſe hic iureiurando purgare poſſet.

§. CLXVI.

Sed ſufficiant haec de litis conteſtatione *negatiua.* Si reus inficiari non poterat, quod ab actore adfirmabatur: res ipſa exigebat, vt ſe EXCEPTIONE PEREMTORIA tueretur, id eſt, adlegatione vel iuris, vel facti, quo actio elideretur. Neque enim exiſtimandum eſt, tam argutos fuiſſe maiores noſtros, vt multum intereſſe exiſtimarint, vtrum ipſo iure non competeret actio, an ope exceptionis tolleretur. * Quidquid enim in iudicio proferebat reus, eo conſilio, vt actio effectu careret, illud Germani exceptionem vocabant, ſiue illud ad ius, ſiue ad factum, pertineret.

Adfirmatiuae litis conteſtationi ſubiungebatur exceptio. Haec quid Germanis fuerit?

* Notum eſt, non omnes reorum adlegationes, quibus intentio actoris eliditur, Romanis dictas eſſe exceptiones, ſed eas duntaxat, quibus actio, ſtricto iure competens, ob aequitatem excluditur. *pr. Inſt. de except. l.* 2. *pr. D. eod. l.* 12. *D. de dol. et met. except.* At tantum abeſt, vt Germani vmquam his tricis delectati ſint, vt ne recepto quidem Romano illud diſcrimen admiſerint, ſed pragmatici et hodie omnia, quae ad perimendam actoris actionem faciunt, exceptiones adpellitent, ſiue in facto, ſiue in iure conſiſtant. Hinc quotidie audimus exceptiones ſolutionis, compenſationis, rei non ſic, ſed aliter, geſtae, ceteras, quae iureconſultis Romanis exceptiones numquam dictae ſunt.

§. CLXVII.

Talium exceptionum peremtoriarum paſſim fit mentio in vetuſtis Germanorum legibus. Suffecerit vnum vel alterum exemplum. In LEGE BAIVV. *tit.* 16. *cap.* 1. §. 2. conquerente actore, reum ſuum agrum iniuria inuaſiſſe: reus opponit exceptionem antiquioris poſſeſſionis: EGO TVA OPERA PRIORA NON INVASI CONTRA LEGEM, NEC CVM SEX SOL. COMPONERE DEBEO, NEC EXIRE, QVIA MEA OPERA ET LABOR PRIOR HIC EST,

Exempla exceptionum peremtoriarum ex legibus antiquis.

QVAM TVVS. Et *tit.* 17. *cap.* 2. reus actori obuertit exceptionem dominii. Primum enim actor ita intendit: CVR INVADERE CONARIS TERRITORIVM, QVOD EGO IVSTE IVRE HEREDITATIS DONAVI? reus excipit: CVR MEVM DONARE DEBVISTI, QVOD ANTECESSORES MEI ANTEA TENVERVNT, ET MIHI IN ALODEM RELIQVERVNT, ET VESTITA EST ILLIVS MANVS, * CVI TRADIDI, ET FIRMARE VOLO CVM LEGE?

* Notanda haec loquutio, quae non modo probat id, quod ſupra docuimus, puta quod et res allodiales in alterum transferri conſueuerint per inueſtituram, (Lib. II. Pars I. §. 117.) verum etiam oſtendit originem loquutionis Germanicae, qua inueſtitura per manum exprimitur, e. g. *die geſamte hand*, pro inueſtitura ſimultanea, *handlohn* pro laudemio, cetera.

§. CLXVIII.

Ex auctore *des richtſteiges.*

Similis et poſtea fuit excipiendi ratio apud SAXONES et SVEVOS, id quod vel vno exemplo ex AVCTORE *des richtſteiges* probare licebit. Agens ille de actione, aduerſus fideiuſſores inſtituta, cap. 9. octo exceptiones reo in mundo eſſe monet, primo exceptionem ordinis: *nademe dat de ſakevveldige* (debitor principalis) *dar yegenvvardich ſy, eſt me den icht bilke beklagen ſchole?* ſecundo exceptionem diuiſionis: *eſt me eme boger, vvenne vmme ſynen antal beklagen mutte, edder ſchole an ſynen kumpanen broke vvorde?* Id enim cauetur IVRE PROV. SAX. *Lib. III. art.* 85. tertio exceptionem ſolutionis: *nademe he vor den he louede, ene bereidinge bevviſen mach, eſt he tho rechte nicht ſchole loſs ſyn?* quarto exceptionem nouationis: *nademe dat yt lovede meth dagen, met borgen, edder met ander vervvandelingh vernyet ſy, eſt he tho rechte denne icht los ſey?* quinto pacti non adimpleti, ſi nempe plures promiſerint ſe pro debitore interceſſuros, idque deinde non fecerint: ſexto exceptionem non ſubſiſtentis debiti principalis: ſeptimo compenſationis, puta, ſi pignus acceperit creditor: poſtremo exceptionem ſolutionis a debitore principali factae. *

* Ceterum ex hoc aliiſque prius libelli locis patet, exceptiones ſemper proponi conſueuiſſe per modum interrogationis. Quemadmodum enim vetere iure Rom. exceptio a praetore erat poſtulanda ac impetranda, ceu patet ex loco CICERONIS *de inuent. Lib. II. cap.* 19. *Agit is, cui manus praeciſa eſt, iniuriarum:* POSTVLAT *is, quicum agitur a Praetore* EXCEPTIONEM, *extra quam ſi in reum capitis praeiudicium fiat:* ita apud Germanos a iudice poſtulanda dandaque erat exceptio. Prius fiebat per interrogationem, vel petitionem decreti, poſterius per decretum ſeu interloquutionem. Praetor enim quaerebat ex ſcabino, an reo haec exceptio competat? eoque id adfirmante, hic ad illam

illam admittebatur. Exemplum eſt in *cap. 27. des richtſteiges*, vbi actori, rem, tamquam feudalem vindicanti reus opponit exceptionem, rem eſſe allodialem, ſtatimque interrogat, an non ſibi haec exceptio competat? et an non, ea probata, actori praeferendus ſit? et ſtatim ſequitur decretum, ipſi hanc exceptionem eſſe profuturam. Verba ita ſe habent: *So* VRAGE, *wedder du ickt neger tho beholdende biſt dynes eygenes, an dem gude, edder yt yenne tho lene neger tho behaldene ſy? So* VINT ME, *du biſt des neger.* VINDEN vero vel *finden* eſt dicere ſententiam, vel decernere. Vnde et hodie Hamburgi ſententia praetoris dicitur *eine findung* vel *niedergerichts-findung.*

§. CLXVIIII.

Habebant Germani etiam exceptiones dilatorias, tum communes cum Romanis.

Sed quum inter octo illas exceptiones, quas fideiuſſori opponi poſſe ait AVCTOR *des richtſteiges*, quaedam non ſint *peremptoriae* vel perpetuae, ſed *dilatoriae* ſeu *temporales*: inde facile patet, Germanis in promtu fuiſſe etiam huius generis exceptiones, et quidem non modo eas, quibus Romani vtebantur, veluti incompetentis iudicis, CAPITVL. *Lib. VII.* §. 283. IVS PROV. SAX. *Lib. III. art.* 25. 79. 87. iudicis ſuſpecti, LEG. WISIG. *Lib. II. tit.* 1. §. 23. CAPIT. *Lib. VII.* §. 170. 142. 143. IVR. PROV. SAX. *Lib. III. art.* 52. reſtitutionis in integrum, CAPITVL. *Lib. VII.* §. 210. *et* 211. feriarum, IVR. PROV. SAX. *Lib. II. art.* 11. excuſſionis, ſeu ordinis et diuiſionis, (§. 168.) praeiudicii, LEG. LANGOB. *Lib. II. tit.* 50. §. 1. 2. 3. et ſimiles, verum etiam quaſdam Germanis proprias, quales in primis erant exceptiones nondum praeſtitae guarandae et ſatisdationis, de quibus iam quaedam pro inſtituti ratione dicenda erunt.

§. CLXX.

Tum ſibi proprias, qualis exceptio guarandae.

Talis, inquam, praecipue eſt exceptio *guarandae*, qua quis ab alio actione ſiue ciuili ſiue criminali, pulſatus, non cogebatur prius litem conteſtari, vel tamquam contumax condemnabatur, quam actor promiſiſſet, alium ex eodem capite non acturum. Si ergo praeſtita *guaranda*, (id quod ſtipulata manu fiebat,) alius quis aduerſus reum ageret, et actor illum repellere non poſſet, hic et reo poenam, *die wehrbuſse*, debebat, (§. 142. *) et iudici mulctam, vel ſi res ſiue hereditarias, ſiue expeditorias, ſiue vtenſiles petens guarandam praeſtitiſſet, iſque inde alium acturum repellere non poſſet, et reo et iudici mulctam ſoluere cogebatur, ſimulque res amittebat. Ita rem exponit auctor IVR. PROV. SAX. *Lib. II. art.* 15. *Lib. III. art.* 14. *

 * Sue-

* Sueuos ignoraſſe arbitramur hanc *guarandam.* Praeterquam enim, quod nec eius promiſſionis, nec mulctae illius, quae vocatur *die wehrbuſs*, vſquam fit mentio: in BERGERIANA *iuris prouincialis Sueuici* editione *p.* 306. caput occurrit, a MEICHSNERO omiſſum, quo id, quod in iure Saxonico tamquam effectus guarandae deſcribitur, conſtitutioni aduocati attribuitur. En verba vtriuſque ſpeculi: *Dievveil die gevvehr ongelobet iſt*, inquit REPKOVIVS, *ſo mag der klåger beſſern ſeine klage.* Contra SPECVLATOR SVEVVS: *Dievveyl er nicht vorſprechen hat, ſo mag der chlager peſſern ſeine clag, vnd darnach nicht, wann als mann ertheilt nach den rechten.*

§. CLXXI.

Eius effectus.

Sed et hunc effectum guarandae attribui animaduertimus, quod, ea praeſtita, non amplius integrum ſit actori actionem mutare. IVR. PROV. SAX. *Lib. I. art.* 63. *Lib. III. art.* 14. Ex quo recte colligere nobis videmur, Germanos hoc promiſſum aeque pro contractu habuiſſe, ac Romanis litis conteſtatio obligationem quaſi ex contractu inuoluere viſa eſt. *l.* 33. *D. de obl. et act.* SCHILT. *Ex. XIII.* 4. Addimus, ne ad litis quidem conteſtationem obſtrictum fuiſſe reum, guaranda nondum praeſtita. Hinc quando SPECVLATOR SAXO *Lib. II. art.* 3. ſcribit: *Vmb alle ſachen, da man den man vmb beſchuldiget, da ſoll er für antvvorten zu hand, bekennen oder leugnen*, recte notat KLINGIVS: *Das iſt, vven die gevvehr angelobet.*

§. CLXXII.

Exceptio ſatisdationis de proſequenda lite, tum apud veteres,

Progredimur ad *ſatiſdationis* exceptionem. Eam iam veteribus notam fuiſſe, ſatis conſtat. In primis vero cautio de proſequenda lite in eorum legibus frequenter occurrit. Sic apud WISIGOTHOS lex *Lib. II. tit.* 1. *§.* 11. exigebat hanc cautionem, ſi feriae inciderent, et reus non eſſet perſona tam fide digna, vt nudae eius repromiſſioni ſtandum videretur. Eamdem per *vvadia* ſeu pignora praeſtare tenebatur reus, ſi quando ob exceptionem praeiudicialem lis eodem die finiri non poſſet. Exemplum ex CAPITVLARI *Ludouici Pii ann.* 826. a CAR. LABBEO edito, protulit GVNDL. *in περὶ. pandect. Lib. II. tit.* 8. *p.* 178. Denique ſi quando reus iuſiurandum et ſacramentales ſpondebat, die ad illud praeſtandum dicto, pignora deponenda erant apud iudicem, ea lege, vt pro commiſſis haberentur, niſi die illo vel iuratum vel actori ſatisfactum eſſet. LEG. ALAM. *tit.* 36.

§. CLXXIII.

tum apud Saxones et Sueuos.

Similis cautio et medio aeuo ab vtroque litigante exigi ſolebat, tum apud Saxones, tum apud Alamannos. Nam in IVRE SAX.

SAX. *Lib. II. art.* 9. legimus: *Der richter ſoll auch bürgen haben, von dem kläger, und von dem, auf vvelchen die klage gehet, daſs ſie des rechten vollkommen vvollen.* Vbi quidem interpres Latinus vertit; *vt iudici ſe repraeſentent*, adeoque intellexit cautionem *iudicio ſiſti:* ſed palam eſt, Saxonem potius intelligendum de cautione de lite proſequenda. Id enim diſcimus ex IVRE PROV. SVEV. *cap.* 3. *Da zvveen Mann für gericht geben, vnd klagen vmb gült einander an, oder vmb ander vngericht, die ſollen bürgen ſetzen, der ein, daſs er die klag vollführe, der ander daſs er der klage antvvorte, als recht ſey* *. Sed et cautionis de praeſtando iureiurando mentio fit in IVRE PROV. SAX. *Lib. III. art.* 11.

* Aliquando et de iudicio ſiſti cauebat reus, tum in cauſſis ciuilibus, tum in criminalibus. Et tunc fideiuſſores, niſi reum exhiberent, eamdem poenam ferre cogebantur, quae manſura fuiſſet ipſum reum. IVS PROV. SVEV. *cap.* 161. §. 2. *Wer ausbürget einen man von einem richter, daſs er ihn fürbringe vmb vngerichte, bringet er ihn nicht für, er muſs das alles leyden, das iener ſolt leyden.* Hinc quamuis iudex cautionem recipere ſine accuſatoris conſenſu non poſſet in cauſſis homicidii, rapinae, ſimilibuſque; IBID. *cap.* 153. tamen ſi accuſator in eo adquieuerat, et ſemel receperat fideiuſſorem, hic, non exhibito reo, capitis damnabatur: Ita enim SPECVLATOR *ibid. cap.* 326. *Es ſoll niemand da burg werden vmb einen todſchlag. Wird aber einer bürg, man toedtet ihn, als jenen.* Ex quo intelligimus, maiores quoque noſtros ex parte probaſſe conſuetudinem Graecorum, aliarumque gentium, qui ſupplicium ſumebant a fideiuſſoribus, vel vadibus, qui pro capitis reo ſeſe obſtrinxerant, de quo more legendi GROT. *de iure belli et pac. Lib. II. cap.* 21. §. 11. *n.* 2. PVFENDORF. *de iure belli et pac. Lib. V. cap.* 10. §. 12. Ex parte, inquam. Nam Saxones hac in re humaniores fuiſſe, diſcimus ex IVRE PROV. SAX. *Lib. III. art.* 9. *Wer da bürge wird vor den mann ihn wieder vorzuſtellen, vnd mag ihn dann nicht gehaben, wann er ihn wieder ſtellen ſoll, er muſs es beſſern nach dem der beklagt ward, alſo doch, daſs er der klagen zuvor übervvunden ſey. Gehet ihm aber die klage an den leib, er muſs ſein* WERGELD *geben. Vnd das wird denn dem kläger, vnd nicht dem richter. Sein gevvett aber hat der richter daran.* Attamen haec omnia intelligenda de caſu, ſi reus aufugiſſet. Nam ſi deceſſiſſet, vel alias per vadem non ſtetiſſet, quo minus reum exhiberet, procul dubio liberatus erat fideiuſſor. Nam et ſi quis pecudem ſe exhibiturum promiſerat, mortua pecude liberabatur, modo exhiberet corium. IVS PROV. SVEV. *cap.* 139. §. 2. et SAX. *Lib. II. art.* 21.

§. CLXXIIII.

Ex quibus omnibus ſimul diſcimus, nec exceptionem cautionis de iudicio ſiſti et iudicatum ſolui ignotam fuiſſe maioribus noſtris *. Sed praecipua tamen erat cautio de reconuentione, quam ſi praeſtare non poſſent rei, aliquando in carcere habitare *Exceptio cautionis de reconuentione.*

habitare cogebantur. Quum enim reconuentiones omnino probaret Germanorum Themis, et ei tamen, niſi finita conuentione, locus non eſſet: aut fideiuſſores exigebantur, aut reus mandabatur cuſtodiae, niſi bona immobilia poſſideret. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art. 61. Wo der mann recht ſodert, da ſoll er vviederumb rechtens pflegen. Kein klåger darff bürgen ſetzen, ehe denn die klage betaget vvird. Wer keinen bürgen haben mag, den ſoll man behalten in des richters gevvalt, ob der da kein erb hått, vnd er vmb vngericht klaget, oder ob die klag auf ihn gehet.*

* Sic proſcriptus non poterat proſcriptione eximi, niſi ſatiſdaret iudicatum ſolui. IVS PROV. SAX. Lib. *III. cap.* 18. *Bürgen ſoll der geachtete ſetzen, daſs er wolle vorkommen ſich zu verantvvorten. Hat er der burgen nicht, der richter ſoll ihn behalten, bis daſs er rechtens pflege.* IVS PROV. ALAM. *cap.* 153. *Ein veråchter mann, will er ſich aus der achtziehen, ſo ſoll er für den richter kommen vngefangen vnd vngebunden, der ihn zu acht hat gethan, vnd ſoll ihm gevviſſe bürgen vmb der klågern ſchulde ſetzen vnd vmb ſein buſſe, vnd ſind die klåger da zugegen, die ſollen die burgſchafft ſelbſt empfangen vmb ihr anſprach. Vnd nimmet der richter vngevviſſe bürgen, der richter ſoll den ſchaden han, vnd nicht die klåger.* Et *cap.* 89. *Wer der klåger vor gericht ſchuldig wird, oder der, auf den die klage geht, da ſollen ſie bürgen vmb ſetzen, ob ſie nicht gutes in dem gericht haben. Wer nicht bürgen hat, den ſoll der fronbot behalten.*

§. CLXXV.

Exceptio linguae actoris ſibi ignotae.

Singularis quoque et propria Germanis erat exceptio dilatoria, qua vtebantur rei, qui alia lingua, quam quae illis vernacula erat, conueniebantur. IVS PROV. SAX. *Lib. III. art.* 71. *Ein ieglich man, den man beſchuldiget, der mag vvol vviedern zu antvvorten, vvo man ihn nicht beſchuldiget mit der ſprach, die ihm angeboren iſt, als ob er nicht deudſch kan, vnd ſein recht dazu thut,* (i. e. ſi hoc iureiurando confirmet,) *ſchuldiget man ihn dann an ſeiner ſprach, ſo muſs er antvvorten, oder ſein fürſprech von ſeiner vvegen, alſo daſs es der klåger vnd der richter vernemen mögen. Hat er aber einſt deudſch geklaget, oder geantvvortet, oder vrtail geſunden vor gericht, vnd mag man es gezeugen, er muſs vvieder antvvorten zu deudſch, (ohn vor dem reich) dann alſo hat ein ieglich mann ſein recht nach ſeiner geburt *.*

* In IVRE PROV. SVEVICO *cap.* 80. § 6. *editionis Meichſnerianae* (in Bergeriana enim haec deſiderantur,) caput hoc paullo aliter ſe habet. Nam primum cauetur, vt ſi quis, actione pulſatus, linguam, qua actor vſus eſt, calleat, nec tamen litem conteſtari velit, iudex ei tres dilationes concedat, et ne ſic quidem reſpondentem tanquam confeſſum et conuictum condemnet, et

Digitized by Google

et praeterea mulctam exigat ob contumaciam. Deinde ſi quis linguae, qua conuenitur, ignarus eſt, ſpeculator Alamannus ei aduocatum, linguae iſtius gnarum dari iubet. Si huius non ſit copia, diſtinguit, ſitne reus *in αὐτοφώρῳ* deprehenſus, vel ab aliquo viſus, dum furtum faceret, an teſtibus conuinci non poſſit. Priore enim caſu condemnari eum iubet, de poſteriore vero praecipit: *man ſolle ihn behalten, biſs man ihm gevvinnet einen, der ſein ſprach kan.* Denique additur, pro confeſſo habendum eſſe, quem teſtes linguam callere adfirment, ſi litis conteſtationem pertinaciter refugiat.

§. CLXXVI.

Denique et id addimus, non prohibuiſſe exceptiones dilatorias, a reo oppoſitas, quominus is litem conteſtaretur, ſed eum ad reſpondendum obſtrictum fuiſſe, ſaltim ſub conditione, ſi ſatisfactum eſſet his exceptionibus. Interea dum iis nondum fuerat ſatisfactum, perinde erat, ac ſi litem nondum eſſet conteſtatus. Et huc pertinet locus IVR. PROV. SAX. *Lib. III. art.* 30. *Dievveil ſich der mann antvvortens vvehret, mit vrteilen vnd mit recht, dievveil ſo hat er nicht geantvvortet.* Cuius manifeſtus ſenſus eſt, puta non videri qui reſpondit, reſpondiſſe, donec iudex ſuper reſponſione fuerit interloquutus.

Exceptionibus dilatoriis non differebatur litis conteſtatio.

§. CLXXVII.

Talis fuit veterum litis conteſtatio: tales exceptiones, tum peremtoriae, tum dilatoriae. Cuius veteris iuris Germanici paucae quaedam in foris noſtris reliquiae ſuperſunt. Nam inde eſt, (1. quod adhuc in terris Saxonicis exigitur praeſtatio guarandae, (2. manu ſtipulata, vel tacto iudicis baculo, praeſtanda, et (3. in actis conſignanda. CONST. SAX. *Part. I. Conſt.* 4. et ibi MOLLER. et CARPZ. Quo pertinet formula, qua reus vti ſolet: *Geſtalt denn kläger die gevvehr hiemit angelobet, vnd ſolches ad acta zu regiſtriren bittet*: itemque formula regiſtraturae, quam vocant: *Acto hat N. N. die geforderte gevvehr der klage durch einen hand-ſchlag (vel an den gerichtsſtab) vvürcklich angelobet, vnd iſt ſolches zur nachricht hieher regiſtriret vvorden.* SCHWENDEND. *ad Fibig. p.* 475. (4. Quod ne in criminalibus quidem cauſſis accuſator immunis ſit a guaranda praeſtanda, CARPZ. *proceſſ. Sax. tit.* 9. *art.* 4. *n.* 31. quamuis (5. ea ceſſet in cauſſis exſequutiuis, COLER. *proc. exſequ. Part. IIII. cap.* 3. *n.* 17. nec non (6. in ſummariis, CARPZ. *ibid. n.* 43. quales (7. et matrimoniales habentur. BEVST. *de ſponſal. et matrim. Part. I. cap.* 1.

Concluſiones quaedam de guaranda.

§. CLXXVIII.

eiuſque effectu.

Quamuis vero (8. dirus ille effectus, puta *die vvehrbuſſe*, hodie omnino in foro ceſſet: * non tamen plane inanis haec eſt guarandae praeſtatio, ſiquidem actor, praeſtita illa, nec (9. actionis libellum amplius mutare, nec (10. iusiurandum deferre poteſt. MOLLER. *ad part. I. Conſt. elect.* 4. *n.* 11. *ſequ.* BERLICH. *Part. I. concl.* 19. *n.* 14. Quare (11. non modo pragmatici ſuadent, vt reus non prius, quam poſtulata guarandae praeſtatione, litem conteſtetur, FIBIG. *cap.* 2. §. 12. *n. l. p.* 470. ſed et (12. iudex actorem contumacem, ſi citatus ſe non ſiſtat, condemnat in impenſas, reumque ab inſtantia abſoluit hac interloquendi formula: *Daſs beklagter von dieſer inſtanz billig zu abſoluiren, klâger auch demſelben die vnkoſten zu erſtatten, vnd caution de lite proſequenda zu beſtellen ſchuldig.* SCHWENDEND. *ad Fibig. p.* 471.

* Hinc praeſtationem guarandae hodie pragmatici vocant actum cum nullo actoris periculo coniunctum, ac proinde guarandam et a procuratore, licet ſpeciali mandato non inſtructo, promitti poſſe cenſent. CARPZ. *Proceſſ. tit.* 5. *art.* 2. *n.* 53. SCHWENDEND. *ad Fibig. p.* 475. qui ſimul obſeruat, vrgente reo ſpeciale mandatum, interloquutionem ſequi ſolere: *Daſs klâger die geſonnene gevvehr der klage zur nothdurfft angelobet, derovvegen beklagter ſeines vorvvendens vngeachtet auf dieſelbe ſich einzulaſſen ſchuldig.*

§. CLXXVIIII.

Nec non de cautione pro reconuentione et expenſis.

Praeterea inter iuris patrii reliquias referri poteſt (13. cautio pro reconuentione et expenſis, Romanis ignota, at (14. in Germania vbique neceſſaria, ſi actor non poſſideat immobilia, reuſque (15. illam ante litis conteſtationem petat. CARPZ. *Lib. II. reſp.* 76. Et ſane haec cautio non modo in cauſſis ordinariis, verum etiam (16. in ſummariis et exſequutiuis recte exigitur, COLER. *proc. exſequut. Part. IIII. cap.* 3. *n.* 20. non tamen (17. in matrimonialibus, BERL. *Part. I. concl.* 20. *n.* 18. nec (18. in criminalibus, quidquid hic obiiciat CARPZ. *Part. I. conſt.* 5. *def.* 23.

§. CLXXX.

De euentuali litis conteſtatione.

Id quoque ex iure vetere patrio reliquum eſt, (19. quod licet quis plures exceptiones dilatorias actori opponat, nihilominus tamen litem in euentum, vti loquuntur, conteſtari teneatur, et, (20. ſi id non fecerit, condemnetur in expenſas,

et

Digitized by Google

et (21. litis conteſtatio illi iniungatur ſub poena confeſſi et conuicti. Neque enim Germani, pertaeſi diuturnarum litium, ferre poterant, vt partes hoc obtentu litem protraherent, ac proinde (22. voluerant, vt ſuper exceptionibus dilatoriis et litis conteſtatione vna eademque ſententia interloquutoria pronunciaretur.

§. CLXXXI.

De modo litigandi introducto iure can. et ciuili.

Sed fatendum eſt, has quoque veluti fractas e naufragio tabulas eſſe, et pleraque in foro et hic mutaſſe ius canonicum, et ciuile, ſemel receptum, idque eo facilius fieri potuiſſe, quo lubentius ordines imperii ordinem iudicii cameralis veluti pro lapide Lydio, ad quem iudicia ſua componenda eſſent, haberent, eumque omnium perfectiſſimum eſſe putarent atque aequiſſimum. * Hunc vero plane ad normam iuris ciuilis et canonici eſſe compoſitum, ſtatim vnuſquiſque animaduertit.

* Antea ſane perſuaderi non potuit imperii ordinibus, vt recepta litigandi ratione taedioſiore, qualem ius canonicum inuexerat, antiquo iudiciorum ordini nuncium mitterent. Immo potius ſub Fridrico Auſtriaco ſerio actum eſſe animaduertimus de iudiciis patriis conſeruandis, et iureconſultis Romanis ex foro proſcribendis. Qua de re plura diximus in *Hiſt. iur. ciuil. Lib. II. cap. 4. §. 99.*

TIT. VI.

DE PROBATIONIBVS ET PVRGATIONIBVS.

§. CLXXXII.

Lite conteſtata vel probatio vel purgatio requirebatur.

PRobatio litis forenſis quaſi caput eſt et fundamentum. Quum enim reus raro tam ſit veritatis amans, vt, quod ei ab actore obiicitur, illico fateatur, aliquando etiam actor per calumniam multa de reo mentiatur, quae illi in mentem numquam venerunt: neceſſe eſt, vt vel actor intentionis ſuae fundamentum, vel reus exceptionem probet, vel hic iuſtam ſuſpicionem, in quam adductus eſt, ſaltim a ſe amoliatur, quorum prius PROBATIONEM, poſterius PVRGATIONEM vocamus.

§. CLXXXIII.

Vtraque quotuplex ſit?

Probatio apud Germanos quoque modo per *teſtes*, modo per *inſtrumenta*, fiebat: nec minus, deficientibus aliis probandi mediis, *iusiurandum* deferebatur. **Pvrgatio** vero, ex quo ius eccleſiaſticum mores Germanorum, ferro aliiſque modis temerariis tuendi innocentiam, damnauit, in *canonicam* et *vulgarem* diuiditur, quamuis olim vulgarem *iudicium Dei* vel *ordelam*, * quaſi *Gottes vrtheil* vocare mallent.

* *Ordela* vel *ordalium* eſſe ipſum Germanorum *vrtheil*, poſtea ſpeciatim ad illas purgationes tranſlatum, recte obſeruat Hickesivs *Vol. II. p.* 149. Exiſtimabant enim veteres, Deum ipſum quaſi ferre ſententiam, et dare litem ſecundum alterutrum, cui bene iſta exploratio ceſſerit. Quamuis enim aliquando et purgatio per ſacramentum iudicium Dei vocetur, veluti a Greg. Tvr. *de mirac. Lib. III. cap.* 19. et in lege Langob. *Lib. II. tit.* 52. §. 15. id tamen rarius fieri animaduertimus, plerumque autem, tunc Deum iudicare, dictum legimus, ſi ex ſingulari certamine aliquem illaeſum abire, vel ferro candente non laedi contigerit. Hinc illa capitvlar. *I. ann.* 809. §. 20. *Vt omnes iudicio Dei credant abſque dubitatione*, leg. Bvrg. *tit.* 45. *Deo iudicante confligere*, Greg. Tvr. *Lib. VII. cap.* 14. *Ponere aliquid in iudicio Dei*, leg. Langob. *Lib. I. tit.* 15. §. 2. *Per pugnam ad iudicium Dei decernere.* Quin ſicuti Germanice has purgationes ſimpliciter et ſine addito vocabant *ordel*: ita id et Latine aliquando exprimebant per vocabulum, *iudicium*: veluti in concil. Mogvnt. *ann.* 888. *Can.* 23. *Aut* ivdicii *examine, aut ſacramenti, proteſtatione ſe expurget.*

§. CLXXXIIII.

Iure Wiſigothico pars vtraque probabat.

De probatione ergo quaeritur primum, cui illa iure vetere Germanorum incubuerit? Deinde quomodo ea ſuſcepta et impleta fuerit? denique quodnam eius fuerit effectum? Et iure quidem Romano actoris fuiſſe probare actionem, rei exceptionem, inter omnes conſtat. Idem principium ſequutos animaduertimus Wisigothos, non ignaros iuris Romani, quippe qui non modo ab actore, verum etiam a reo, probationem exigebant, arbitrio relicto iudici, vtrius partis probationes validiores iudicet. lex Wisig. *Lib. II. tit.* 2. §. 5.

§. CLXXXV.

Itemque iure Francico.

Idem et de Francis, aliiſque originis Germanicae gentibus, videtur dicendum. Saltim illos vtrique parti indulſiſſe, vt teſtes producere poſſent, patet ex capit. *Lib. IIII.* §. 45. At prius ipſi iudices ex officio audiebant teſtes, et in rei veritatem inquire-

quirebant. *Et ſi nec per illos veritas inueniri poterat, tunc licebat litigantibus ex vtraque parte teſtes adhibere: et, ſi diſcordarent, ſecundum conſtitutiones promulgatas examinabantur.*

§. CLXXXVI.

At SAXONES exiſtimaſſe, reum Saxonem teſtibus conuinci non poſſe, ſed potiorem eſſe ad rem praeſtito iureiurando retinendam, quam actorem ad reum de actu extra iudicium explicato teſtibus conuinciendum, iam ſupra ex IVR. SAX. *Lib. I. art.* 18. *et* 7. probauimus ſimulque oſtendimus, gloſſatorem et originem huius iuris, et ius ipſum in dubium vocare. (§. 160.) Cuius argumentis, quid roboris inſit, paucis iam diſpiciendum fuerit. Ipſe enim ad alios iuris Saxonici textus ſe refert, ex quibus adpareat, reum etiam apud Saxones teſtibus conuinci omnino potuiſſe. * An et iure Saxonico?

* Nimirum primo ipſum profert *art.* 7. *Lib. I.* Sed hic manifeſto agit de actu in iudicio, vel apud acta explicato: *Was der mann vor gerichte thut, da ſoll er nicht vmb ſchwehren. Denn des überzeuget ihm wol mit zweyen andern mannen, vnd der richter ſoll der dritte ſeyn.* Idem etiam dicendum de *art.* 8. vbi de iudicis teſtimonio de re coram tribunali ſuo geſta agitur: *Des muſs der richter ſelb ſiebende ſeiner dingmanne oder anderer erbarer leute, die ein Vrtheil finden mögen, gezeug ſeyn. Des fronbothen gezeugnis ſtehet vor zween mann, ob man es bedarff, da man mit ſieben mann zeugen ſoll*: Nec non de *art.* 13. vbi liberi ſeparati iubentur bona conferre non ſeparatis, ſi cum iis familiam erciſcere velint, et quidem praeſtito iureiurando. Additur exceptio: *Iſt es aber ander gut, das man es beweiſen mag, da mögen ſie nicht für ſchweren.* Vbi procul dubio intelliguntur bona liberis ſeparatis apud acta vel in iudicio adſignata. Nam ita paullo poſt ipſe SPECVLATOR: *Verloben ſie es vor gericht, ſo mag man ſie baſs vberzeugen, dann ſie es vnſchuldig mögen werden.* Fruſtra porro gloſſator huc trahit *art.* 6. et *art.* 69. *Lib. II.* nec non *art.* 28. *Lib. III.* vbi non de reo teſtibus ab actore conuicto, ſed de reo, exceptionem teſtibus probante agitur: *Alle vergoltene ſchuld ſoll der man beweiſen ſelbſt dritt der leute, die es ſahen oder höreten, daſs er ſie vergalt.* Sed et *art.* 22. *Lib. II. et* 21. et 24. 25. *Lib. III.* de actibus in iudicio explicatis agunt, *articulus* vero 34. *Lib. II.* et 27. *et* 30. *Lib. III.* huc plane non pertinent, quia ibi de probationibus plane nihil legas. Solida ergo eſt SPECVLATORIS obſeruatio, neque ille ſibi ipſi contradicit, ceu gloſſatori viſum eſt. Enimuero haec omnia intelligenda ſunt tantum de cauſſis ciuilibus. Nam criminis manifeſti reos ob periculum periurii teſtibus potius conuincendos fuiſſe, quam iuriiurando ſuo committendos, facile intelligitur, eoque pertinent *art.* 64. *Lib. I. art.* 34. *Lib. II.* in quibus fruſtra praeſidium quaerit gloſſator.

§. CLXXXVII.

Quis eo iure probare potuerit, vel non?

Itaque Saxones diſtinguebant, ciuiliſne ſit cauſſa, an criminalis. In hac enim accuſator reum, ἐν αὐτοφώρῳ deprehenſum, *(in handhaffter that,)* teſtibus conuincere poterat. In illa denuo multum videbatur intereſſe, de actu in iudicio geſto lis eſſet, an de tali, quem quis extra iudicium explicaſſet. Priore enim caſu itidem teſtibus locus erat: poſteriore reus potius vel iureiurando ſe purgabat, ſi litem negatiue eſſet conteſtatus, vel exceptionem ſuam, ſi id mallet, teſtibus probabat.* Quibus obſeruatis omnes IVRIS SAXONICI textus, quos ſibi manifeſto contradicere, gloſſator exiſtimat, facile conciliabis.

* Sunt tamen caſus quidam ſingulares, vbi actori licebat producere teſtes. Eo pertinet locus IVR. SAX. *Lib. I. art.* 15. *Wer dem andern ſein gut leihet, verſetzt, oder zu behalten thut, vmb beſcheid oder ohne beſcheid,* (cum conditione, vel ſine ea,) *will es ihm iener darnach verläugnen, oder ſeine erben nach ſeinem todte, dieſer iſts näher zu behalten ſelb dritte, denn iener, der es im gevvehr hat, dafür zu ſchvveren. Mag aber iener, der es im gevvehr hat, ſein fahrend gut daran gezeugen, oder ſein erbgut, oder hat es im gevvehr zu recht, er bricht ihm ſein gezeug* (probatio actoris reprobatione rei eliditur,) *ihm vverde dann gebruch an ſeiner gevvehre.* Vbi elegans exemplum probationis et reprobationis etiam apud Saxones occurrit. Sic et, qui monachum induit, idque deinde negat, vt in feudo ſuccedat, teſtibus productis, poteſt conuinci. IBID. *Lib. I. art.* 25. et *Lib. II. art.* 22.

§. CLXXXVIII.

Quis iure Sueuico?

Enimuero hae ambages non videntur placuiſſe Sueuis, qui potius actori videntur dediſſe facultatem, reum teſtibus conuincendi. Exempla ſane eius rei exſtant plurima. Actori, qui heredem ex obligatione defuncti conuenit, teſtes producere licuiſſe, patet ex IVR. PROV. SVEV. *cap.* 254. Idem etiam licuiſſe ei, qui ipſum debitorem ſuum conuenerit, argumento eſt *caput* 259. Attamen et hanc probationem actoris iureiurando rei elidi potuiſſe, vel inde colligo, quod vnicum caſum excipit SPECVLATOR SVEVVS *cap.* 259. et eumdem quidem, quem exceperat SAXO, puta ſi actus apud acta vel in iudicio geſtus eſſet. En verba: ***Was aber vor gericht geſchicht, da ſoll man nicht vmb ſchweren, niemand bey dem eyd, es gang dann dem mann an den leib, oder an ſeines leibes ein theil.*** Si ergo hoc ſolo caſu reus non admittebatur ad iusiurandum purgatorium: merito eum alias admiſſum fuiſſe dixeris, quia exceptio firmat regulam in caſibus non exceptis.

§. CLXXXVIIII.

§. CLXXXVIIII.

Probatio per teſtes. Hi a quo electi?

Sed iam de modo probandi. Probabat quis vel per TESTES, vel per INSTRVMENTA, vel per IVSIVRANDVM. De TESTIBVS primum obſeruandum, eos non ſemper produxiſſe actorem vel reum, ſed ſaepe ipſum iudicem, partes vero tum demum eos producere potuiſſe, ſi iudex neminem, qui idoneus vel rei conſcius eſſet, reperire potuiſſet. Eo enim pertinet locus CAPITVL. *Lib. III.* §. 78. *Vt quandocumque teſtes ad rem quamlibet diſcutiendam quaerendi atque eligendi ſunt, a miſſo noſtro et comite, in cuius miniſterio de re qualicumque agendum eſt, tales eligantur, quales optimi in ipſo pago inueniri poſſunt. Et non liceat litigatoribus per praemia falſos teſtes adducere, ſicut hactenus fieri ſolebat.* Quae repeti videmus in LEGE LANGOB. *Lib. II. tit.* 51. §. 5. quocum iungendus etiam §. 7.*

* Attamen apud eoſdem LANGOBARDOS IBID. §. 9. conſtituerat Luitprandus, *vt nullus comes nec eorum iuniores nullatenus praeſumant alicui homini ſua teſtimonia tollere aut extrahere, ſed permittant ei habere ſua teſtimonia, quae conquirere aut rogare potuerit. Et ſi aliquis contra hoc facere praeſumſerit, noſtra, inquit, voluntas eſt, vt ipſe veniat in noſtram praeſentiam, ibidem inde accipiat talem ſententiam, quomodo noſtra voluntas fuerit ad iudicandum.* Vt adeo hoc et ius poſtea aliquantulum immutatum videatur.

§. CLXXXX.

Quales eos eſſe oportuerit ratione aetatis et ſtatus,

Deinde vel maxime Germani exigebant teſtes idoneos, omnique exceptione maiores. Quoſdam vero ob *aetatem*, alios ob *ſtatum* vel *conditionem*, alios ob *vitae turpitudinem*, alios ob ſperatam ex dicto teſtimonio *vtilitatem*, teſtimonium dicere prohibebant. Sic ſane, quod ad *aetatem* attinet, non admittebant minorem 15. annis, CAPITVL. *Lib. VII.* §. 78. Quod ad *conditionem*, exigebant teſtes laicos, (neque enim clericos teſtimonium aduerſus laicos dicere patiebantur, ſi alia eſſet veritatem inueſtigandi ratio, * LEG. LANGOB. *Lib. II. tit.* 51. §. 12. *et* 17. ingenuos, LEG. WISIG. *Lib. II. tit.* 4. §. 3. (nam nec ſeruorum, nec ſemper libertinorum, teſtimonium audiebant, LEG. LANGOB. *Lib. II. tit.* 50. §. 1. LEG. WISIG. *Lib. V. tit.* 7. §. 12. CAPITVL. *Lib. VI.* §. 157.) homines eiuſdem pagi, LEG. LANGOB. *ibid. tit.* 51. §. 11. CAROL. M. *addit. ad leg. Sal. tit.* 2. §. 4. opulentos, vel tam locupletes ſaltim, vt mulctam, ſi peieraſſent, inferre poſſent, LEG. WISIG. *Lib. II. tit.* 4. §. 3. LANGOB. *Lib. II. tit.* 51. §. 13. BAIVVAR. *tit.* 16. *cap.* 1. §. 2. vt adeo hominum egenorum et vilium

fides

ſides ob metum corruptionis, quam maxime laboraret. LVDOVICI PII *addit. ad capit. Lib. III. §. 56.*

* Auctor huius legis eſt Ludouicus Pius, ordini ſacro alioquin deditiſſimus, addens rationem: *Nemo enim clericus, vel diaconus, vel presbyter, pro qualibet cauſſa intret in curiam, nec ante iudicem cauſſam dicere praeſumat.* Et hactenus quidem non adeo male. At quae ſequuntur, hieme Gallicana frigidiora ſunt: *Quoniam omnis* CVRIA *a* CRVORE *dicitur, et immolatione ſacrorum. Et ſi quis clericus clericum accuſans in curiam introierit, anathema ſit.* Siccine non licet curiam intrare clerico, quia curia a cruore nomen habet? Et quis vmquam ſomniauit, curiam a cruore dici? Sed non tam a cruore abhorruerunt clerici, quam a curia, quia ibi homines laici, ceu vocant, rerum potiebantur, ad quorum tribunalia venire facinus erat indignum clericorum maieſtate. Longa haec iniuria eſt, quam hic merito praetermittimus.

§. CLXXXXI.

ratione vitae, Multo magis ergo ſuſpectum videbatur eorum teſtimonium, quibus inſignis *vitae turpitudo*, omnem fidem detrahebat. Teſtes ergo eſſe oportebat viros bonos et probos, LEG. WISIG. *Lib. V. tit.* 7. §. 7. CAPITVL. *Lib. V. §.* 162. *et Lib. VII.* §. 207. Chriſtianos, CAPITVL. *Lib. VII. §.* 133. non iudicio publico damnatos, vel criminibus infames, LEG. LANG. *Lib. II. tit.* 51. *§.* 3. WISIG. *Lib. II. tit.* 4. §. 3. CAPITVL. *Lib. VI.* §. 248. non falſarios, vel periuros, LEG. ALAM. *tit.* 42. LANGOB. *Lib. II. tit.* 51. §. 4. *et* 8. non infames, LEG. LANG. *ibid. §.* 7. *et Lib. I. tit.* 35. *§.* 1. WISIG. *Lib. II. tit.* 1. §. 18. non denique Iudaeos, LEG. WISIG. *Lib. XII. tit.* 2. *§.* 10. haereticos, CAPITVL. *Lib. V.* §. 183. excommunicatos, CAPIT. *Lib. VII. §.* 153. ebrios. * CAROL. M. *addit. ad Leg. Sal. tit.* 2. §. 4. CAPITVL. *Lib. III. §.* 38.

* Tantum enim abeſt, vt ebrios teſtimonium dicere paterentur, vt non niſi ieiunis liceret teſtimonium perhibere. LEG. LANGOB. *Lib. II. tit.* 51. §. 2. *Omnino nullus, niſi ieiunus, ad iuramentum, vel ad teſtimonium admittatur.* Et §. 6. *Nullus teſtimonium dicat, aut ſacramentum iuret, niſi ieiunus.* Qui mos ad poſteros manſit, adeo, vt ſaepe audiamus homines ideo petere dilationem praeſtandi iuriſiurandi, quia iam ientaculum ſumſerint.

§. CLXXXXII.

ratione adfectuum? Denique et eorum omnium teſtimonium tamquam ſuſpectum reiiciebant, quorum intererat, alterutrum vel victorem excedere iudicio, vel opprimi. Hinc non audiebant propinquos, CAPITVL. *Lib. VI.* §. 271. adfines, LVDOV. PII *addit. Lib. IIII. §.* 7. teſtes de

de domo inimici, IBID. *Lib. III.* §. 6. et CAPIT. *Lib. VII.* §. 132. pecunia corruptos, CAPIT. *Lib. V.* §. 247. vltro ſe offerentes teſtimonio, vel in ſua cauſſa teſtaturos, CAPIT. *Lib. VII.* §. 110. immo nec ſocios criminis. CAPIT. *Lib. V.* §. 157. *et* §. 161.

§. CLXXXIII.

Teſtes iure Sax. et Sueu. inhabiles.

Nec medio aeuo aliter ſeſes res habebat. Nam et tunc plerique, quos adhuc recenſuimus, teſtari prohibebantur. Quod vt exemplis demonſtremus, SPECVLATOR SVEVVS *cap.* 76. a teſtimonio repellit impuberes, ſeu quatuordecim annis minores, feminas, niſi in certis cauſſis, ſtupidos, inſanos, qui curae propinquorum ſubſunt, caecos, ſurdos, excommunicatos, proſcriptos, haereticos, periuros. Quibus in IVRE PROV. SAX. *Lib. III. art.* 37. iunguntur omnes, qui ſe ſponte offerunt ad dicendum teſtimonium.

§. CLXXXIIII.

Teſtium numerus.

Deinde obſeruandum, non ſemper apud maiores noſtros fidem feciſſe teſtes duos, ſed aliquando tres, aliquando plures, fuiſſe producendos, pro diuerſitate cauſſarum. Sic tres teſtes requiruntur in LEGE BAIVV. *tit.* 2. *cap.* 1. §. 2. LANGOB. *Lib. II. tit.* 21. §. 28. IVR. PROV. SAX. *Lib. II. art.* 22. ſeptem in SPEC. SAX. *Lib. II. art.* 22. ſeptuaginta duo IBID. *Lib. I. art.* 6. 8. *et* 66. *Lib. III. art.* 39. Numquam vero vllius momenti erat teſtimonium vnius hominis. CAPITVL. *Lib. V.* §. 162. *Vt teſtimonium vnius hominis non recipiatur.* Et *Lib. VI.* §. 40. *Ad vnius teſtimonium nullus condemnabitur.* Ex quo merito colligere nobis videmur, ignoraſſe omnino Germanos iusiurandum ſuppletorium. *

* Attamen qui vno teſte actionis ſuae fundamentum probauerat, negantem reum poterat prouocare ad ſingulare certamen, ſiue pro conuicto, ſiue pro victore habendum, pro feralis iſtius praelii exitu. LEX BAIVV. *tit.* 2. *cap.* 1. §. 2. *Si autem* VNVS *fuerit* TESTIS, *et ille alter negauerit, tunc Dei accipiant iudicium: exeant in campo, et cui Deus dederit victoriam, illi credatur. Et hoc in praeſenti populo fiat, vt per inuidiam nullus pereat.*

§. CLXXXXV.

Ii cogi poterant ad dicendum teſtimonium.

Praeterea ne id quidem omittendum videtur, quod teſtes, ſi forte teſtimonium perhibere nollent, cogi a iudice potuerint. LEX SAL. *tit.* 52. §. 1. *et* 2. *Si quis teſtis neceſſe habet, vt donet, et fortaſſis teſtis non vult ad placitum venire, ille, qui eos neceſſarium habet, manire illos debet cum teſtibus, vt de eo, quod viderunt, teſti-*

teſtimonium praebeant, et ſi venire noluerint, et eos ſumis non detinuerit, unuſquiſque illorum 600. denar. qui faciunt ſol. 15. culpabilis iudicetur. Si vero praeſentes in teſtimonium fuerint vocati, et eaque videunt teſtimonium praebere noluerint, et perbanniti fuerint, * *600. den. qui faciunt ſol. 15. culpabiles iudicentur.*

* Berbannire, vt recte vidit Eccard. *ad Leg. Sal. p.* 95. eſt peremtorie citare, adeoque ſenſus eſt, teſtem peremtorie citatum, ſi teſtimonium perhibere detrectet, in mulctam 15. ſolidorum eſſe condemnandum. Ac proinde non modo, qui falſum teſtimonium dixerant, puniebantur, quemadmodum ſupra, quum de crimine falſi ageremus, obſeruauimus, verum etiam qui vel teſtimonium detrectabant, vel veritatem, vt loqui ſolebant, celabant. lex Wisig. *Lib. II. tit.* 4. §. 2. *Certe ſi admonitus quiſquam a iudice de re, quam nouit, teſtimonium perhibere noluerit, aut ſi neſcire ſe dixerit, id ipſum etiam iurare diſtulerit, et per gratiam aut per venalitatem vera ſuppreſſerit: ſi nobilis fuerit, teſtimonium poſtea in nullo iudicio dicere permittatur, nec teſtimonium ipſius recipiatur vlterius. Quod ſi licet ingenuae, minoris tamen fuerint dignitatis perſonae, et teſtimonio careant, et centena flagella infamati ſuſcipiant, quia non minor reatus eſt vera ſupprimere, quam falſa confingere.*

§. CLXXXXVI.

Deponere tenebantur praeſentes.

Quandoquidem vero aliqui verentur in iudicis conſpectum venire, et praeſentes dicere teſtimonium: Germani nulli eius rei gratiam faciebant, ſed eos abſciſſe in iudicium venire iubebant, multoque minus credebant, ſufficere teſtimonium ſcriptum, quod tamen ipſos Romanos aliquando admiſiſſe, nouimus. capit. *Lib. VI.* §. 145. *Teſtes non abſentes, neque per epiſtolam, teſtimonium dicant, ſed praeſentes, quam nouerunt et viderunt, non taceant veritatem: nec de aliis cauſſis teſtimonium dicant, niſi de his tantummodo, quae ſub praeſentia eorum acta eſſe noſcuntur.* Et lex Wisig. *Lib. II. tit.* 4. §. 5. *Teſtes non per epiſtolam teſtimonium dicant, ſed praeſentes, quam nouerint, non taceant veritatem.*

§. CLXXXXVII.

Auribus tracti et iurati.

Ceterum teſtibus non modo ſi ſollemnitati cuidam intereſſent, verum etiam ſi ad dicendum teſtimonium prouocarentur, aurem vellicabant maiores noſtri. leg. Baivvar. *tit.* 16. *cap.* 1. *et* 2. Quem ritum procul dubio a Romanis acceperant, quibus ſollemnis admodum fuit anteſtatio. Neque credebant teſti, niſi iurato. Exigunt ſane hoc lex Wisig. *Lib. II. tit.* 4. §. 2. lex Baivvar. *tit.* 16. *cap.* 5. Ripvar. *tit.* 50. capit. *Lib. VII.* §. 207. Attamen lex Langob. *Lib. II. tit.* 28. §. 2. gratiam iuris-

iuriſiurandi facit iis hominibus, *quibus rex aut iudex ſine ſacramento credere poſſit.* In eo vero diuerſi erant gentium Germanicarum mores, quod aliae teſtes prius examinandos *, aliae eos iureiurando prius obſtringendos, putarent. Prius exigit LEX LANGOB. *Lib. II. tit.* 51. §. 2. IVS PROV. SAX. *Lib. III. art.* 88. poſterius LEX WISIG. *Lib. II. tit.* 4. §. 2. CAPITVL. *Lib. VII.* §. 207.

* Examen vocabant *diſcuſſionem.* Antequam enim eorum teſtimonio crederetur, teſtes ſeorſum audiebant, eorum teſtimonia inter ſe comparabant, variis etiam interrogationibus eos tentabant, vt, an mentiri vellent, explorarent. Iudicibus ſane haec teſtium diſcuſſio commendatur a CAROLO M. *in addit. ad Leg. Sal. tit.* 2. §. 4. LEG. LANG. *Lib. II. tit.* 51. §. 2, *6. et 7.* CAPITVL. *Lib. III.* §. 10. *et* 51. Quum ergo periuria, quoad fieri poſſet, cauere vellent: non illico in verba ſua adigebant teſtes, ſed prius ipſam eorum depoſitionem expendebant, an fide digna, et iureiurando confirmanda videretur. Hanc rationem ipſa reddit LEX LANGOB. *ibid.* §. 7. *Quia ſi ita agatur, multi falſi teſtes poſſunt eſſe ſuperati, ſi ſeparatim interrogati fuerint.*

§. CLXXXXVIII.

Ceterum teſtes iurare tenebantur ſollemni ritu, qui apud varias Germanicae originis gentes erat varius. Apud BAIVVARIOS lege cautum erat, primum vt teſtes, quibus, tactis auriculis, teſtimonium fuerat denunciatum, inter ſe ſortirentur, iſque, cuius ſors exierit, adprehenſa eius manu, qui teſtimonium denunciauerat, iuraret verbis conceptis: AD TESTEM SORTITVS SVM, ET AD TESTEM ME FACERE VOLO, SIC ME DEVS ADIVVET, ET ILLVM, CVIVS MANVM TENEO, QVOD EGO AD TESTEM ILLVM INTER VOS PER AVREM TRACTVS FVI, DE ISTA CAVSSA AD VERITATEM DICENDAM: deinde vt hic praeſtito iureiurando arma ſua ſacranda * porrigeret, et per ea iuraret ſolus cum vno conſacramentali. LEX BAIVVAR. *tit.* 16. *cap.* 5. Quomodo iurarint per arma?

* Habes hic iusiurandum per arma, quod et aliis Germanicae originis gentibus ſollemne erat. Nam et Langobardi, ſi cauſſa ſaltim 20. ſolidorum eſſet, per ſancta euangelia: ſin minoris pretii, *ad* ARMA SACRATA *iurabant.* LEG. LANGOB. *Lib. II. tit.* 55. §. 5. Similis mos inoleuerat apud Saxones. LEG. SAX. *tit.* 1. §. 8. Et exſtant huius ritus exempla etiam apud medii aeui ſcriptores, veluti FREDEGAR. *Chron. cap.* 74. auctorem ANNAL. FRANC. a Pithoeo editorum *ad ann.* 873. AIMON. *Lib. IIII. cap.* 26. ADAM. BREM. *Lib. I. cap.* 33. Ex quorum teſtimoniis patet, et Saxones, et Danos, hoc ritu iurare conſueuiſſe, de quibus poſtremis id demonſtrauit etiam THOM. BARTHOLIN. *de cauſſ. contemtae a Dan. mortis Lib. I. cap.* 6.

Immo ne Franci quidem olim aliter iurabant, eiuſque rei teſtis eſt VEN. FORTVN. *Lib. VI. Carm.* 7. vbi de Francorum optimatibus Geileswinthae reginae fidem ſuam iureiurando obſtringentibus :

Vtque fidelis ei ſit, gens armata PER ARMA
Iurat; iure ſuo ſe quoque iure tegat.

Denique iam quarto ſaeculo auctor eſt AMMIANVS MARCELLIN. *Lib. XVII. cap.* 12. *Quados, eductis mucronibus, quos pro numinibus habuerint, iuraſſe, ſe permanſuros in fide.* Ritus tamen non omnibus idem fuiſſe videtur. Quadi enim iurabant *eductis mucronibus* : Franci *concutientes gladium, eumque teſtantes*, vti tradit ADROVALDVS : Langobardi, Boii et Saxones *tactis armis* : Alamanni et Ripuarii manum tantum chirotheca ferrea armabant. Vid. LEG. ALAM. *tit.* 89. RIPVAR. *tit.* 33. §. 1.

§. CLXXXXVIIII.

Itemque ſuper euangeliis, reliquiis ſanctorum et altari.

At poſtea morem inualuiſſe obſeruo, vt teſtes omnes vel in ſacroſancta euangelia imponentes manum, vel ſanctorum reliquias in capſis reconditas, aut aram ſaltim, iis conſecratam, tangentes iurarent. Prioris iuriſiurandi exemplum apud Langobardos vidimus. Poſterioris innumera ſuperſunt, (vid. MARCVLFI *addpend. cap.* 29. *et* 33. LEG. ALAM. *tit.* 6.) etiam medio aeuo, quo notiſſima fuit formula: *auf den heiligen ſchvveren*, cui ſimilis illa in CAPITVL. CAROLI SIMPL. *cap.* 2. §. 6. *ſuper ſacra iurare.* Attamen Francis praecipue ſanctiſſimum videbatur iuſiurandum *ſuper capella S. Martini*, * id eſt, ſuper eiuſdem reliquiis, quibus tactis, etiam palatinae cauſſae finiebantur, GREG. TVR. *Lib. IIII. cap.* 46. *Lib. VIII. cap.* 16. MARCVLF. *Form. Lib. I. cap.* 38. nec non ſuper tumulo S. Dionyſii, martyris, quem tamquam diuum regni tutelarem Franci venerabantur. GREG. TVR. *Lib. V. cap.* 32.

* *Capellam* idem eſſe, ac capſam, in qua diui cuiuſdam oſſa condebantur, eleganter probat HIER. BIGNON. *not. ad Marculf. Lib. I. cap.* 38. ex EVODIO *de mirac. S. Stephani Lib. I.* vbi auctor ille : CAPELLA *argentea, in qua erat reliquiarum portio.* Praeterea idem profert inſignem locum SANGALLENSIS *Lib. I. cap.* 4. ex quo patet, *reges Francorum* CAPPAM *S. Martini ob ſui tuitionem et hoſtium oppreſſionem, iugiter ſecum ad bella portaſſe, eamque* SANCTA SVA *adpellare conſueuiſſe.* Plura, quae huc pertinent, collegerunt Monachi Ord. S. Benedicti congreg. S. Mauri in *addit. ad* CAR. DV FRESNE *gloſſar. Med. et inf. Lat. Tom. II. p.* 26. *ſequ.*

§. CC.

Formulae iurandi improba-

In primis vero cauebant, ne teſtes vterentur formula iuriſiurandi improbatae religionis, qualis praecipue erat illa *per vitam regis liberorumque eius*, de qua CAPITVLAR. *Lib. III.* §. 42. et

et LEX LANGOB. *Lib. III. tit.* 24. *§.* 1. Eſt enim illa iurandi formula per genium, ſalutem, vitamue principis ea ipſa, a qua maxime abhorrebant veteres Chriſtiani, et ob quam tot cruciatus perferebant, Chriſtianae quippe pietati plane aduerſam. Vid. FILESAC. *ſelect. Lib. II. p.* 85. GVIL. CAVE *Chriſtianiſm. prim. Lib. III. cap.* 4. *p.* 724. *ſequ.* tae religionis.

§. CCI.

Enimuero quantumuis ſanctiſſime iuraſſent teſtes, non tamen teſtimonia eorum id pondus habebant, vt ideo actor, qui eos produxerat, victor foro excederet, vel reus, pro quo teſtes depoſuerant, abſolueretur. Plerumque enim hic iureiurando ſe purgabat: aliquando etiam ob teſtium diſſenſum alterutri ſingulare certamen erat ſubeundum. Cuius moris iam ſupra exempla quaedam tam luculenta adducere nos meminimus, vt hic actum agere merito pigeat. Effectus probationis per teſtes.

§. CCII.

Potius ad alterum probandi modum prouehimur, quem productis INSTRVMENTIS fieri, diximus. Quamuis enim veteres Germani imperiti fere litterarum fuerint: tamen ex quo aliquem litterarum vſum habere coeperunt, nihil fere publicae priuataeque rei geſſerunt, quod non retulerint in litteras, adhibitiſque vel teſtibus, vel perſonis publicis, in ſcripturam redegerint. Argumento ſunt tot Francorum, Alamannorum, Langobardorum formulae, totque gentium originis Germanicae diplomata, chartae et notitiae, quarum tam immenſus omnibus ſaeculis prouentus fuit, * vt poſt tot vaſta volumina nouum quotidie ſpicilegium relictum videamus omnibus, qui illuſtrandae hiſtoriae patriae animum adpellunt. Probatio per inſtrumenta apud Germanos ſatis antiqua.

* At ipſa diplomatum multitudo ac vetuſtas dubios reddidit viros doctiſſimos PAPEBROCHIVM *propyl. n.* 125. *ſequ.* et GERMONIVM *diſcept.* 2. *de vet. reg. Franc. diplom. cap.* 3. effeceruntque vt diplomata ſuſpecta haberent. At iis, praeter MABILLONIVM, ita ſatis feciſſe animaduertimus RVINARTVM, FONTANINVM, alioſque viros doctiſſimos, vt irritus adhuc fuerit Germonii et Papebrochii conatus, quamuis nemo temere negaturus ſit, plura in tanta veterum diplomatum multitudine manifeſto falſa eſſe, ac interpolata, haud pauca etiam ſuſpecta ſaltim et dubia, ceu patet ex tot bellorum diplomaticorum exemplis, quae ex inſtituto recenſuit illuſtris academiae noſtrae cancellarius, IO. PETR. A LVDEWIG. *praeſ. Tom. I. Reliqu. vet. MSS.*

§. CCIII.

Inſtrumentis maxime publicis fidem habebant.

Quum vero inſtrumenta vel PVBLICA, vel PRIVATA ſint: primo obſeruandum eſt, etiam veteres Germanicae originis gentes omni exceptione maiora habuiſſe *publica*, et primum quidem in ipſo iudicio a perſonis publicis ſcripta, deinde a tabellionibus confecta, demum priuatim quidem in chartam coniecta, at teſtium idoneorum ſubſcriptione munita. Priuatorum vero non perinde habitam eſſe rationem animaduertimus, niſi conceptis verbis rite ſcripta, ac clauſulis neceſſariis inſtructa eſſent. Nulla lex de inſtrumentorum fide accuratius agit, quam WISIGOTHICA. *Lib. II. tit.* 5. vbi et de requiſitis inſtrumentorum, et de eorumdem effectu, omnia, quae ſcitu neceſſaria ſunt, ſuggerit. Quare ex ea potiſſimum praecipua excerpere iuuabit.

§. CCIIII.

Wiſigothi quid in inſtrumento requiſiuerint?

Inſtrumentum apud Wiſigothos legitimum habebatur, ſi (1. dies et annus eſſet expreſſus: LEG. WISIG. *Lib. II. tit.* 5. §. 1. *et* 2. (2. Si et ipſe, ad quem cauſſa pertinebat, et teſtes idonei, quales erant, qui ſcripturam perlegerant, eamque vera complecti deprehenderant, IBID. §. 3. ſubſcripſiſſent, et addidiſſent ſigna ſua: * IBID. §. 1. et 3. vel, ipſo inſtrumenti auctore morbo impedito, alius pro eo volente, et rem ratam habente, ſubſcripſiſſet et ſignaſſet: modo poſtea teſtis ille, qui vicariam operam praeſtitit aegroto, ſcripturam intra ſex menſes coram ſacerdote et teſtibus publicaſſet: IBID. §. 1. *et* 14. (3. ſi ſcriptura illa nec vi et metu extorta, IBID. §. 5. nec (4. a ſeruo, IBID. §. 6. nec (5. de rebus turpibus confecta eſſet. IBID. §. 7. Denique id quoque (6. obſeruari volebant legiſlatores, vt nemo ſimul rem et perſonam alterius inſtrumento obligaret, ſed tantum poenam conuentionalem dupli vel tripli ſibi ſtipularetur, in eum caſum, ſi promiſſo alter non ſtetiſſet. IBID. §. 8.

* Non tamen exiſtimandum eſt, ſigilla hic intelligi, quae illis temporibus nec tam vulgaria inter priuatos, nec omnibus promiſcue conceſſa erant. Immo potius multo poſt illi demum, qui ſaltim equeſtris nobilitatis ornamentis condecorati erant, vocabantur *ſiegelmäſſige*, SCHILTER. *Exerc. X.* §. 40. Itaque per ſigna eo tempore intelligebatur vel ipſa ſubſcriptio, vel figura crucis, aliudue ſimile. Probari hoc poteſt exemplis EX TRADITIONIBVS FVLDENSIBVS, WERTHINENSIBVS, FRISINGENSIBVS, aliiſque ſimilibus. Sed ſufficiat vnicum ex *chartis Alamannicis* apud GOLDAST. *Tomo II.* n. 17. *p.* 30. vbi ſub finem formulae permutationis haec legimus: *Actum in Chirscheim in cubiculo regis publice, praeſentibus iſtis, quorum hic ſigna continentur. ſign. Totoni,*

Digitized by Google

toni, qui hoc concambium cum Grimaldo, Abbate, et aduocato ſuo, Libone, perpetrauit. ſign. Witperti, † Pero, † Vounini, † Hagano, † Libo iunior, † Vio, † Iſanhart, † Erchanfrid, † Ridhard, † Meginbert, item † Vio, item † Witpert. Ego itaque Theodhardus, Praepoſitus, vice Remmingi, presbyteri, rogatus ſcripſi et ſubſcripſi. Notaui diem Martis II. Non. April. ann. 27. regni Hludovvici in orientali Francia, ſub Karolo principe eiuſdem Hludouici, Regis, filio.

§. CCV.

Comparatum ita inſtrumentum plenam fidem faciebat: IBID. §. 1. et ſi quis deinde, productis teſtibus fidem illius eleuare auderet, nihil agebat: IBID. §. 18. immo potius in poenam conuentionalem, inſtrumento expreſſam, condemnabatur, ſaluo nihilominus inſtrumento. IBID. §. 5. Si quid, quod contra leges eſſet, inſtrumento comprehendebatur: non ideo totum inſtrumentum nullum erat, ſed id duntaxat, quod legibus repugnabat. IBID. §. 10. Denique id omne intelligendum eſt de inſtrumentis authenticis et indubiae auctoritatis. Si enim dubium incidebat, comparatione litterarum res ad liquidum perducebatur. * IBID. §. 15.

Quem iis tribuerint effectum?

* Quandoquidem hoc ex iure Romano procul dubio depromtum, atque, vt fieri ſolebat a Wiſigothis, interpolatum eſt: operae pretium fuerit, totam hic legem illam adſcribi. *Omnes ſcripturae,* inquit legislator, *quarum auctor et teſtis defunctus eſt, in quibus tamen ſubſcriptio vel ſignum conditoris, atque firmitas teſtium reperitur, dum in audientia prolatae exſtiterint, ex aliis chartarum ſignis vel ſubſcriptionibus comprobentur: ſufficiatque ad firmitatem, vel ſubſcriptionis huius indaginem agnoſcendam, trium vel quatuor ſcripturarum ſimilis vel euidens prolata ſubſcriptio. Quod ſi talibus ſcripturis legum tempora obuiauerint, pro certo decernitur, quia valere non poterunt.* Ex quo loco ſimul diſcimus, praeſcriptionem apud Wiſigothos obſtitiſſe inſtrumentis inueteratis, ſi intra tempus lege definitum non fuerint producta.

§. CCVI.

Apud BVRGVNDIONES quanti fuerint inſtrumenta, ex eorum lege non ſatis poteſt intelligi. Id tamen certum eſt, nihil eos temere vel publici vel priuati negotii geſſiſſe, quod non et in litteras referri, et a quinque, vel tribus ſaltim teſtibus, ſubſcriptionibus ſignisque firmari vellent. Saltim id non modo de donationibus, verum etiam de venditionibus, diſerte cautum eſt LEGE BVRGVND. *tit.* 43. §. 1. et 2. *tit.* 60. §. 1. et *Addit. tit.* 12. §. 3. Teſtes tamen et libertinae et ſeruilis conditionis admittebant, ſi ingenuorum non eſſet copia: IB. *tit.* 60. §. 2. et 3. et vacillante ſcriptu-

Quid de inſtrumentis ſanxerint Burgundiones?

ſcripturae fide, iuriiurando erat locus, ib. §. 4. Id quod vel ideo notatu dignum eſt, quod alioquin iusiurandum ſuppletorium apud gentes Germanicas extra vſum eſſet. *

* Et tamen non a Romanis hoc didicerant Burgundiones, quibus vere ignotum fuiſſe iusiurandum ſuppletorium, demonſtrauimus diſſertatione *de lubricitate iurisiurandi ſuppletorii*: ſed inter ipſos Burgundiones ea iurandi conſuetudo inualuerat. Verba enim Gvndobaldi *d. tit.* 60. §. 4. ita ſe habent: *Aut ſi teſtimonii fides tracta fuiſſet* (legerim: *aut ſi teſtimonio fides detracta fuiſſet*,) secvndvm consvetvdinem barbarorvm *praebeat iusiurandum.* Barbarorum autem vocabulo in hac lege ſemper venire Burgundiones, vnuſquisque animaduertet.

§. CCVII.

Quid Franci? Sed et Franci pleraque geſta litterarum monimentis conſignabant, veluti donationes, venditiones, permutationes, dotis dationes, manumiſſiones, idque non ſolum ex Marcvlfi aliiſque veterum formulis, ſed et ex ipſis eorum legibus luculenter poteſt probari. Scribebantur autem inſtrumenta huiuſmodi publice *in mallo*, adhibitis, ſi res minoris pretii eſſet, teſtibus ſeptem, ſin maioris momenti, duodecim. * lex Ripvar. *tit.* 59. §. 1. Huiuſmodi charta plene probabat etiam pro reo, qui conuentus rei vindicatione, ſecurus erat, ſi prae manibus habens chartam diceret: non malo ordine, sed per testamentvm, hoc teneo. ibid. §. 8. Si tamen aduerſarius chartam falſam vel perforatam diceret, vel ob aliam cauſſam eam in ſuſpicionem adduceret, eius probanda erat γνησιότης. Quod quomodo factum ſit, fuſius oſtendit lex Ripvar. *ibid.* §. 2. *ſequ.* Sane et comparationem litterarum factam eſſe patet ex §. 5.

* Plura de ſcripturarum et inſtrumentorum fide etiam in capitvlaribvs cauentur, veluti quod in iis euidenter exprimi oporteat annum et diem, quod et ii, qui auctores horum inſtrumentorum eſſent, et teſtes ſubſcribere et ſignis ſuis roborare litteras teneantur, quodque eae tunc habeantur omni ſtabiles firmitate, et immutari non poſſint. capitvl. *Lib. VI.* §. 146. *ſequ.* Porro, quod, qui ſcripturam proferat, veritatem eius teſtibus probare debeat, ſi in dubium vocetur. ib. *Lib. V.* §. 216. et ſi id praeſtare non poſſit, qui illam protulerit, is tamquam falſitatis reus detineatur. ib. *Lib. VII.* §. 181. *Addit. III.* §. 73. Quae ſane argumento ſunt, poſteros etiam maiorum conſuetudines legeſque ſanctas habuiſſe, et ſcripturis, quas de rebus tantum non omnibus conficiebant, plurimum tribuiſſe.

§. CCVIII.

Porro et ALAMANNIS frequentiſſimum chartarum vſum in donationibus aliiſque negotiis fuiſſe, vel formulae traditionum S. Galli, a GOLDASTO editae, et Alſaticae, quas ECCARDVS legis Salicae editioni nouae ſubiunxit, argumento eſſe poſſunt. Ipſa LEX ALAM. *tit.* 1. §. 1. in donationibus eccleſiae factis exigit *firmitatem chartae*, teſtium ſex vel ſeptem praeſentiam, eorumque nomina in ipſa charta expreſſa, quibus *tit.* 40. additur, ſcripturam non valituram, *niſi in qua annus et dies euidenter oſtendatur.* Mortuo eo, qui conficiendum curarat inſtrumentum, heredibuſque inſtrumentum in dubium vindicantibus, teſtes iurati audiebantur, ratumque erat inſtrumentum, quod hi iureiurando firmauerant. IBID. *tit.* 2. §. 1. Sin perierat charta, aut in cineres redacta fuerat, licebat heredibus, quorum intererat, cum teſtibus nominatis quinque in eccleſia iurare, quod pater nec chartam conficiendam curarit, nec donationem fecerit eccleſiae. Quo facto, ſecundum iurantem lis dabatur. IB. *tit.* 2. §. 2. Quid Alamanni?

§. CCVIIII.

Similia habemus in LEGE BAIVVAR. *tit.* 1. *cap.* 1. *tit.* 15. *cap.* 2. §. 1. *et cap.* 12. Quanta vero vis fuerit inſtrumenti rite confecti, ex eodem *tit.* 15. *cap.* 13. patet, vbi haec legas: *Pacta vel placita, quae per ſcripturam quamcumque facta ſunt, vel per teſtes denominatos tres vel amplius, dummodo in his dies et annus ſit euidenter expreſſus, immutare nulla ratione permittimus.* Et quamuis in LEGIBVS SAXONVM ANGLIORVM, et FRISONVM, ſcripturarum et inſtrumentorum non fiat mentio: vetera tamen monimenta earum gentium, ſaltim SAXONVM et FRISIORVM, dubitare nos non patiuntur, quin et negotia pleraque in ſcripturam redegerint, et inſtrumentis, rite confectis, multum ponderis ad probationem adimplendam ineſſe, exiſtimarint. * Quid Baiuuarii, Saxones, Friſii?

* Antiquiſſimum eius generis monimentum, quod ad Saxones Friſioſque peraeque pertinet, ſunt TRADITIONES WERTHINENSES, i. e. variae donationes et ex aliis titulis factae traditiones, quibus locupletatum eſt monaſterium Werthinenſe ad Ruram, quas DAN. PAPEBROCHII beneficio pactus edidit LEIBNIT. *ſcript. rer. Brunſu. Tom. I. p.* 101. *ſequ.* Ex eo chartulario pauca haec obſeruo, (1. Saxones et Friſios non modo per publicas perſonas haec inſtrumenta conficienda curaſſe, verum etiam publice, (2. adhibitis teſtibus, qui (3. nomina et ſigna ſua ſubiicerent: quin et (4. poenam dicere conſueuiſſe iis, qui contra inſtrumentum acturi eſſent, et (5.

(§. inprimis diem, annum, locum, cum cura notaſſe. Quae omnia probamus ex verbis vltimis *traditionis I. p.* 101. *Si quis vero, quod futurum eſſe non credo, ego ipſe, quod abſit, aut aliquis de heredibus vel pro heredibus meis, ſeu qualibet oppoſita perſona, quae contra hanc chartam cambiae iniuſto conamine venire tentauerit, aut eam infringere voluerit : - - - a fiſco mulctatus auri libras duas, argenti pondo decem coactus exſoluat, et ſic quidem, quod repetit, euindicare non valeat, ſed firma et immutabilis haec cambia in ſempiternum permaneat, ſtipulatione ſubnixa. Acta eſt autem publice anno* 31. *glorioſi atque religioſi ſecundi regis Caroli* XVI. *Kal. Martii in loco, qui dicitur Dipanbeci in Ripa-rura coram teſtibus et manum mittentibus, quorum nomina ſubtus adnotantur. Notaui tempus, diem, locum, quo haec acta ſunt. Ego Thiatbaldus humilis presbyter rogatus ſcripſi et ſubſcripſi. Signum Folcberti, qui hanc chartam fieri rogauit, et propria manu firmauit. Signum Regenberthi. Signum Alſdagi. Signum Bonno. Signum Fridubaldi. Sig. Hluduvvini. Sig. Giffiridi. Sign. Borngeri. Sign. Hildiradi. Sign. Borbini. Sign. Liudrici. Sig. Walafridi.*

§. CCX.

Quid Langobardi? Superſunt Langobardi, quorum lege *Lib. II. tit.* 41. §. 1. *et* 2. cautum eſt, vt chartae publicae conſcriberentur a cancellariis electis, bonis et veracibus, ante comitem et ſcabinos, et vicarios eius, vel cancellarii ad infirmos irent, et chartas ſecundum legem ſcriberent, et a teſtibus eaſdem corroborari iuberent, denique chartam ſcriptam publice proferrent coram epiſcopo, comite, iudice, eiuſue vicario, vel coram ipſa plebe, ne poſtea de iſtius fide dubium poſſet ſuboriri. Eadem lex *ibid.* §. 6. praeter cancellarios meminit notariorum, qui et ipſi iureiurando adſtricti chartas publica auctoritate ſcribebant. *

* Notarii alii erant ipſorum iudicum, *gerichts-ſchreiber*, de quibus iam ſupra, vel publici, quibus principes officium chartas publicam fidem habituras ſcribendi conferebant, iureiurando prius obſtrictis, cuius formulam eo ipſo loco legis Langob. reperimus. *Notarii autem hoc iurare debent, quod nullum ſcriptum falſum faciant, nec celato, nec de vno comitatu in alio, niſi per licentiam ipſius comitis, in cuius comitatu ſtare debet.*

§. CCXI.

Effectus inſtrumentorum ſecundum eorum legem. Quemadmodum vero inſtrumentum, non ſecundum legum praeſcriptum factum, ipſo iure nullum, vel, vti legislator loquitur, *inane et vacuum* erat: ibid §. 6. praeſertim ſi in eo dies et menſis non accurate expreſſus eſſet: ib. *Lib. III. tit.* 38. ita legitime factum plene probare videbatur, ib. *Lib. II. tit.* 21. §. 12. emtorque, inſtrumentum venditionis producens, in quo pretium ſolutum eſſe dicebatur, ſecurus erat, ſi venditor illud denuo peteret:

teret: IBID. *Lib. II. tit.* 55. §. 17. etiamſi contra legem publicam aliquid placuiſſet paciſcentibus, modo id vtriusque conſenſu ſcriptum eſſet. IB. *Lib. I. tit.* 29. §. 2. Attamen conſtare debebat, genuinum et ſincerum eſſe, quod produceretur, inſtrumentum, quod et apud Langobardos, auditis teſtibus, et inſtituta litterarum comparatione probari ſolebat. IB. *Lib. II. tit.* 21. §. 22. *et Lib. II. tit.* 55. §. 33.

§. CCXII.

Atque ita ſatis intellecturum eſſe vnumquemque, arbitror, veteres Germanos conſentiente veluti ſuffragio plurimum detuliſſe chartis, ſollemniter et publica auctoritate ſcriptis, atque idoneorum hominum teſtimonio firmatis. Proximum ergo eſt, vt ad tempora inſequentia, quibus iura Saxonum et Sueuorum in foris Germaniae viguerunt, progrediamur. Vbi merito mireris, SPECVLATOREM SAXONEM parum aut nihil de fide inſtrumentorum tradere, quum tamen ex tot diplomatibus et chartis veterum Saxonum ſatis adpareat, eos et res quaſuis, publice vel priuatim geſtas, diligenter in litteras retuliſſe, easque in iudiciis protuliſſe probationis cauſſa. *

In ſpeculo Saxonico raro fit mentio inſtrumentorum.

* Probari id poſſet innumeris exemplis. Sed quum elementa iuris nos ſcribere meminerimus: ſuffecerit vnicum ex perilluſtris cancellarii noſtri Io. PETR. DE LVDEVVIG. *Reliqu. MSSC. Tom. II. p.* 361. vbi in diplomate Rudolphi Halberſt. Epiſcopi refertur, *de decima cuiuſdam villae, quae dicatur Moſe, iuxta fluuium Oram in parte Aquilonis, inter Marchionem, Albertum, et fratres de S. Paullo talem agitatam eſſe controuerſiam. Illi: noſtra eſt, inquiunt, decima, oſtendentes ab epiſcopis ſibi data* PRIVILEGIA. *Sed mea eſt poſſeſſio, computans eam inter cetera, quae habet a nobis, beneficia ſua. Illi tantum* SCRIPTVM, *iſte obtinuit decimam. Non ſine querela eorum ventum eſt ad nos.* Habes hic litem, in qua ius ſuum fratres S. Paulli aduerſus Albertum Marchionem probarunt productis priuilegiis et inſtrumentis, idque Halberſtadii, vbi tum ius Saxoniae viguiſſe, nemo dubitat.

§. CCXIII.

At tanto plura de litterarum et chartarum fide reperias in IVRE SVEVICO, maxime *cap.* 299. vbi ſuadet, vt, quibus vſusfructus conſtituatur ab aliqua eccleſia, ii chartas ſuper eo ſcriptas, et praelati ſigillo firmatas, ſibi dari petant, et ſi forte laicus, alicui conſtituens vſumfructum, ſigillo careat, is ciuitatis vel iudicis, ſiue municipalis, ſiue prouincialis, ſigillo vtatur. Denique rationem addit §. 2. *Wir ſprechen, daſs brieff beſſer ſeyn, dann zeugen, die ſterben, ſo bleiben die brieff immer ſtât. Dieſs heiſſen handfeſten,*

Quid ius Sueuicum de iis tradat?

feſten, da hilfft ein todter zeug, als ein lebendiger. Ceterum qualia eſſe oporteat inſtrumenta, rite ſcripta, idem docet SPECVLATOR *cap. 383. Wer handfeſte machet, der ſoll zu dem mindeſten ſieben Mann darinn ſetzen, die gezeugen ſind, iſt ihr mehr, das iſt auch gut. An ieglicher handfeſt hilft der tot gezeug, als der lebend. Wo man handfeſte machet, da ſoll man das alter Chriſti auffſetzen, man mag wol mit recht der zeugen ſiegel daran legen.*

§. CCXIIII.

Probatio per iusiurandum ſubſidiaria.

Apud Germanos IVSIVRANDVM reliquarum probationum veluti ſupplementum erat, neque enim illud admittebatur, quamdiu in promtu eſſent vel teſtes, vel inſtrumenta, quibus res ad liquidum perduci poſſet. Talia loca iam ſupra vidimus. Iam conſuli poſſunt LEX WISIG. *Lib. II. tit.* 1. §. 22. LEX ALAM. *tit.* 42. CAPITVL. *Lib. V.* §. 197. Multo minus ergo iuriiurando locum dabant Germani, ſi quando res oculorum aliorumque ſenſuum teſtimonio poſſet demonſtrari. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 15. *Was man wieder ihn bevveiſen mag,* * *dafür antvvortet er ohne ſeine vnſchuld oder eyde.*

* Eſt hic locus paullo obſcurior, ac proinde explicandus. *Beweiſen* hic non eſt teſtibus vel inſtrumentis probare, ſed per ocularem, ceu vocant, inſpectionem. Recte hoc obſeruauit auctor GLOSSAE: *Etliche beweiſung iſt leiblich, etliche vnleiblich. Leibliche beweiſung iſt dieſe, daſs man etwas bey einem manne durch ſehen, hören, vernehmen oder greiffen erweiſſen mag, oder daſs man ihn in handhaffter that gegenwertig damit begriffen hat. Dieſer beweiſung gezeugniſs leidet der Sachſe. Die vnleibliche bevveiſung aber iſt dieſe, daſs man einen nur mit vvorten bezüchtiget, als ob man einen eines dinges, ſo vnbeweiſslich vnd verborgen wäre, ziehe. Sölch gezeugniſs leidet der Sachſe nicht.* Hinc ſenſum huius periochae commodiſſime expreſſit interpres Latinus: *Incuſatus de quacumque re, quae penes eum non apparuerit, ſuo poterit excuſare ſacramento. Quae autem apud eum per ſenſus corporis poterunt demonſtrari, in his per iuramentum non euadet.*

§. CCXV.

Omne iusiurandum in Germania neceſſarium.

Quum vero iusiurandum apud Romanos eſſet vel VOLVNTARIVM, vel IVDICIALE, vel NECESSARIVM: duorum priorum generum in legibus Germanorum nec vola nec veſtigium exſtat: ſed omne, quod in foro praeſtandum erat, iusiurandum neceſſarium, et a iudice ipſo delatum fuiſſe, animaduertimus. Is vero, exigentibus id legibus, modo actori, modo reo, et huic quidem plerumque, deferebat iusiurandum: vt adeo omne fere iusiurandum apud illos fuerit *purgatorium*: *ſuppletorio* vero vix eſſet locus, niſi

niſi apud Burgundiones, (§. 206.) et eo quidem caſu, ſi quis protuliſſet inſtrumenta, quorum ſinceritas ab aduerſario in dubium vocabatur. LEX BVRG. *tit.* 60. §. 4.

§. CCXVI.

Si cui vero iusiurandum a iudice fuerat delatum, illud plerumque non in continenti praeſtabatur, (videbatur enim res, quae cum animae periculo coniuncta eſſet, moram aliquam requirere,) ſed ei dies dicebatur, ante quem diem ſe ſiſteret, et iuraret. Quin vt eo minus dubitari poſſet, quin eſſet adfuturus: pignora, vel, vti vocabant, *wadia* eo nomine dare cogebatur aduerſario vel iudici. Vt exemplis rem illuſtremus: LEGE LANGOB. *Lib. II. tit.* 56. §. 6. cautum eſt, *vt, ſi quis alii pro quacumque cauſſa guadiam et fideiuſſorem de ſacramento ſic ſuſcepto, et proxime praeſtando, dederit, ei detur ſpatium vſque ad* 12. *noctes, ad ipſum ſacramentum dandum.* Sic et poſillum laxamenti concedunt IVRA SVEV. *cap.* 105. et SAXON. *Lib. II. art.* 10. quamuis diem certum, intra quem iurandum ſit, non praefiniant.* Praeſtabatur poſt interuallum, dato pignore.

* Ceterum terminus ille erat peremtorius. Si quis enim die conſtituto non praeſtaret iusiurandum: non modo cauſſa cadebat, ſed et mulctam debebat, tum iudici, tum parti aduerſae, niſi legitima impedimenta eum excuſarent. IVS. PROV. Sax. *Lib. II. art.* 11: *Wer eide gelobet vor ſchulde zu ſchweren, vnd leiſtet er ſie nicht zu rechter zeit, er iſt der ſchuld uberwunden, da die eyde vmb gelobet waren, es benehme ihms dann ehehaffte noth, die er beweiſen möge. Wären auch die eyde gelobet vor gericht, man muſs dem richter darum wetten, vnd deme ſeine buſſe geben, dem man die eyde gelobet hatte. Iſt aber der mann bereit zu leiſten ſeinen eyd, den er gelobet hat zu rechter zeit, vnd will ihn jener nicht annehmen, oder ob er da nicht iſt, wann mann den eyd thun ſoll, des eydes ſoll dieſer ledig ſeyn, vnd der ſchuld, da er den eyd vor gelobte, ob er des gezeigen hat, daſs er ihn leiſten wolt.* Ex quo ſimul patet, iusiurandum pro praeſtito eſſe habitum, ſi, altero ad illud praeſtandum parato, alter vel tergiuerſaretur, vel plane non adeſſet in iudicio. Ceterum gemina per omnia eſt diſpoſitio IVRIS PROV. SVEV. *cap.* 205. §. 3.

§. CCXVII.

Neque tamen vnius ſemper hominis, ſiue actori, ſiue rei, conſcientiae rem committebant: ſed plerumque pro cauſſae grauitate plures pauciores ue exigebant, qui vna iurarent, quos *iuratores* vel *conſacramentales* vocari animaduertimus.* Quemadmodum ergo ipſi litigatores liquido iurabant, rem ſe ita habere: ita *iuratores*, *ſacramentales*, vel *conſacramentales*, iurabant, ſe credere, alterum recte et ſancte iuraſſe: *c.* 13. *X. de purg. can.* FORM. Requiſitis conſacramentalibus.

SEC. LEG. ROM. *cap.* 31. Si quis ſolus iurabat, *ſua manu*; ſin cum aliis, *tertia*, *quarta*, *ſeptima* manu iurare dicebatur: LEX FRIS. *tit.* 3. §. 5. et *Addit. tit.* 3. §. 1. et *tit.* 4. §. 1. Vnde diſtinctio inter *maius* et *minus ſacramentum*, in LEG. FRIS. *tit.* 1. §. 11. 13. *et* 14. *et tit.* 2. §. 7. pro quo interpres iuris Saxonici Latinus barbare ſcripſit *mettertium*, *vel metſeptimum* iurare. SPEC. SAX. *Lib. I. art.* 15. *et art.* 8.

* Nemo de illis accuratius egit, quam CAR. DV FRESNE *gloſſar. Lat. p.* 146. *T mo II.* ex quo diſcimus, non admiſſos eſſe alios, quam (1. viros bonos, atque integrae exiſtimationis, qui et teſtes eſſe poſſent. (§. 190. ſeq.) HINCM. *Opuſc. XXX.* (2. eiuſdem conditionis atque ordinis, LEX FRIS. *tit.* 1. §. 7. aliquando (3. eiuſdem ſexus, ceu ex Walliae legibus probat CANGIVS, immo et (4. eiuſdem nonnunquam gentis et familiae. LEG. BAIVVAR. *tit.* 7. *cap.* 15. CAPITVLAR. *III. ann.* 813. §. 9. Addit laudatus CANGIVS, (5. ſacramentales, quos actor produxerit, *nominatos* vel *denominatos* dictos eſſe, quos reus elegerit, *aduocatos*. LEG. ALAMANN. *tit.* 89. BAIVVAR. *tit.* 6. §. 2.

§. CCXVIII.

Iiſque vel paucioribus vel pluribus.

Diximus pro momento cauſſae modo plures, modo pauciores exigi conſueuiſſe iuriſiurandi ſocios. Hinc modo cum vno, ſeu *in manu proximi* iurabat, LEG. FRIS. *addit. tit.* 4. CAPITVL. *III. ann.* 813. §. 43. modo cum duobus, vel manu tertia, LEG. SAX. *tit.* 1. §. 1. 6. 9. DITM. MERSEB. *chron. Lib. vlt. p.* 423. modo manu quarta, LEG. FRIS. *tit.* 2. §. 8. modo quinta, LEG. ALAM. *tit.* 6. §. 6. CAPITVLAR. *III. anni* 789. §. *vlt.* modo ſexta, LEX SAX. *tit.* 3. §. 2. LEX SAL. *tit.* 76. modo ſeptima, LEX BAIVVAR. *tit.* 3. §. 2. modo duodecima, LEX SAL. *tit.* 76. §. 1. BVRG. *tit.* 8. *et* 52. RIPVAR. *tit.* 66. CAPITVL. ad LEG. ALAM. *tit.* 2. *et* 6. SAX. *tit.* 1. §. 3. 4. 5. FRIS. *tit.* 14. §. 1. 2. 3. LANGOB. *Lib. II. tit.* 55. §. 2. 3. 5. 33. CAPITVL. *Lib. V.* §. 129. Attulit laudatus CANGIVS exempla, quod quidam iurare coacti ſunt decima, vndecima, decima quarta, decima ſexta, octaua decima, vigeſima vna, vigeſima quarta, quinta, ſeptima, trigeſima, trigeſima ſeptima, quadrageſima, quadrageſima octaua, quinquageſima, ſeptuageſima ſecunda, ſeptuageſima quarta, octuageſima prima, centeſima, quin et trecenteſima manu: ſed pleraque ad gentes exteras pertinent, praeterquam quod et iusiurandum octaua decima, et viceſima quinta manu memoratur in LEGE SAL. *tit.* 76. LEG. BAIVVAR. *tit.* 1. *cap.* 6. §. 2. CAPITVL. ad LEG. ALAM. §. 22. *ſequ.* cum quadraginta electis in eod. CAPITVLARI *ad leg. Alam. ibid.* ſeptuageſima ſecunda manu * in LEGE RI-

PVAR. *tit.* 66. et octuageſima, in CAPIT. ad LEG. ALAM. §. 23.

* Iura Saxonum et Sueuorum diutiſſime hunc morem retinuerunt. Quamuis plerumque vel tres, vel ſeptem iuratores vel conſacramentales ibi requirantur. IVS SAX. *Lib. I. art.* 8. 15. 66. *Lib. III. art.* 39. IVS SVEV. *cap.* 159. *et* 395. Hinc natum verbum iuridicum Germanicum *beſiebenen*, vel *überſiebenen*. Priuilegium KITZINGENSE apud WEHNER. *Obſ. pract. voce beſiebenen p.* 54. *Welche aber in ehegeſchriebener maſſen die miſſethat nicht bekennen, die mag man* BESIEBEN, vbi et alia eiuſdem commatis loca ex variarum ciuitatum priuilegiis reperies. Caue enim, credas, *beſiebenen* idem eſſe, ac diras quaeſtiones decernere, vel ex reo diris quaeſtionibus excruciato quaerere, an confeſſionem ratam habeat? vti vocabulum accipiunt PET. FRID. MINDAN. *de mandat. iudic. Lib. II. cap.* 47. §. 6. et KELLER *de offic. iurid. polit. Lib. II. cap.* 17. *p.* 467. Res ipſa enim docet, *beſiebenen* nihil aliud eſſe, quam reum conuincere iureiurando accuſatoris et ſex conſacramentalium. Add. THOMAS. *de occaſ. concept. ac intent. conſtit. crimin. Carolin.* §. 15. Hinc paroemiam veterem: *Wer von ſieben ſagt, der leugt gern*, eleganter explicat HERT. *epidipn. par. iur. cap.* 8. *p.* 438.

§. CCXVIIII.

At quaeritur, ipſine actores vel rei, quos iurare per legem vel ex iudicis decreto oportebat, iurare debuerint, an per alium id iusiurandum praeſtare potuerint? Poſterius merito adfirmauit SCHILTERVS, *Exerc. XXIII.* §. 32. *ſequ.* qui hunc morem in alterius animam iurandi non modo aliquot teſtimoniis et exemplis ex BARON. *annal. eccleſ. ad ann.* 1155. §. 7. *et ad ann.* 1177. immo et ex LEGE LANGOB. *Lib. II. tit.* 48. §. 11. probauit, verum etiam eiuſdem originem arceſſiuit a clericis, qui religioni ſibi duxerint iurare, ac proinde alios ſubſtituerint pro ſe et in animam ſuam iuraturos: id deinde, vt fit, imitatos eſſe, ait, laicos, primum illuſtres, ac deinde etiam plebeios, donec in mores iuerit hoc iusiurandum, in alterius animam praeſtandum. * Plura hanc in rem dixit CAR. DV FRESNE *gloſſar. med. Lat. p.* 162. *Tom. II.* ex quo diſcimus, dictum eſſe hoc *iusiurandum vicariis manibus* praeſtitum, IB. *p.* 163. eoſque, qui hanc vicariam praeſtiterint operam, vocatos eſſe IVRATORES IB. *p.* 169. Aliquando et per procuratorem iurare licebat.

* Attamen hoc medio aeuo non indulgebatur mulieribus, quae ipſae adeſſe et iusiurandum praeſtare cogebantur. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 46. *Wo es den frauen zu eyden kommt, die ſollen ſie ſelber thun, vnd nicht ihr vormund.* Quae repetuntur etiam a SPECVLATORE SVEVO *cap.* 307. §. 4. Quum ergo de viris tale nihil reperiamus in vtroque ſpeculo, merito inde collegit SCHILTERVS *ibid.* his omnino licuiſſe alios ad praeſtandum pro ſe iusiurandum ſubſtituere.

§. CCXX.

§. CCXX.

Iurandi ritus et formulae recepto iamChriſtianiſmo vſitati.

Quod ad ipſos iurandi ritus attinet, eorum plures omnino erant. Iuriſiurandi PER ARMA mentionem iam ſupra fecimus, quocum non confundenda purgatio PER SPATHAM TRACIAM, LEG. ALAM. *tit.* 44. *et* 89. Vidimus etiam, iurare iuſſos eſſe homines in eccleſiis, et quidem vel ſuper crucem, DOMNIZO *vit. Mathild. Lib. I. cap.* 2. vel tacto altari, LEG. ALAM. *tit.* 7. §. 2. BAIVVAR. *tit. I. cap.* 3. §. 2. *tit.* 1. *cap.* 6. §. 2. CAPITVL. *Aquisgr. ann.* 787. §. 62. vel dextra ſacroſanctis euangeliis impoſita, CAPITVL. *Lib. V.* §. 34. vel ſuper reliquiis, ſiue coram poſitis, et a iurante inſpectis, ſiue tactis iiſdem, * LEG. ALAM. *tit.* 6. §. 7. ANNAL. BERTINIAN. *ad ann.* 757. AVDOEN. *vit. Elig. Lib. II. cap.* 56. 59. 75. GREG. TVRON. *Lib. V. cap.* 33. 48. 49. REGINO *Chron. ad ann.* 756.

* Aliquando iurandum erat ad plura altaria, veluti ad tria, GREG. TVR. *Lib. V. cap.* 49. item ſeptem, nouem, quindecim, ceu docent exempla apud CAR. DV FRESNE *gloſſar. p.* 154. *Tom. II.* Similiter ſuper plurium caelitum reliquiis iuratum eſſe, comperimus. Sic Thaſſilo, Bauarus, Pippino, Carolo M. et Carolomanno fidem iuratus promiſerat ſuper corpore S. Dionyſii, S. Martini et S. Germani. EGINARD. *annal. ad ann.* 757. Ceterum et formulae huiuſmodi ſacramentorum ſuperſunt, veluti in FORM. BIGNON. XXXIIII. HIC IVRO PER HVNC LOCVM SANCTVM, ET DEVM ALTISSIMVM: et CAPITVLAR. *Lib. VI.* §. 209. SIC ME (vel, ſi ſacramentalis quis eſſet: ILLVM) DEVS ADIVVET, ET ILLI SANCTI, QVORVM RELIQVIAE SVNT, VT VERITATEM DICAM (vel DICAT.) Item: PER HVNC LOCVM SANCTVM ET DEI REVERENTIAM IVRO. FORM. *iuxta leg. Rom. XXXI.* HVIVS SANCTI VIRTVTE OPPRIMAR, SI ALIQVID FALSI LOQVOR. GREG. TVR. *de glor. confeſſ. cap.* 93.

§. CCXXI.

Nec non alii, qui ante Chriſtianiſmum inoleuiſſe videntur.

Hi praecipui erant iurandi ritus, quum Chriſto iam nomen dare coepiſſent gentes originis Germanicae. Antea enim plures alii erant, quibus non ſtatim repudium dediſſe poſteros etiam Chriſtianos, animaduertimus. Eos quoque non ſine cura collegit CAR. DV FRESNE *ibid. p.* 159. Sed nos eos tantum conſectamur, qui proprie ad Germanos pertinent. Tales ſunt ritus iurandi *in manu comitis dextra data*, LEG. LANGOB. *Lib. II. tit.* 52. §. 15. iurandi *in veſtimento*, LEG. FRIS. *tit.* 3. §. 4. *et tit.* 12. id eſt, vt SICCAMA explicat, prehenſa ora veſtis eius, cui iurabatur. LEG. FRIS. *tit.* 14. §. 4. iurandi *in pecunia*, id eſt, manu numo, in quo vultus regis vel crux conſpiciebatur, impoſita. IBID. *tit.* 12. *

* Immo paſſim etiam occurrunt ritus quidam et formulae iurandi improbatae religionis, qui non tam genti alicui communes, quam ab hominibus ſuperſtitioſis ſuo arbitrio inuenti fuiſſe videntur. Vt enim iam non dicam de iureiurando clericorum ſuper ſtola ſacra, ſuper libro miſſali, vel canone eccleſiaſtico: CAR. DV FRESNE *gloſſar. Lat. p. 166.* plures huiuſmodi ritus et formulas recenſet, vel vti *per animam patris*, WITTICH. *Lib. III. init. per omnes gentes* ORD. VITAL. *Lib. XII. p. 880. per dentes Dei,* CHRON. FLANDR. *cap. 17. per lanceam S. Iacobi,* IBID. *cap. 8. et 16. per coronam,* impoſita capiti manu, SANVT. *Libr. III. Part. XI. cap. 3. per ſalutem ſuam*, GREG. TVR. *Lib. III. cap. 15. per ſplendorem Dei*, ORD. VITAL. *p. 536. per Sion et Sinai montem*, BALVZ. *form. 15. per barbam Ottonis*, GOB. PERS. *coſmodr. p. 202.* Vt omittamus iam formulas alias, vere impias, quarum permultas ibi collegit laudatus CANGIVS.

§. CCXXII.

Immo quidam erant iurandi ritus, quibuſdam gentibus proprii, et hinc tanto notatu digniores. De FRISIIS ſane ſuis ex vetere IVRE FRIS. *art.* 81. obſeruat SIBR. SICAMA *p.* 65. ſollemne eis fuiſſe, ſi iuſiurandum, quod manifeſtationis vocant, iurandum eſſet, ſiniſtra manu tollere capillos, iiſque dextrae manus duos digitos imponere. Quod quum ei genti ſanctiſſimum videretur iuſiurandum, natum inde eſſe obſeruat prouerbium, tum demum fidem habendam eſſe Friſio, ſi manu capillos teneret. Sed et FRANCOS iuraſſe ſtipulas in manu tenentes, patet ex CAPITVLAR. *Lib. VI. §.* 285. * Denique Iudaeos inter Chriſtianos habitantes iuraſſe tactis libris legis Moſaicae, ex vetuſtis tabulis et conciliorum canonibus probauit CAR. DV FRESNE *ibid. p.* 163. Denique quidam certis gentibus proprii.

* Stipula vero eſt baculus, feſtuca, culmus, quo in pleriſque ſollemnitatibus vtebantur maiores noſtri. Neſcio ergo, cur pro ſpicis acceperit LEHMANNVS *Chron. Spir. Lib. II. cap.* 30. dum ſcripſit: *Die alten Teutſchen nahmen einen büſchel ährenfruchts in die rechte hand, ruffen Gott vnd die engel ſambt dem vmſtand, über dem, vvas ſie geſaget, zu zeugen an, vnd vvurffen darauff den büſchel mit den händen in die höhe.* Atqui in CAPITVLARIBVS mentio non fit ſpicarum, ſed ſtipularum, nec in altum Francos proieciſſe legimus ſtipulas, ſed manibus eieciſſe.

§. CCXXIII.

Fieri itaque non potuit, quin iurarent veteres manu dextra extenſa et in altum ſublata. Siue enim aram tangerent, ſiue poſitum in ea librum euangelii, ſiue reliquiarum capſam in ara collocatam, tollenda erat dextra. Atque inde eſt, quod iuran- Maſculi manu eleuata, mulieres et clerici

ad pectus deflexa iurabant. tes dicuntur *manus extuliſſe*, GREG. TVR. *de mirac. Lib. I. cap. 20. eleuaſſe*, IBID. *cap. 33. et 53. extendiſſe*, DECRET. THASSIL. *§. 7. porrexiſſe*, METROP. SALISB. *Tom. III. p.* 274. Feminae tamen apud Alamannos iurabant dextra pectori impoſita, idque iuſiurandum vocabatur per pectus, vel NASTAID. LEG. ALAM. *tit.* 56. *§.* 2. *

* Notum eſt, hunc ritum et hodie obſeruari. Dextra enim pectori ſiniſtro impoſita iurant et feminae et clerici. Et obſeruatum eſt a CAR. DV FRESNE *gloſſar. p.* 160. ritum hunc eſſe antiquiſſimum, cuius iam meminerit OVID. *Amor. Lib. III.*

Suppoſuiſſe manus ad PECTORA *lubricus amnis*

Dicitur, et ſocii iura dediſſe tori.

Et ex LVITPRANDO refert, Nicephorum Imperatorem Byzantinum iuraſſe *tunſo digitis pectore*. Nec tamen crediderim, inde hunc ritum per manus traditum accepiſſe Alamannos. Itaque hic non poſſumus non adſentiri doctiſſimo NIC. HIER. GVNDLINGIO, qui *in Gundlingianorum Parte IIII. Diſſ. II.* §. 10. *p.* 324. ex CHRYSOST. *homil.* 19. ad populum Antioch. et AVCTORE *operis imperfecti in Matth. ſerm. XXXXIII.* obſeruat, mulieres et pueros librum euangelii e collo ſuſpenſum vbique circumtuliſſe. Οὐχ ὁρᾷς, inquit CHRYSOSTOMVS, πῶς αἱ γυναῖκες, καὶ τὰ μικρὰ παιδία ἀντὶ φυλακῆς μεγάλης εὐαγγέλια ἐξαρτῶσι τοῦ τραχήλου, καὶ πανταχοῦ περιφέρουσιν, ὅπουπερ ἂν ἀπίωσι; *Non cernis, vt mulieres et paruuli pueri pro magna cuſtodia e collo ſuſpendant euangelia, et vbique circumferant, quocumque abierint?* Fuiſſe hoc et mulierum in Germania geſtamen, argumento ſunt vetera epitaphia, quae in templis et hodie paſſim viſuntur. Quum ergo iurandum eſſet per ſancta euangelia: nihil ſane attinebat, mulieres extenſa manu tangere librum in altari poſitum, ſed defuncta videbatur religione, ſi librum e collo pendulum digitis dextrae duobus vel tribus contigiſſet. An clericis ſimilis mos ideo placuerit, quod ſibi euangelium in ipſo pectoris ſcrinio et alta mente repoſitum habere viderentur, alii viderint.

§. CCXXIIII.

Ritus iurandi medio aeuo vſitati probati ex iure Sax. et Sueu. Plerique hi ritus paullatim exoleuiſſe videntur, ex quo IVRA SAXONICVM et SVEVICVM in Germania viguerunt. In vtroque enim vix aliud iuſiurandum memoratur, quam tactis ſanctorum reliquiis, euangeliis, vel altaribus praeſtandum. Hinc IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 4. *Wann er ſich denn auff den heiligen aufzeucht.* Et paucis interiectis: *Wiedert man ihm das mit vnrecht, vnd zeucht er ſich darnach auff den heiligen aus, er iſt ein vngeechter mann*: Vbi interpres Latinus vtrumque locum vertit: *poſtquam ſe tunc iuramento expurgauerit*, itemque: *ſi ipſe ſe iureiurando a proſcriptione liberauerit*, vt facile pateat, eum ritum iurandi frequentiſſimum fuiſſe. Contra et iuriſiurandi tacto ſacroſancto

ſanďto euangelio, vel altari, vel cruce aliqua conſecrata, praeſtiti meminit SPECVLATOR SVEVVS *cap.* 341. §. 3. *

* En verba notatu digniſſima: *Man ſoll alle die eyd ſchweren bey Gott, vnd bey ſeinen heiligen, man ſoll auch ſchweren auf das heilig euangelium, vnd auf einen geweiheten altar, vnd auff ein geweichte:* (in BERGERIANA *p.* 195, *Etwan auf aim geweichten chräuuz*) *Man ſoll auch die hand auffheben gegen den himmel, vnd bey Gott vnd den heilligen ſchweren.* Addit ſpeculator, eum, qui aliter iuret, et ſacris arcendum et triginta et nouem plagis coercendum eſſe, addita ratione: *Wer bey icht anders ſchweret, der thut wieder den Chriſten-glauben.*

§. CCXXV.

Sed et reliqua eius aeui monimenta vix aliorum iurandi rituum faciunt mentionem, quam quos ſuperiore paragrapho memorauimus. Diploma Fridrici II. ann. 1219. editum a fratre τῷ μακαρίτῃ, *Antiqu. Gosl. Lib. II. p.* 219. *Ipſe cum burgenſibus duobus certum faciat aduocatum et ceteros burgenſes* IN RELIQVIIS. In LEG. GOSLAR. a LEIBNITIO editis vtramque paginam faciunt phraſes: *an dem hilligen erwehren, vp de hilligen erhalten*, ceterae, quae et in diplomatibus eius aeui frequentiſſime occurrunt. Vid. ill. a LVDEWIG *Rel. MSSC. Tom. VIII. p.* 217. *Tom. VIIII. p.* 570. 572. *Tom. X. p.* 248. 643. 648. Iuramenti ſuper ſanďto altari praeſtiti exemplum habes IBID. *Tom. V. p.* 482. quemadmodum iurisiurandi *ſub teſtamento Dei* itemque *ſub teſtimonio Chriſti*, id eſt, ſanďto euangelio praeſtiti IBID. *Tom. II. p.* 46. *et p.* 392. Ex diplomatibus aliisque monimentis.

§. CCXXVI.

Ceterum modus iurandi non vnus idemque omnibus fuiſſe videtur. In LEG. MVNIC. GOSL. *Lib. I. tit. vom huys-tinſſe* §. 6. ritus ſuper ſanďtorum reliquiis iurandi ita deſcribitur: *Der ſoll den fordern fuſs auf den ſtill ſetzen, vnd die hand auf die heiligen legen, vnd ſprechen: daſs mir Gott ſo hilffe, vnd die heiligen!* Id vero non de limine templi videtur intelligendum, ſed de gradu altaris, cui reliquiae impoſitae erant in ipſo iudicio, cui dextro pede inſiſtere tenebatur is, a quo erat iurandum. Aliunde enim conſtat, in ipſo iudicio fuiſſe ſanďtorum λείψανα, quae proferri iuſſu iudicis poſſent, quoties opus eſſet. * Modus iurandi ſuper diuorum λειψάνοις.

* Diſcimus hoc denuo ex auďtore des RICHTSTEIGS *vber das Landrecht cap.* 8. vbi ritus iurandi ita deſcribitur: Quaerit rei aduocatus: *Here her richter, will gy N. wort horen?* reſpondet iudex: *ya.* Reus: *Vnſchuldig ſecht he ſick, dat he N. icht ſchuldig ſy, vnd biddet eines ordels, effi he is ime icht*

ichs neger tho ontgande ſy, wen em yenne ſy ouer tho gande ? Tunc ſequitur interloquutio : *he ſy is neger tho ontgande.* Hinc pergit rei aduocatus : *Her richter, he biddet, vnd ick van ſynetwegen der hilligen, vnd eines ſteuelers.* Reſpondet iudex : *Ick gans em wol.* Tunc is, qui iuriiurando praefuturus eſt, *der ſteueler*, interrogat : *Here her richter, gunne gy my, dat ick ſtauele en ſynen eyd, ſo biddet he, dat gy en orlouen tho donde, wat tho dem cede hore.* Reſpondet iudex : *Ick orlover em, he ſehe, da he recht tu.* Hinc porro formula iurandi a iudice praeſcripta, reus iurat, *daſs eme Got alſo helpe, vnd die hilligen*, et poſtquam venia impetrata retraxit dextram, et ſeſe eleuauit (*wann he ſus geſchworen heft, vnde mit orlone affgenommen heft, vnde vpgeſtan is,*) poſtremo quaerit : *offt he vollkommen ſy mit ſynem rechte*, et decernitur, *he ſy vollkomen.*

§. CCXXVII.

Feminae et hac aetate iurabant tacto pectore.

Quemadmodum vero ſupra obſeruauimus, alium fuiſſe geſtum iurantium feminarum, alium maſculorum : ita et hoc aeuo idem obſeruatum eſſe deprehendimus. Vt enim iam non repetamus locum IVRIS PROV. AVSTR. *ap.* LVDEW. *reliqu. MSSC. Tom. IIII. p.* 14. iam ſupra a nobis adlatum : (*Part. I. Lib. II. §.* 268.) vbi eodem modo deſcribitur feminae iuſiurandum, ac in LEG. ALAM. *tit.* 55. §. 2. teſtis omni exceptione maior eſt SPECVLATOR SVEVVS, qui ipſe quoque mulieres iurantes dextrum pectus et capillos tangere iubet. *

* Apud MEICHSN. *cap.* 296. verba ita ſe habent: *Man ſoll ihr vmb ihr morgengab recht thun, vvill ſie auf ihr zvvo brüſt, vnd auf ihr zvveen zöpff ſchvveren, ob ſie der hat.* At in BERGERIANA *p.* 31. non vtriuſque pectoris, ſed dextri, nec vtriuſque capillorum flagelli, ſed dextri tantum fit mentio : *Man mus ihr darumb recht thun, vnd ſy ſoll ihr morgengab behaben auf ihrer rechten bruſt, vnd auf den rechten tzopf, ob ſy den hat.* At hodie laeuo pectori imponitur manus dextra, adeoque vix geſtus feminae iurantis recte concipi poteſt, ſi recte ſe habet BERGERIANA editio. Ceterum quamuis et LEX ALAMANNICA, et IVS PROV. AVSTR. et SPECVLVM SVEVICVM hunc ritum praeſcribant tantum feminae, de promiſſa morgengaba iuranti : paullatim tamen inualuiſſe videtur, vt et in aliis cauſſis iuraturae ſeſe in hanc formam componerent, niſi quod ritus, tangendi capillos, tamquam ſuperſtitionem redolens, iampridem exoleuerit.

§. CCXXVIII.

Quo ritu iurarint Iudaei ?

Vtrumque porro ius, tum SVEVICVM *cap.* 345. tum WEICHB. MAGD. *art.* 135. et 136. prolixe agunt de iureiurando, quod Iudaeus praeſtare cogitur, eiuſque tum ritum, tum formulam, quamuis diuerſimode, deſcribunt. Et SPECVLATOR quidem SVEVVS ritum

ritum hunc praeſcribit : *Diſs iſt der iuden eyde, wie ſie ſollen ſchweren vmb ein ieglich ding, das zu ihrem eyde ſtehet, er ſoll auf einer ſeuhaut ſtehen, vnd ſollen die fünff bücher Moyſi vor ihm liegen, vnd ſoll ihm die rechte hand in dem buch liegen bis an das riſt:* At nihil horum habet auctor WEICHBILDI, * qui potius *art.* 136. ait : *Gelobet der iude einen eyd zu thun, den ſoll er thun vnter bann in ihrer ſchule.* Immo Latinus interpres, qui in plerisque a textu Germanico facit diuortium, *art.* 139. alium plane ritum fingit *Alii*, inquit, *in iuramentis Iudaeorum obſeruant modum, qui ſequitur, et dicunt, quod iuramentum Iudaei facere debent ante ſynagogam, tenendo catenam, qua ſynagogae oſtium attrahitur ad occludendum, et quoque nudipes ſtet.*

* Attamen GASP. ZIEGLERVS *de iurib. Iudaeorum cap.* 5. §. 5. profert locum ex antiquo iuris Saxonici exemplari, in quo ritus iurandi, a Iudaeis obſeruandus, ita deſcribitur : *Da muſs der jude ſtehen auff einer ſchvveinen haut, die junge hat gehabt, binnen vierzehen nächten. Die haut ſoll man auffſchneiden bey dem rücken, vnd ſie breiten auf die zitzen, da ſoll der jude auffſtehen barfuſs, vnd nichts anhaben, denn ein nieder-kleid, vnd ein hären tuch vmb ſich, alſo iſt ſein recht.* Ita alter veterum iuris interpretum altero vel nequior fuit, vel ſtolidior. Ita vnusquisque aliquid excogitauit, quo miſerrimis iſtis mortalium illuderetur. Quaſi vero tantum religionis Iudaeo incutere poſſit pellis ſuis, vt tanto magis abhorreat a periurio ! Hinc acutum hic vidiſſe dixeris auctorem gloſſae WEICHB. *art.* 135. dum ſcripſit : *Daſs die juden ſollen barfuſs ſtehen auff einer ſchvveinhaut, das iſt eine fantaſey. Denn es iſt genug, daſs ſie den eyd thun in vorgeſchriebener vveiſe.*

§. CCXXVIII.

Sed vt demum ad PVRGATIONES vulgares, quae diutiſſime Germanis probationis loco fuerunt, perueniamus : per illas intelligimus omnes modos, veritatem per prodigium aliquod eruendi. Vetuſtiſſimi enim Germani ſortium erant ſtudioſiſſimi, omniaque, quae paullo obſcuriora et difficilioris diſquiſitionis videbantur, hoc modo ad liquidum perducere conabantur. * Hinc TACITVS *de mor. Germ. cap.* 10. *Auſpicia* SORTES*que, vt qui maxime, obſeruant. Sortium conſuetudo ſimplex. Virgam frugiferae arbori deciſam in ſurculos amputant, eoſque notis quibuſdam diſcretos ſuper candidam veſtem temere ac fortuito ſpargunt.*

Purgationes quid? Germani ſortium et praeſagiorum ſtudioſi.

* Similia de Scythis refert HERODOT. *Lib. IIII.* p. 278. de ALANIS AMMIAN. MARCELLINVS *Hiſt. Lib. XXXI. cap.* 2. Immo borealium gentium omnium tantum fuit huius ſiue artis, ſiue ſuperſtitionis ſtudium, vt ne hodie quidem, florente inter eos per tot ſaecula religione Chriſtiana, impietatem

 illam

illam plane exuiſſe dicantur : quamuis fama omnia, vt fit, in maius extollere, multique non tam odioſae illius artis eximia quadam ſcientia, quam vulgi credulitate, nobiles fieri ſortilegi videantur.

§. CCXXVIIII.

Exploratio veritatis per aquam et duellum.

Immo non ſolum ſorte decidebant quaeſtiones dubias : ſed et aliis prodigiis eodem conſilio vtebantur. Argumento eſt examen infantium dubiae originis,

Et quos naſcentes explorat gurgite Rhenus :

de quo ritu iam ſupra quaedam ex IVLIANI *Epiſt.* 16. obſeruauimus: Nec minus, quae de propriis Germanis equorum praeſagiis memoriae prodidit TACITVS *ibid.* teſtimonium eius rei omni exceptione maius praebent. Nullum tamen res obſcuras inueſtigandi medium fuit Germanis frequentius, magisque quotidianum, quam certamen ſingulare, cuius exemplum idem protulit TACITVS, quamuis illud non tam ad cauſſas forenſes, quam ad ipſa reip. fata, pertineret. *

* En TACITI verba : *Eſt et alia obſeruatio auſpiciorum, qua grauium bellorum euentus explorant. Eius gentis, cum qua bellum eſt, captiuum, quoquo modo interceptum, cum electo popularium ſuorum, patriis quemque armis committunt. Victoria huius vel illius pro praeiudicio accipitur.* Ex quibus ſane intelligimus, Germanis ſingulare certamen medium certiſſimum viſum eſſe rem incertam ad liquidum perducendi, certoque illis fuiſſe perſuaſum, non poſſe non Deum, cuius iuſtitia freti homines illos commiſerint, victoria alterutri conceſſa oſtendere, quid in fatis, vel quid verum ſit. GALB. *Vit. Caroli Comit. Flandr.* n. 162.

§. CCXXX.

Medio aeuo huiusmodi eruendi veritatem ad iudicia prolati ſunt.

Aetas illa TACITI paullo poſt homines tulit nequiores ; mox daturos progeniem vitioſiorem. Nam inſequentibus ſaeculis non modo manſit illa res dubias per huiuſmodi ſortes et prodigia explorandi conſuetudo, ſed et nouis inuentis modis Deum tentandi aucta eſt, et quae antea ad futura magis exploranda comparata erant, iis et ad facta praeterita probanda vtebantur, in ipſis iudiciis, modoſque hos vocabant IVDICIVM DEI, itemque ORDALIA, IVDICIVM S. SPIRITVS, veluti apud IO. DE BEKA. *Epiſc. Vltrai. cap.* 23. IVDICIVM PROBABILE, veluti in SYNODO SELIGENSTAD. *can.* 7. *iiſque* non modo in cauſſis criminalibus. verum etiam in ciuilibus, et his quidem aliquando leuiſſimi momenti, vtebantur. LEG. BVRG. *tit.* 45. ANGL. et WERIN. *tit.* 15. ALAM. *tit.* 84.

§. CCXXXI

§. CCXXXI.

Hinc examen aquae frigidae.

Ceterum plurima ac diuerſiſſima erant huius purgationis vulgaris genera, quamuis alia aliis frequentiora. Notiſſimum erat iudicium AQVAE FRIGIDAE, in eo conſiſtens, quod homo in aquam proiectus, ſi mergeretur, innocens, ſin ſupernataret, nocens crederetur: *Charta Philippi Auguſti, Regis Francorum apud* CAR. DV FRESNE *gloſſar. Lat. p.* 376. *Tom. I.* Id vero examen, quod Francis, Germanis, Anglis, Scotis, Hiſpanis, Hungaris, Italis placuiſſe, docet idem CAR. DV FRESNE, fiebat aqua certis exorciſmis adiurata, GVIBERT. *vit. Leonis VIIII. cap.* 2. IVRET. *ad Iuon. Carnot. Epiſt. LXXIIII.* praeſentibus arbitriſque ſacerdotibus, quod merito improbat ECKEHARDVS *de caſibus S. Galli cap.* 14. immo et in ipſa eccleſia, ceu ex concilio Helenenſi ann. 1065. probat laudatus CANGIVS *p.* 279.

§. CCXXXII.

Aquae feruentis.

Nec minus frequens erat AQVAE FERVENTIS iudicium, quod qui ſubibant, brachium nudum in aquam feruentem immittere cogebantur, innocenteſque habebantur, ſi illud integrum atque illaeſum extraherent. Id quoque ab omnibus paene originis Germanicae gentibus receptum fuit, veluti a Wiſigothis, LEG. WISIG. *Lib. VI. tit.* 1. *§.* 3. Francis, CAPITVL. *ann.* 819. *cap. I.* Friſiis, LEG. FRIS. *tit.* 3. §. 6. Langobardis, LEG. LANGOB. *Lib. I. tit.* 9. *§.* 29. 35. 39. Quumque aqua feruens, ſimilibus adiurata ritibus, aheno vel cacabo contineretur: * ipſum hoc iudicium vocabatur AENEVM, in LEG. SAL. *tit.* 55. *§.* 1. *tit.* 76. §. 2. itemque CALDARIAE, in LEGE WISIG. *Lib. VI. tit.* 1. *§.* 3. LANGOB. *Lib. I. tit.* 33. §. 1. de cuius ritu plura ſuo more collegerunt CAR. DV FRESNE *gloſſar. Lat. p.* 281. *ſequ.* et ECCARD. *ad Leg. Sal. p.* 98.

* Eodem laudatus ECCARDVS *ibid.* refert lebetem, quem Cimbros miſiſſe Auguſto obſeruat STRABO *Lib. VII. p.* 291. Καὶ γὰρ νῦν ἔχουσι τὴν χώραν, ἣν εἶχον πρότερον, καὶ ἔπεμψαν τῷ Σεβαστῷ δῶρον τὸν ἱερώτατον παρ' αὐτοῖς λέβητα. *Hodieque antiquas incolunt ſedes, nuperque Auguſto lebetem, qui apud ipſos ſacerrimus habebatur, dono miſerunt.* Et vſum ſane lebetis vel crateris fuiſſe in diuinationibus, ipſe teſtatur STRABO *ibid. p.* 134. vbi narrat, Cimbros, quum ſe in prouincias Romanorum infudiſſent, ſecum circumtuliſſe cratera, amphoras circiter XX. capientem, et in exercitu habuiſſe vates quaſdam canas, albo veſtitu, carbaſinis ſupparis deſuper fibula adfixis, cinctu aeneo, pedibus nudis, quae ex cratere illo futura praeci-

praecinerent. Quamuis vero ritum multo aliter deſcribat Strabo : nobis tamen iam ſufficit, lebete vel cratere vſos eſſe Germanos ad res occultas dubiaſque explorandas.

§. CCXXXIII.

Examen crucis.

Eiuſdem generis erat examen per crvcem, de quo ritu diverſiſſimae ſunt eruditorum ſententiae, recenſitae a Carolo dv Fresne *gloſſar. Lat. Tom. I. p.* 1274. Alii enim ſortes manu cruci impoſita iactas; alii ramuſculos, cruce inſignitos, altari impoſitos; alii ipſum crucis lignum in ignem coniectum eſſe, exiſtimant. Enimuero ex Hier. della Corte *Lib. IIII. Hiſt. Veron. p.* 178. idem oſtendit Cangivs *p.* 1275. litigantes, dum ſacra celebrabantur, in eccleſia aliqua ad crucis imaginem ſtare coactos, exiſtimatumque eſſe, eum, qui prior exanimis corruiſſet, nocentem eſſe. * conf. Mabillon. *de re dipl. Lib. VI. n.* 51. *p.* 498. *ſequ.*

* Examen hoc crucis potiſſimum Francis placuiſſe animaduertimus, eiuſque exempla ſunt in capitvlar. IIII. *ann.* 803. *§.* 3. *et ann.* 779. §. 10. Synod. Vermer. *ann.* 751. *§.* 17. Form. Lindenbr. *cap.* 172. et Bignon. *cap.* 12. Agobard. *contra iud. Dei cap.* 1. Enimuero hanc ſuperſtitionem ipſi demum Franci damnarunt, publicaque lege primus ſanxit Lvdovicvs Pivs, vt nullus deinceps quamlibet examinationem crucis facere praeſumat, ne Chriſti paſſio, quae glorificata eſt, cuiuslibet temeritate contemtui habeatur. Habetur ſane haec lex in capitvl. *Aquisgr. ann.* 816. §. 27. ex eoque poſtea translata eſt in leg. Langob. *Lib. II. tit.* 55. §. 2. immo et in capitvl. Caroli M. *Lib. V.* §. 102.

§. CCXXXIIII.

Ferri candentis.

Quid dicamus de examine per ferrvm candens, apud omnes peraeque gentes Germanicae originis receptiſſimo? Erat vero hoc purgationis genus in ſubſidium inuentum, aeque ac iudicium aquae frigidae. Si qui enim per valetudinem ferro contendere non poterant: ii, ſi liberi eſſent homines, ferro candente; * ſin ruſtici, aqua frigida ſeſe purgabant. Hincm. rem. *Tom. II. op. p.* 543. Eadmer. *hiſt. nou. p.* 48. Ritus erant varii, de quibus denuo Car. dv Fresne *Tom. I. p.* 386. Nos iam id tantum animaduertimus, examen hoc inſtitutum eſſe in templo, ferro prius variis precibus et exorciſmis conſecrato: quin fuiſſe quaſdam eccleſias, quibus ius eſſet, ferrum huiuſmodi, ab Epiſcopo aliquo conſecratum, adſeruandi, ceu ex *charta Fontanellenſi anni* 1082. probat Car. dv Fresne *ibid. p.* 338.

* Hoc

Digitized by Google

* Hoc quoque examen diuerſimode inſtituebatur. Modo enim quis manu portabat ferrum candens per nouem pedes, modo per XII. ignitos vomeres nudis pedibus tranſibat, modo ferreae chirothecae candenti dextram immittebat, ANN. FVLD. *ad ann.* 858. Immo et plures modos ex ANDR. SVENONIS Lib. VII. *Leg. Scan. cap.* 15. et SAX. GRAMM. *Lib. X. p.* 171. adducit ſaepe laudatus CANGIVS, qui etiam obſeruat, ne Conſtantinopolitanis quidem principibus ignotum fuiſſe *μύδρον αἴρειν*, quin iam veteres Graecos ſimile purgationis genus habuiſſe, cuius mentionem faciat SOPHOCLES *in Antigona*, pluribus quodque ibi explicet SCHOLIASTES. At aliquando ne his quidem contenti per pyram vel rogum ibant, innocentes, ſi illaeſi exirent. Vid. ABB. VRSP. *Chron. p.* 173. Aliquando veſtes, quam corpora committere igni malebant. GREG. TVR. *hiſt. Lib. II. cap.* 1.

§. CCXXXV.

Eius ritus abrogatio.

Quamuis vero altiſſime radices vbique egiſſet ille purgandi ritus, eiuſque paſſim mentionem faciant leges et ſcriptores medii aeui: paullatim tamen et illum ex orbe Chriſtiano proſcribere coeperunt Pontifices Romani, veluti STEPHANVS in *can. conſuluiſti, cauſſ.* 2. *qu.* 3. ALEXANDER III. *Epiſt.* 19. HONORIVS *cap. dilecti X. de purg. vulg.* Quorum exemplum etiam reges et principes ſequutos eſſe, docet CAR. DV FRESNE *gloſſar. Tom. I. p.* 389. Sed exemplis probari poteſt, non potuiſſe inueteratam conſuetudinem tam facile euelli, vt non et multo poſt has leges Germani ferro candente veritatem explorandam putarint *.

* In Anglia hic explorandi modus manſit vſque ad ſaeculum XIII. et tempora Henrici III. regis, vti demonſtrauit IO. SELDEN. *Not. ad Eadmer. p.* 48. De Germania idem dicendum eſt. Nam adhuc ſaeculo XIII. huiuſmodi exemplum habes in CHRON. COLMAR. *ad ann.* 1278. *Ruſticus quidam de Villingen candens ferrum portauit nuda manu, ſine corporis laeſione.* Quod ſane vel ideo notatu digniſſimum eſt, quod eo modo ſe purgauit ruſticus, quum alioquin tantum ad homines liberos pertinere crederetur hoc purgationis genus. (§. 234.)

§. CCXXXVI.

Purgatio per ſortem.

Sunt et alia purgationis vulgaris genera, ſed non aeque omnibus Germanicae originis gentibus communia. Eius generis eſt purgatio per ſortes, cuius meminit LEX FRISICA *tit.* 14. §. 1. vbi illa prolixius ita deſcribitur: *Tunc ducendi ſunt ad baſilicam, et ſortes ſuper altare mittendae, vel, ſi iuxta eccleſiam fieri non potuerit, ſuper reliquias ſanctorum. Quae ſortes tales eſſe debent.*

Duo tali, de virga praeciſi, quos tenos vocant (Friſiis vimen hodienum vocatur *tien*:) *quorum vnus ligno crucis dignoſcitur, alius purus dimittitur, et lana munda obuoluti, ſuper altare, vel reliquias mittuntur, et presbyter, ſi adfuerit, vel, ſi presbyter deeſt, puer quilibet innocens vnum de ipſis ſortibus de altari tollere debet, et interim Deus exorandus, ſi illi ſeptem, qui de homicidio commiſſo iurauerunt, verum iuraſſent, euidente ſigno oſtendat. Si illum, qui cruce ſignatus eſt, ſuſtulerit, innocentes erunt, qui iurauerunt, ſi vero alterum ſuſtulit, tunc vnus quiſque illorum ſeptem faciat ſuam ſortem, id eſt, tenum de virga, et ſignet ſigno ſuo, vt eum tam ille, quam ceteri, qui circumſtant, cognoſcere poſſit, et obuoluant lana munda, et altari, ſeu reliquiis imponantur, et presbyter, ſi adfuerit, ſi vero non, vt ſuperius, puer innocens, vnumquemque illorum ſingulatim de altari tollat, et eum, qui ſuam ſortem eſſe cognouerit, rogat, cuius ſortem extremam eſſe contigerit, ille homicidii compoſitionem perſoluere cogatur, ceteris, quorum ſortes prius leuatae ſunt, abſolutis.*

§. CCXXXVII.

Nec non per corſnid.

Nec commune omnibus, ſed Angliis, aliiſque quibuſdam *, proprium fuiſſe videtur iudicium OFFAE vel PANIS adiurati, quod Angli vocabant CORSNED, non a caſeo, vti non nemo ſomniat, ſed a *cors*, quod Anglo-Saxonibus fuit exſecratum, et *ſned* (Germ. *Schnitt*,) quod bolum vel offam ſignificat: ceu recte obſeruauit CAR. DV FRESNE *gloſſar. Lat. Tom. I. p.* 1234. Offerebatur enim homini ſuſpecto bolus vel offa, certa conceptione verborum certiſque precibus adiurata, credebaturque, illum hac offa ſuffocatum iri, qui delicti, cuius incuſabatur, reus eſſet.

* Quamuis et vocabulum *corſned* ſit Anglo-Saxonicum, et eius probationis praecipue mentionem faciant LEGES CANVTI, *Regis*, *cap.* 6. *et ſequ.* nec non INGVLFVS *p.* 898. ipſe tamen laudatus CAROLVS DV FRESNE *p.* 1235. ſimilia exempla profert ex HIST. TREVERENSI et FORMVLIS LINDENBROGIANIS, ex quibus patet, ne Francis quidem et Germanis ignotum hunc purgandi modum fuiſſe, quamuis, quod ad prius, exemplum ex hiſtoria Treuerenſi depromtum attinet, bolus ibi non homini, ſed cani, obiectus eſſe dicatur, a Duce Limburgenſium, Henrico, vt pateret, an iure illi ſacris interdictum eſſet: nec ſuffocationem canis ſequutam eſſe, narretur, ſed narretur tantum, canem bolum a Duce obiectum attingere noluiſſe, quum tamen eum auide arripuerit, ab alio oblatum. Et ſapiebant ſane, qui in cane potius, quam in ſe, diuini iudicii periculum facere malebant.

§. CCXXXVIII.

§. CCXXXVIII.

Et per SS. euchariſtiam.

Magis frequens erat purgatio per SS. EVCHARISTIAM, ſed tamen fere clericis tantum propria, quibus quum iurare nefas videretur, hoc modo ſeſe purgare placuit, maxime quum praeeuntes haberent pontifices maximos, veluti Gregorium Papam VII. apud LAMB. SCHAFFNAB. *ad ann.* 1077. ex quo diſcimus, ſumentes corpus et ſanguinem Domini ſibi ipſis quaeuis deteſtanda eſſe imprecatos, ſi nocentes eſſent. Sic Gregorii Papae, cuius iam meminimus, verba haec recitat LAMBERTVS: *Ecce corpus dominicum, quod ſumturus ero, in experimentum mihi hodie ſit innocentiae meae, vt omnipotens Deus ſuo me hodie iudicio vel abſoluat obiecti criminis ſuſpicione, ſi innocens ſum, vel ſubitanea interimat morte, ſi reus* *. *Haec et alia, vt ſollemne eſt, praefatus verba terribilia, quibus Deum cauſſae ſuae aequiſſimum iudicem et innocentiae adſertorem adeſſe precabatur, partem Dominici corporis accepit et comedit.*

* Neque hunc tantum triſtiſſimorum illorum ſacrorum euentum memorant eius aeui annales, ſed et varia, vt ſolent, addunt prodigia, quibus Deus eorum, qui nocentes eſſent, temeritatem redarguerit. Sic RADVLFVS GLABER. *Lib. V. cap.* 1. auctor eſt, clerico quodam ſumente ſacram euchariſtiam, *protinus per medium vmbilici egredi viſam eſſe partem candidiſſimam, quam ſumſiſſet eius ſacrificii, dantem procul dubio euidens iudicium reatus, ſe indigne percipientis.* Lotharium quoque, Regem, hoc ſe ritu purgantem, omneſque, qui vna cum illo participes facti fuerant SS. euchariſtiae, veſtente anno exſtinctos eſſe, obſeruant ANNAL. MET. et REGINO *ad ann.* 870. nec non CHRON. REICHERSP. *ad eund. ann.* Alios denique non quidem morte vel ſubitanea, vel lenta, obiiſſe, at illico animi adeo angi coepiſſe, vt delictum faterentur veniamque rogarent, patet exemplo clerici, de ſuſpicione haereſeos ſeſe purgaturi, quod ex HIST. TREV. adduxit CAR. DV FRESNE *gloſſar. Lat. p.* 286. *ſequ.*

§. CCXXXVIIII.

Denique per certamen ſingulare.

At nullum fuit purgationis genus magis vulgare omnibuſque commune, quam quo, inſtituto CERTAMINE SINGVLARI, ſuſpicionem a ſe amoliri vel veritatem probare conabantur, quippe cuius mentionem faciunt LEG. BVRG. *tit.* 45. ALAM. *tit.* 43. BAIVVAR. *tit.* 2. *cap.* 2. *tit.* 9. *cap.* 4. CAPITVLAR. *Lib. III. tit.* 46. LEG. LANGOB. *Lib. I. tit.* 9. *§.* 39. *Lib. II. tit.* 35. *§.* 3. 4. *ſequ.* LEG. FRIS. *tit.* 14. *§.* 7. ex quibus locis, veteres hoc certamine non modo in criminalibus, ſed et ciuilibus cauſſis, vſos eſſe, intelligimus.

§. CCXXXX.

Eius ritus a viris doctis deſcripti.

De eo purgandi modo inſignes ſunt CAR. DV FRESNE et IOACH. IO. MADERI *in diſſ. de duellis* obſeruationes, quarum potiores merito huc transferimus. Oſtendit vero laudatus CANGIVS *Tom. II. p.* 188. certamen hoc initum eſſe decernente iudice, certaturos vero apud iudicem depoſuiſſe pignus vel *wadium*, quod pro damni et iacturae compenſatione cederet: *p.* 189. eum, qui alterum prouocarit, alteri in wadium obtuliſſe chirothecam ſeu rem quamuis aliam, eamque coram iudice proieciſſe, quam deinde adpellatus, impetrata prius iudicis venia, ſuſtulerit, eoque modo, ſe conditionem accipere, profeſſus ſit. Quin *p.* 190. et obſides eo nomine datos eſſe, demonſtrat. Addit *ibid.* arma peditum fuiſſe gladium et clypeum; milites vero vel equites, tota πανοπλία equeſtri ornatos, in arenam prodiiſſe: *p.* 191. aetatem a pugnaturo exigi conſueuiſſe annorum 21. ab ea vero decertandi neceſſitate immunes fuiſſe mulieres, ſexagenariis maiores, aegrotos, ſacerdotes, clericos, monachos, quibus omnibus vicaria opera aliorum, quos *campiones* vocabant, vti licuerit, quamuis ne clericorum quidem pugnacium exempla deſint. Denique *p.* 192. eum, qui in hoc certamine ſuccubuiſſet, perinde poenam dediſſe a legibus ſtatutam, ac ſi crimen confeſſus, vel de eo conuictus eſſet.

§. CCXXXXI.

Eius abrogatio.

Quamuis vero barbaram hanc lites non iure, ſed ferro, decidendi conſuetudinem merito e foro proſcribendam eſſe, viderint tum pontifices maximi, concilia et epiſcopi, inter quos neſcio an primas teneat AGOBARDVS *aduerſus legem Gundobad. Tom. I. Op. p.* 107. et *libro contra iudic. Dei ibid. p.* 301. tantum tamen abeſt, vt pares huic vitio fuerint leges, vt et inſequentibus temporibus nihil fuerit certaminibus iſtis forenſibus frequentius *, ac proinde illa et in medii aeui leges, et maxime Saxonicas, immigrarint. Quin tametſi poſtea paullatim exoleuerit forenſis illa truculentia: inter milites tamen, nobiles et ſtudioſos academicos occaſionem dedit mori, ius ſibi ipſis manu dicendi, cui abolendo tot Regum principumque edicta vix adhuc ſuffecerunt.

* Laudatiſſimus CAR. DV FRESNE, *Gloſſar. Lat. Tomo II. p.* 193. qui hic omnibus palmam diligentiae praeripuit, exempla certaminum ſingularium, ex decreto iudicum in Gallia initorum, ann. 1353. 1386. 1390. immo et ſub Franciſco I. rege et anno 1547. adducit. Ex quibus facile coniecceris, quum

quum ne Galliae quidem reges, quorum maior poſtremis temporibus in regno ſuo fuit auctoritas, hunc inueteratum morbum curare potuerint, multo minus id fieri potuiſſe in Germania, vbi iis temporibus procax libertas ciuitatem ita miſcuerat, vt omnes paene publicae priuataeque controuerſiae non iure, ſed armis, terminarentur.

§. CCXXXXII.

Purgationes, quae Saxonibus et Sueuis receptae?

Diximus etiam in medii aeui leges migraſſe illam ferro ſe purgandi conſuetudinem. Verum non hanc tantum, ſed et reliquarum purgationum aliquas legibus iſtis probari animaduertimus. Sane in IVRE SAX. *Lib. I. art.* 39. tria purgandi genera coniunguntur, dum ſcribit REPKOVIVS: *Die ihr recht mit dieberey oder raub verloren haben, ob man ſie dieberey oder raubes anderweit beſchuldiget, ſie mögen mit ihrem eyd nicht vnſchuldig vverden. Sie haben dreyerley vvahl, das glüende eiſen zu tragen, oder in einen ſiedenden keſſel zu greiffen bis an den elbogen, oder mit kempffen ſich deme zu ervvehren.* At SPECVLATOR SVEVVS *cap.* 160. §. 5. omiſſo ſingulari certamine, condemnari illum iubet in *die vvaſſer vrtheil* *, *oder das eyſen auf der hand zu tragen, oder in einen vvallenden keſſel mit vvaſſer zu greiffen, bis an den elenbogen. Gerichtet er dann, ſo iſt er von der vrtheil ledig.* Quod et de eo, qui falſam monetam antea cuderat, et poſtea in ſuſpicionem de nouo inciderat, ſtatuitur *cap.* 385. Quin et in controuerſiis ciuilibus aquae frigidae iudicio fuiſſe locum, veluti ſi duo praedium pari iure et titulo vindicarent, patet ex *cap.* 75. *et* 126.

* In BERGERIANA *pag.* 65. pro *vvaſſer-vrtheil* eſt *die vvachs-vrtheil*, quod et *p.* 115. legitur. At *p.* 116. et *p.* 441. haec quoque editio habet *die vvaſſer vrtail*, vt duo priora loca in mendo cubare videantur. Argumento eſt etiam editio SCHANNATI, quae *cap.* 118. *et* 163. itidem habet *ein Waſſer vrthail.* Ceterum quum illud iudicium aquae vbique a iudicio feruentis aquae diſtinguatur: non poteſt non intelligi examen per aquam frigidam. Vt adeo quatuor purgationis genera eo tempore, quo ius Sax. et Sueuicum viguit, recepta fuiſſe, intelligamus, puta *aquae frigidae*, *aquae feruentis*, *ferri candentis*, *et ſingularis certaminis* ſeu duelli.

§. CCXXXXIII.

Frequentiſſimum ſingulare certamen. Ei in quibus

SINGVLARE CERTAMEN licitum erat in cauſſis grauioribus, maxime criminalibus, in quibus reus, ſi ſuccubuiſſet, capitis damnaretur: IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 16. itemque in cauſſis fractae pacis, IB. *Lib. I. art.* 63. aliiſque occultis, vbi et teſtium adſeuerationi anteferebatur prouocantis ad certamen victoria

caussis fuerit locus? ria. Exemplum eſt in IVR. SAX. *Lib. I. art.* 64. vbi homine in furto, rapina alioue crimine deprehenſo et occiſo, quamuis ſeptem teſtibus rem adfirmantibus; cognatis tamen permittitur, vt occidentem ad ſingulare certamen poſſint prouocare: *Beut aber einer des todten freund, vver der ſey, ihn zu vertreten mit kampff, der verleget allen gezeug. Denn ſo mag man den todten ohn kampff nicht übervvinden, er ſey denn verfeſtiget, das iſt, verechtiget.* Ita et, qui moderamen inculpatae tutelae iactabat, ferro contendere cogebatur, ſi quis cognatorum hominis occiſi eum prouocaret. IVS PROV. SVEV. *cap.* 164.

§. CCXXXIIII.

Modus alterum prouocandi. Si quis ergo alterum ad hoc certamen prouocare vellet: *primo* eum, permittente iudice, prehendere debebat, quod fiebat manu ſupremae veſtimenti parti iniecta *. *Deinde* dimiſſo rationem reddere tenebatur, cur ei iniecerit manum, ac *tum* eum ter accuſare, veluti, ſi eum fractae pacis reum perageret, quod vim fecerit, quod vulnera illi inflixerit, quod quaedam rapuerit. Eo facto *porro* reus *guarandam*, quam vocabant, ſibi promitti petebat. *Denique* reum negantem, actor prouocabat ad ſingulare certamen, et iudex, ſi ita videretur, interloquebatur, reum ad illud ſuſcipiendum iure obligari. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 63.

* Ritum hunc accurate deſcribit SPECVLATOR SAXO, cuius verba hic legere operae pretium fuerit: *Wer kempfflich grüſſen vvill einen ſeiner genoſſen, der muſs bitten den richter, ob er ſich vntervvinden möge eines ſeines friedebrechers zu rechte, den er da ſahe?* Quaerebat nimirum, an ſibi ius eſſet manum iniiciendi ei, qui ſibi vim fecerit. Iudice de ſcabinorum ſententia decernente, actori ius eſſe manum iniiciendi, hic quaerit: quomodo id fieri oporteat: *Wann ihm das mit vrtheil getheilet vvird, daſs ers thun möge, ſo fraget er, vvie er ſich ſein vntervvinden ſolle, daſs es ihm hülfflich ſey zu ſeinem kampff?* Iudex ergo, auditis ſcabinorum ſententiis, decernebat, actorem reum trahere poſſe lacinia veſtimenti ſuperioris, (*gezogen mit ſeinem haupt-geräthe,*) quae verba Latinus interpres vertit, id fieri debere *manſuete, in ſui ſuperiore foramine veſtimenti.* Itaque Germani hic exigebant vim quandam imaginariam, vel manus iniectionem, idque ſibi volunt phraſes: *zu kampff* GEFANGEN, *vnd gegrüſſet ſeyn.* IVR. PROV. SAX. *Lib. I. art.* 65. nec non *den andern vor gericht zu kampff fahen.* IB. *Lib. III. art.* 36.

§. CCXXXV.

§. CCXXXXV.

Prouocato ad certamen reo, aut accipienda erat conditio, aut iuſta alleganda cauſſa, cur eam iure detrectaret. Tales iuſtae cauſſae erant, I. impares natales. Nam quamuis nobilior ignobiliorem iure prouocaret: non tamen fas erat ignobiliori, prouocare nobiliorem. IVR. PROV. SAX. *Lib. II. art.* 62. SVEV. *cap.* 164. Et hinc prouocanti ingenuo probandae erant quatuor imagines, ſi illi cum ingenuo res erat: IVR. PROV. SAX. *Lib. I. art.* 50. nec Iudaeus detrectare poterat hoc certamen, prouocatus a Chriſtiano, quamuis huius res erat arbitrii, an cum Iudaeo in arenam deſcendere vellet. IVR. PROV. SVEV. *cap.* 340. §. 7. Deinde II. nemo cogebatur certamen ſuſcipere, pomeridie, vel deficiente iam die prouocatus. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 63. *Kampffes mag auch ein Mann vvoll vvegern, ob man ihn nachmittage grüſſet, es vvâre dann ihr beyder gunſt.* III. Nec manus in iure conſerere tenebatur is, qui in ea prouincia, in qua prouocabatur, non erat natus. IVS PROV. SVEV. *cap.* 111. *Spricht ein man einen kâmpflichen an, ſo mag er des Kampffes da vvohl übervverden, ob er von dem land nicht gebohren iſt, da er ihn anſpricht.* Addatur IVS PROV. SAX. *Lib. III. art.* 26. Denique IIII. IBIDEM *Lib. I. art.* 63. obſeruatur, nec cognatum a cognato potuiſſe prouocari. Quiſquis ergo horum vllum iniuria prouocarat: is mulctam prouocato pendere tenebatur, eoque pertinet locus IVR. SAX. *Lib. I. art.* 51. *Wer ſich des andern zu kampf vntervvindt, entgehet er ihm zu recht, er muſs ihn mit buſſe laſſen.*

Ob quas cauſſas illud detrectari potuerit?

§. CCXXXXVI.

Iacta ſemel alea, decretoque a iudice interpoſito, aut illico in arenam erat deſcendendum, aut ſi qua iuſta cauſſa iudici videretur, puſillum laxamenti prouocato dabatur. Iuſtae autem videbantur cauſſae, I. ſi cui imparato huiuſmodi certamen denunciaretur. IVS PROV. SAX. *Lib. II. art.* 3. *Grüſſet man einen zu kampffe, der vngevvarnet dar kommen iſt, vnd ihm vmb die ſache dar nicht beſcheiden iſt, er ſoll tage haben nach ſeiner geburt, ob er das bittet, daſs er ſich dazu bereite.* Si quis ergo certamen acciperet, illudque differri peteret: ingenuo concedebantur induciae ſex hebdomadum, miniſteriali aliiſque, ſeruituti non obnoxiis, quatuordecim noctium, IBID. II. Valetudo adfecta,

Aut ſaltim dilatio peti?

ſecta, veluti ſi quis eum, a quo vulneratus fuerat, ad certamen prouocarat, cui, ſi non eſſet, cuius vicaria opera vteretur, eo vſque induciae concedebantur, dum conualuiſſet. IBID. *Lib. I. art.* 49. Dilato certamine, iudex vtrique ab altero vim fieri vetabat, (*er vvürckte ihnen beyden frieden:*) et ſi ſecus alteruter feciſſet, eum in mulctam condemnabat. IB. *Lib. III. art.* 36.

§. CCXXXXVII.

Quibus armis inſtructos eſſe oportuerit pugnaturos?

Adpetente die, huic certamini conſtituto, vtrique de armis erat cogitandum, et quidem non qualibuſcumque, ſed iuſtis, et legitimis, quae ita deſcribit SPECVLATOR SAXO *Lib. I. art.* 63. *Der richter ſoll zvvey boten geben, ihrer ieglichen einen, die da fechten ſollen, die da ſehen, daſs (die vvaffen) angeleget vverden, nach rechter gevvonheit. Leder, vnd leinen ding mögen ſie vvoll anthun, als viel, als ſie vvollen. Heupt vnd füſſe ſollen ihnen fornen bloſs ſeyn, vnd an den händen ſollen ſie nicht mehr haben, dann dünne handſchuch, ein bloſs ſchvverd in der hand, vnd eines oder zvvey vmbgegürtet, das ſtehet an ihr beyder vvillkühr. Einen runden ſchild in der andern hand, da nichts, dann holz vnd leder an ſey: aber die boecklein mögen vvoll eiſern ſeyn. Ein rock ohn ermeln über den harniſch.* * Si arma deeſſent pugnaturis: iudex ea, teſte eodem SPECVLATORE, illis commodabat. IBID.

* Quid ſi mulier, (quod ipſum quoque aliquando fiebat,) in arenam deſcenderet? Vidi in bibliotheca Aug. Guelpherb. veterem codicem, qui inſcribitur *kampff-recht*, in quo mulieris cum viro certamen legitimum ita et deſcribitur et depingitur. Vir claua inſtructus, ſtat in ſcrobe vmbilico tenus, mulier extra ſcrobem linteum dextra vibrat, cuius extremitati lapis illigatus. Si mulier linteo illo collum viri ſtringebat, eumque ſcrobe extrahebat, victrix praelio hoc excedebat: ſin vir illam claua feriret, ipſe victor illam in capite ſiſtebat in ſignum victoriae. Sed raro forte mulieres, quibus iuſta certamen detrectandi cauſſa erat, (§. 240.) adeo verecundiam ſexus egrediebantur, vt palmam in arena illa gladiatoria adfectarent. Ceterum et aliorum armorum in his certaminibus aliquando vſum fuiſſe, conſtat. Mentio enim aliquando fit et haſtae. WORM. *monim. Dan. Lib. I. cap.* 10. clauae apud SAX. GRAMM. *Lib. III. p.* 41. immo et clypei et fuſtium in LEG. LANGOB. *Lib. II. tit.* 55. *Lib.* I. *tit.* 9. §. 23.

§. CCXXXXVIII.

Arena ſanctione poenali munita.

Quando aderat hora certaminis, orbis fiebat, et arena procul dubio cancellis circumdabatur: quin et inuiolabilem illam fore, non ſine ſanctione poenali denunciabatur a iudice. Quo pertinent

pertinent verba SPECVLATORIS SAX. *Lib. I. art. 63. Friede ſoll man dem volke gebieten in dem kreiſſe, bey dem halſe, daſs ſie niemand irre an dem kampffe.* Praeterea vtrique dabatur vir, qui ferret longurium (*einen baum*) obiiciendum vulnerato, vel lapſo, ſi id a iudice impetraret. Ita enim ibidem SPECVLATOR: *Ihrer ieglichen ſoll der richter einen mann geben, der ſeinen baum trage, die ſollen ſie nicht irren. Wann aber ihrer einer fällt, daſs er den baum vnterwerffe, oder ob er gewundet wird, vnd des baums bittet, daſſelbige muſs er nicht thun, er habe denn vrlaub von dem richter.* Vocabantur hi *grieſwârtel*, i. e. *creyſwârter.*

§. CCXXXXVIIII.

Ingreſſus certaminum in arenam.

Paratis omnibus, certaturi petebant arenam, (*ſie muſten des ringes zu recht begehren*) ſimulque de vaginis ferrum extremum (*das ortband*) demebant, niſi id illis vltro conderet iudex. Hinc vterque armatus coram iudice conceptis verbis iurabat, alter, verum eſſe nomen, ob quod reum conuenerit, alter, ſe nihil debere, vſus vterque formula imprecationis: *Daſs ihnen GOtt ſo helffe zu ihrem kampff!* Iudex poſtea ita diuidebat aream inter certaturos, vt neuter ſolem aduerſum haberet. Actor primus ingrediebatur orbem, eumque ſequebatur reus, atque ita more tum recepto manus conſerebant.* IVS PROV. SAX. *Lib. I. art. 63.*

* Obſeruat vero OL. WORM. *monim. Dan. Lib.* I. *cap.* 10. aliam longe fuiſſe veterum pugnandi rationem tam in duello, quam in bello, ac noſtro ſaeculo in vſu eſſe cernamus. Non enim *antiquitus in edendis agonibus crebras ictuum viciſſitudines peti conſueuiſſe, ſed fuiſſe cum interuallo temporis etiam feriendi diſtinctam ſucceſſionem, rariſque, ſed atrocibus plagis, certamina geſta, vt gloria potius percuſſionum magnitudini, quam numero, deferretur*: ceu oſtendit et SAX. GRAMM. *Lib. II. p.* 30. qui et *p.* 37. quibuſdam interiectis, hanc certandi rationem ita deſcribit:

Non memini, certamen agi, quo promtius eſſet
ALTERNARE ENSES, PARTIRI*que ictibus ictus,*
Dans vnum, tres accipio, ſic mutua Gothi
Vulnera compenſant, ſic dextra potentior hoſtis
Vindicat acceptam cumulato foenore poenam.

Idque eſt *genus feriendi Gallicanum*; vti illud vocat SERVIVS ad *Virgil. Aen. Lib.* VIIII. *v.* 749.

§. CCL.

Certaminis euentus.

Denique, quod ad euentum feralium iſtorum certaminum attinet, permultum intererat, vtrum ſe ſtitiſſet reus, an ignauus defugiſſet certamen. De priore caſu IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.*

63. *Wird der überwunden, auf den man ſpricht, man richtet über ihn. Ficht er aber zu ſiege, man läſt ihm mit gewette vnd mit buſſe.* Senſus eſt, reum victum, tanquam confeſſum, condemnatum, actorem vero, ſi ſuccubuerit, tamquam calumniatorem, reo abſoluto, poenam pecuniariam, (*die buſſe*) iudici mulctam, (*die wette*) ſoluere debuiſſe. Si alteruter occubuerat in hoc certamine: victor plerumque glorioſum ſibi ducebat, victo iuſta facere, eique funus magnifice ducere. *

* Et hoc plerumque ſibi alter ab altero ſtipulabatur, ceu obſeruat SAXO GRAMM. *Lib.* III. *p.* 48. *vt victum victor in feriis proſequeretur, eique glorioſum eſſet, victi funus magnifice ducere.* Quod pluribus ad illum locum demonſtrauit STEPHANI *in notis p.* 98. Exemplum habes in CHRON. AVGVST. apud PISTOR. *Tom.* III. *ſcript. rer. Germ. p.* 648. *edit. Struu. Anno*, inquit, 1409. *duellum factum eſt inter Marſchalcum et Hachſenacker, in quo Marſchalcus, quum proſtratus eſſet, et a ſuo aduerſario interrogatus, ſi fortuna ſibi fauiſſet, quid agere vellet? dixit, ſe interfecturum hoſtem ſuum. Quod et mox Hachſenaker in eum fecit, ſeque portare fecit in feretro ſuo, quod illic ſtabat ex more, quod et tibtinam dicunt, ad eccleſiam S. Vdalrici, agens grates.* Ex quo ſimul diſcimus, certaturos feretra ſibi fieri iuſſiſſe, vt, ſi quid illis humani accideret, eo honeſtius terrae mandarentur.

§. CCLI.

Quid ſi reus illud defugeret.

Si reus defugeret certamen: iudex per adparitorem, adhibitis ſimul duobus ſcabinis, eum ter domo euocabat. Si ne ſic quidem adeſſet: actor gladium bis vibrabat aduerſus ſolem, et tunc victor arena excedebat, et ſecundum eum lis dabatur, perinde ac ſi proſtrauiſſet aduerſarium. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 63. *Ob der ander zu lange ſäumet: der Richter ſoll ihn laſſen fürheiſchen den fronboten in dem hauſe, da er ſich anleget.* (id eſt, vbi arma induit,) *vnd ſoll zween ſchöpffen mit ſenden. Alſo ſoll er ihn auch laden zu dem andern, vnd zu dem dritten mal. Kommt er zu der dritten ladung nicht vor, der kläger ſoll aufſtehen, vnd ſich zu kampff erbieten, vnd ſchlagen zween ſchlaege, vnd ſtechen einen ſtich gegen der ſonnen, oder wind, damit er jenen übervvunden alſo gethaner klage, als er ihn angeſprocken hat. Vnd der richter ſoll ihm richten, als ob er ihn übervvunden hette mit kampff.* *

* Si actor, contra quem quis innocentiam armis tueri paratum ſeſe oſtendebat, vocatus non adeſſet: reus non illico abſolutus, ſed iuſiurandum purgatorium ei delatum eſſe videtur. AIMON. *de geſt. Francor. Lib.* V. *cap.* 13. *Bernardus, Ludouici Pii camerae praefectus, adulterii cum Auguſta commiſſi accuſatus primum in Hiſpaniam confugerat. Inde anno* 831. *reuerſus, Imperatorem adit, atque ab eo contendit, vt ſibi facultas detur, purgandi ſeſe*

ſeſe more Francis ſolito, id eſt, crimen obiicienti ſemet obiiciendo. Sed quum accuſator nullus compareret, purgatio facta eſt iuramentis.

§. CCLII.

Et haec quidem de probationibus et purgationibus, quales, ante receptum ius Romanum in Germania fuerunt, ſufficerent, niſi ſupereſſet vnica, quae non tam lege aliqua, quam vetere conſuetudine inoleuiſſe videtur. Solebant enim veteres homicidii ſuſpectos adducere ad cadauer hominis occiſi, iiſque imperare, vt vulnera manu contingerent. Eo enim facto, ſanguinem, ebullientem ex vulnere, caedis auctorem proditurum, ſperabant. Quin et ſine tactu cadauer ſanguinem fundere credebant, ſi propius accederet ſicarius. Cuius probationis tot exempla exſtant, vt de eius perſuaſionis vetuſtate vix dubitandum videatur. * **Examen per tactum cadaueris occiſi.**

* SCHOTTEL. *ſingul. in Germ. iur. cap. 3. p. 82. ſequ.* bina exempla profert ex THOMA CANTIPRATANO, quem ſub finem ſaeculi XIII. vixiſſe conſtat. Ex eodem ſaeculo habemus exemplum in vita S. Thomae, Herfordienſis epiſcopi, apud SVRIVM. *vit. ſanctor. menſe Octobr. p. 554.* quamuis ibi non tam homicidii auctorem, (morte enim ſua obierat S. Thomas,) quam hoſtem, prodiderit epiſcopi mortui cruor. En verba: *Interea ſex diebus corpus eius exanime adſeruabatur, odorem ſpirans ſuauiſſimum. Deinde caro, ab oſſibus ſeparata, in eccleſia S. Seueri honorifice ſepulta eſt: oſſa vero per tam longinqua terrarum et maris ſpatia in Angliam ad ſedem eius adportata ſunt. Quinque obuiam illis veniſſet Gilbertus de Clara, comes Glouerniae, qui ob iura eccleſiae beatum virum fatigauerat, mox ab eis* SANGVIS *copioſiſſimus manauit, ita vt vaſa, in quibus ferebantur, ſanguine tincta viderentur. Id comes ille cernens, timore et horrore concuſſus, iura omnia eccleſiae reſtituit, et ob ea, quae temere admiſerat, egit poenitentiam.*

§. CCLIII.

Omnes, quas hactenus recenſuimus, purgationes VVLGARES poſtea reprobatae ſunt: De CANONICA, qualis hodie ſolum iusiurandum eſt, nihil videtur addendum, quum de ea paullo ante, quantum ſatis eſt, dixerimus. Iam obſeruamus, pleraque quidem, quae adhuc obſeruauimus, mutata eſſe, recepto in fora noſtra iure Romano et canonico: at luculentas tamen ſupereſſe veterum rituum et conſuetudinum reliquias, tum I. circa probationes generatim: tum II. in ſpecie circa probationes per teſtes, III. per inſtrumenta, denique IIII. per iusiurandum. Quin et V. purgationum diu in foris noſtris expreſſiſſima manſiſſe veſtigia, et VI. hodienum ſingularium certaminum, quamuis illicitorum, **Harum obſeruationum omnium et hodie quaedam ſuperſunt veſtigia.**

rum, rationes pleraſque ex veteribus illis certaminum iudicialium ritibus eſſe explicandas.

§. CCLIIII.

Veluti circa probationem et reprobationem.

Inter iuris veteris reliquias, quod ad PROBATIONEM generatim attinet, merito retuleris (1. reprobationem, quam vocant. Quum enim eam ignoret ius Romanum: * in Germania iam olim et actor et reus ad probationem admittebantur. (§. 284. ſequ.) Id retinuerunt poſteri, ac proinde (2. pronunciari ſolet; *daſs kläger den grund ſeiner klage, vnd ſo viel ihm daran verneinet worden, innerhalb ordnungs-friſt, mit vorbehalt des dem beklagten gebührenden gegenbevveiſes, eydes-delation vnd anderer rechtlicher nothdurfft in gleichmäſſiger friſt, wie recht, zuervveiſen ſchuldig.* Quin (3. ne opus quidem eſt, vt hanc reprobationem ſibi reſeruent rei, ſed (4. ea illis ſalua eſt ipſo iure, neque ab ea excludi ſine iniuria poſſunt, BRVNNEM. *Proceſſ. ciu. cap.* 18. *n.* 12. modo (5. ad eam, nondum aperto rotulo, ſeſe offerant.

* Equidem et iure ciuili, vbi probationes adimpleuit actor, etiam reus ad probationem exceptionum admittitur. *l.* 8. *et* 9. *C. de except.* At in Germania etiam ad contrarium probandum reus admittitur. *Es können beyde theile über einerley puncten beweiſs führen.* Neque tamen ideo nego, ex iure etiam pontificio in fora noſtra iterum permanaſſe hanc conſuetudinem, quippe quod eliſiuae probationis meminit *c.* 26. *et c.* 35. *X. de teſtib. et atteſtat.* Nam pleraque hoc ius non tam ex iure Rom. quam ex moribus gentium Germanicarum, recepit, eaque laciniis quibuſdam interpolauit, prout e re ſua viſum eſt pontificibus, vti fatebitur vnuſquiſque, qui veteres Germ. leges cum iure canonico contenderit.

§. CCLV.

Eiuſque directionem.

Quemadmodum vero multum relictum erat iudicis arbitrio; quibus in cauſſis, et quos teſtes admittere vellet: ita non mirum eſt, (6. ſaltim id ex vetuſtis moribus remanſiſſe, vt multis locis in cauſſis ordinariis ſuſcipere pro lubitu non liceat probationem, ſed (7. exſpectanda prius ſit iudicis interloquutio, et (8. ea vires rei iudicatae nacta, tum demum currere incipiat terminus probatorius. Quod denuo non praecipit ius Romanum, ſed ius canonicum, *c.* 9. *X. de probat.* quod iterum veteres Germanorum mores adoptauit. Immo (9. non difficile probatu eſt, Germanos, etiam nondum admiſſo in fora iure canonico, hunc interloquendi morem ſancte obſeruaſſe. *

* Probari

* Probari id luculenter poteſt ex auctore *des* RICHTSTEIGES *uber das Land-recht cap.* 16. vbi actor, teſtibus probaturus, iudicem interrogat: *Here her richter, ick biade eines ordels. Alſe ick bewyſen mach met hulpenden tiigen, wedder ick des denne met getuge ichs neger tho behaldene ſy, wenn das yenne my af tho winnende ſy?* Addit auctor: *So vimme, de kleger ſy des met tuge neger tho behaldende, wenne des yenne allene vor tho behaldene ſy.* En primam interloquutionem, qua decernitur, actorem ad probationem eſſe admittendum. Quaerit porro actor: *Wo de kleger dat behalden ſchole?* et addit actor: *Da vintme: ſulff dritte.* En alteram interloquutionem, qua actori iniungitur, vt duobus productis teſtibus, probet. Tum tertia ſequitur quaeſtio: *wann he ſynen tiich bringen ſchole? ſo vintme: ouer ſes vr ecken.* En tertiam interloquutionem de termino probatorio, ſeu die, quo teſtes producendi ſint. Ita numquam probationem ſuſcipiebant litigantes, niſi prius decreuiſſet iudex, quis probare debeat, quot teſtes producendi, et quando producendi ſint? eamque conſuetudinem ſeruabant etiam, antequam ius canonicum in fora Germanica penetrauerat.

§. CCLVI.

Circa productionem teſtium.

Deinde et in TESTIVM productione quaedam veteris conſuetudinis veſtigia notamus, veluti, (10. quod teſtes ſponte ſe offerentes in cauſſis maxime ciuilibus pro ſuſpectis habentur: HAHN. ad WESENB. *paratitl. Lib. XXII. tit.* 5. *n.* 2. (11. quod non admittuntur eorum epiſtolae vel ſcripta teſtimonia, ſed abſciſſe coguntur coram dicere teſtimonium: (12. quod non audiuntur praeſentibus vel producentibus vel aduerſariis, ſed a iudice, his abſentibus, examinantur, quamuis (13. productus, quem vocant, et merito audire debeat iurantem et eius interrogatoria omnino admittenda ſint, modo non ſint inepta, obſcura, captioſa, ad cauſſam minus pertinentia. BRVNNEM. *proceſſ. ciu. cap.* 20. *n.* 56. Denique (14. et id ex moribus Germanicis eſt, quod teſtes prius iurare coguntur, ſi ſecundum articulos a producente exhibitos examinantur: ſaepe vero (15. vbi prius ſummarie, vt loqui ſolent, depoſuerint, ea, quae dixerunt, ſibi praelecta, et de nouo adſeuerata, poſtea iureiurando firmare coguntur, immo (16. in ſupremo imperii dicaſterio haud raro teſtes, abſoluto demum examine, iureiurando obſtringuntur. GAIL. *Obſ. Lib. I. cap.* 101. *n.* 9. *

* Omnia haec eſſe ex iure Germanico, facile probatur. Concluſionem enim 10. iam veteribus notam fuiſſe, patet ex §. 192. et ſequ. concluſionis 11. fundamentum in iure Germ. iudem reperies ſupra §. 196. concluſionum 12. 13. 14. 15. §. 197. At ius Romanum teſtes ſeſe offerentes non reiicit, quamuis id vulgo probent ex *l.* 25. *D. de procurat.* quum tamen ille locus de procuratore, qui inuito operam ſuam ingerit, agat, non de teſte, inter quos haud leuis differentia eſt. Deinde abſentium quo-

que teſtium tabulas admiſiſſe Romanos, innumeris veterum et maxime QVINCTILIANI teſtimoniis conſtat. Sed nos iam vnum adducimus locum ASCONII PAEDIANI *argum. primae act. in C. Verrem*, vbi refert, *Ciceronem*, *quum inquiſitionis tempus in Siciliam poſtulaſſet dies* 110. *cum filio patrui ſui*, *Tullio*, *totam prouinciam* COLLIGENDIS LITTERIS *in Verrem*, *et denunciandis teſtimoniis*, *peragraſſe diebus quinquaginta.* Et quid, quaeſo, clarius eſt verbis Hadriani Imp. in *l.* 3. §. 4. *D. de teſtib. Alia eſt auctoritas praeſentium teſtium*, *alia teſtimoniorum*, *quae* RECITARI *ſolent.* Vbi, quamuis plus fidei habendum putet praeſentibus, quam qui miſſis tabulis, vel epiſtolis perhibeant teſtimonium, tamen tabulas et epiſtolas non reiicit. Porro teſtes apud Romanos non remotis partibus, ſed iis praeſentibus, et interrogantibus, auditos eſſe, adeo certum eſt, vt veteres in eo ſummam accuſatoris et patroni laudem poſitam eſſe cenſerent, ſi acuti eſſent in interrogandis teſtibus. CICERO *pro Flacco cap.* 10. *Vbi eſt igitur illa laus oratoris*, *quae vel in accuſatore antea*, *vel in patrono*, *ſpectari ſolebat?* BENE TESTEM INTERROGAVIT: *callide acceſſit*: *reprehendit*: *quo voluit adduxit*: *conuicit*, *et elinguem reddit.* Addatur locus eiuſdem CIC. *pro Fonteio cap.* 6. et ex ipſo iure noſtro *l.* 19. *C. de teſt.* vbi iudex *teſtium teſtimonia*, *alterutra parte* PRAESENTE, *quae eos introducit*, *capere* iubetur: nec non *l.* 18. *C. de fide inſtr. vbi depoſitiones ſub* VTRIVSQVE PARTIS PRAESENTIA *factae*, dicuntur. Idem patet ex *Nouella XC. cap.* 9. quamuis ex illa et *l.* 14. *C. de teſt.* male intellectis vulgo contrarium probare velint, quos iam redarguit GVNDLING. *in Gundlingian. Part.* 9. *p.* 373. *ſequ.* Denique apud Romanos teſtes non poſtea demum, quam depoſuerint, ſed priuſquam perhiberent teſtimonium, iureiurando conſtrictos eſſe, patet ex *l.* 9. *C. de teſt.* vt adeo, quae in §. diximus, omnia ex iure Germanico eſſe videantur.

§. CCLVII.

Circa inſtrumenta tum publica,

Nec minus ad iuris veteris Germanici reliquias circa INSTRVMENTA pertinet, (17. quod publicis, et auctoritate iudicis confectis, abſciſſe creditur, adeo, (18. vt ne agnitionem quidem eorum requirere ſoleant extra Saxoniam, et (19. in Saxonia quidem ad agnoſcendum produci debeant, at iis fides iureiurando abrogari non poſſit. LVDOVICI *introd. ad proceſſ. ciu. cap.* 3. *§.* 12. itemque (20. quod, parato producto ad fidem inſtrumenti priuati iureiurando infringendam, actori integrum eſt comparatione litterarum eius γνησιότητα demonſtrare, vel (21. inſtrumentum per teſtes agnoſcere: * IDEM *cap.* 17. *§.* 4. *ſequ.* quamuis (22. in proceſſu, quem exſequutiuum vocant, neutri remedio locum eſſe, vel inde pateat, quod exceptiones altioris indaginis in eo exſulent. IDEM *ibid. cap.* 3. *§.* 23.

* Equi-

* Equidem et ius Romanum vtrumque hoc remedium commendare, nouimus. Nam agnitionem per teſtes praeſidium reperire animaduertimus in *Nouella LXXIII. cap.* 1. comparationem vero litterarum IBID. *cap.* 7. Enimuero quum iure Romano prius remedium non admittatur, niſi ſi teſtes adfuerint, qui inſtrumentum ſcribi et ſubſcribi viderint: contra in Germania et alii teſtes de ſimilitudine litterarum et chirographi eius, qui inſtrumentum confeciſſe dicitur, deponentes, et de credulitate ſua iurantes, audiuntur, STRYK. introd. *ad prax. cap.* 19. §. 10. LVDOVICI *ibid. cap.* 17. §. 17. Denique quum maiores noſtri hanc agnitionem per teſtes, et litterarum comparationem in vſu habuerunt, antequam iuris Romani vlla apud ſe eſſet auctoritas: (§. 205. 207. 208. 211.) quis dubitauerit, quaeſo, quin Germani vtrumque illud remedium magis ex iure patrio retinuerint, quam ex Romano demum adoptarint?

§. CCLVIII.

Sed et id ex moribus patriis reliquum eſſe videtur; (23. quod et priuatis inſtrumentis in Germania paſſim ſubſcribunt teſtes, et quidem (24. ab vtroque contrahente rogati, atque hinc frequentes ſunt formulae: *Hiebey vnd hierüber ſind gevveſen als hiebey erbethene zeugen, von ſeiten* Titii etc. *als vveinkauffs-zeugen ſind hiebey gevveſen* etc. cuius rei exemplum iam ſupra adduximus. (Lib. I. §. 193.) Itemque (25. quod Germani tantum auctoritatis tribuerunt inſtrumentis *guarentigiatis*, vt ex iis EXSEQVVTIVE, ceu vocant, agi patiantur, id eſt, (26. vt reo ſtatim iniungatur agnitio inſtrumenti, eaque facta, (27. non niſi exceptiones in continenti liquidae, quales in Saxonia ſunt, quae alio inſtrumento liquido probantur, extra Saxoniam, quae et iureiurando delato poſſunt ad liquidum perduci, admittantur, (28. reliquae altioris indaginis ad reconuentionem remittantur. LVDOV. *Introd. ad proceſſ. cap.* 13. tum priuata.

§. CCLVIIII.

Plura, eaque expreſſiſſima, veterum Germaniae morum veſtigia ſuperſunt in delatione ac praeſtatione iuriſiurandi: veluti (29. quod nec iſtud admittitur, niſi illam delationem ratam habuerit iudex, et ſuper eo interloquutus ſit: quamuis id et IVSTINIANVS exigat *l.* 12. §. 1. *C. de reb. cred.* item (30. quod non vbique in Germania libera eſt iuriſiurandi delatio vel relatio, ſed (31. ex quibuſdam ſtatutis is demum iuſiurandum recte defert, qui iam aliquid probauit, immo et (32. in re dubia, in iudicis arbitrio eſt, vtram partem ad iuſiurandum admittere Circa delationem iuris iurandi,

mittere malit. Pertinet huc locus notatu digniſſimus REFORM. FRANCOF. *Part. I. tit. 39. §. 8. So aber jeder theil ſeines fürbringens anſehnliche vnd ſtarcke anzeigungen für ſich, dieſelbe aber doch nicht völlig bevviſen hätten, alſo es beyder ſeits alles auf vermuthungen ſtünde, ſo ſoll, nach fleiſſiger ervvegung der ſachen vnd perſonen gelegenheit, dem kläger, oder aber dem beklagten, vvelcher theil die ſtärkſte vermuthung vor ſich, vnd der ſache am beſten vviſſenſchafft hat, bey vvelchem auch ſich der vvarheit mehr zu erſehen, vvelches alles zu erkentniſs vnd ermäſſigung der ſchöpffen ſtehen ſoll, obbemeltes iuramentum ſuppletorium oder aber deciſorium, aufferlegen.* Et §. 13. *Doch da der kläger gar nichts bevvieſen, noch auch einige anſehnliche oder ſtarcke vermuthung vor ſich hätte, ſo iſt der beklagte nicht ſchuldig, deſſelben ihm zugeſchobenen eyd anzunehmen, oder auch dem kläger zu referiren, vnd hinvvieder heim zu ſchieben, ſondern mag dem nechſten bitten, ſich von fürbrachter klage zu erledigen.* Quae omnia iuri Romano plane aduerſari, Germanico vero vel maxime conſentanea eſſe, nemo non videt.

§. CCLX.

eiusque ſolemnitatem.

Nec minus, quod ad formam iurisiurandi attinet, in plerisque Germani antiquum obtinent. Nam (33. et hodie viri erectis tribus prioribus manus dextrae digitis, (34. feminae et clerici, iisdem ſiniſtro pectori impoſitis, iurant, perinde ac ſi iſti altari, vel capſae reliquiarum: illae euangelii libro, ex collo pendenti; hi euangelio, in pectoris ſcrinio altaque mente repoſito, eos imponere geſtirent. GVNDL. *in Gundlingian. Part. IIII. p.* 324. Quin (35. multo magis veteres iurandi ritus adumbrant hodierni, quos in patria mea in praeſtando iureiurando purgatorio obſeruari vidi, * nec non (36. iusiurandum feminarum, in dicaſterio Rotwilenſi receptum, per formulam, *mit hand vnd mund, mit kopff vnd bruſt*, ORD. ROTWIL. *Part. II. tit.* 10. WEHNER. *obſeru. pract. voce mund vnd hand.* STRYCK. *de iure ſenſ. diſſert.* 7. *cap.* 1. *n.* 42. quippe quam iam ſupra inter veteres iurandi ritus deprehendimus. (§. 227.)

* Memini enim me puerum intereſſe actui ſollemni, quum adulterii ſuſpectus iureiurando ſeſe purgaret. Vidi tunc non ſine horrore quodam, feneſtras omnes velis obumbratas, menſaeque, ad quam iudex et miniſtri eccleſiae ſedebant, impoſita biblia, et caput oſſeum, ſceleto detractum, ſimulacrum Chriſti cruci adfixi, et, niſi fallor, gladium et chiro-

thecas

thecas ferreas, collucentibus hinc inde cereis, reum vero in genua prouolutum et digitos erigentem, apertis ianuis, admiſſiſque promiſcue omnibus, iurantem. Similes ritus deſcribuntur in VOLKMANNO *emendato Part. I. cap. 79.* vbi variae eorum cauſſae myſticae recenſentur. Sed vnuſquiſque animaduertit, reliquias has eſſe rituum veterum, quum per arma, per crucem, in ſacroſanctis euangeliis, nec non in reliquiis Sanctorum iurandum eſſet, de quibus ſupra (§. 220. *ſequ.*) plura diximus.

§. CCLXI.

Forma iuris iurandi a Iudaeis praeſtandi.

Praeterea (37. iuſiurandum, quod Iudaeis hodie praeſtandum eſt, cuiuſque formula exſtat in ORD. CAM. *Part. I. tit.* 86. veteri illi, quod in legibus Germanicis deprehendimus, ſimillimum eſt, et meras fere comprehendit exſecrationes, quum tamen iam ab aliis demonſtratum ſit, ſanctiſſimum hoc eſſe Iudaei iuſiurandum, ſi adiuranti iudici: *Adiuro te, Iudaee, per Deum viuentem, vt mihi dicas,* etc. Iudaeus reſpondeat: *Amen. Matth. XXVI.* 63. 64. Immo (38. nec conſacramentalium vſum plane exoleuiſſe, ſaltim in probandis maiorum imaginibus, ipſa docet experientia, * idque nos iam ſupra exemplo non inelegante illuſtrauimus. (Lib. I. §. 226.)

* Exempla paſſim exſtant. Nos hic vnicum adferemus ex litteris Archiepiſcopi Moguntini anno 1699. ad Pontificem maximum ſcriptis, quum hic hominem extraneum *Iacobum de Bouille* eccleſiae Wormatienſi obtrudere conaretur, editis ab ANT. FABRO *in der Stats-Cantzley Part. V. p.* 125. vbi Archiepiſcopus: *Agnoſcunt,* inquit, *canonici ſinguli, ſe ad iuratam ſanctitati veſtrae obedientiam obligari non minus, ſicut iuraſſe ſe obſeruantiam ſtatutorum eccleſiae ſuae, vi quorum admittere non poſſunt ad poſſeſſionem canonicatuum et praebendarum, niſi eos, qui ſe vere eſſe nobiles Germanos,* MEDIANTIBVS IVRAMENTIS QVATVOR VIRORVM *itidem nobilium Germanorum coram capitulo probauerint.*

§. CCLXII.

Veſtigia veterum purgationum vulgarium, veluti per aquam frigidam.

Quis crederet, PVRGATIONVM illarum veterum et vulgarium veſtigium vllum ſupereſſe potuiſſe in Germania, maxime in tanta veritatis et litterarum luce, et illis tot grauiſſimis ſanctionibus in exſilium actarum? Et tamen (39. diutiſſime manſit examen AQVAE FRIGIDAE, maxime in explorandis ſagis *, eiuſque rei non modo (40. plurima exempla vidit Weſtphalia, de quibus WALBVRGER *de lamiis p.* 100. *ſequ.* GODELMANN. *de mag. Lib. III. cap. 6. n.* 35. SCHROETER. *de lam. cap.* 8. §. 8. *p.* 102. verum etiam (41. defenſores, inter quos nomen ſuum non obſcure profitetur CHRISTOPH. CRVS. *de indic. delict. Part. II. cap.* 32. *n.* 78. *ſequ.*

* Modum ita deſcribit SCHROETER. *de lamiis ibid. p.* 160. *Modus imponendi obſeruatur talis: Quando feminae, fama vel aliorum depoſitione ſuſpectae habitae, extra vrbem deducebantur, et in aquam frigidam tranſuerſe leniter per carnifices imponebantur, ita, vt dextrae manus pollex ſiniſtri pedis magno digito, ſiniſtrae vero manus pollex dextri pedis magno digito eſſet funiculo adligatus. Atque ſi hoc conſtrictae modo non ſubmergebantur, ſed anſeris aut anatis more ſupernatabant, pro ſagis habebantur, et ex hoc indicio tormentis de ſuo maleficio interrogabantur. Si vero ſub aquam inferantur ſagae: inſontes indicari et dimitti ſolebant.*

§. CCLXIII.

Per cruentationem, quam vocant ius feretri.

Et quis ignorat (42. IVS FERETRI ſeu CRVENTATIONIS, Germanis *das baar-recht*, de quo praeter SCHOTTEL *de iur. Germ. antiqu. cap.* 3. ſingulares exſtant BECMANNI, KIRCHMAYERI, KNITTELII, SIM. FRID. FRENZELII, HVNDSHAGENII et PETRI MVLLERI diſſertationes, qui (43. et varia, eaque recentiſſima eius moris exempla adferunt. Sed et (44. ipſum morem hoc inſtituendi examen ita deſcribit KEYSER *in der anvveiſung zum inquiſit. vnd achts-proceſſ. p.* 146. *ſequ. Welche gerichte aber dieſes baarrecht exerciren wollen, dieſelben haben ſich in acht zu nehmen, vnd dabey behutſam zu verfahren, damit der todte coerper zur ſelben zeit nicht gerühret, gevvendet, oder auff andere maſſe mouiret werde, ſondern wann der todte côrper eine gute zeit ſtille gelegen, erkaltet, vnd alſo nicht zu vermuthen, daſs er natürlicher weiſſe mehr bluthen kônne: alsdann kan die verdâchtige perſon vorgeſtellet, vnd zum anrühren angehalten werden. Was ſich auch hierbey vor vmbſtânde ereignen, muſs mit fleis regiſtriret, der verdâchtig befundene ſodann zur hafft gebracht, vmſtândlich examiniret, fernere erkundigung eingezogen, vnd die acta hernach zum verſpruch rechtens verſchicket werden.*

§. CCLXIIII.

Ritus plures hodiernorum certaminum ſingularium ex veteribus certaminibus fo-

Denique in ipſis SINGVLARIBVS CERTAMINIBVS, quibus adhuc ſiue clam, ſiue palam, res dubias decidere ſolent legum contemtores, multa et hodie obſeruamus, quae in vetuſtis certaminibus, iudicum auctoritate inſtitutis, olim obſeruabantur, veluti (45. quod ſibi inuicem offerunt pignus, et (46. in primis chirothecam, ne dubitet alter, quin alter ſtato die ſit adfuturus: (47. quod vnuſquiſque ſolet adducere amicum vel arbitrum, *einen ſecundanten*, qui et caueat, ne alter aliquid contra leges gladiatorias agat, armis illicitis vtatur, inſidiiſue potius, quam vi

Digitized by Google

vi aperta, vtatur: (48. Quod alteruter praeſens, ſi aduerſarium fruſtra aliquamdiu exſpectauerit, eo nomine teſtimonium ſibi perhiberi petit, et tunc pro victore habetur: et quae ſunt huius generis alia. Sed quum haec ad prauos potius ciuium noſtrorum mores, quam ad iuriſprudentiam Germanicam, pertineant: non eſt, quod iam iis diutius immoremur. renſibus ſuperſtites.

TIT. VII.

DE SENTENTIIS, ET RE IVDICATA.

§. CCLXV.

AVditis probationibus, non aliae erant iudicum partes, quam vt ferrent SENTENTIAM, reumque vel abſoluerent, vel condemnarent. Qua de re iam hoc titulo quaedam ex antiquis ac medii aeui legibus differere iuuabit. Et quidem, quum SENTENTIAE in INTERLOQVVTORIAS et DEFINITIVAS diſpeſci ſoleant: vix fuit vlla gens, apud quam plures auditae fuerint ſententiæ interloquutoriae, quam apud Germanos. Nihil enim peragebatur in iudicio, vbi non prius et actor et reus vel veniam rogaret, vel, quid ſibi iuris competat, interrogaret. Ad has interrogationes iudex non ſuo arbitrio, ſed de conſilii ſententia reſpondebat, vel *interloquebatur*. Vnde frequentiſſima in iure Germanico loquutio: *inuenire ſententiam.* * Sententiae inueniri dicebantur, ſiue interloquutoriae, ſiue definitiuae.

* IVS SAXONICVM vix aliter loquitur. Vid. IVS PROV. SAX. *Lib. III. art.* 30. 69. *et* 70. IVS FEVD. SAX. *cap.* 6. §. 2. *cap.* 11. §. 1. *cap.* 32. §. 12. *cap.* 33. §. 11. *cap.* 34. §. 12. 14. *cap.* 38. §. 6. 7. WEICHB. *art.* 10. §. 3. *art.* 12. *art.* 16. §. 1. *et* 2. *art.* 48. §. 1. *art.* 74. Et in AVCTORE *des richtſteigs* vtramque paginam facit formula: *ſo vintme*: id eſt, tunc inuenitur. Nihil enim ex ſuo ingenio decernebant iudices: ſed de conſilii vel ſcabinorum ſententia. De his vero dicebatur, *daſs ſie vrtheile ſchoepffen, oder finden.* Et hinc etiam hodie Hamburgi ſententia, in inferiore iudicio concepta, vocatur *eine findung*. Nec alia eſt vocabuli Belgici *vondniſse* vel *vonniſse* notio. CORN. KILIANVS *in dictionar. Belg.* VONDNISSE *a vinden vel vinnen, id eſt, ab inueniendo, dici videtur.* Het vonniſse vinden *antiquiſſima eſt phraſis, tam apud nos, quam apud veteres Sicambros et Saxones. Audita vtraque parte, et cauſſa ex adlegationibus et probationibus penitus cognita, ſententiam eruere et inueſtigando, inuenire, atque inde pronunciare.*

 §. CCLXVI.

§. CCLXVI.

Inueniebantur praeuia poſtulatione, inquiſitione, interrogatione et reſponſione.

Non ſuo vmquam arbitrio, ſed de conſilii ſententia pronunciabat iudex, ſiue *interloquutoriam*, ſiue *definitiuam* ferret ſententiam. Atque hinc recte obſeruat FRIDR. BRVMMERVS *de ſcabin. cap.* 8. §. 2. totum iudicii ordinem apud veteres Germanos in INQVIRENDO, INTERROGANDO et RESPONDENDO, (addo in POSTVLANDO,) conſtitiſſe. *Poſtulabat* alteruter litigantium, eiuſue aduocatus, dum ex iudice, impetrata venia, quaerebat, quid iuſtum, quidue ſibi faciendum eſſet? eoque pertinet formula, quae toties in auctore *des richt-ſteiges* occurrit: *Here her richter, ick bidde eines ordels. Inquirebat* iudex in rei veritatem, auditis teſtibus, excuſſis inſtrumentis, aliiſque probationibus et argumentis cum cura expenſis. Idem porro *interrogabat* ſcabinos, de ea re quid cenſeant? Hi denique *reſpondebant*, et de eorum conſilio ferebatur ſententia. *

* Eleganter hoc ipſe BRVMMERVS *ibid.* tribus probauit teſtimoniis, ex quibus vel maxime ad rem pertinet primum, quod deſumſit ex *charta Alamannica 99.* apud GOLDAST. *ſcript. rer. Alam. Tom. II. p. 60.* vbi primum Hrothelmus quidam dicitur PROCLAMASSE, *eo, quod in contradrutum ſuum manſum ei tollutum fuiſſet: quod ei aduenerit a parte vxoris ſuae ſimul et Flauino: deinde comes, auditis teſtibus, et rem praeſentem contemplatus,* INTERROGAVIT *ipſe ſcabinos, quid illi de hac cauſſa iudicare voluiſſent? At illi* DIXERVNT: *ſecundum iſtorum hominum teſtimonium, et ſecundum veſtram inquiſitionem,* IVDICAMVS, *vt ſicut diuiſum et finitum eſt, ita in proprium habeant abſque contradictione in perpetuum.* Addimus alterum ex HINCM. *Epiſt. IIII.* cap. 14. *Contra capitulum domini Imp. Caroli nemo ad placitum cogatur venire, niſi ſcabini, et qui cauſſam ſuam* QVAERIT, et cui QVAERITVR.

§. CCLXVII.

Et quidem non niſi de ſcabinorum ſententia.

Idem et poſt Francorum tempora obſeruatum eſſe e pluribus veterum teſtimoniis compertum habeo. Ita enim AVCTOR *vitae Caroli, Comitis Flandr. cap. V.* hunc comitem et eo nomine collaudat, quod laeſus a quibuſdam, *id vlciſci noluerit, niſi praemiſſa et* COGNITA SENTENTIA SCABINORVM, *ſine quorum iudicio nil detur poſſe vel velle comitem.* Et ex IVRE SAX. *Lib. II. art.* 12. nec non SVEV. *cap.* 80. patet, nihil hic ſuo arbitrio feciſſe iudicem, ſed ſcabinorum fuiſſe, interrogante iudice, ſententiam ferre. Vnde SPECVLATOR SVEVVS: *Wo ſchoepffen ſind, die ſollen vrtheil ſprechen über jeglich ding, vnd niemand anders.* Et *cap.* 73. §. 4. *Vor welchen* (in Bergeriana p. 127. *vor vveltlichen*) *gericht ſprechen die richter nicht vrtheil. Das iſt darumb geſetzt, daſs ſie nicht alle vveiſſe leuth ſind, vnd daſs viel gevvöhnlicher iſt, daſs vnter den leuten alle,*

Digitized by Google

alle, die vor ihm ſind, viel vveiſſer leut ſind, dann er iſt. Add. GLOSS. *ad* IVR. PROV. SAX. *Lib. III. art.* 78. vbi quinque argumentis probat, non eum, qui ſententiam inueniat, ſed qui eamdem quaerat, iudicem dicendum eſſe.

CCLXVIII.

Ceterum ſcabini ſententiam ferebant ſedentes, (ac proinde ſua habebant ſubſellia: IVS PROV. SAX. *Lib. II. art.* 12. SPEC. SVEV. *cap.* 79. §. 4. *cap.* 80. §. 4. palliati, inermes, ſine pileo et chirothecis, IVS PROV. SAX. *Lib. III. art.* 69. SVEV. *cap.* 80. §. 2. denique ieiuni, CAPITVLAR. *de cauſſ. admon.* §. 15. LEX LANGOB. *Lib. II. tit.* 52. §. 4. *et* 11. IVS PROV. SAX. *Lib. III. art.* 69. et SVEV. *cap.* 80. Aliquando et alii, qui non erant ſcabini, rogabantur ſententiam, ſi ſcabinus rem acu non tetigiſſet, iiſque tunc licebat, eam dicere, ſi prius veniam ſubſellium occupandi a iudice impetraſſent. IVS PROV. SAX. *Lib. II. art.* 12. *Der aber zu den bäncken nicht gebohren iſt, der ſoll des ſtuhls bitten mit vrtheil, ein ander vrtheil zu finden: ſo ſoll ihm jener den ſtuhl räumen, der das erſte vrtheil fand.*

Quomodo hi tulerint ſententiam?

§. CCLXVIIII.

Si quando in diuerſa ibant ſcabini: plurium ſententiis pauciorum ſuffragia merito cedebant. IVS PROV. SVEV. *cap.* 108. §. 4. *Fraget ein richter vrtheil einen mann, nun ſo vrtheilet der mann, vvas er kan; ihm folgen vielleicht drey man oder mehr, vnd ein ander mann dabey findet ein ander vrtheil, dem folgen auch drey oder mehr, vnd vvelcher die mehrere folg hat, der hat ſein vrtheil behebet.* * Contra nulla erat ſententia, ab vno ſcabino, inconſultis reliquis, lata. Potius is, qui auſus erat collegis ius ſuffragii adimere, venerabili illo ſcabinorum ſenatu mouebatur, WEICHB. *art.* 100. immo nulla etiam erat ſententia iudicis metu prolata, CAPIT. *Lib. V.* §. 251. vel iuſſu aut metu principis confecta. LEG. WISIG. *Lib. II. tit.* 1. §. 28.

Quid ſi paria eſſent ſuffragia?

* Quid vero ſi par eſſet ſuffragiorum numerus? Omittunt hunc caſum leges recentiores. At in CAPITVL. *Lib. V.* §. 160. regula traditur: *Placuit, vt inter pares ſententias clementior ſemper ſeueriori praeferatur.* Quod quin et inſequentibus temporibus obſeruatum ſit, nulli dubitamus.

§. CCLXX.

Erant et alia quaedam, a ſcabinis, ſententiam dicturis, obſeruanda: veluti quod tres ſententias ſerie non interrupta ferre nemo

Obſeruationes aliae de

iure et ritu ferendi ſententiam.

nemo poſſet. WEICHB. MAGD. *art.* 27. *Es ſoll kein ſchoepff dreymal nach einander vrtheil ſprechen, binnen gehegten ding.* Quod ſententiam rogatus aut ferre eam teneretur, aut iurare, ſibi non liquere. IVS PROV. SAX. *Lib. II. art.* 12. *Wer vrtheils gefraget wird, vnd das nicht finden kan, darff er ſein recht hierzu thun, daſs ers nicht finden können,* * *ſo mag man vvol einen andern darumb fragen, darnach den dritten, vnd dann den vierdten.* Conf. IVS PROV. SVEV. *cap.* 108. Denique quod impune ferret, qui ſententiam etiam minus aequam tuliſſet, modo id non dolo malo, ſciens et volens, ſed ex errore vel ignorantia, feciſſet. IVS PROV. SAX. *Lib. II. art.* 12. *Fraget man einen mann vmb ein vrtheil, vnd findet er es nach ſeinem ſinne am rechteſten, als er weiſs, vnd vvâre es vvol vnrecht, er leidet doch da keine noth vmb.* Quamuis tunc ſcabinus iurare teneretur ex praeſcripto IVRIS SVEV. *cap.* 108. §. 3. *daſs er nichts beſſers viſſe:* ſin iurare nollet, manus amputatione puniretur.

* Idem erat mos Romanorum, apud quos iudices, tametſi ſemel dati et accepti obſtricti eſſent ad ferendam ſententiam, tamen iudicandi neceſſitate ſe exſoluere poterant, ſi iuraret, SIBI NON LIQVERE. Exemplum inſigne eſt apud GELL. *Noct. Attic. Lib. XIIII. cap.* 2. quod pluribus interpretati ſumus in *diſſert. de lubricit. iuriſiur. ſuppiet.* §. 19.

§. CCLXXI.

Iudices et alios adhibebant in conſilium apud Wiſigothos et Francos.

Quum vero ſcabinorum non omnium ea iuriſperitia fuiſſe videatur, vt ſententiam, iuri et facto conſentaneam ferre, vel, vti ipſi loquebantur, inuenire poſſent: integrum illis fuiſſe videtur, alios adhibere in conſilium. Apud Wiſigothos ſane iudici licebat, ex auditorio aliquos in conſilium adhibere. LEG. WIS. *Lib. II. tit.* 2. *§.* 2. Apud Francos non modo ſacerdotes erant in conſilio: CAPITVL. *Lib. VI.* §. 141. verum etiam SACHIBARONES, quorum, tamquam iuris peritorum, conſilio ſcabinos vſos eſſe, iam ſupra vidimus. (*§.* 19.) Vid. LEG. SALIC. *tit.* 57. *§. vlt.* Eiuſdem porro generis erant BONI HOMINES, * qui ſaepe comitibus et ſcabinis iunguntur in vetuſtis monimentis, veluti in MARCVLFI *adpend. cap.* 51. in charta apud CAR. DV FRESNE *gloſſar. Lat. Tom. I. p.* 583. nec non apud BALVZ. *capitular. Tom. II. n.* 16. *p.* 1394. *n.* 98. *p.* 1490. *n.* 104. *p.* 1497. *n.* 118. *p.* 1512. *n.* 142. *p.* 1549. Nam et hos comitibus cum ſcabinis in conſilio fuiſſe, patet ex formula pronunciandi apud CAR. DV FRESNE *ibid.*

* Imitati hic Franci videntur Romanos, apud quos iudices et arbitri κατ' ἐξοχὴν bonorum virorum nomine veniebant. HORAT. *Lib. I. Epiſt. XVI. v.* 40.

Vir bonus eſt quis?
Qui conſulta patrum, qui leges iuraque ſeruat:
Quo multae magnaeque ſecantur iudice cauſſae.

Vnde *ad virum bonum* ire, idem eſt, ac ire ad iudicem. *l.* 137. *§.* 2. *D. de verb. obl.* et boni viri arbitratus ſaepiſſime pro iudicis arbitrio ponitur. *l.* 17. *l.* 12. *D. iudic. ſolu. l.* 51. *D. ſol. matr. l.* 4. *C. de reſt. mil.*

§. CCLXXII.

Idem et medio aeuo fieri ſolebat.

Idem et medio aeuo obtinuiſſe, animaduertimus. Quum enim ſaepe non ea eſſet virorum prudentum et iuriſperitorum copia, vt ſcabini quid iuſtum atque aequum ſit, ſuopte iudicio peruiderent: non raro vel aliorum vtebantur conſilio, vel ſententias aliunde arceſſebant. Exemplum e ſaeculo *XIII.* quod huc pertinet, * habes apud illuſtr. academiae noſtrae cancellarium, Io. PETR. A LVDEWIG *von verbeſſerung des teutſchen Lehenrechts p.* 15. ex quo patet, iam illo tempore, orta de limitibus territoriorum inter Electorem Brandenburgicum et Archiepiſcopum Magdeb. controuerſia, electum arbitrum, comitem Schwarzburgicum, ſententiam tuliſſe de iuriſperitorum, quos adhibuerit, ſententia.

* Nec opus eſt pluribus, quum iam ſupra (§. 54.) aliquot exemplis ac teſtimoniis demonſtratum ſit, vrbes pleraſque, ſi qua ſententia, a ſcabinis ſuis lata, ab alterutra parte impugnaretur, ſententias alias ab ea vrbe petiiſſe, cuius leges et ſtatuta adoptarant, quamque tamquam metropolin comiter venerabantur. Itaque tantum in ſecunda, quam vocant, inſtantia ſententiae ab aliis iuriſperitis concipiebantur. Denique rem extra omnem dubitationis aleam ponunt tot ſententiae veteres, a ſcabinis Magdeburgicis conceptae, et SPECVLO SAXONICO adpendicis loco ſubiunctae. Immo ipſe collectionem huiuſmodi ſententiarum multo antiquiorem vidi in codice quodam MSC. membranaceo, in quo et ius vetus Lubecenſe erat, ipſeque deprehendi, eas ſententias aliunde petiiſſe ſenatum Stetinenſem.

§. CCLXXIII.

Contra quos ſententia ferri potuerit?

Sententia porro non contra omnes promiſcue ferri poterat. In primis vero non contra abſentes, CAPITVLAR. *Lib. VII.* §. 271. *et* 145. furioſos, et mente captos, IVR. PROV. SAX. *Lib. III. art.* 3. SVEV. *cap.* 145. minores, CAPITVLAR. *Lib. VII.* §. 265. immo nec contra eos, qui ingenuorum erant natalium, niſi, et ipſi ſcabini eſſent ingenui: id enim ſibi volunt verba IVR. PROV. SAX. *Lib. II. art.* 12. *Schoeppenbarfreye leute môgen wol vrtheil finden über einen ieglichen mann: es mag aber über ſie niemand*

quibuſcum, quod ſoluere debes, adpretiatio, et hoc, quod debes, ſecundum iuſtum pretium ſolue ac ſatisfac. Quod ſi audire noluerit praeſens, aut ſi abſens fuerit, ſtatim rathimburgii, adpretiato pretio, et quod debito ſecundum iuſtum pretium ſatisfaciat, et quantum valuerit, debitum, quod debet, hoc de fortuna ſua tollat, et ipſa lege duas partes ille, cuius cauſſa eſt, ad ſe reuocet, et tertiam partem in fredo grauio ad ſe recolligat, ſi tamen fridus vim de ipſa cauſſa non fuit ſolutus. *

* Attamen nec actor impune ferebat, qui exſequutionem ſine ratione flagitauerat, nec iudex, qui plus pignori ceperat, quam debuiſſet. Lex Ripvar. *tit.* 51. §. 1. *et* 2. *Si quis iudicem fiſcalem ad res alienas iniuſte tollendas, antequam ei fidem feceris, aut ad ſtrudem admallatum habueris, inuitare praeſumſeris*, 50. *ſol. mulctetur. Quodſi quis iudex fiſcalis amplius, quam lex Ripuaria continet, tulerit*, 50. *ſol. mulctetur.* At paullo poſt *tit.* 84. *is, qui grafionem ad res alienas iniuſte tollendas inuitaueris* 45. *ſolidos componere, et ſimile reſtituere iubetur.*

§. CCLXXVII.

Itemque in cauſſis realibus.

Ita exſequutioni mandabatur ſententia per pignoris capionem, quoties quis, conuentus actione perſonali, fuerat condemnatus. Vbi ſimul notatu dignum eſt, eum, qui ius dicenti non obtemperabat, ſed in cauſſa erat, vt exſequutio eſſet decernenda, tertiam iudicati partem, tamquam mulctam, iudici exſoluere debuiſſe: quemadmodum et iure Romano is, qui, quod extremum erat in iuriſdictione, non faciebat, in mulctam ſolebat condemnari. *l. vn. D. qui ius dic. non obtemp.* Quomodo ſententia, pro eo, qui in rem egit, lata, exſequutioni mandari conſueuerit, non adeo expeditum eſt, niſi quod victorem a iudice et ſcabinis in poſſeſſionem miſſum, victum vero inſuper mulctatum a iudice eſſe, et res ipſa doceat, et facile intelligi poſſit ex Leg. Alam. *tit.* 84.

§. CCLXXVIII.

Quomodo ea facta iure Saxonico in actionibus realibus?

Sed ita iure Germanico antiquo fiebat exſequutio. Qualis illa iure Saxonico fuerit, fuſe atque accurate deſcribit Repkovius *Lib. I. art.* 70. Nam primo, quod ad actiones in rem attinet, de iis ita ſcribit: *Hat ein mann geklaget auff ein gut zu dreyen dingen, man ſoll ihn darein vveiſen, vnd ſoll es ihm geweldigen, da mag ihn niemand auſsvveiſſen, er thue es dann mit rechter klage. Die einvveiſung mag aber der mann entreden*

auff

Digitized by Google

auff den heiligen, bey jahr-zahl, er muſs aber das gut zu hand vertreten zu den nächſten dreyen dingen, ob man darauff klagte. Fiebat ergo exſequutio per immiſſionem et inductionem in poſſeſſionem. Enimuero quia hic exſequutio decernitur ob rei contumaciam: quaeritur, an non hic poſtea rem ſuam recuperare poſſit? Idque adfirmat SPECVLATOR, dum iuſiurandum praeſtet * ſuamque actionem intra proximas tres dilationes opponat, eaſque, prout decet, probet.

* Quid vero hic eſt *die einweiſſung entreden auff den heiligen?* Non ſane iurare, rem eſſe ſuam. Neque enim veroſimile eſt, eum, qui ſemel miſſus fuerat, ſtatim debuiſſe migrare, ſimulac reus, rem ſuam eſſe, iuraret. Immo huic interpretationi refragantur ſequentia; *er muſs aber das gut zu hand vertreten zu den nächſten dreyen dingen.* Senſus ergo eſt, iureiurando reum probare debere iuſtum impedimentum, cur ter citatus non adfuerit. Eo enim facto adhuc admittitur ad ius ſuum proponendum, probandumque. Recte itaque auctor GLOSSAE *ad hunc textum: Das vernimm nicht alſo, daſs jener ſchlechts ſchvveren mœge, ſondern er meinets alſo, daſs jener vor gerichs muſs kommen, vnd bevveiſsen ſeine ehehaffte noth, vvarumb er zu der antvvort nicht kommen ſey.*

§. CCLXXVIIII.

Itemque in perſonalibus?

Deinde ſi, finita cauſſa perſonali, decerneretur exſequutio: ea fiebat per pignoris capionem. Qua de re eodem loco SPECVLATOR: *Klaget man aber vm ſchuld über den, der nicht dingpflichtig iſt, noch der da zu antvvorten nicht ſchuldig iſt, man ſoll ihm gebieten von gerichts halben, daſs er bezahle über vierzehen tage, oder ſich der ſchuld mit recht entrede. Thut er das nicht, man ſoll ihn dafür pfänden, vnd das pfand ſoll man zu bürgen thun drey ſtund, ye über 14. tage, ob mans zu borge begehrt. Begehrt mans aber zu borge nicht, man ſolls doch halten ſechs vvochen vnuerthan. Entredet jener die ſchuld darinnen nicht, darnach mag er ſie nicht entreden, es benehme ihm dann echte noth, ſo ſoll man denn das pfand verſetzen für die ſchuld, oder verkauffen, (ob mans dafür nicht verſetzen mag,) vvas es dann gielt, das vbrige ſoll man ihm vvieder geben. Gebricht aber ichts daran: man ſoll ihn vvieder pfänden, alſo lange, bis jener ſein geld habe.* Itaque, condemnato eo, et non ſoluente intra tempus conſtitutum, pignus capiebatur, idque per ſex adſeruatum hebdomadas vel pro ſumma debita oppignorabatur, vel vendebatur optimis conditionibus, et hyperocha reſtituebatur debitori. Si pignus non ſufficeret expungendo nomini: aliud de nouo

mand vrtheil finden, daſs an ihren leib, oder an ihre ehre, oder an ihr erbe gehet, noch ihr vrtheil ſchelten, er ſey ihnen dann ebenbürtig. Denique nec ſententia a quoquam ferri poterat contra dominum, vaſallum et cognatum, ſi vel vita, vel corpus, vel exiſtimatio et fama hominis periclitaretur. IBID.

§. CCLXXIIII.

Rei iudicatae effectus apud veteres.

Sententia lata poterat impugnari. Quod quomodo factum ſit, inſequente capite oſtendemus pluribus. Si non eſſet impugnata: vires rei iudicatae adquirebat, et ab vllo retractari, nouaue actione inuerti non poterat: quamuis certum terminum, quem fatalem hodie vocamus, ego quidem nuſquam expreſſum videam. CAPITVL. *Lib. VII. §. 351. Flagitari iudicium non debet de cauſſa, quae definita vel iudicata eſt.* Apud Alamannos, qui cauſſam ſemel deciſam iterum in ius deducere vellet, auditis teſtibus, qui rem iudicatam adfirmarent, eorum teſtimonium vel aliis teſtibus, vel certamine ſingulari elidere vel 40. ſol. pendere cogebatur. LEG. ALAM. *tit.* 94. Denique apud Langobardos idem, teſtibus conuictus, aut 15. ſol. mulctae nomine ſoluere, aut a ſcabinis *, qui ſententiam tulerant, totidem ictus corpore excipere tenebatur. LEG. LANGOB. *Lib. II. tit.* 60.

* Ex quo loco ſimul patet, non modo adparitorem, qui vocabatur *der frohnbothe*, ſed et ſcabinos ſupplicia a reis ſumere non dubitaſſe, quod et alio teſtimonio probare licet ex MARQV. FREHERI *notis ad libr. de occult. Weſtph. iud. p.* 48. ad quem locum FRIDR. BRVMMER. *de ſcabin. cap.* 8. §. 18. *p.* 362. *Notabile eſt, quod ipſi ſcabini, ſalua tamen dignitate ſua, condemnato alteri ſcabinorum* (immo et aliis, ceu ex lege Langobardica diſcimus,) *carnifices manus inferre iubeantur, more ab Hebraeorum republica petito, vbi nobiliſſimi quique et principes, ſi teſtes capitalium ſcelerum fuiſſent, in lapidatione, notiſſimo eorum ſupplicio, primum lapidem in fontem immittebant, demonſtrante hoc ex Deut. XVII. v. 7. pluribuſque aliarum gentium exemplis*, BODINO *Lib. III. de republ. p.* 361. et PICCARTO *comm. ad VI. Polit. Ariſt. cap.* 8.

§. CCLXXV.

Itemque iure Saxonico.

Sed et iure Saxonico retractari non potuiſſe videtur ſententia, quae non in continenti eſſet impugnata. IVS PROV. SAX. *Lib. II. art. 6. Welche gabe der man ſiehet vergeben wieder ſich, oder welche vrtheil er finden höret wieder recht: wiederredet er das zu hand nicht: darnach ſo mag ers nicht wiederreden.* Vbi MELCH. KLING. in editione ſua *fol.* 54. *b.* verba

ba *zur hand* ita παραφράζει: *in gebührender zeit, als in zehen tagen*, quaſi et apud Saxones, elapſo demum illo decem dierum ſpatio, ſententia in rem iudicatam tranſierit: ſed perperam. Nam *zur hand* eſt in continenti. Dicta enim pronunciataque ſententia, ſtatim ex praeſentibus quaerebat iudex, an quis eorum impugnare vellet ſententiam? Nemine volente, ſtatim pro iudicato habebatur: idque volunt verba *gloſſae*: *Denn nach Sach,ſen-recht fraget man allezeit, ob einer ein geſunden vrtheil vollvvorthen wolle?* * *In welches da er alſo eins vervvilliget, billig mag er es darnach nicht wieder ſchelten.*

* Ex quo ſimul patet, ſententias non clam, ſed palam, et praeſentibus omnibus, eſſe publicatas. Id quod etiam diſerte praecipit LEX WISIG. *Lib. VII. tit.* 4. §. 7. nec non LANGOB. *Lib. II. tit.* 21. §. 28. quae trium ſaltim hominum praeſentiam exigit. Praecipue autem partes ipſas, earumque aduocatos, adeſſe debuiſſe, vel inde patet, quod eos interrogari oportuit, an in ſententia illa adquieſcerent? Quod ſi nec adquieſcere, nec impugnare vellent ſententiam: CAPITVL. *Lib. III.* §. 7. cautum fuerat, vt clamatores vel cauſſidici, qui nec iudicio ſcabinorum ADQVIESCERE, nec BLASPHEMARE volunt, in cuſtodia recluderentur, donec vnum e duobus facerent. Quod repeti animaduertimus in LEGE LANGOB. *Lib. II. tit.* 52. §. 23.

§. CCLXXVI.

Exſequutio ſententiae ex iure vetere, in cauſſis perſonalibus.

Ceterum ſententia, vbi in rem iudicatam tranſierat, exſequutioni erat mandanda. Quod quomodo factum fuerit, luculenter oſtendi poteſt ex LEGE SALICA *tit.* 53. §. 3. Ibi ſane ſtipulator eum, qui ſe quid daturum promiſerat, primum domi adhibitis teſtibus interpellare, deinde ei per iudicem tres dilationes, quibus ſoluat, dari iubetur ea lege, vt debitae quantitati ſingulis dilationibus tres ſolidi adcreſcant. Si ne ſic quidem debitor expungeret nomen: exſequutioni erat locus, quam ita LEX deſcribit: *Si vero nec fidem factam ad placitum legitime factum voluerit perſoluere: tunc ille, cui fides facta eſt, ambulet ad grauionem loci illius, in cuius pago manet, accipiatque feſtucam, et dicat verbum: Tu Grauio, rogo te: Homo ille, qui mihi fidem fecit, quem legitime habeo admallatum ſecundum legem Salicam, et quod lex Salica habet, et continet, et ego ſuper me, et ſuper fortunam meam pono, quod ſecurus mitto ſuper fortunam ſuam manum. Et dicat, de quanta cauſſa quantam ei fidem fecerit? Tunc Grauio roget ſeptem rathimburgios, qui ſecum ambulent ad domum illius, qui fidem fecit: dicat, ſi praeſens eſt: Voluntate tua ſolue homini iſti de eo, quod ei fidem feciſti, et elige duos ex his, quos volueris,*

auff den heiligen, bey jahr-zahl, er muſs aber das gut zu hand vertreten zu den nächſten dreyen dingen, ob man darauff klagte. Fiebat ergo exſequutio per immiſſionem et inductionem in poſſeſſionem. Enimuero quia hic exſequutio decernitur ob rei contumaciam: quaeritur, an non hic poſtea rem ſuam recuperare poſſit? Idque adfirmat SPECVLATOR, dum iuſiurandum praeſtet * ſuamque actionem intra proximas tres dilationes opponat, eaſque, prout decet, probet.

* Quid vero hic eſt *die einweiſſung entreden auff den heiligen?* Non ſane iurare, rem eſſe ſuam. Neque enim veroſimile eſt, eum, qui ſemel miſſus fuerat, ſtatim debuiſſe migrare, ſimulac reus, rem ſuam eſſe, iuraret. Immo huic interpretationi refragantur ſequentia; *er muſs aber das gut zu hand vertreten zu den nächſten dreyen dingen.* Senſus ergo eſt, iureiurando reum probare debere iuſtum impedimentum, cur ter citatus non adfuerit. Eo enim facto adhuc admittitur ad ius ſuum proponendum, probandumque. Recte itaque auctor GLOSSAE ad hunc textum: *Das vernimm nicht alſo, daſs jener ſchlechts ſchvveren mige, ſondern er meinets alſo, daſs jener vor gerichs muſs kommen, vnd bevveiſsen ſeine ehehaffte noth, vvarumb er zu der antvvort nicht kommen ſey.*

§. CCLXXVIIII.

Deinde ſi, finita cauſſa perſonali, decerneretur exſequutio: ea fiebat per pignoris capionem. Qua de re eodem loco SPECVLATOR: *Klaget man aber vm ſchuld über den, der nicht dingpflichtig iſt, noch der da zu antvvorten nicht ſchuldig iſt, man ſoll ihm gebieten von gerichts halben, daſs er bezahle über vierzehen tage, oder ſich der ſchuld mit recht entrede. Thut er das nicht, man ſoll ihn dafür pfänden, vnd das pfand ſoll man zu bürgen thun drey ſtund, ye über 14. tage, ob mans zu borge begehrt. Begehrt mans aber zu borge nicht, man ſolls doch halten ſechs vvochen vnuerthan. Entredet jener die ſchuld darinnen nicht, darnach mag er ſie nicht entreden, es benehme ihm dann echte noth, ſo ſoll man denn das pfand verſetzen für die ſchuld, oder verkauffen, (ob mans dafür nicht verſetzen mag,) vvas es dann gielt, das vbrige ſoll man ihm vvieder geben. Gebricht aber ichts daran: man ſoll ihn vvieder pfänden, alſo lange, bis jener ſein geld habe.* Itaque, condemnato eo, et non ſoluente intra tempus conſtitutum, pignus capiebatur, idque per ſex adſeruatum hebdomadas vel pro ſumma debita oppignorabatur, vel vendebatur optimis conditionibus, et hyperocha reſtituebatur debitori. Si pignus non ſufficeret expungendo nomini: aliud de nouo

Itemque in perſonalibus?

uo capiebatur, donec creditori eſſet ex aſſe ſatisfactum.

§. CCLXXX.

Vſus hodiernus harum obſeruationum in interloquutionibus.

Et horum quidem iurium omnium veſtigia quaedam et hodie ſupereſſe, nemo negauerit. Ex veteribus enim Germaniae moribus eſt (1. quod nihil ab alterutro litigante fit in foro, ſuper quo non interloquantur iudices, e. g. ſuper declaratione, ab alterutro facta, ſuper reaſſumtione litis, productione et agnitione inſtrumentorum, ſimilibusque, quamuis tota ſaepe ſententia nihil complectatur, praeter illa notiſſima: *es habe dabey ſein bevvenden, es habe beklagter die documenta ſub A. B. C. zur nothdurfft recognoſciret.* etc. (2. Quod et hodie tum in iudiciis criminalibus, tum in ciuilibus quibuſdam, maxime prouincialibus, (*in denen land gerichten*,) iudiciorum ordo in hoc vnico conſiſtit, quod actor vel reus *poſtulat*, e. g. *vvie er vor dieſes gericht vorkommen môge? ob ihm erlaubt ſey, ſich mit ſeinem fürſprecher zu unterreden? etc.* iudex *interrogat* ſcabinos, quid de ea re ſentiant? v. c. *Herr ſchoepffe, ich frage euch, vvie klâger vor dieſem gericht vorkommen môge?* ſcabinus denique RESPONDEAT: e. g. *Herr richter, ich halte vor recht, daſs klâger vorkomme ohne gezogene vvehre, vnd ohne geruffte.* Tales ritus in iudiciis, ruri habitis, ipſe vidi: quos vetuſtis illis per omnia ſimiles eſſe, nemo non animaduertit.

§. CCLXXXI.

In inueniendis ſententiis.

Quemadmodum vero maiores et priuatos, qui ſcabinorum officio minime fungebantur, rogabant ſententiam: (§. 268.) ita idem (3. et hodie quibusdam locis obſeruatur, maxime Hamburgi. Hinc IVS STAT. HAMB. *Part. I. tit. 6. art. 1. Die dingleute, * vvelche in die findung gehen, ſollen fromme, ehrliche, vnd vnberüchtigte dieſer ſtadt bürgere ſeyn, vnd ſich von den ſtreitigen partheyen nicht vnterrichten laſſen, viel vveniger einige giffte oder gabe von ihnen empfangen, oder mit ihnen verdâchtiger weiſse zugaſte, oder zur zeche ſitzen, ſondern ſollen fleiſsige auffacht hallen, auff klage, antvvort, vnd dasjenige ſo im gerichte vorgetragen vvird, vnd darauff nach ihrem beſten verſtande, vermôge dieſes ſtadt-buchs vnd receſs, ein recht vrtheil finden. Vnd da ſie ſpüren, daſs ſich ein oder and r theil muthvvillig in rechtfertigung eingelaſſen, denſelben in die gerichts-koſten, richterlicher moderation vorbehâltlich, condemniren.*

* Ne-

* Ne quis vero exiſtimet, tantum hic intelligi ſcabinos vel adſeſſores iudicii ordinarios: *eodem titulo art* 2. cauetur: *Die bürgere, vvann ſie vor oder in dem gerichte auffvvarten, ſollen auf einforderung des vogts, bey poen drey pfund, vnnachläſſig zu bezahlen, in die findung zu gehen ſchuldig ſeyn.* Attamen *art.* 3. excipiuntur (1. cognati et adfines alterutri litiganti intra tertium gradum: (2. qui ſimilem litem in iudicio agitant: (3. qui alterutri litigantium tamquam aduocati vel procuratores in ea cauſſa adfuerunt, quibus poena trium librarum irrogatur, ſi dicant ſententiam. Eo etiam pertinet *Part. I. tit.* 35. *art.* 1. et 2. vbi ita ſancitur: *Wann in einer ſachen kläger vnd beklagter zu bey-oder endurtheilen geſchloſſen, ſollen die partheyen, vnd die denſelbigen verwvandte, abtreten, vnd bürgere vnd dingleuthe, auf angehörte klage, antvvort, vnd geführte bevveiſſung erkennen, vvas billig vnd recht iſt, vnd in dem dieſes ſtadtrechts vnd receſſe in guter auffacht haben. Was alsdann gefunden vnd eingebracht vvird, ſoll der gerichts-ſchreiber getreulich vnd fleiſſig protocolliren, vnd zu vorhütung aller miſsuerſtändniſs den bürgern vnd dingleuthen, vvie die findung eingenommen, vnd verſtanden, vorhalten vnd anzeigen.* Quae omnia veteres Germanorum mores redolere, a florentiſſima illa republica ſanctius, quam ab vlla alia, cuſtoditos, res ipſa docet.

§. CCLXXXII.

Quae (4. de numero ſuffragiorum diximus: (§. 269.) ea et hodie tum in iudiciis, tum in dicaſteriis, obtinent: et quamuis (5. ea in re et ius Romanum Germanico ſuffragetur: *l.* 36. *l.* 39. *D. de re iud. et eff. ſent.* probabilius tamen eſt, id ius, domi repertum, retinuiſſe, quam a Romanis adoptaſſe, Germanos. Quod et (6. de errore in ſententia admiſſo (§. 170.) dicendum videtur, nec non (7. de more Hamburgenſium, eos tribus libris mulctandi, qui, ſententiam rogati, eam depromere ſine iuſta cauſſa detrectant. IVS HAMB. *Part. I. tit.* 6. *art.* 1.

In numero ſuffragiorum et cogendis ciuibus, vt dicant ſententiam.

§. CCLXXXIII.

Praeterea quemadmodum olim fas erat iudicibus, alios adhibere in conſilium: (§. 272. ſequ.) ita et hodie animaduertimus, (8. non modo iudicibus et ſcabinis adiungi ſyndicos vel adſeſſores iuriſperitos, quibus nullum alicubi ius ſuffragii eſt, vt iudicantibus in conſilio ſint, quos in Belgio *penſionarios* vel *aduiſeurs* dici nouimus, (*Elem. iur. ſec. ord. Pand. Part. I.* §. 237.*) verum etiam (9. iiſdem licere, acta vel ſuo arbitrio, vel (10. petente alterutra, vel (11. vtraque parte flagitante, ad ſcabinatum aliquem, vel ordinem iuridicum tranſmittere, ab eoque petere ſententiam: immo (12. id plerumque non in arbitrio iudicis poſitum eſſe, ſi vel cauſſa ſit criminalis, (in his enim cri-

In actis ad dicaſteria tranſmittendis.

minalibus cauſſis ipſa CONSTITVTIO criminalis iudices ſaepiſſime iubet a peritioribus petere conſilium,) vel (13. partes priorem ſententiam, a iudice latam, *leuteratione* ſimiliue remedio ſuſpenſiuo impugnarint.

§. CCLXXXIIII.

Beneficium transmiſſionis actorum quid?

Quamobrem facile vnuſquiſque intelligit, (14. ex vetere iure Germanico eſſe beneficium illud tranſmiſſionis actorum, quod ipſae imperii leges omnibus, qui ſe ſententia aliqua laeſos exiſtimant, indulgent. Quum enim ſaepe res, de qua litigatur, non attingat ſummam legitimam, quam vocant adpellabilem: de eo caſu ſancit RECESS. DEPVT. SPIR. *anni* 1600. §. 16. nec non RECESS. IMP. *nouiſſimus anni* 1654. §. 113. vt integrum ſit iis, quibus iniqua videatur ſententia, grauamina per modum ſupplicationis deferre ad iudicem: hic vero tunc obſtrictus ſit, acta, petente parte ſupplicante, ad extraneum aliquod dicaſterium (*auf eine Vniuerſität oder an zwey oder drey rechtsgelehrte*) tranſmittere. Quam legem imperii (15. et in quibuſdam ſtatutis repeti, animaduertimus, veluti in REFORM. FRANCOF. *tit.* 19. *et* 20. Conf. GVNDL. *diſſert. de tranſmiſſ. act. in leg. imp. permiſſa, eiuſque repetitione. Hal.* 1722.

§. CCLXXXV.

Quantae auctoritatis ſint ſententiae a ICtis conceptae.

Et ea eſt (16. origo inſignis illius atque eximiae auctoritatis, qua dicaſteria academica et ſcabinatus pollent in Germania, vt illa non ſemper iudicis, ſed plerumque ſuo nomine, pronuncient: *Als ihr vns klage, antwort vnd erfolgte geſätze in ſachen N. et N. nebſt eurer rechts frage zugefertiget, vnd euch des rechten darüber zu belehren gebethen: Demnach erkennen wir ordinarius, decanus, ſenior und übrige doctores etc. vor recht.* Sed et (17. ex eadem cauſſa non integrum eſt iudicibus, mutare ſententiam, a collegiis iuridicis latam, vel (18. eamdem ſuo lubitu ab actis remouere: ſed ii (19. partibus permittere debent arbitrium, malintne in illa adquieſcere, an aduerſus eam nouo remedio vti. Vid. THOMAS. *de iudice ſent. ab act. remou. Hal.* 1709.

§. CCLXXXVI.

Qualis hodie exſequutio?

Denique (20. eamdem et hodie eſſe exſequutionis rationem, quam olim, ea, quae ſupra (§. 276. ſequ.) monuimus, oſtendunt. Nos (21. inter reliquias iuris veteris id praecipue notamus,

Digitized by Google

mus, quod immiſſio in Saxonia ſit ſollemniter, ita, vt (22. prior actus, quem *exſequutionis* vocant, peragatur ab aliquot ſcabinis, adhibito ſimul adparitore, qui in rem praeſentem veniant, exciſamque ex poſtibus aedium feſtucam, vel glebam ex agro, vel prato deſumtam, victori porrigant: KEYSER *anvveiſs zum hülffs-proc. cap.* 3. §. 7. quamuis (23. hunc ritum, et extra Saxoniam non plane ignotum, BRVNNEM. *proc. ciu. cap.* 20. *n.* 28. reus aliquando pro peracto habeat, iſque tunc omitti ſoleat. KEYSER. *ibid. cap.* 2. §. 15. Quo facto (24. ad ſecundum actum ipſius *immiſſionis*, elapſo ſpatio Saxonico, proceditur, ita, vt (25. ſcabini aliquot cum adparitore iterum in rem praeſentem veniant, et victori, quod immittatur in hoc praedium, victo, quod exmittendus ſit, denuncient, ſimulque alicubi (26. ignem in foro exſtinguant, nouumque excitent. KEYSER. *ibid. cap.* 3. §. 9. *cap.* 4. §. 1. Reliqua, quae hic de ſubhaſtatione dici poſſent, in vulgus nota, atque ita comparata ſunt, vt ex notiſſimis pragmaticorum libellis addiſci facile poſſint.

TIT. VIII.

DE ADPELLATIONE, ALIISQVE SENTENTIAM IMPVGNANDI MODIS.

§. CCLXXXVII.

NOn ita comparatae ſunt res hominum, vt omnia, ſubductis accurate rationibus, fiant: adeoque nec in ferendis ſententiis tam diligentes ac perſpicaces ſemper ſunt iudices, vt in iis iure ſit adquieſcendum. Immo in iudiciis quoque ſaepenumero ira, miſericordia, amor, odium, inuidia, aliique adfectus dominantur, animoſque iudicantium in transuerſum agunt. Ac proinde nulla fere gens fuit, quae tantum permiſerit iudicum arbitrio, vt non litigantibus ius dederit, ab eorum ſententiis prouocandi ad ſuperiorem iudicem, vel eas alio legitimo modo impugnandi. Saltim apud Romanos CICERO *de Orat. II. cap.* 48. extremam prouocationem *ciuitatis patronam, et vindicem libertatis* adpellare non dubitauit. * (Adpellationum neceſſitas in omnibus rebusp.)

* Acce-

* Accedit, quod ad ſupremam maieſtatem pertinet ſuprema rerum omnium ἀνάλυσις, adeoque prudentia ciuilis vix patitur, vt a iudicibus et magiſtratibus non ſit prouocatio ad ipſum principem, eiuſque tribunal ſupremum. Hinc Mecaenas apud DION. CASS. *Lib. LII. p.* 487. auctor erat Auguſto, vt ipſe de adpellationibus cognoſceret, quotquot a magiſtratibus maioribus et a procuratoribus ſuis, praefectiſque, ad ſe deferrentur, addens rationem ex interiore politica depromtam: Μήτε γὰρ αὐτόδικος μήτ' ἀνέκκλητος ἔστω τις τὸ παράπαν ἔξω σοῦ, ὥς τε μὴ ἐφέσιμον ἀφ' αὐτοῦ δίκην γίγνεσθαι. *Nemo enim ita ſummum ac merum imperium obtinere debet in ciuitate, vt non ab eo prouocari poſſit.*

§. CCLXXXVIII.

An et temporibus Taciti apud Germanos receptae?

Equidem qualis TACITI temporibus fuerit adpellandi impugnandique ſententias ratio, vix hodie conſtat, quum tam pauca ſint, quae ille de Germanorum iudiciis prodidit memoriae, vt accendiſſe magis doctorum virorum ſitim, quam reſtinxiſſe, videatur. Attamen non inepta eſt diuinatio doctiſſimi CONRINGII, dum in *diſſert. de iudic. vet. Germ.* §. 14. ſcribit, praeter iudicia illa principum vel comitum, per vicos et pagos ius dicentium, neceſſario fuiſſe oportere maius aliquod iudicium, vbi maioris momenti lites fuerint deciſae, et veroſimile eſſe, id fieri conſueuiſſe in conciliis populi, immo non eſſe abſurdum, opinari, per adpellationem etiam a iudicio principis adſeſſorumque eius cauſſas ad idem concilium deuolui potuiſſe. *

* Multo minus dubitandum, quin eae reſpublicae, quae monarchice regebantur, adpellationem admiſerint, quales fuere Friſiorum, Lygiorum, Gothorum, Marcomannorum. Quamuis enim laxius fuerit regum iſtorum imperium, *nec ſupra libertatem*, teſte TAC. *de mor. Germ. cap.* 6. et 44. non tamen credibile eſt, illis ademtam fuiſſe ἐπανόρθωσιν in principum ſeu comitum et magiſtratuum acta, adeoque nec ius illis fuiſſe, iniquas eorum ſententias reſcindendi, ſi ciues, illis grauati, ad eos confugiſſent. Hinc laudatus CONRING. *ibid.* §. 19. *Etiam in regnis*, inquit, *non alia fuit, quam alibi, forma iudiciorum: et in his quoque principes eorumque ex plebe adſeſſores per pagos et vicos ius dixerunt, niſi quod fortaſſis in conſtituendis illis principibus vel vnius regis, vel huius vna, cum concilii maior aliqua auctoritas fuerit: forte etiam licuerit ea aetate regibus, iu ſententiarum a principibus latarum aequitatem aduertere. Haec enim omnia ſub Francorum imperio obtinuerunt.*

§. CCLXXXVIIII.

Qualis fuerit apud Wiſigothos?

Apud WISIGOTHOS cuiuis licebat adpellare regem, ſiue ſuſpectus eſſet iudex, vt eſt LEG. WISIG. *Lib. II. tit.* 1. §. 23. ſiue lata ab eo ſententia iniqua, vel iuri contraria videretur, IBID. §. 31. ex quibus locis ſimul diſcimus, (1. iudicem tunc obſtrictum fuiſſe

fuiſſe ad rationes ſententiae ſuae reddendas: (2. eo nomine regio decreto conſtitutos eſſe iudices, qui cauſſam cognoſcerent: (3. iudicem male iudicantem ad mulctam et ad dupli reſtitutionem fuiſſe condemnatum: (4. ſin iniuriam illi fecerit petitor, hunc tantumdem praeſtare debuiſſe, centum flagrorum ictibus lacerandum, ſi ſoluendo non eſſet. Ceterum prouocatio a iudice ſuſpecto *d.* §. 23. diſerte vocatur ADPELLATIO: *Qui ſuſpectum iudicem habere ſe dixerit, ſi contra eumdem deinceps fuerit querulatus, completis prius, quae per iudicem ſtatuta ſunt,* * *ſciat, ſibi apud audientiam principis adpellare iudicem, eſſe permiſſum.*

* Itaque WISIGOTHI appellationi non attribuebant effectum ſuſpenſiuum, ſed deuolutiuum tantum, adeoque adpellans iudicato nihilominus ſatisfacere tenebatur. Id enim ſibi volunt verba: *completis prius, quae a iudice ſtatuta ſunt.* Quod ſecus ſe habet iure Romano, ex cuius praeſcripto nihil, pendente adpellatione, innouandum, adeoque nec ſententia exſequutioni mandanda erat, *l. vn. D. nihil innou. adpell. interp.* dum rite denunciata iudici fuiſſet adpellatio. MEV. *Part. IIII. dec.* 362. *n.* 8. Tanta ergo WISIGOTHIS fuit rei iudicatae reuerentia, vt eam adpellatione reſcindi quidem, at eius exſequutionem non impediri, paterentur.

§. CCLXXXX.

In LEGE BVRGVNDIONVM adpellationis mentionem fieri, non memini. Certum tamen eſt, apud eos quoque reſciſſas fuiſſe iniquas iudicum ſententias, iudiceſque, perperam iudicantes, certa pecunia mulctatos. LEX BVRG. *Addit. I. tit.* 3. §. 2. *Si iudices, a nobis deputati, iniuſte iudicauerint, ſciant, ſe ter duodenos ſol. mulctae nomine nobis eſſe illaturos ſine dubio.* Conf. *Addit. II.* §. 10. Vtrum vero vſi ſint remedio adpellationis, an in eodem iudicio ſententiam impugnarint, non facile dixerim: quamuis poſterius mihi vix probabile videatur. Itemque apud Burgundiones?

§. CCLXXXXI.

Apud FRANCOS nihil erat adpellatione frequentius, eaque iam ad miſſos dominicos, iam ad comites palatii, iam ad ipſum regem dirigebatur. Ad miſſos dominicos itum, ſi quando comites alicui iuſtitiam denegarent. CAPITVL. *Lib. II.* §. 26. Querela hac audita, alterutrum duorum faciebant miſſi regii. Vel enim comites admonebant, vt quam primum officium facerent, & nolentes ita coercebant, vt cum comitatu ſuo in eius praedia irent, ex iiſque commeatum tamdiu ſumerent, donec ius dicerent: CAPITVL. *Lib. IIII.* §. 66. *Lib. V.* §. 183. vel ipſi miſſi rem definiebant, eoque Apud Francos prouocatum ad miſſos dominicos,

que conſilio quatuor per annum conuentus iuridicos habebant, in quibus adpellationes audirent. CAPITVL. *Lib. III.* §. 85. *Volumus, vt propter iuſtitias, quae vſque modo de parte comitum remanſerunt, quatuor tantum menſibus in anno miſſi noſtri legationes ſuas exerceant: id eſt, in hieme, Ianuario, in verno, Aprili, in aeſtate, Iulio, in auctumno, Octobri.* Et paucis interiectis: *Miſſi autem noſtri quater in vno menſe, et in quatuor locis, habeant ſua placita, cum illis comitibus, quibus congruum fuerit, vt ad eum locum poſſint conuenire.*

§. CCLXXXII.

ad comites palatii,

Ad palatium deuolutae cauſſae vel inter priuatos, vel inter principes proceresue agitabantur. Priores cognoſcebant Comites palatii, * nec ad Regem ibatur, niſi comes palatii id neceſſarium iudicaret. Poſteriores ſibi ipſe rex reſeruarat. Omnia haec diſcimus ex Hincm. *epiſt. ad Ludou. Balb. cap.* 19. vbi ait: *Comes palatii de omnibus ſaecularibus cauſſis vel iudiciis ſuſcipiendis curam inſtanter habebat, vt nec ſaeculares prius dominum regem abſque eius conſulto inquietare neceſſe haberent, quouſque ille prouideret, ſi neceſſitas eſſet, vt cauſſa ante regem merito venire deberet.* Et *cap.* 21. *Comitis autem palatii inter cetera paene innumerabilia in hoc maxime ſolicitudo erat, vt omnes contentiones legales, quae alibi ortae propter aequitatis iudicium palatium adgrediebantur, iuſte et rationabiliter determinaret, ſeu peruerſe iudicata ad aequitatis tramitem reduceret, vt et coram Deo propter iuſtitiam, et coram hominibus propter legum obſeruationem cunctis placeret.* Attamen non niſi adpellationes priuatorum eum ad tribunal ſuum pertrahere potuiſſe, nec procerum cauſſas cognouiſſe, niſi mandato regis, patet ex CAPITVL. *Lib. III.* §. 77. Add. Conr. *de iudic. Germ.* §. 39.

* Hos et *praeceptores palatii* vocat Walafr. Strabo *de reb. eccleſ. cap.* 30. eoſque, *ſaecularium cauſſas ventilaſſe*, refert. Non niſi vnum eodem tempore palatio praefuiſſe, contendit Conringivs *in cenſura diplom. Lindau. cap.* 8. *p.* 128. *ſequ.* Sed aliud diſcimus ex ipſis CAPITVLAR. *Lib. III.* §. 77. TRADIT. FVLDENS. *p.* 474. et Eginardi *Epiſt. XI.* quibus locis omnibus plures palatii comites eodem tempore morari, iam docuit Hier. Bignon. *ad Marculf. Lib. I. form. cap.* 21.

§. CCLXXXIII.

et ad ipſos reges,

Ipſi Reges partim principum vel procerum cauſſas, partim et plebeiorum lites, quas principum cognitione dignas iudicaſſent palatii comites, in ſuprema inſtantia definiebant. Prius probamus ex

CAPI-

Digitized by Google

CAPITVLAR. *Lib. III.* §. 77. ex quo iam ſuperiore paragrapho quaedam decerpſimus: poſterius ex CAPITVLAR. *Lib. V.* §. 243. vbi cauetur, *vt ſi quis voluerit dicere, quod ei iuſte non iudicetur: tunc in praeſentiam principis veniat.* Quod et repetitur paucis mutatis in CAPITVLAR. *ann.* 829. *tit.* 2. §. 14. ex quo diſcimus etiam, quod Reges ſingulis hebdomadibus certum diem iuri dicundo audiendiſque ciuium querelis ſepoſuerint. *

* Quemadmodum vero apud Romanos principes vel pro tribunali ius dicebant, vel de plano: *l.* 3. §. 8. *D. de bon. poſſeſſ. l.* 2. §. 1. *D. quis ordo in poſſ. ſeru.* MERILL. *Obſ. Lib. II. cap.* 26. et tunc priore caſu DECERNERE, poſteriore INTERLOQVI dicebantur: *l.* 1. §. 1. *D. de conſt. princ.* §. 6. *Inſt. de iure nat. gent. et ciu.* Ita idem obſeruatum eſſe a Francorum regibus animaduertimus. Aliquando enim litigantes pro tribunali cognoſcebant, et ius dicebant de conſilio procerum, eoque pertinet exemplum Dagoberti, qui *Diuione reſidens aliquantis diebus tantam intentionem cum vniuerſo regni ſui populo iuſtitiae iudicandae poſuerat, vt huius deſiderio plenus, nec ſomnum caperet, nec cibo ſatiaretur, intentiſſime cogitans, vt omnes cum iuſtitia recepta de conſpectu ſuo remearent.* AVCT. *de geſtis Dagoberti Reg. cap.* 21. Aliquando veluti de plano, auditis partibus, decernebant, veluti Carolus M. de quo EGINARDVS: *Quum calcearetur, non tantum comites admittebat, verum etiam, ſi comes palatii litem eſſe aliquam diceret, quae ſine eius iuſſu definiri non poſſit, ſtatim litigantes introduci iuſſit, et, veluti pro tribunali ſederet, lite cognita, ſententiam dixit.*

§. CCLXXXXIIII.

Adeo autem fauore digna Francis videbatur adpellatio, vt nulli liceret detinere adpellantem, multo minus eum in vincula publica ducere. CAPITVL. *Lib. VII.* §. 178. Attamen non in omnibus cauſſis adpellare licebat, ſed in ciuilibus tantum, iiſque, quae ad delicta leuiora pertinebant, quippe quae partem iuriſdictionis ciuilis fuiſſe iam ſupra (§. 61.) obſeruauimus, non ſi de homicidio, adulterio, maleficio quaereretur: CAPITVLAR. *Lib. VII.* §. 129. quamuis ne illis quidem, qui capitis fuerant damnati, adpellatio plane denegaretur. CAPITVLAR. *Lib. VII.* §. 228. Denique et id obſeruandum erat, ne quis iudicem, a quo prouocabat, laceſſeret conuiciis, quia, qui id faciebat, infamia notabatur, CAPITVL. *Lib. VII.* §. 142. itemque, vt adpellaret a iudice ordinario minore ad maiorem, CAPITVL. *Lib. V.* §. 250. non ab electo, cuius quis ipſe probauerat arbitrium. CAPITVL. *Lib. VII.* §. 21.

Adpellationi quibus in cauſſis locus fuerit?

§. CCLXXXXV.

Eam interpoſiturus blaſphemare dicebatur ſententiam.

Quemadmodum vero, qui adprobabat ſententiam latam, in ea ADQVIESCERE; ita is, cui iniqua videbatur, eamdem BLASPHEMARE dicebatur, quae loquutio, in CAPITVL. *ad Leg. Sal. III.* §. 6. LEGE LANGOB. *Lib. II. tit.* 52. §. 23. CAPIT. *Lib. III.* §. 7. obuia, adeo familiaris erat Francis, vt et poſtea in Germanorum legibus paſſim occurrat phraſis, *ein vrtheil ſchelten*, et hodiernis Francis in ore ſit ſimilis, *blâmer de faux jugement.* Ceterum alterutrum facere debuiſſe altercantes, eorumue aduocatos, eoſque, qui ſententiam nec probare, nec ab eadem adpellare vellent, carceri fuiſſe mancipatos, iam ſupra obſeruauimus.

§. CCLXXXXVI.

In prouinciis, quibus duces praeerant, ad hos prouocabatur.

Non dubium eſt, quin et apud reliquas gentes, quae Francorum imperio paruerunt, eadem fuerit adpellationum ratio: niſi quod in illis prouinciis, quae ducibus ſuberant, a comitibus ad duces videtur prouocatum LEX ALAM. *tit.* 36. §. 6. *Et ſi eſt talis perſona, quam comes in placito vel centenarius, vel miſſus comitis diſtringere non poteſt, tunc eum dux legitime diſtringat, pluſque quaerat Deo placere, quam homini, vt nullum neglectum in animam Ducis Deus requirat.* Qualia et in LEGE BAIVVAR. *tit.* 2. *cap.* 5. §. 4. legimus, vt iam non difficile intellectu eſſe videatur, qualis ſit *mallus ducis*, cuius fit mentio in LEGE RIPVAR. *tit.* 50. §. 1.

§. CCLXXXXVII.

Qualis adpellatio apud Langobardos?

Superſunt LANGOBARDI, quorum in LEGE *Lib. II. tit.* 41. §. 4. legimus: *Si quis cauſſam habuerit, et ſculdais aut iudex ei ſecundum edicti tenorem per legem iudicauerit, et ipſe ſtare in eodem iudicio minime voluerit: componat illi, qui iudicauit, ſol.* 20. *Nam de ea cauſſa, quae per arbitrum iudicata fuerit, et ipſe ſibi non crediderit legem iudicaſſe, et ad regem proclamauit, non ſit culpabilis. Et ſi iudex contra legem iudicauerit, componat ſol.* 40. *medium regi, et medium ei, cuius cauſſa fuerit. Et ſi forſitan iudex cauſſam per arbitrum iudicauerit, et iudicium eius rectum non adparuerit, non ſit culpabilis: niſi praebeat ſacramentum regi, quod iniquo animo, aut corruptus praemio, cauſſam ipſam non iudicaſſet, niſi ſic ei legem comparuit eſſe, et ſit abſolutus: nam ſi iurare non praeſumſerit, componat, vt ſupra dictum eſt.* *

* Ex hac lege patet I. eum, qui ſine ratione ad ſuperiorem proclamauerit, et in ſententia bene et iuſte lata adquieſcere noluerit, mulctam

20. ſolidorum pendere debuiſſe. II. impune contra fuiſſe adpellare, ſi non ipſe iudex, ſed datus arbiter tulerit ſententiam. III. Ipſum iudicem, qui contra legem pronunciarit, mulctam 40. ſolid. ex ſemiſſe regi, ex ſemiſſe parti ſoluendam, pendere debuiſſe, et IIII. inſontem habitum, ſi iuratus adfirmaret, ſe non dolo malo aut pecunia corruptum iudicandi officium defugiſſe. Receperunt ergo omnes paene gentes Germanicae poenam temere adpellantium, qualis et apud Romanos eſt mulcta 50. librarum in *l.* 5. *fin.* C. *quorum adpell. non recip.*

§. CCLXXXXVIII.

Sed proximum eſt, vt ad ius, medio aeuo receptum progrediamur, id eſt, ad SAXONICVM et SVEVICVM, quorum hoc ab illo in hoc ipſo capite quam maxime diſcrepaſſe, ipſe notauit REPKOVIVS, dum ſcripſit: *Schvvâbiſch recht zvveyet ſich nicht von Sâchſiſchen rechten, dann am Erbe nehmen, vnd vrtheil zu ſchelten.* IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 19. At paullo aliter SPECVLATOR SVEV. *cap.* 393. §. 2. *Schwâbiſch recht zweyet ſich nicht von der Sachſen recht, dann in erb zu nemen, vnd vrtheil zu geben.* Nos vtrumque ius inter ſe conferemus, viſuri, qua in re inter ſe conueniant, quaue in re inter ea ſit diſſidium. Qualis apud Saxones et Sueuos?

§. CCLXXXXVIIII.

Primo itaque, quod ad ius Sax. attinet, per gradus erat adpellandum a iudice inferiore ad ſuperiorem, et poſtremo omnium ad Regem. IVS PROV. SAX. *Lib. II. art.* 12. *Schilt man ein vrtheil, das ſoll man ziehen an den obern-richter, vnd zuletzt vor den kônig*: quod et ſpeciatim de Sueuis monet, ſi quis eorum ſententiam a Sueuo latam impugnet. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 19. Eadem IVRE SVEV. *cap.* 106. §. 1. cauentur: *Vnd iſt, daſs mann einem mann eine vrtheil wiederwirfft, die ſoll man ziehen an den hôhern richter, vnd zuletzt vor den kônig.* * Immo §. 3. gradus clarius exprimit SVEVVS: *Von welcher hoher hand das gericht iſt, da mag man ein vrtheil wol ziehen an. Die erſte hand des gerichts, das iſt der kônig, die ander hand des gerichts, das iſt, dem der kônig leihet, die dritt hand iſt, die es einem andern da leihet. Die dritt hand mag nicht mehr fürbas gericht leihen, daſs es den leuten an ihr leib oder an ihr blut-gieſſen gehe.* Ad quos adpellatum?

* Attamen binos caſus excipiunt SPECVLATORES SAXO et SVEVVS: primum, ſi quis a comite ad Marchionem prouocet: id enim fieri non poſſe, ſi vel maxime comes a marchione comitatum in feudum acceperit. Cuius rei duas cauſſas profert REPKOVIVS, primam, quod in marchia ius non dicatur auſpiciis regiis, alteram, quod iura diuerſa ſint in marchiis et comi-

comitatibus. IBID. *Lib. I. art. 12. Kein beſcholten vrtheil mag man ziehen aus einer graff-ſchafft in eine marck, ob gleich der graff die graff ſchafft von einem marckgraffen hat, das iſt darumb, daſs in der marck kein Königsbann iſt:* (Marchio enim ſuis auſpiciis ius dicit: *Der Marggraff dinget bey ſein ſelbſt hulden:* IVS PROV. SAX. *Lib. III. art. 65.*) *vnd ihr recht zweyet ſich, darumb ſoll mans vor das reich herziehen.* Quod et SVEVVS repetit *cap. 106.* §. 2. ſed ita, vt ad marchionem a comite adpellari poſſe concedat, ſi hic comitatum a marchione acceperit. Deinde et eo caſu adpellari non ad iudicem proxime ſuperiorem, ſed regem, ſi vel Sueuus Saxonis, vel Saxo Suevi ſententiam impugnare conetur, idem obſeruat *Lib. II. art. 12. Schilt der Schwabe eines Sachſen vrtheil, oder ein Sachs eines Schwaben, das müſſen ſie vor dem Könige entſcheiden, als hievor geredet iſt.*

§. CCC.

Qui et in quibus cauſſis adpellare potuerint?

Adpellare deinde licebat regulariter omnibus, praeterquam criminis reis, et paratis ad ſingulare certamen. IVS PROV. SAX. *Lib. II. art. 12. Wird ein man gefangen vmb vngerichte, vnd vor gericht gebracht, er mag kein vrthel ſchelten, noch der mann, der da kämpffen ſoll, wann er in den ring kommt.* Idem repetit SPECVLATOR SVEVVS *cap. 113.* niſi quod in locum eius, qui ad ſingulare certamen paratus eſt, ſubſtituit *den, der in der acht iſt, oder im bann,* ſimulque monet, hunc nec inuenire ſententiam poſſe, *er möge niemand ſeines rechtes gehelffen, biſs er von den nöthen komme.* Praeterea SPECVLATOR SAXO *Lib. II. art. 12.* obſeruat, in iudiciis, vbi auſpiciis Regis ius dicitur, neminem poſſe ſcabini ſententiam impugnare, quam virum eorumdem ingenuorum natalium: extra bannum regium id poſſe vnumquemque integrae famae atque exiſtimationis.

§. CCCI.

Quomodo interpoſita adpellatio?

Quod tertio ad formam attinet, vterque ſpeculator in eo conſentit, quod non ſedere, ſed ſtare oporteat eum, qui ſententiam impugnet. Id enim monet SAXO *Lib. II. art. 12.* et SVEVVS *cap. 79.* §. 4. et 80. §. 4. vbi addit, *er ſolle auffſtehen, oder er wette dem richter.* Neuter vero mentionem facit ridiculi ritus, ſcabinum de ſcamno deturbandi, quem tamquam ſtolidorum hominum ſomnium merito explodit GLOSSATOR *ad hunc locum.* Praeterea et formulam praeſcribit REPKOVIVS, *d. Lib. II. art. 12.* qua uti adpellantem oporteat: *Das vrtheil, das der mann funden hat, iſt vnrecht, das ſchelte ich, vnd ziehe mich des, da ich das durch recht billig hinziehen ſoll, vnd bitte darumb eines vrtheils, wohin ich das billig ziehen ſolle?* Cui paene per omnia ſimilis eſt ea, quam commendat

mendat SPEC. SVEV. *cap.* 108. §. 4. Ad hanc poſtulationem deinde procul dubio iudex de conſilii ſententia decreuit, coram quo iudice ſuperiore reddendae ſint adpellationis cauſſae. *

* Equidem eodem loco reperias: *Vmb ein geſcholten vrtheil ſoll mann kein mittel fragen, das iſt, kein vorwort:* ſed ſenſus eſt, ſententiam, a qua adpellatum, nec defendi, nec mutari poſſe, vt id pro attentato non habeatur. Hinc ſtatim ſequitur: *Der es auch funden hat, der muſs davon nicht ablaſſen, vmb dieſes willen, dem das vrtheil gefunden iſt zu ſeinem frommen.* Hinc ſi vel maxime ſcabinus, qui inuenerat ſententiam, eam mutare, eaque ratione adpellanti adimere vellet conquerendi occaſionem: id fieri non poterat ſine conſenſu eius, pro quo fuerat pronunciatum. At verba, in paragrapho adlata, pertinent ad interloquutionem, an deferendum ſit adpellationi, et coram quo iudice in poſterum agenda ſit cauſſa? Qualem interloquutionem fieri omnino oportuit, antequam cauſſa a iudice inferioris inſtantiae ad ſuperiorem dimitteretur.

§. CCCII.

Reiecta iudicis ſententia, interpoſitaque adpellatione, iam porro nuncii eligebantur, quos iudex ad iudicem ſuperiorem vel regem mitteret. Hos oportebat eſſe ingenuos, (*ſchœpffenbar-freye,*) ſi e comitatu; qualescumque integrae exiſtimationis homines, ſi e marchia quadam mitterentur. Praeterea ita ornabantur illi legati, vt iis adiungerentur ſex famuli & octo equi. Adſignabatur etiam iis iudicis impenſis commeatus, & quidem panis & cereuiſiae adfatim, tria fercula cum vini poculo legatis, duo famulis, equis ſingulis, quorum anteriores tantum pedes ſoleis ferreis praemunitos eſſe oportebat, quotidie quinque manipuli. Quae omnia accuratiſſime deſcribuntur a REPKOVIO *Lib. II. art.* 12. *

Nuntii ideo a iudice inferiore ad ſuperiorem miſſi.

* At paullo aliter rem deſcribit auctor SPECVLI SVEVICI *cap.* 106. §. 1. Primum enim non diſtinguit inter comitatum et marchiam, ſed inter principatum vel comitatum et ciuitatem: *Da ſoll der richter zugeben ſeine bothen, die da ſollen volkommen die vrtheil hören vor dem Konig. Geſchicht das in einer marck,* (in BERGERIANA p. 154. *geſchicht diz in einer graffſchafft, oder in ainem marckch, oder in ainem hertzogtum,*) *ſo ſollen die bothen freye landſaſſen ſeyn: oder geſchichet es in einer ſtadt, ſo ſollen die bothen ſeyn, welcher hand leuth man will, die an ihren rechten vollkommen ſind.* Deinde et commeatus paullo alius eſt. Nec enim mentio fit cereuiſiae, et legatis quatuor fercula, equis vero ſingulis non niſi quatuor manipuli, at foeni adfatim, adſignantur.

§. CCCIII.

§. CCCIII.

Adpellationis euentus.

Legatis his vel nunciis ad regis curiam, & quidem ſi Saxo ſententiam impugnauerit, in Saxonia; ſi Sueuus, in Sueuia futuram profectis, (ſolitos enim eſſe Reges et Imperatores ante Ludouici Bauari tempora non vno loco haerere, ſed vniuerſam peragrare Germaniam, iam ab ADLZREITERO *Annal. Boic. Part. II. Lib. VII.* §. 85. HERT. *de fide dipl. ſect.* 1. §. 16. *p.* 620. obſeruatum:) praeſentibus illis cauſſa adpellationis agebatur, eaque inſtantia finiebatur intra ſex hebdomadas, intra quas ſententiam domum referre tenebantur legati, IVS PROV. SAX. *Lib. II. art.* 12. SVEV. *cap.* 106. §. 2. quae ſi eſſet confirmatoria, adpellans et iudici, et ſcabino, ſententiae auctori, mulctam inferre, omneſque impenſas reſtituere tenebatur. IVS PROV. SAX. *ibid. Wer das vrtheil geſcholten hat, volkomt ers nicht, er muſs darum wetten dem richter, vnd ienem ſeine buſſe geben, des vrtheil er geſcholten hat, vnd dem richter ſeine koſt gelten, die er mit ſeinen bothen verthan hat.* Quae repetit et SVEVVS, *cap.* 106. §. 6. obſeruans ſimul, mulctae loco iudici deberi *ein pfund*, addenſque, ſi ſententia reformatoria fuerit, tantumdem debere ſcabinum, ſententiae auctorem, et quotquot illi ſuffragati ſint, (*iener der wieder ihn was, vnd ſein folger.*)

§. CCCIIII.

An magna hac in re inter Saxonum et Sueuorum mores differentia?

Talis fuit apud SAXONES et SVEVOS adpellatio, vt in tanto vtriuſque iuris conſenſu vix adpareat, cur SPECVLATOR SAXO ſcripſerit: *Schwâbiſch recht zweyet ſich an nichts anders vom Sâchſiſchen recht, denn an erb zu nehmen, vnd vrtheil zu ſchelten.* Differentia ſane, quam in ſuperioribus paragraphis diligenter notauimus, tam leuis eſt, vt vix eius ratio videatur habenda. * Equidem Saxonibus et aliud erat adpellandi genus, quod vocabant *ad dextram ſuam et maiorem partem conſentientium*, quod ita deſcribit REPKOVIVS *Lib. II. art.* 12. *Schilt ein Sachs ein vrtheil, vnd zeucht er ſich des auff ſeine rechte hand, vnd an die meiſte menge: er muſs darum fechten ſelb ſiebend ſeiner genoſſen wieder andere ſieben: wo die meiſte menge ſieget, die behalten das vrtheil. Ein ieglich überwunden mann zu kampff wettet dem richter, vnd giebet dem buſs, der mit ihm gefochten hat. Vmb ein vrtheil mag man nirgends fechten denn vor dem reich.* Sed ne iſte quidem adpellandi modus alienus a Sueuorum moribus fuiſſe videtur. Ait enim auctor IVR. SVEV. *cap.* 208. §. 2. *Vmb ein ieglich vrtheil mag man nicht*

Digitized by Google

nicht geſechten, dann vor dem gericht, (vel potius, vt in BERGER. p. 157. legitur: *vor dem reich.*)

* Ea enim in hoc vno conſiſtere videtur, quod Sueuus, Sueui ſententiam impugnans, prouocaret ad ſeniores Sueuos et plura ſuffragia: *er zog ſich an die ältern ſchvvaben*, (*die muſte er aber benennen*) *vnd an die gröſſere menge zu dem echten dinge, an die höchſte ding-ſtadt.* Saxones vero, ſiue Saxonum ſiue Sueuorum ſententias impugnarent, ad ſuperiorem iudicem, vel ipſum regem, vel dextram ſuam prouocarent. Quamuis hic non pauca ſatis obſcura eſſe fatear.

§. CCCV.

Enimuero, quum longae illae ambages viderentur, nec curiſuis facultates tot impenſis ſufficerent: pleriſque Germaniae locis inualuere remedia quaedam ſuſpenſiua, ita comparata, vt iis coram eodem iudice, qui ſententiam tulerat, poſſent vti. Eo pertinet LEVTERATIO * Saxonica, et in aliis extra Saxoniam prouinciis recepta, quamuis alibi eam SVPPLICATIONEM, alibi RESTITVTIONEM IN INTEGRVM, alibi REVISIONEM, alibi BENEFICIVM TRANSMISSIONIS ACTORVM, alibi REMEDIA EXTRAORDINARIA vocare malint. Omnium enim eadem eſt ratio, idem finis, puta vt occaſio ſit, grauamina, ſententia vel alterutri vel vtrique parti, illata accuratius exponendi, tranſmiſſiſque actis, vel ſaltim ab alio recenſitis, nouam atque aequiorem ſententiam impetrandi. Origo remediorum, ſuſpenſiuorum in primis leuterationis.

* Ea nomen accepiſſe videtur a Germanico *erläutern*. Quia enim ex ſententia, alterutri vel vtrique litigantium moleſta, colligi poſſe videbatur, factum nondum tam clare propoſitum eſſe, vt iudici ſatis liqueret: petebat is, cui grauamen illatum videbatur, vt ſibi liceret illud magis illuſtrare, vtque, eo facto, noua ferretur ſententia. Occaſionem ei inueniendae dediſſe videntur (1. ipſius veteris adpellationis moleſtia; (2. ſumtuum magnitudo; (3. Imperatorum et regum fixa in prouinciis hereditariis ſedes: (4. priuilegium, de non adpellando, electoribus, et potentioribus quibuſdam ordinibus conceſſum: (5. adpellationes ad certam ſummam, quam adpellabilem vocant, reſtrictae, et quae ſunt huius generis aliae.

§. CCCVI.

Ceterum quamuis veterem adpellandi ritum in pleriſque peruerterit ius tum canonicum, tum ciuile, cuius tricas in pleriſque ordinationibus proceſſuum, quas vocant, deprehendimus: ſuperſunt tamen quaedam iuris veteris Germanici reliquiae, veluti (1. quod et hodie in Saxonia et pleriſque aliis locis, vbi pro- Reſiquiae quaedam Germ. iur. circa cauſſas in

quibus adpellatur. proceſſus inquiſitorius viget, in cauſſis criminalibus locus non eſt adpellationi, ſed (2. eius loco petenti noua indulgetur defenſio, eaque (3. ad extranea dicaſteria tranſmittitur. SCHILTER. *Exerc. XXXXVIIII. §. 1. ſequ.* Quod adeo verum eſt, (4. vt nec ad ſuprema Imperii tribunalia in his cauſſis permittatur adpellatio, ORD. CAMER. *Part. II. tit.* 31. §. 14. ſed, (5. ſi quando rei ſe laeſos eſſe conquerantur, vel mandata de rite adminiſtranda iuſtitia decernantur, vel (6. iudices reorum defenſiones ad iureconſultos extraneos vel minus ſuſpectos mittere iubeantur. RVLANT. *de commiſſ. Part. I. Lib. II. cap.* 3.

§. CCCVII.

Circa poenam temere adpellantium. Quemadmodum etiam olim id non impune ferebat is, qui temere adpellauerat: ita (7. ex antiquis moribus repetenda videtur conſuetudo, tantum non vbiuis recepta, vt adpellantes deponere cogantur certam pecuniae ſummam, quae vocatur *ſuccumbenz-geld*, eaque (8. etiam in leuterationibus, ſupplicationibus, reuiſionibus, paſſim efflagitetur. Vix enim dubitandum eſt, quin haec ſucceſſerit in locum mulctae, in quam maiores noſtri condemnabant omnes, qui temere hoc remedio fuerant vſi. Quin (9. experientia docet, temere adpellantem plerumque condemnari, vt expenſas omnes aduerſario reſtituat, et (10. cauſſam remitti ad iudicem prioris inſtantiae.

TIT. VIIII.

DE IVDICIIS CRIMINALIBVS.

§. CCCVIII.

Tranſitio ad iudicia criminalia. SIc ergo demum ad metam peruenimus, nihil vt iam ſupereſſe videatur, quam vt poſtremo de IVDICIIS PVBLICIS vel CRIMINALIBVS quaedam ſubiiciamus. Quum vero permulta haec communia habeant cum ciuilibus, eaque iam ſatis explicata ſint titulis ſuperioribus: hanc nos merito ſeruamus διαίρεσιν, vt ea potiſſimum quae ſingularia et a iudiciis pecuniariis diuerſa, circa illa occurrunt, conſectemur.

§. CCCVIIII.

§. CCCVIIII.

Germani in perſequendis criminibus proceſſu accuſatorio vtebantur.

Ceterum quum potiores iudicii criminalis actus ſint ACCVSATIO, accuſati CVSTODIA vel EXHIBITIO, DEFENSIO, CONVICTIO et POENA: de ſingulis quaedam monere iuuabit. Quamuis enim, quod ad accuſationem attinet, hodie frequentior ſit proceſſus ille, quem vocant *inquiſitorium:* maiores tamen noſtri non alium, quam *accuſatorium*, cognitum habuiſſe videntur *. Iam enim temporibus TACITI, ceu ex eius libello *de morib. Germ. cap.* 12. patet, *licebat accuſare, et diſcrimen capitis intendere.* Et in legibus vetuſtiſſimis tam ſaepe mentio fit accuſationum, vt de earum frequentia dubitare vix poſſis.

* Negari equidem nequit, ad comitum apud Francos officium pertinuiſſe perſequi latrones et graſſatores, et dare operam, vt prouincia malis hominibus purgetur: CAPITVL. IIII. *ann.* 806. §. 5. CAPITVL. III. *ann.* 812. §. 11. CAPITVL. *ann.* 823. *§.* 6. Idque et apud Burgundiones et Langobardos factum eſſe, ex LEGE BVRG. *tit.* 9. et LANGOB. *Lib. II. tit.* 40. *§.* 3. patet. At inde non ſequitur, vt iis comprehenſis locus non fuerit accuſationi. Sane quemadmodum fugitiui, quos comprehendere non licebat, proſcribebantur, quod ſine accuſatione factum eſſe, nemo dixerit: LEG. RIPVAR. *tit.* 87. CAPITVL. I. *ann.* 809. *cap.* 4. ita non dubitandum, quin, et captis his facinoroſis, ex officio conſtitutus ſit accuſator, qui crimen perſequeretur. Et apud Burgundiones quidem id fortaſſis ad officium pertinuit WITTISCHALCI, id eſt, *pueri regis, qui iudicia exſequitur, et mulctam exigit*, vti deſcribitur in LEGE BVRG. *tit.* 76.

§. CCCX.

Quis accuſare potuerit?

Ne vero in calumniam euaderet promiſcua accuſandi licentia, hominesque praui innocentiſſimos quosque temere adlatrarent: duo praecipue obſeruabant veteres: primum vt non niſi homines integrae famae et minus ſuſpecti ad accuſandum admitterent: alterum, vt omnem calumniam iuſtis poenis coercerent. Non ergo accuſatorum munere fungi licebat ſeruis, LEG. LANGOB. *Lib. II. tit.* 50. libertis, CAPITVL. *Lib. VII. §.* 76. infamibus et de calumnia ſuſpectis, IBID. *tit.* 52. *§.* 8. CAPITVL. *Lib. VI. §.* 253. *Lib. VII. §.* 76. amicis et domeſticis, CAPITVL. *Lib. VII. §.* 342. multo minus vilioris conditionis hominibus, ſi honeſtioribus; WISIG. *Lib. VI.* §. 1. *tit.* 1. vel laicis, ſi clericis dicam ſcribere vellent, CAPITVL. *Lib. I. §.* 35. itemque homicidis, maleficis, furibus, ſacrilegis, raptoribus, veneficis, adulteris, feminarum raptoribus, falſariis, magos conſulentibus:

CAPITVL. *Lib. VI. §.* 298. *Lib. VII. §.* 65. Chriſtiani nominis religionem et dignitatem negligentibus, CAPITVL. *Lib. VII.* §. 134. in fide catholica ſuſpectis, IB. §. 331. Quin generatim ait Imperator CAPITVL. *Lib. VII.* §. 88. *Accuſatores et accuſationes, quas ſaeculi leges non admittunt, et nos ſubmouemus* *.

* Quum ergo leges ſaeculi hic procul dubio ſint Romanae, ex quibus etiam permulta, quae ad conſtitutionem iudiciorum publicorum pertinent, exſcripta eſſe animaduertimus: conſequens eſt, vt et alias perſonas inhabiles, quas ius Romanum accuſare vetuit, a iudiciis publicis arcuerint, veluti impuberes et minores, *l.* 8. *D. de accuſat.* feminas, *l.* 1. *l.* 8. *D. eod.* milites, *l.* 11. *pr. D. eod.* Apud BVRGVNDIONES ſane LEGE cautum erat *tit.* 33. §. 3. vt *mulieres cauſſarum actionibus vel litibus ſe immiſcere* non debeant. Quae ſane lex non minus Romanae originis eſt, quam quod de procuratoribus in cauſſis criminalibus non admittendis ſancitur CAPITVL. *Lib. VII.* §. 174. *Quando in cauſſa capitali vel in cauſſa ſtatus interpellatum fuerit, non per procuratores, ſed per ipſos eſt agendum. L.* 33. §. 3. *D. de procur. l. vlt. C. de iniur. l. vn. C. de adſert. toll.* et ibi CVIAC. *in paratitl.*

§. CCCXI.

Poena calumnioſe accuſantium.

Nec minore ſeueritate calumniam accuſatorum coercebant Germani. Nam primum LEGES SAL. *tit.* 20. mulctam 200. ſolidorum; RIPVAR. *tit.* 28. ſexaginta ſol. illis irrogabant. Deinde aliae gentes, ipſique poſtea Franci, imitati Romanos, accuſatores non admittebant, niſi ſubſcriberent in crimen, adeoque eos, qui per calumniam alios accuſauerant, eadem poena adficiebant, quam ſubiturus erat reus, ſi criminis fuiſſet conuictus. LEG. WISIG. *Lib. VII. tit.* 1. §. 1. *Iudex reum, qui accuſatur, antea non torqueat, quam ille, qui accuſat, ſi indicem praeſentare voluerit, ſe per placitum, trium teſtium roboratione firmatum, ea conditione conſtringat, vt, ſi is, qui accuſatus eſt, manifeſtis indiciis, innocens comprobatur, ipſe poenam, quam alii intendit, excipiat.* Similia habemus IBID. *Lib. VI. tit.* 1. §. 2. LEG. BAIVVAR. *tit.* 8. *cap.* 17. CAPITVLAR. *Lib. VII. §.* 282.

§. CCCXII.

Accuſationes quotuplices?

In iure SAXONICO et SVEVICO de accuſatorum perſona poenaque talionis parum vel nihil occurrit. Contra vtrumque ius multo accuratius diſtinguit accuſationes criminales, quam leges antiquae, et quum hic denuo praeeuntem habeamus auctorem *des* RICHTSTEIGS *über das landrecht cap.* 30. eius diuiſionem pri-

Digitized by Google

primum audiemus: *Der klegere klage velt vierleye wys. Tho deme erſten klagen ſy eine* HANDHAFFTE DAET *ouer einem, der gevangen is in der daet. Tho deme andern klagen ſy* OVERNECHTIGE KLAGE. *Tho deme drůdten klagen ſy ouer einen, de* VNGEVANGEN *dar tho der antwerde is. Tho dem vierden klagen ſy ouer den, de* VORFLÜCHTIG *is.* Dici ergo poteſt accuratius, alias fuiſſe accuſationes eorum, qui ἐπ' αὐτοφώρῳ, *in handhaffter that*, deprehenſi eſſent, alias eorum, quorum iam heſternum erat crimen, (*eine ûbernâchtige that:*) in vtroque vero permultum interfuiſſe, praeſens eſſet delicti auctor, an eum alio fuga abſtuliſſet. *

* Definitiones horum criminum nobis non inuidit SPECVLATOR SAXO. *Lib. II. art.* 35. *Handhaffte that iſt das, ſo man einen begreifft in der that, oder in der flucht der that, oder daſs er dieberey oder raub in ſeinen gewehren hat, da er ſelbſt den ſchlüſſel zutrüge an ſeiner ſeiten, es wâre dann ein ſolch ding, das ihm ein ander wohl in ſein gewehr zu einem fenſter eingeſtoſſen haben möchte. Denn ſo möchte man ihm keine handhaffte that angezeugen.* Et rationem cur vocetur *handhaffte that*, hanc reddit auctor *des* RICHTSTEIGES *cap.* 30. *wyien die das einem manne alſo thogeheftet is, als oft yt eme tho der hand kleuede.* Contra heſternum facinus IDEM REPKOVIVS *ibid. artic.* 36. ita deſcribit: *Wer aber den andern tag ſeine dieberey oder raub bey einem manne findet, der das offenbahr gekaufft hat, vnd es vnverhohlen gehalten, vnd des gezeugen hat, den mag man keiner handhafften that daran beſchuldigen, ob man wohl findet die dieberey vnter ihm, er habe dann vorher ſein recht verlohren, vnd ſey anrüchtig.* Quiſquis ergo non eodem die in ipſo facinore deprehenſus accuſabatur, eius delictum *heſternum*, vel *eine übernâchtige that*, adpellabatur.

§. CCCXIII.

Ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehenſus reus cum clamore ducebatur in ius, eiuſque rei exempla adducit auctor SPECVLI SAX. *Lib. II. art.* 64. eos, qui de ſtupro violento, virgini vel mulieri illato, vel de furto, vel rapina, in qua quis fuerat deprehenſus, conquerebantur, qui occiſi cadauer ad tribunal ferebant: qui ſcientes, vbi fur latitet, iudicis opem flagitabant: de quibus omnibus monet. *ſie ſollen das klagen mit gerûffte durch der handhafften that, vnd durch der noth vvillen, die ſie da bevveiſen ſollen.* Ritum ita deſcribit auctor *des* RICHTSTEIGES *cap.* 31. *Wenne dat dingh geheget is:* (quod quomodo fiat, ſupra *Lib.* III. §. 28. oſtendimus:) *ſo late dy kleger den brockhafftigen butten deme dinghe, vnde kome othmodichliken, vnde drûſtiken, vnde*

Accuſatio facinoroſorum ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehenſorum cum clamore.

ſpreke: Eya here her richter, ick bidde dorch got eines mannes, de myn vvort ſpreke. Wenne denn yenne an ſyn vvort gekomien is, ſo ſpreke de vorſprake. Here her richter, N. de biddet, dat he mute bringen vor yvv in dat gerichte einen, de he bereden vvil, dat he ſyn mörder, oder ſyn deef oder ſin rouer, oder ſyn vveldener, oder ſyn nottogher, oder ſyn ouerhurer, oder ſyn vorueſtede mann ſy, vnd den he in der handhaftigen daet begrepen heft, de noch ſchynbar is, vnd he bevvyſen vvill. So vragh vort, vvo du ene to rechte vor den richter in dat gebegede ding bringen ſchalt? So vintme, met deme geruchte, vnd met der bevvyſinghe, da du ene mede vorvvinnen vvult. So vûre he ene vort vor gerichte, vnd ſchrye vp dem vvege. Tho yôdvte * *ouer mynen morder, oder vvo de brocke ſy, vnd ouer des landes rechte morder. Wenne he denne ene in dat gehegede ding gebracht heft, ſo ſtille ſy de vronebode.*

* De hoc clamore iam ſupra aliquoties diximus, oſtendimuſque, alicubi clamari *zeter*, alibi *vvapen*, alibi *Iodute*. De prioribus vocabulis, quantum ſatis eſt, diximus. At quid illud *Iodute*, quae adhuc ſaeua interminantium vox eſt in Weſtphalia, vbi frequenter auditur paroemia: *Ick will dick ſchlaen, du ſchalſt Iodut ropen.* Notum eſt, quid vulgo narrent de Saxonum tropaeo, poſt praelium ad ſiluam vvelphesholz feliciter cum Henrico V. commiſſum, ſtatuto, quod *S. Adiutorium*, et a plebe ruſtica *S. Iodute* adpellatum, et religioſe cultum fuerit. Cranz. *Metrop. Sax. Lib. V. cap.* 36. Atque inde huius clamoris originem arceſſit Henr. Vagedes *in pentade quaeſt. hiſtor. quaeſt.* 1. *p.* 288. Enimuero ne ipſi quidem Cranzio perſuaderi hoc potuit, cui illa vox quiritantium neſcio quid Italicum vel Gallicum ſonare, idemque eſſe videtur, ac *io adiute mi.* Ego mihi nondum liquere, fateor, adeoque rem in medio relinquo.

§. CCCXIIII.

Formula eoſdem accuſandi.

Peracto clamore, imperatoque ab adparitore ſilentio, poſtulabat accuſator interloquutionem, an rite ad accuſandum proceſſerit, ſimulque ipſam accuſationem proferebat. Hinc pergit auctor des Richsteiges *cap.* 31. *So ſpreke de vorſprake: Here her richter, vvill gy dorch got, vnd dorch des rechten villen N. vvort vort horen. So ſpreke he: Here her richter, he vvete vorwar vnde wetliken, wenne em leff is, dat he eme rechte dat, vnde bidde eines ordels, eſſt he N. ſo met ſyme geruchte, vnd mit der hanhaffien daet vor dat gerichte hebbe gebracht, als he ſyne klage yegen eme mogen anſtellen to rechte, edder wat dar rechtes vmme ſy? So vintme, he moge, he ſehe, dat he rechte du. So ſpreke vort: Here her*

her richter, ſo ſteit hir N. vnde klaget vnſen heren Gode vnde yvv in Godes ſtede, dat N. ſy gekomen vvedder God, vnde vvedder recht, vnde hebbe eme yammerliken affgemordet ſynen leuen frunt, * *edder he hebbe eme gevveldighliken affgerouet ſyn pert — N. vvill he des bekennen, dat mach he don: vvil hedes auer verſaken, ſo vvill he des eme vorvvinnen, vvo yt eme tho rechte ghedeylet vvert, vnd bidde rechtes gerichtes over den vorbenomeden myſsdedighen man, vnde bidde enes ordels, here her richter, vvat ſy nur dartho don ſcholen, dat em beyden recht geſchee? So ſpreke de richter: N. des vrage ick yvv. So vintme: dat he N. tho der antwerde byde. Dat vintme ok anderwerue vnde dritte werue.*

* Hoc caſu ipſum cadauer ſimul ad tribunal erat ferendum. Hinc ſtatim inſequente *capite* 32. vbi de rei defenſione agitur, auctor addit: *efte de dode dar yegenvvardiſch ſy*: idque deinde inſequentibus aliquoties repetitur. Rem accuratius deſcribit auctor IVR. PROV. SAX. *Lib. III. art.* 90. *Wird auch einem manne ſein freund erſchlagen, er mag ihn wol begraben, ob er wol vveiſs, vver ihn erſchlagen hab, er hab denn der klagen über jenem mit dem* TODTEN COERPER *ehe begunſt vor gerichte, ſo muſs er mit ihm auch vollklagen, vnd mag ſein dann nicht begraben, ohn des richters vrlaub, dievveil die klage vngeendet iſt.* Quae omnia mirifice exprimi videmus ab AVCTORE *des Reinecken, cap.* 4. 5. Fingitur enim ibi gallos quoſdam gallinaceos cum clamore ante regem, leonem, adducere cadauer occiſae a vulpe gallinae, eorumque vnum accuſare vulpeculam.

Der hennen broeder vveren teſſe tvvee,
Se repen beyde vvrach vn vvee
Vmme kraſſevoet, erer ſüſter doet,
Drenen ſe ruvve vnd drouenyſſe groot.
Noch vveren tvvey ander, de dregen de boren,
Men mochte ere drouenyſſe vern horen.

Poſtea mos inoleuit, loco cadaueris, quod oculos ac nares praeſentium offendere videbatur, partem aliquam illius in iudicium ferre, quae vocabatur *das leibzeichen.* Explodit hunc morem, eumque nec vllius vtilitatis, nec Saxonici iuris eſſe, exiſtimat KIL. KOENIG. *in Proceſſu p.* 673. ſed quod ad poſterius attinet, in eo eum errare, vel ſolus locus, paullo ante ex iure Sax. prouinciali adductus, argumento eſt. Attamen ipſe pergit: *Will man aber ie darüber ein leibzeichen nehmen, das mag man der gevvohnheit zu gefallen thun. Vnd vvievvol man etvvan hat ganze hände oder finger abgelöſet: ſo nimmt man doch zu dieſer zeit, an den menden, da man der gevvohnheit nach handeln vvill, gemeiniglich nicht mehr, denn irgend ein ſtük von dem kleide des entleibten, oder ein lock haars.* Similia reperias apud RAVCHDORN. *Pract. crim. Part. V. cap.* 3. CARPZ. *Part. III. quaeſt.* 136. *n.* 99. PAVLL. ZACHIAM *quaeſt. med. legal. Lib. V. tit.* 2. *qu.* 8. *n.* 8. *p.* 387. KEYSER *in der anvveiſsung zum inquiſition- und achts-proceſs cap.* 5. §. 13. *pag.* 137. vbi et ſua aetate, (ſcripſit autem libellum anno 1676.) in iudicio municipali Altenburgenſi ritum hunc obſer-

ſeruatum eſſe, tradit. Similiter in aliis iudiciis publicis operam dabant accuſatores, vt corpus delicti ante oculos eſſet. Nam et furis manifeſti tergo res furtiuae illigabantur, vt eas ad tribunal ferret, ceu conſtat ex GLOSSA *ad Weichbild. art.* 36. et *auctore des* RICHTSTEIGES *cap.* 32. *p.* 34.

§. CCCXV.

Accuſatio rei deprehenſi, ſed aufugientis.

Non multo aliter accuſabatur reus, ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehenſus, ſed qui tamen aufugerat. Hunc enim accuſator cum clamore perſequebatur, perſequentique ciues omnes opem ferre et fugientem ſiſtere tenebantur. Immo etſi reum in aliam ciuitatem fuga abſtulerat: ciues tamen illum exhibere cogebantur accuſatori et iudici ſub poena praeſcriptionis. IVS PROV. SAX. *Lib. II. art.* 71. *ſequ.* Sin, qui deliquerat, ita aufugiſſet, vt non conſtaret, vbinam gentium latitaret: accuſator eum nihilominus eodem die, antequam heſternum fieret delictum, accuſabat, et abſente iudice coram adparitore accuſationem proferebat, eiusque is effectus erat, vt abſens ob delictum proſcriberetur. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 70.

§. CCCXVI.

Itemque non deprehenſi.

Et talis quidem erat accuſatio hominis facinoroſi, in ipſo delicto deprehenſi. Si quis cautius mercatus ita deliquiſſet, vt in ipſo facinore non opprimeretur, is praeſens accuſabatur quidem cum clamore, * ſi ſperaret accuſator, ſe eum ferro conuicturum, ſine clamore vero, ſi ſingulare certamen inire nollet. IVS PROV. SAX. *Lib. II. art.* 36. Etiam hunc ritum accurate, vt ſolet, deſcribit *auctor des* RICHTSTEIGS *cap.* 33. *Is dyn klage vernachtet, ſo bege der richter ein ding, als hieruor geſecht is. So ſpreke des klegers vorſprake alſus: Here her richter. N. de biddet eines ordels, vvo he ſyne klage anſtellen ſolle ouer einen ſynen vredebreker, etc. dat yt em tho ſyneme rechte hulplik ſy. So vintme, he ſchole ſy anſtellen met ſyme geruchte, als he em vorvvinnen vvil. So vrage he vort, efft dat gerûchte ſolle vor der klage gan, oder de klage vor deme gerûchte? So vintme, dat gerûchte ſcholle vorgaen, vvente dat is der klage beginn. So bidde he, dat he yt ſchryen mute. So ſprekt de richter: Ick gunnes vvol, effi des em noth ſy. So ſchrye de ſackevveldige ſuluen ouer N. vnd ouer vnrechte vvolt. Alſo do he andervverff, vnde dritte vverff.*

* Cla-

* Clamorem ex his iudiciis plane exſulare debuiſſe cenſet doctiſſimus THOMAS. *de occaſ. concept. et intent. conſtit. crim. Carolinae* §. 11. idque procul dubio collegit ex IVR. PROV. SAX. *Lib. II. art. 64. Wo keine handhaffte that iſt, da muſs man ohne geruffe klagen, ob man es ohn ſchaden bleiben vvill.* At auctor des RICHTSTEIGES diſerte ait, in his quoque cauſſis heſternis accuſationem cum clamore eſſe proferendam. Immo et ipſe REPKOVIVS *Lib. II. art. 36.* mentionem faciens furti nec manifeſti, furem ſi rem vltro reddere nolit, cum clamore eſſe accuſandum, tradit: *Weders er des, ſo ſchreie er uber ihn das geruffe.* Sed haec ſibi inuicem non aduerſantur. Clamore enim et hoc caſu vtebantur, ſi in promtu eſſent ipſa rerum teſtimonia, et accuſator ferro contendere vellet. Hinc verba iudicis: *He ſchole de klage anſtellan met ſyme geruchte, als he em* VORWINNE *will:* id eſt, licere accuſatori cum clamore accuſare, ſi reum ferro a ſe vinci poſſe, ſperet. Quid ſi defugeret certamen? Tunc non ſine periculo quis accuſabat cum quiritatione: eoque pertinent verba SPECVLATORIS: *man muſs ohne geruffe klagen, ob man es ohn ſchaden bleiben will.* Nam ſi deinde ſuccubuiſſet accuſator, et mulctam et wergeldum ſoluebat, vti obſeruat ZOBELIVS *in gloſſa.*

§. CCCXVII.

An eadem omnia obſeruarint Sueui, non facile dixerim. Sane et horum ius aliquoties meminit *der band-getbat*, veluti *cap.* 161. *Wen man mit der handgethat begreiffet, den ſoll man für gericht führen.* Et *cap.* 105. *Man ſoll auch in gebundenen tagen vvol richten, ob ein man begriffen vvird mit der band-gethat, denn den ſchirmen die gebunden tag nicht.* Sed non tam accurate in hoc iure agitur de clamore ipſoque accuſandi modo, nec reliqua, quae de more cadauera occiſorum in iudicium ferendi diximus, in illo Sueuorum ſpeculo reperi: vt adeo rem in medio relinquere cogar. An haec omnia et Sueui obſeruarint?

§. CCCXVIII.

Proximum eſt, vt et de CVSTODIA et EXHIBITIONE REORVM quaedam diſſeramus. Et quidem apud veteres quoque Germanos carceri mancipatos eſſe reos, ſatis patet ex LEGE WISIG. *Lib. VII. tit.* 4. §. 4. vbi et de *catenatico*, commentarienſis commodo, agitur, ex LEGE LANGOB. *Lib. I. tit.* 25. §. 54. vbi carcerum ſubterraneorum fit mentio, in quos fures per aliquot annos poenae nomine detrudebantur, denique ex CAPITVLAR. *Lib. VI.* §. 106. vbi Imperator tribus diebus feſtis maioribus reos, catenis conſtrictos, ſolui iubet, vt ſacris intereſſe, et paullo lautius prandere poſſint. Attamen et fideiuſſores vel vades aliquando acceptos eſſe, iam ſupra obſeruauimus. Cuſtodia et ſatisdatio reorum apud veteres.

§. CCCXVIIII.

Apud Saxones et Sueuos.

Idem et medio aeuo apud SAXONES et SVEVOS obſeruatum video. His multum intereſſe videbatur, in ipſo delicto capitali aliquis eſſet deprehenſus, an poſtea demum eius ſuſpicionem incurrerit, vel criminis leuioris ſit accuſatus: Priore enim caſu abſciſſe in vincula publica ducebatur, ſi vel maxime datis fideiuſſoribus de iudicio ſiſti cauere vellet: priore carcere liberabatur, ſi ſatisdaret. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 61. *Wer keinen bürgen haben mag, den ſoll man behalten in des richters gevvalt, ob der da kein erb hat, vnd er vmb vngericht klaget, oder ob die klag auf ihn gehet.* Add. *Lib. III. art.* 17. IVS PROV. SVEV. *cap.* 153. *der richter ſoll keinen bürgen nehmen ohn den kläger, da es vmb einen todſchlag iſt, oder vmb einen rechten ſtraſſenraub.* Denique IVS PROV. SAX. *Lib. II. art.* 9. *Vmb einen gefangenen mann ſoll man bürgen geben, er ſey denn in der handhafften that begriffen.* *

* Sed quum plerumque de mulcta tantum et ſatisfactione ſecurus eſſe deberet actor, ſi crimen non eſſet capitale: in tantum fideiuſſores ſpondebant, quanti eſſet wergeldum. IVS PROV. SAX. *Lib. III. art.* 12. *Wird auch die klage getaget, er bedarff nicht höher bürgen ſetzen, dann für ſein vvehrgeld, ob vvol der klagen viel iſt.* Et *Lib. II. art.* 10. *Niemand iſt pflichtig, höher bürgen zu ſetzen fürs gericht, dann ſein vvehrgeld ſtehet, es ſey dann ſchuld, die er bekennet, oder die mit recht auff ihn gebracht vvird.* Hinc liber etiam erat a ſatisdatione, ſi bona immobilia in ea iuriſdictio ne poſideret, quorum pretium wehrgeldi quantitatem ſuperabat. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 61. *et Lib. II. art.* 5.

§. CCCXX.

Accuſator quoque, non ſatisdans, in carcere habitabat.

Ex quibus locis et hoc diſcimus, eamdem fuiſſe accuſatoris ac accuſati conditionem. Vtrumque enim in carcere habitare oportebat, ſi fideiuſſores reperire non poſſent. CAPITVL. *Lib. VII. §.* 338. At in eo tamen mitius agebatur cum accuſatore, quod ſe ſemper ſatisdatione a carcere liberare poſſet, quum reo id non ſemper eſſet integrum, ſi vel poena capitalis immineret, vel ille in ipſo delicto eſſet deprehenſus. Et id ſibi volunt verba SPECVLATORIS SVEVI *ibid. Der richter ſoll keine bürgen nehmen ohne den kläger, da es vmb einen todſchlag iſt, oder vmb einen rechten ſtraſſenraub.*

§. CCCXXI.

§. CCCXXI.

Exhibitio rei quomodo fiat a fideiuſſoribus.

Fideiuſſores reum tenebantur iudici **EXHIBERE**. Id ſi non facerent, apud Sueuos eamdem poenam ſubibant, quae ſubeunda fuiſſet ipſi reo, niſi hunc mors ſupplicio ſubtraxiſſet: IVS PROV. SVEV. *cap.* 161. *§.* 2. et *cap.* 326. *§.* 1. *et* 2. at apud Saxones ſoluto wergeldo et mulcta, liberabantur, eamque debebant, etiamſi reus ſoluendo eſſet, quia iudex et accuſator eius fidem fuerant ſequuti, vti recte obſeruat GLOSSATOR. IVS PROV. SAX. *Lib. III. art.* 11. Immo et tunc liberabantur vades, ſi quidem ipſi reum ſiſtere et exhibere non poſſent, at ipſe reus, fretus innocentia ſua, vltro adeſſet. IVS PROV. SAX. *ibid. Wer aber bürge wird eines mannes für gericht, ihn fürzubringen, vnd kommt dann der mann ſelbſt für, ohne ſeinen bürgen, vnd beut er ſich vor gericht zu recht, vnd mag es darnach gezeugen, er hat ſeine bürgen damit gelediget.*

§. CCCXXII.

Quomodo a commentarienſi?

Multo magis ergo commentarienſium erat, exhibere captiuos, ac eos ita curare in vinculis, vt exhiberi poſſent. Qua in re verboſus eſt SPECVLATOR SVEVVS, qui *cap.* 120. monet, non eidem carceri includendos eſſe maſculum et feminam, ne in Venerem ruant: itemque diligenter cuſtodire captiuos debere commentarienſem, alias omne damnum penſaturum, ſi aufugientes e fuga retrahere nequeat. Quin in BERGERIANA *editione p.* 363. ſingulare occurrit caput ſub rubrica: *aber von vannknuſs*, quod in MEICHSNERIANA deſideratur, quo cauetur, eos, quibus petentibus quis in vincula coniectus ſit, ad alimenta illi conſtituenda eſſe obligatos, * ad eaque praeſtanda a iudice cogi debere. Si vero in mora ſint, adeo, vt captiuus fame pereat, et iudicem, et eos, qui ad alimenta obſtricti fuerint, tamquam homicidas inedia expiare delictum, et praeterea ſingulos regi exſoluere debere mulctam 20. librarum, (*ir yedvveder mit tzvvinzig pfunden irer lannd-phennig.*

* Qui in cauſſa fuerant, vt innocentes in vinculis publicis haberentur, eos in Saxonia ad mulctam, quae ibi vocatur *emenda Saxonica*, (*die Sachſen-buſse*,) teneri, iam ſupra (Lib. II. Part. II. §. 365. *) obſeruauimus, quo nos referimus, id tantum iam obſeruantes, leges ne eum quidem caſum praeterire, ſi quis captiuum in ius vocatum vi exemiſſet. Eo enim pertinent verba REPKOVII *Lib. III. art.* 9. *Welcher mann einen beklagten vmb vngerichs gewaltiglichen dem gerichte entführet, wird er gefangen mit geruffi, er ſoll gleiche pein jenem leiden. Kommt er aber hinweg, man echtet ihn zu hand, alſo daſs man ihn in der handhaffien geſehen habe vnd beſchrieen mit geruffie, vnd man des auch gezeugen mög.*

§. CCCXXIII.

§. CCCXXIII.

Defenſio rei quotuplex?

Accuſatum reum, et in vincula ductum, DEFENDERE ſe oportebat. * Quemadmodum vero iam olim Graecorum Romanorumque rhetores obſeruarunt, quatuor generum eſſe reorum ἀντιπαροβολὴν, dum aut negant id a ſe factum, quod accuſator intendit, aut, factum illud a ſe eſſe, fatentur, ſed illud in hoc delictum incidere negant, aut rei id ſe iure feciſſe, aut certe non tantam poenam commeruiſſe contendunt: ita non eſt dubium quin eodem modo apud Germanos actoris intentionem depulerint criminum rei. Plerumque tamen vel factum, vt fit, NEGABANT, et tunc damnari non poterant, niſi confeſſi aut conuicti: CAPITVL. *Lib. V. §. 156.* vel EXCEPTIONIBVS quibuſdam, ſiue dilatoriis, ſiue peremtoriis, ſeſe tuebantur. Quae omnia ex *auctore des* RICHTSTEIGS et medii aeui legibus rectius, quam ex antiquis, intelliguntur.

* Eam vero defenſionem non ipſe ſolus ſuſcipiebat, quum plerumque perturbatio animi et periculi magnitudo homines reddere ſoleat conſilii inopes, ſed adhibitis in conſilium cognatis et amicis, qui eum comitabantur ad tribunal, dumne eorum plures eſſent, quam triginta. IVS PROV. SAX. *Lib. II. art. 67. Wer vmb vngerichs beklaget wird, der mag nicht mehr, dann dreyſig mann mit ſich ſuhren für gerichte. Wann ſie dann fürkommen, ſo ſollen ſie keine waffen tragen, ohne alleine ſchwerdt.*

§. CCCXXIIII.

Quomodo facta litis conteſtatio?

Ex eo vero auctore laudatiſſimo patet, reum, audita accuſatione, primum imploraſſe iuſtitiam, et petiiſſe defenſorem, qui pro ſe verba faceret. Formulam habes *cap. 32. Here her richter, ik bitte yvv dorch GOtt vnd alle, die hier vmme ſtaen, dat yvv nenes vnrechtes an my ſtaden, vnde myn blut nicht tho vnrecht gyten, vnd bidde eines mannes, de myn wort ſprecke.* Datus aduocatus vel defenſor litem conteſtabatur pro reo, ſi nulla exceptione dilatoria eſſet munitus, et ita quidem, vt modo iure id eum feciſſe contenderet, e. g. *Here her richter, wil gy horen N. wort? N. biddet dat gy em laten daromme en recht ordel werden. Nademe dat he N. den vromen mann ny wedder dorch hat, noch dorch nener ſacke wille, wenn dorch rechten notwere gevellet heſſt, dat he bewyſen will met ſynes ſulues lyue, vnde met bedderuen luden, vnde wo he yth tho rechte bewyſen ſchal? eſſ me ene dorch notvvere mort moge anſprecken,*

oder

Digitized by Google

oder vvat dar en recht vmme ſy? modo delictum negaret, et accuſatoris probationem elideret, e. g. *Here her richter, ſo ſteit hir N. de bedderue man, vnd biddet, dat gy ſehen, vnde laten yw ontſarmen de nodt vnd de gewalt, de eme N. tho vnrechte anleget, (vnd wiſe denne de bende edder de vvunden, vnde ſprecke vort,) vnd bidde enes ordels. Nademe dat he eme tho eineme vredebrecker bereden vvolde, vnde des nicht don ne mach, eft he den vrede icht an em gebrocken hebbe, edder vvat dar ein recht vmme ſy?*

§. CCCXXV.

Saepe vero reus EXCEPTIONIBVS vel peremtoriis, vel dilatoriis, quantum poterat, ſeſe tuebatur. Sic enim aliquando accuſatori obuertebatur exceptio inhabilitatis, veluti quod ſit proſcriptus. IVR. PROV. SAX. *Lib. III. art.* 16. SVEV. *cap.* 124. aliquando litis pendentis, veluti ſi quis a pluribus eiuſdem criminis accuſaretur, IVR. PROV. SAX. *Lib. III. art.* 12. aliquando reus praeſcriptione fori vtebatur, veluti ſi ingenuus accuſatus prouocetur ad ſingulare certamen extra iuriſdictionem, (*in einen auſsvvârtigen gerichte, da ſein handmal nicht innen lag:*) IVR. PROV. SAX. *Lib.* III. *art.* 26. aliquando exceptione non competentis actionis, veluti ſi filius ex delicto mortui parentis, IBID. *Lib. II. art.* 17. SVEV. *cap.* 118. vel dominus ex delicto ſerui vel famuli conueniretur. IBID. *Lib. II. art.* 32. Paſſim etiam reorum defenſores vſos eſſe animaduertimus aliis exceptionibus, quibus feralem ſententiam vel amolirentur, vel differrent, veluti linguae accuſatoris ſibi ignotae, IB. *Lib. III. art.* 71. feriarum, * infantiae, furoris, imminentis partus, et ſimilibus. RICHTSTEIG. *cap.* 32. *p.* 36. Quales ab eo oppoſitae exceptiones?

* Neque tamen haec exceptio proderat reo, in flagranti delicto oppreſſo. IVS PROV. SAX. *Lib. II. art.* 10. et multo clarius IVS SVEV. *cap.* 105. §. 2. *Man ſoll auch in gebundenen tagen wohl richten, ob ein mann begriffen vvird mit der handgethat, dann den ſchirmen die gebundenen tage nicht.* Hinc apud *auctorem des* RICHTSTEIGES *ibid.* defenſore rei petente dilationem ob ferias, (*nademe dat yt gebunden tyd vvere,*) accuſatoris aduocatus contradicit, et petit interloquutionem: *Nademe dat yt eine hanthaffte daet ſy, eft he ſyn recht tho hant icht lyden ſchole?* Et additur: *So vint me: he ſchole.*

§. CCCXXVI.

Abſentes qui ſe non defendebant, proſcribebantur tum a veteribus,

Si fuga abſtuliſſet reum, iſque adeo ſe plane non defenderet, omnibus paene originis Germanicae gentibus ſollemnis erat proſcriptio. Quamuis enim ea eſſent aequitate, vt abſentes accuſari non paterentur: LEG. SAL. *tit.* 20. §. 1. *et* 2. CAPITVL. *Lib. V.* §. 159. *Lib. VI.* §. 279. *Lib. VII.* §. 145. 154. *et* 271. *Addit. Ludouici Pii III.* §. 67. *et addit. IIII.* §. 7. id tamen de laudabili tantum abſentia videtur intelligendum. Nam latrones fugitiui, aliique facinoroſi homines, accuſati abſentes, et fruſtra quaeſiti, legitimis demum citati edictis, proſcribebantur, quod veteribus erat *forbannire (verbannen.)* * LEG. RIPVAR. *tit.* 87. LEG. LANGOB. *Lib.* I. *tit.* 25. §. 62. *ſequ.* CAPITVL. *Lib.* III. §. 49. *ſequ.* Ex quibus locis ſimul patet, comitem de hac proſcriptione vicinos certiores facere, eoſque monere debuiſſe, ne proſcriptis receptum darent, eos vero, qui ſacerrimos iſtos homines recepiſſe dicerentur, certa pecuniae ſumma mulctatos, vel flagris caeſos eſſe.

* Dicti hi proſcripti ſunt VARGI vel WARGI, de quo vocabulo nos iam ſupra agere, meminimus (Lib. II. Part. II. §. 49.) Attamen paullo latius patet hoc vocabulum, vt et eos, qui praeſentes ob delictum aliquod grauius in exſilium agebantur, comprehendat, ceu diſcimus ex LEGE SAL. *tit.* 57. §. 5. et RIPVAR. *tit.* 85. Nos iam obſeruamus, proſcriptionem Francis duorum fuiſſe generum, *maiorem*, qua quis toto imperio exceſſe iubebatur, et *minorem*, qua intra territorii vel iuriſdictionis fines minus ſecurus erat: quarum illa IRBANN: haec MEZIBANN vocabatur a *mez*, terminus vel finis, vnde *geuui mez* pagi vel *gouae* fines, apud OTFRID. *Lib. I. cap.* 20. *v.* 15. CAPITVLAR. CAROLI M. I. *ann.* 809. §. 11. *De* MEZIBAN, *id eſt, de latrone forbannito. Vt vnuſquiſque comes alio mandet, vt nullus eum recipere audeat.*

§. CCCXXVII.

tum a Saxonibus et Sueuis.

Iiſdem poſtea moribus et SAXONES, et SVEVI viuebant; qui et ipſi proſcribebant abſentes, et fugitiuos, tribus edictis citatos. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 67. *Wen man vor gerichte beklagt, iſt er da nicht gegenwärtig, man ſoll ihn tage dingen bis zu dem nächſten dinge. Wann man aber klaget vmb VNGERICHT, das nicht an den hals gehet, über den, der nicht gegenwärtig iſt, den ſoll man tage dingen dreymal, ja über vierzehen nächt. Klagt man aber über einen ſchoeppenbar-freyen mann auſerhalb ſeinen dingſtatt, das an ſeinen leib gehet, den ſoll man tage dingen drey mal, immer über ſechs wochen. Wer nicht vorkommt zu dem dritten dinge*

Digitized by Google

dinge in peinlicher klage, den ächtiget man. Vmb anders keine klage ſoll man den man ächtigen, ohne vmb die, die an den leib, oder an die hand gehet. Similia ſunt in SPECVLO SVEVICO *cap.* 91. §. 1. 2. nec non in IVRE PROV. SAX. *Lib. I. art.* 66. 68. 70.

§. CCCXXVIII.

Erat et eo tempore proſcriptio vel MINOR, vel MAIOR, *die acht oder verfeſtung vnd oberacht*: quarum illa reo in territorio vel iurisdictione quadam particulari; haec in vniuerſo imperio ius ſecure commorandi adimebat. Minorem proſcriptionem paſſus capi ab vnoquolibet, et iudici exhiberi, at non occidi poterat, niſi telo ſe defenderet. * IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 66. SPEC. SVEV. *cap.* 151. maior vero proſcriptio etiam cum vitae periculo erat coniuncta, vti oſtendit ZOBEL. *addit. ad Lib. III. art.* 34. A iudice inferiore proſcriptus in contumacia perſeuerans, etiam a comite proſcribebatur, ſi illi iudex inferior proſcriptionem, a ſe decretam, teſtibus probaſſet: et denique ipſam maiorem proſcriptionem incurrebat. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 71. *Wen der gebohrne gograſe oder belehnte richter verächtiget, zeuget er ſeine acht vor den graſen, er gewinnet des graſen acht. Alſo gewinnet auch der graſe mit ſeiner acht des königs acht.* conf. SPEC. SVEV. *cap.* 98. Contra a maiore proſcriptus iudicio, ſemper etiam a minore proſcriptus cenſebatur. IVR. PROV. SAX. *Lib. II. art.* 24. Proſcriptio quotuplex?

* Hinc et eo tempore nemini licebat proſcripto receptum dare, eique, qui id ſciens dolo malo fecerat, mulcta irrogabatur. IVS PROV. SAX. *Lib. III. art.* 23. *Wer herberget oder ſpeiſt wiſſentlich einen geächten mann, er muſs darum wetten. Wuſte er aber nicht, daſs er geächtet war, er entredet das mit ſeiner vnſchuld.* At ſeuerior hic eſt SPECVLATOR SVEV. *cap.* 150. qui proſcriptum recipienti eamdem irrogatam vult poenam, quae ipſi proſcripto fuiſſet ſubeunda: immo et moenia eius vrbis dirui iubet, in qua proſcripto ius palam commorandi datum eſſet. Alibi tamen eum, qui proſcripto receptum dederit, manus amputatione puniri, tradit. *cap.* 155.

§. CCCXXVIIII.

Quamuis vero ſatis atrox eſſet haec proſcriptionis poena: non tamen fraudi erat innocenti, quippe cui integrum erat, ſe ex illa eximere, ſi fide publica euocatus, datis fideiuſſoribus, iudicio ſe ſiſtebat, ſeque inſontem eſſe demonſtrabat. IVS PROV. Quomodo quis ea exemtus fuerit?

SAX.

SAX. *Lib. III. art.* 17. *et* 18. *Lib. II. art.* 4. *et* 7. Si in maiorem proſcriptionem incidiſſet, eodem modo ſeſe eximebat, at iura ſua amiſſa non recuperabat, niſi Imperatori militaſſet: IB. *Lib. I. art.* 38. Add. *Lib. III. art.* 34. Eximi proſcriptione innoceps ſolebat a iudice et plebe, (*vom landvolk*) certo ritu; qui in IVRE PROV. *Lib. II. art.* 4. ita deſcribitur: *ſo ſoll ihn der richter vnd das landvolk aus der acht laſſen mit finger vnd mit zungen, denn man ihn auch ſo in die acht thât.* Quod procul dubio de ſublatis a plebe digitis, et de clamore eius, intelligendum eſt.

§. CCCXXX.

Eius varii effectus.

Si quis vero non daret operam, vt proſcriptione eximeretur: effectus eius erant varii. Nam (1. qui ſex hebdomadas, vel, ſi latrocinii cauſſa in hanc poenam incidiſſet, 14. dies in ea perſeuerauerat, ab epiſcopo etiam excommunicationis fulmine feriebatur. Si (2. in vtroque banno latro alias ſex hebdomadas, vel alius facinoroſus annum et diem perſeuerabat, infamia notabatur, et bona eius omnia a fiſco occupabantur. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 38. SVEV. *cap.* 160. §. 8. *et* 176. *et* 98. Praeterea (3. ei non proderant dies vel feriarum, vel induciarum, (*die gebundene tage*,) IBID. *cap.* 4. nec, (4. ei vel ſententiam ferre vel (5. eamdem reiicere, nec (6. iurare in iudicio, nec (7. alium conuenire licebat. IBID. *cap.* 113. 124. IVS FEVD. ALAM. *cap.* 26. IVS PROV. SAX. *Lib. III. art.* 16. Denique (8. ſi proſcriptus vel maxime proſcriptione eximeretur, ſeque inſontem eſſe oſtenderet: omnibus tamen iudicibus, a quibus fuerat proſcriptus, certam debebat mulctam, quae a SPECVLATORE SVEVO vocatur *cap.* 98. 99. *die achts-ſchâtzung*, vbi additur ratio: *Das iſt darumb geſetzt, daſs man die acht fürchte; vnd ſchier danon komme.*

§. CCCXXXI.

Rei quibus modis conuicti?

Iam porro incidit quaeſtio, quomodo CONVINCI conſueuerit reus, qui factum negarat. Et apud antiquos quidem dubium non eſt, quin TESTIBVS vel maxime vſi ſint ad reos conuincendos, aliquando tamen ſi magna et iuſta eſſet ſuſpicio, DIRIS QVAESTIONIBVS ſubiiciebant eos, aut ſi conuinci vel ad confeſſionem adigi nulla ratione poſſent, eos ſuſpicionem vel IVREIVRANDO, vel PVRGATIONE aliqua vulgari elidere cogebant. Enimuero quum de *teſtibus*, *iureiurando*, ipſiſque *purgationibus*, (quae

(quae media eruendi veritatem publicis priuatiſque iudiciis communia erant,) iam ſupra, quantum ſatis eſt, dixerimus: ſupereſt, vt de *diris quaeſtionibus* quaedam ſubiiciamus.

§. CCCXXXII.

An et diris quaeſtionibus vſi ſunt veteres?

Non dubium eſt, quin lubricum illum et fragilem veritatem inueſtigandi modum a Romanis didicerint gentes Germanicae. Eum enim vix ab vlla gente Germanica vſu receptum fuiſſe, animaduertimus, quam a WISIGOTHIS, OSTROGOTHIS et FRANCIS. Et FRANCI quidem ſeruilis tantum conditionis homines diris quaeſtionibus ſubiiciebant, * apud eoſque valebat regula: *Si talis cauſſa eſt, vnde ingenuus* 600. *denarios*, *qui faciunt ſolidos* 15. *componere debeat*, *ſeruus ſuper ſcamno truſus* 120. *ictus accipiat*. LEG. SAL. *tit*. 43. OSTROGOTHI etiam non temere alios, quam ſeruos, torquebant. EDICT. THEOD. §. 100. At WISIGOTHI in cauſſis maieſtatis, adulterii et homicidii etiam honeſtiores, in cauſſis furti, rapinae ſimilibuſque viliores tantum homines, quantumuis ingenuos, in equuleo extendebant, dummodo accuſator inſcripſiſſet in ſimilitudinem poenae, et cauſſa quingentorum ſolidorum ſummam excederet. LEX WISIG. *Lib. VI. tit*. 1. §. 2. Quin iidem et ſeruos certis caſibus in dominorum capita torquebant, puta in cauſſis adulterii, maieſtatis, falſae monetae, homicidii, et maleficii. IBID. §. 4. Quae ſatis conſentanea ſunt legibus Romanis, veluti *l*. 1. §. 5. *ſequ. D. l*. 1. *C. de quaeſt. l*. 1. *D. ad leg. Iul. annon. l*. 53. *D. de iudic*.

* At aliquando tamen et ingenuos, quin et in dignitate conſtitutos homines, diris quaeſtionibus ſubiiciebant, ſi quando crimen eſſet atrocius, vel ad ipſam regiam familiam pertineret. Sane ob calumnias Leudaſtis ducis, quibus proſciderat Gregorium Turonenſem, eumque in ſuſpicionem ſtupri, ipſi reginae oblati, adduxerat, a Riculfo presbytero et eccleſiae Turonenſis archidiacono, confeſſionem diriſſimis cruciatibus extortam eſſe ipſe refert GREG. TVRON. *Hiſtor. Lib. V, cap*. 49.

§. CCCXXXIII.

Qualia fuerint tormenta legitima?

Qualia vero fuerint apud veteres legitima tormenta, partim ex LEGIS SALICAE *tit*.43. §. 4. partim ex hoc ipſo GREG. TVRONENSIS loco, quem paullo ante protulimus, patet. Ex priore enim diſcimus, ſeruum extenſum in ſcamno, vel equuleo, caeſumque eſſe virgis, *quae in ſimilitudinem minimi digiti groſſitudinem habebant*. Quem modum torquendi ex ANT. GALLON. *de*

SS. martyr. cruciat. p. 41. multis verbis illuſtrauit ECCARD. *ad Leg. Sal. p.* 79. *ſequ.* Poſterior vero tormenta, quibus Riculfus excruciatus fuerit, hunc in modum deſcribit: *At Riculfus, clericus, ad interficiendum deputatur: pro cuius vita vix obtinui: tamen de tormentis excuſare non potui. Nam nulla res, nullum metallum tanta verbera potuit ſuſtinere, ſicut hic miſerrimus. Ab hora tertia diei, reuinctis poſt tergum manibus, ſuſpenſus ad arborem dependebat, ad horam vero nonam depoſitus, extenſus ad trochleas, caedebatur fuſtibus, virgis, ac loris duplicibus, et non ab vno vel duobus, ſed quot accedere circa miſeros potuiſſent artus, tot caeſores erant. Quum autem iam in diſcrimine eſſet, tunc aperuit veritatem, et arcana doli publice patefaciebat.* Ex vtroque ergo loco aliiſque apud eumdem GREG. TVRON. *Lib. VI. cap.* 35. *et Lib. VII. cap.* 32. colligimus, tormenta apud Francos potiſſimum in ſuſpenſione rei e manibus, in tergum reuinctis, extenſione eiuſdem in equuleo, denique in verberibus ac flagris conſtitiſſe.

§. CCCXXXIIII.

Poena eorum, qui modum exceſſerant.

Sed in quaeſtionibus de Riculfo habitis ipſa forte calumniae atrocitas in cauſſa fuit, vt modum non tenerent iudices. Quis enim crediderit, reos omnes per tot horas tam diris modis fuiſſe excruciatos? Alioquin LEX WISIGOTHICA *Lib. VI. tit.* 1. §. 5. et accuſatori et iudici moderationem vnice commendat, et vtrumque ad ſeruum eiuſdem pretii reddendum condemnat, *ſi temperamentum in tormentis non tenuerint, et ita diſcretionem legis exceſſerint, vt is, qui quaeſtionatus eſt, mortem violenter incurrerit.*

§. CCCXXXV.

An et medio aeuo tormentis vſi ſint Saxones et Sueui?

At haec reos tormentis excruciandi conſuetudo medio aeuo paullatim exoleuiſſe videtur. Neque enim vllum illius veſtigium in IVRE vel SAXONICO, vel SVEVICO, deprehendimus, * et vtraque gens contenta fuiſſe videtur purgationibus vulgaribus, quas certius veritatem inueſtigandi medium eſſe, iudicarunt, quam diras quaeſtiones. Hinc torturam demum cum iure Romano in fora Germanorum irrepſiſſe, exiſtimat SCHILTERVS *Exerc. XXXXVIIII.* §. 164. contra multo ante id tempus illam inuexiſſe clerum, contra haereticos, magoſque et ſacrilegos ſaeuientem, et quidem loco purgationum vulgarium, quas Papae e foro proſcripſerant, exiſtimant, THOMAS. *ad tit. D. de quaeſtion. p.* 371. *ſequ.* et GRIBNER. *diſſ. de repetit. tormentor. confeſſo inſitiante* §. 4. *p.* 12. *ſequ.*

* Hinc

* Hinc tormenta et hodie ignorant aliarum gentium leges, quibus ſanctior manſit moris et iuris patrii cuſtodia. Ignorat ſane hanc lanienam Britannia, ex qua ideo multis verbis in eam inuehitur THOM. SMITH *de republ. Angl. Lib. II. cap.* 27. Nec eam vmquam recepit Suecia, ſi credimus LOCCEN. *ſynopſ. iur. publ. Suecan. Diſſ.* XXX. *quaeſt.* 13. *p.* 741. Denique et de Arragoniis idem refert GOMEZ. *var. reſol. Tomo III. cap.* 13. Id vero eo magis mirandum, quod olim in illo terrarum tractu viguerunt leges Wiſigothicae, quas diras quaeſtiones recepiſſe, paullo ante vidimus.

§. CCCXXXVI.

Quando dirae quaeſtiones in Germ. viu iterum receptae?

Et ſane acutum, vt ſolebat, hic vidiſſe celeberrimum THOMASIVM, vel ex eo patet, quod ſaeculo Chriſtiano XIV. quum nondum Germanis innotuiſſent dirae quaeſtiones, iam in templarios vbique tormentis ſaeuiretur, nec prius flammis abſumerentur miſerrimi homines, quam in equuleo extenſi, ſaeuiſſimiſque tormentis excruciati, mortem non vnam ſenſiſſent, vel *inducti comminatione, aut tormentorum adſpectu, aut blandis promiſſionibus illecti, aut carceris inedia cruciati*, enormiſſima quaeuis de ſe confeſſi eſſent. GVIL. DE NANGIACO *contin. ad ann.* 1307. *ſequ.* Quid mirum ergo, ſi clericos imitati iudices et ipſi diras quaeſtiones de reis haberent, eaque ſaeuitia ita gliſceret, vt de eius frequentia grauiter conqueratur IO. LVDOV. VIVES *in Comment. ad* AVGVSTIN. *de ciuit. Dei Lib.* 19. *cap.* 6.

§. CCCXXXVII.

Saxones et Sueui reum in facinore deprehenſum ſeptem teſtibus conuincebant.

Multo itaque aliter illo tempore rationes inibant SAXONES et SVEVI, qui moris maiorum tenaciſſimi, non tormentis, ſed vel teſtibus, vel purgationibus, ſiue canonica, ſiue vulgaribus, ad inueſtigandam veritatem vtebantur. Si quis enim in ipſo facinore deprehenſus cum clamore fuiſſet accuſatus, iſque factum negaret: accuſator eum conuincebat ſuo et ſex aliorum iureiurando. * IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 66. *Wen man in handhaffter that ſâhet, als er gefangen wird, ſoll man ihn nicht zu bürgen geben, ſondern man ſoll ihn für gerichte bringen, vnd ſelb ſiebend ſoll man ihn überzeugen.* Eodem modo conuincebatur reus, ἐπ' αὐτοφώρῳ oppreſſus, ſi eum fuga aliquo abſtuliſſet. IVS PROV. SAX. *Lib.* I. *art.* 70. *Wer mit vngericht vor gericht beklagt wird mit gerüffte, da er nicht gegenvvartig iſt, vnd ehe es übernâchtig wird: mag der klâger das vngericht gezeügen ſelb ſiebend, man âchtet ienen, der es gethan hat, all zu hand.*

* Et hunc ipſum eſſe probandi modum, quem veteres vocabant *das beſibenen*, iam ſupra vidimus. Addunt alii alterum, *das benuſſien*, veluti DATT. *de pace publ. Lib. I. cap.* 1. *n.* 67. Sed de eo THOMAS. *de occaſ. concept. ac intent. conſt. crim. Carol.* §. 15. *not. d.* Benuſſien *nihil aliud eſt, quam cum clamore accuſare reum, in facinore deprehenſum. Ergo non erat modus probandi, ſed ſollemnitas in accuſationibus eiuſmodi facinorum adhibenda.* Recte, quod ad rem ipſam; perperam, quod ad originem attinet. Nam *benuſſien* eſt a Germanico *nehmen*, adeoque ſignificat in ipſo delicto capere, quemadmodum *nothnunffi* vel *nothnuffi* eſt violenta prehenſio vel oppreſſio, qualis fit in ſtupro violento. Vid. SCHILT. *in gloſſar. Teuton. vocibus nothnuffi* et *nunffi*.

§. CCCXXXVIII.

Non deprehenſus ſi integrae famae eſſet, iure iurando; ſin infamis, vulgari purgatione innocentiam probabat.

Sin quis in ipſo facinore non eſſet oppreſſus: non poterat per teſtes conuinci, ſed, ſi integrae famae eſſet, iureiurando; ſin infamis, vel ferro candente, vel aqua feruente, vel ſingulari certamine ſeſe purgabat. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 39. *Die ihr recht mit dieberey, oder mit raub verlohren haben, ob man ſie dieberey oder raubes andervveit beſchuldiget, ſie mögen mit ihrem eyde nicht vnſchuldig werden: ſondern ſie ſollen haben dreyerley wahl: das heiſſe eiſen zu tragen für ihre vnſchuld, oder aber in einen wallenden keſſel zu greiffen bis an den elenbogen: oder mit kämpffen ſich zu ervvehren.*

§. CCCXXXVIIII.

Sententia definitiua quotuplex?

Iam nihil ſupererat, quam SENTENTIA, et *abſolutoria* quidem, ſi ſe purgaſſet reus, *condemnatoria*, ſi conuictus eſſet facinoris. Et priore quidem caſu, poſtulante rei aduocato, pronunciabatur, *dat de beſchuldigte man ledig vnde loſs ſy, nademe dat klager in nener vndaet ene vorvvinnen mögen.* AVCT. *des richſteiges cap.* 32. *p.* 35. Poſteriore, poſtulante accuſatore: *eft he yennen der ſacke vervvunnen hebbe, als he tho rechte ſcholle?* pronunciatur, eum illum rite conuiciſſe. Pergente accuſatore: *wat des ouerwunnen mannes recht ſy?* ſententia ſequebatur; *me ſchalle en enthoueden*: IBID. *cap.* 35. Et ſic actum erat de reo, neque quidquam ſupererat, quam vt exſequutioni mandaretur ſententia. Id quod modo ab occiſi cognatis, modo ab aliquo ſcabino, modo ab adparitore, (*dem fronbothen*,) factum eſſe, iam ſupra monuimus *.

* Attamen hic iungenda ſunt, quae ea de re diſſeruit KRESSIVS *ad conſtit. crim. art.* 95. *ſequ.* §. 2. *not.* ** *p.* 221. vbi erudite oſtendit, rem non ſemper ita ſeſe habuiſſe, ſed veteres etiam aliquando vſos eſſe opera carnificis,

Digitized by Google

ficis, niſi locis illis, ex antiquitate Germanica adductis, ipſe adparitor, *der frohnbote*, ſub nomine carnificis latitet.

§. CCCXXXX.

At priuſquam a reo ſumebatur ſupplicium: plura more maiorum erant obſeruanda. Nam primo baculus confringebatur, quem ritum ſatis antiquum eſſe, ex auctore FLETAE eleganter oſtendit KRESS. *ibid.* §. 1. *not.* * *p.*220. vbi *fractio baculi ſignum iudicii finiti* eſſe dicitur. Deinde condemnati aduocatus reo petebat honeſtam ſepulturam, cuius petitionis formulam debemus AVCTORI *des richtſteiges cap.* 35. *p.* 44. * Denique carnifex proculdubio ſecuritatem ſibi ſtipulabatur, ſi forte res male cederet. Saltim ipſa CONSTIT. CRIM. *art.* 97. hanc carnificis petitionem, tamquam ritum, iam antea receptum, commendat. Varia, quae ſupplicium antecedebant.

* Hic quoque ipſa auctoris illius verba legi merentur, quae ita ſe habent? *So vrage denne noch ſyn vorſprake: Nademe dat eme ſyne vordynde pyne tho geordelt is, eft me yennige andere pyne em andon mute? So vintme: men ne mute. Wenn he de geleden heft, ſo bidde me eme enes vreden. Den ſchall me en vvercken, vp dat, dat me deme doden lycham neynen laſter mer ne byde. So bidde ſyn vorſprake den lycham vnde den kerkhoff, tho deme vverliken vnde geiſtliken richter, der ſcholen em de papen ſtaden, yt et ſye, dat he tho banne ſy, vnde de vverlike richter ſchal des den vorſpracken tuviden.* Addit auctor elegans epiphonema, ad defenſoris officium pertinens: *Sus ſchal en de vorſprake truvve bevvyſen an dem dode, als an dem levende, an deme he mach.*

§. CCCXXXXI.

☞ Haec vero ad decollationis potiſſimum poenam pertinuiſſe videntur. Qui enim ad rotam, vel furcam condemnabantur, iis non conceſſa videtur ſepultura. Semper enim in furcam actos, vel rotae illigatos ibi reperiſſe ſepulturam, iam ſupra exemplis ſatis antiquis demonſtrauimus. Id vero minus laudandum, quod maiores noſtri damnatis nullas paene inducias concederent, ſed ſaepe illos eodem die, quo deliquerant accuſatique fuerant, gladio percuterent. Hinc IVS PROV. SAX. *Lib.* I. *art.* 55. *Die ſollen die that eilend richten.* Et *art.* 57. de grauio electo: *Das iſt geredet von dem gograffen, den man weblet zu einem vngerichte, allein in handhaffter that deſſelbigen tages zu richten* *. Sepultura non ſemper conceſſa reis, immo ne praeparatio quidem ad mortem.

* Exemplum, quod Budſtadium, vrbs Thuringiae, vidit, habes apud MVLLER. *annal. Saxon. ad ann.* 1470. de eoque iam ſupra quaedam nos di-

cere meminimus. Eodem pertinet, quod ad *d. lav. L. art.* 55. adnotat ZOBELIVS, ex eoque adducit THOMAS. *de occaſ. conc. pt. et intent. conſt. crim. Carol.* §. 8. *not.* z. *p.* 13. *Nota, in quantum hoc ſtatutum vult, quod flagrans delictum debeat* ILLICO *puniri. Vidi ſic obſeruatum, quod vterque, tam occiſus, quam homicida, eodem ſepulcro ſunt tumulati.*

§. CCCXXXXII.

Poena accuſatoris calumniantis apud veteres.

Et haec quidem obſeruabantur, quoties a capitis damnato ſumebatur ſupplicium. Quid, ſi reus ſeſe purgaſſet, vel accuſator ita defeciſſet in probatione, vt abſolutoriam ferri ſententiam oporteret? Tunc accuſatorem, tamquam calumniae reum, apud veteres iuſtas dediſſe poenas, eo minus dubitandum eſt, quo certius ex eorum legibus probauimus, eos non admiſiſſe quemquam ad accuſandum, niſi qui inſcriptione ſeſe obligaſſet ad ſimilitudinem ſupplicii. Hinc GREG. TVR. *Lib. V. art.* 49. tam prolixe refert, quem exitum habuerit Leudaſtis, Ducis, et Riculfi presbyteri calumnia, quorum ille vagus ac extorris triſte exſilium in Britannia inuenit, hic tortus atque excruciatus, ſupremo ſupplicio vix Gregorii Turonenſis precibus exemtus eſt.

§. CCCXXXXIII.

Apud Saxones et Sueuos.

At apud SAXONES multum intererat, vtrum accuſator ab accuſatione publica in vniuerſum deſiſteret, an in probatione deficeret, vel ipſe reus ita ſe purgaret, vt abſoluendus videretur. Deſiſtens ab accuſatione et reo, et iudici, mulctam ſoluere cogebatur. IVS PROV. SAX. *Lib. II. art.* 8. Qui in probatione defecerat, is ſi reus iureiurando ſeſe purgauerat, impune ferebat accuſationem; ſin ſingulari certamini rem commiſiſſet accuſator, reuſque ex illo victor exceſſiſſet, itidem et reo, et iudici mulctam pendebat. IBID. *et Lib. I. art.* 62. *et* 63. Vnico caſu, ſi quis alteri violatae pacis dicam ſcripſiſſet, et in probatione defeciſſet, iuri talionis erat locus, ita vt ipſi accuſatori violatae pacis poena eſſet ſubeunda. IBID. *Lib. I. art.* 50. *et* 69. Cuius rei exemplum ex AVCTORE *des richtſteiges cap.* 32. *p.* 35. iam ſupra dedimus.

§. CCCXXXXIIII.

Morum veterum veſtigia et hodie

Talia erant apud Germanos iudicia publica. Si vero, quae diximus, omnia cum CONSTITVTIONE CRIMINALI CAROLINA moribuſque hodiernis contendamus: manifeſtum futurum, ſperamus,

Digitized by Google

mus, et I. circa ACCVSATIONES, et II. circa CVSTODIAM et exhibitionem reorum, et III. circa eorum DEFENSIONEM et IIII. circa CONVICTIONEM eorumdem, et denique V. circa POENAM et SENTENTIAM definitiuam permulta ſupereſſe antiqui moris veſtigia. Quamuis enim id egiſſe dicatur Carolus V. Imp. vt, inuecta inquiſitione, vetus litigandi modus accuſatorius in exſilium ageretur: THOMAS. *de occaſ. concept. ac intent. conſt. crim.* §. 36. res ipſa tamen docet, eum conſuetudines veteres pleraſque, quae non plane rectae rationi aduerſabantur, ratas habuiſſe, adeoque totum proceſſum criminalem, hodiernum, (ſi ea, quae ad inquiſitionem pertinent, exceperis,) paene eumdem eſſe cum vetere illo, quem adhuc deſcripſimus. depre-hendi-mus.

§. CCCXXXXV.

Primo itaque, quod ad ACCVSATIONES attinet, ſatis certum eſt, (1. eas non plane aboleuiſſe Carolum V. quamuis, (2. ſimul magiſtratibus facultatem dederit, ex officio perſequendi crimina: CONSTIT. CRIM. *art.* 6. quin (3. quaeſtiones illae de criminibus iam multo ante haec tempora innoteſcere paullatim coeperunt in Germania. KRESS. *ad conſtit. crim. art.* 6. §. 5. *p.* 29. *ſequ.* adeoque (4. eas magis retinendas putarit Carolus V. quam in Germaniam inuexerit. Certum quoque eſt, (5. ſua magis ſponte homines abhorrere coepiſſe ab accuſando, quam ob conſtitutionis Carolinae ſeueritatem, ac proinde (6. ipſam neceſſitatem ſubegiſſe iudices, vt vel ex officio facinoroſos homines perſequerentur, vel (7. eoſdem per procuratores fiſci accuſandos curarent. Quod (8. et iis locis, vbi alioquin conſtitutionis Carolinae nulla eſt auctoritas, obſeruatur, veluti in Friſia. HVBER. *praelect. ad pand. Lib. XXXXVIII. tit.* 2. §. 3. In proceſſu accuſatorio.

§. CCCXXXXVI.

Ex eodem iure Germanico eſt, (9. quod accuſator aut carceri includendus, aut (10. ad praeſtandam cautionem de proſequenda lite reſtituendiſque impenſis et indemnitate, adigendus dicitur; CONST. CRIM. *art.* 12. *ſequ.* (11. quod accuſationem et hodie paſſim proferre ſolent cum clamore et quiritatione, et hoc diſerte permittit CONST. CRIM. *art.* 87. *Mit dem beſchreien der übelthaeter ſoll es in ſelbem ſtük auf gegenvvärtigkeit vnd begebr des anklägers nach iedes gerichts guter gevvonheit gehalten vverden*; ac proinde (12. et Halae noſtrae in poſtremo Et accuſatione.

mo iudicio, (*in dem peinlichen halsgerichte*,) adhiberi ſolet clamator, quem vocant *den bluth-ſchreyer*. Lvdov. *ad Conſt. crim. art. p.* 109. (13. Quod accuſatori non minus, ac reo, conceditur orator, *ein furſprecher aus dem gericht*. const. crim. *art.* 88. *

* Procuratoribus ſane locum non eſſe iure Romano in cauſſis criminalibus, eumque nec accuſatori, nec reo, concedi, ne dupondii quidem ignorant. *l.* 13. §. 1. *D. de iudic. publ.* Nec ignotum cuiquam eſt, ſolis illuſtribus et ſuperilluſtribus id priuilegium eſſe datum, vt iniurias criminaliter perſequi poſſint per procuratorem. *l. vlt. C. de iniur.* Iam equidem is, qui accuſatoris nomine poſtulat, non eſt proprie procurator, ſed orator, et hinc recte obſeruat Kressivs *ad conſt. crim. art.* 78. §. 1. *not.* * I. tales et Latium in iudiciis publicis ab omni aeuo admiſiſſe. At negari tamen non poteſt, oratores hos, quorum mentionem facit const. crim. multum differre ab oratoribus Romanis, nec eorum vſum Romanis debuiſſe Germanos, ſed maioribus noſtris, apud quos prima accuſatoris poſtulatio erat, *Eya here her richter, ick bidde dorch Got eines mannes, de myn wort ſprecke*. avct. *des richtſteiges über das landrecht cap.* 31.

§. CCCXXXXVII.

In diſcrimine *der handhaften vnd übernächtigen thaten.*

His iuris antiqui reliquiis merito addimus et illas; (14. quod nec hodie plane ignotum eſt diſcrimen facinorum, in quibus reus deprehenſus eſt, (*handhaffter thaten*,) et heſternorum, (*übernächtiger thaten*:) ſed (15. illius veſtigium ſupereſt non modo in proceſſu proſcriptionis, (*im achts-proceſs*,) vbi in criminibus prioris generis citatio rei ad domum ſine dilatione; in poſterioris edictalis, et ter quidem, interiecta ſemper dilatione Saxonica, repetenda, requiritur: Keyser *anvveiſ. zum inquiſ. vnd achts proceſſ. cap.* 11. §. 9. *p.* 321. *ſequ.* Carpz. *vom inquiſ. vnd achts proceſſ. tit.* 11. *art.* 5. *ſequ.* verum etiam (16. in ipſo proceſſu inquiſitorio, ſiquidem ivre Hamb. *Part. IIII. artic.* 45. pluribus deſcribitur, quid ſit *eine handhafftige that*, et *art.* 44. ſancitur, vt ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehenſi nec datis fideiuſſoribus, nec vlla cautione a carcere liberentur. Quae omnia ex iure Germanico eſſe, nemo non animaduertit.

§. CCCXXXXVIII.

Digitized by Google

§. CCCXXXXVIII.

In corpore delicti indagando.

At quamuis rariſſimae ſint in Germania accuſationes, a priuatis inſtitutae, earumque in locum vel accuſationes procuratorum fiſci, vel inquiſitiones magiſtratuum, ſucceſſerint: (§. 345.) tamen (17. et in inquiſitione illa quaedam deprehendes priſci moris veſtigia, in primis vero (18. illud, quod ei locus non eſt, niſi ſaltim in delictis permanentibus de corpore delicti ſatis conſtet. * Et hinc (19. in crimine homicidii ſectio cadaueris, ſollemniter facta, in furto rerum ablatarum deſignatio, et poſſeſſoris iuſiurandum requiritur. CONST. CRIM. *art.* 6. ibique KRESS. *in Comment.* §. 8. *p.* 31.

* Equidem et huius rei originem ex iure Romano nonnulli repetunt, eamque in rem proferunt locum *l.* 1. §. 24. *D. ad SC. Silan.* vbi diſerte negatur, *habendam eſſe de familia quaeſtionem, niſi conſtet, aliquem eſſe occiſum, liquere igitur debere, ſcelere interemtum, vt SCto locus ſit.* At quum Germani iam ante, quam iuris Romani vſum aliquem habere coepiſſent, cadauer occiſi, vel ſaltim membrum aliquod abſciſſum, vel res furtiuas, in iudicium attulerint, ne de corpore delicti dubitari poſſet: quis negauerit, iuris Germanici potius, quam Romani, eſſe hoc iuriſprudentiae criminalis caput de corpore delicti?

§. CCCXXXXVIIII.

In cuſtodia et exhibitione reorum.

Deinde (20. etiam ea, quae circa CVSTODIAM et EXHIBITIONEM reorum obſeruantur, non demum a Romanis, ſed a maioribus per manus tradita accepimus, veluti, quod (21. fugitiuos perſequamur circummiſſis litteris patentibus, (*durch ſteckbrieffe*) quale quid et Francos feciſſe nouimus: (Lib. II. Part. II. §. 358.) (22. quod non committuntur fideiuſſoribus criminis capitalis rei, ſed (23. ii, qui vel ob leuius delictum carceri mancipati, vel (24. in grauiore tam multa, quae pro ſe allegent, habent, vt non verendum ſit capitale ſupplicium: in primis vero (25. qui fide publica, quam *ſaluum conductum* vocant, euocantur. Nam et haec omnia fieri conſueuiſſe apud veteres, adeoque ex moribus Germanicis iura haec omnia repetenda eſſe, nemo, credo, facile dubitauerit. *

* Negari equidem nequit, Romanos etiam eos, qui ob periculum aliquod fugerant, fide publica euocaſſe, vel fide publica dicere iuſſiſſe: at id tum demum fiebat, ſi quando index aliquis haberet, quod ad ſalutem rei-publicae

publicae pertinere videretur. Fides tunc publica dabatur a Conſule iuſſu ſenatus, eiuſque rei exempla, vt alia nunc praetermittamus, exſtant apud SALLVST. *Catilin. cap.* 47. *et* 48. CIC. *Catilin. III. cap.* 4. Quumque in ipſo iure Romano eius rei non exſtet veſtigium: ipſumque vocabulum *ſicher geleite* mores Germanicos redoleat: quis dubitet, quin hunc morem fide publica euocandi reos potius maioribus ſuis debeant Germani, quam Romanis? Et ſane iam ſupra obſeruauimus, ipſos proſcriptos, ſi ſatisdediſſent, accepiſſe ſecuritatem facultatemque in loco iudicii demonſtrandi innocentiam, et ex proſcriptorum numero eluctandi. IVS PROV. SAX. *Wer ſich aus der acht ziehet, den ſoll der richter* FRIED WVRCKEN *vorzukommen, ob man es ſeines halben begehret.* Et quibuſdam interiectis: *Auch ſoll man ihm alſdenn friede vvürcken, vnd ſo ſoll er dann bürgen ſetzen vorzukommen vor gericht zu dreyen dingen, ob man ihn heiſchet.* Vbi GLOSSA id recte exponit de ſaluo conductu. Similia habes in IVR. PROV. SVEV. *cap.* 99. *et* 153. ex quibus etiam diſcimus, eum, qui ſaluum conductum, quem vocant, impetraſſet, iurare debuiſſe, ſe pacem publicam non violaturum. En verba: *Er ſoll den fried ſchvveren, ob ein fried geſchvvoren iſt* (nam aduerbium *nicht*, quod hic habet MEICHSNERIANA editio, omittit BERGERIANA *p.* 149.) *vnd iſt kein fried geſchvvoren, er ſoll den Gottes-fried ſchvveren.* Ex quibus ſimul patet, cur ſaluo conductui, quem vocant, inſeri ſoleat clauſula: *iedoch daſs er ſich auch geleitlich verhalte.* En veram fidei illius publicae, vel ſalui conductus originem, cuius in foro hodie vſus eſt frequentiſſimus.

§. CCCL.

In poena commentarienſis reum dimittentis.

Eiuſdem originis eſt (26. poena talionis, quam commentarienſibus, reum dolo malo dimittentibus, irrogari iubet CAROLVS V. *conſtit. crim. art.* 180. *Daſs er dieſelbige peinliche ſtraffe an ſtatt des vbelthäters, den er auſgelaſſen, verwürcket habe.* Nam eadem reperias in IVRE PROV. SVEV. *cap.* 120. *Wer ſich der gefangnen leute vntervvindet, daſs er ihr hüten ſoll, vnd hüten vvill, vnd entrinnen ſie ihm, er ſoll ſie vvieder ſuchen, vnd ſahen, ob er mag, vnd mag er ihr nicht vvieder antvvorten, er ſoll allen den ſchaden, vnd alle die buſs leiden, die jener leiden ſolt, der ihm entrunnen iſt.* In eo tamen mitior eſt Nemeſis Carolina, quod eos tantum commentarienſes, qui ſcientes, dolo malo, captiuos dimiſerunt, hac poena plecti iubet, quum inter dolum et culpam vix diſtinguere videatur IVS SVEVICVM. * Quare hunc articulum ex *l.* 4. *C. de cuſtod. reor.* interpolatum eſſe a conſtitutionis criminalis auctoribus, non negauerim.

* Enim-

Digitized by Google

* Enimuero vti ius talionis, quantumuis aequiſſimum, vix tamen in ipſis obtinet rerum argumentis, quia difficillimum eſt, in irroganda poena ſeruare aequalitatem: Gell. *Noct. Attic. Lib. XX. cap.* 1. ita et hoc caſu, ſi commentarienſis dimiſerit reum, iuri talionis vix locus eſſe poteſt, niſi dimiſſus ſit reus iam damnatus. Antea enim vix conſtare poteſt, quam captiuus poenam meruiſſet. Immo quum et damnato reo integrum ſit, oblata noua defenſione, experiri fortunam, et vel abſolutionem, vel mitiorem ſaltim poenam ſperare: etiam lata ferali ſententia, adhuc incertum eſt, quam poenam daturus fuerit reus, qui ope ac conſilio commentarienſis aufugerit. Et hinc plerique iuriſprudentiae criminalis interpretes huius articuli conſtitutionis Carolinae vſum aliquem eſſe, plane negant, veluti Carpz. *quaeſt.* 111. *n.* 7. Clasen *ad d. art.* 180. Strvv. *Exerc. XXXXVIIII.* §. 14. et alii. Immo et ii, qui aliquem huius talionis vſum eſſe poſſe ſtatuunt, tot limitibus hanc theſin ſuam circumſcribunt, vt raro exiſtere poſſit caſus, quo huiuſmodi exemplum fieri poſſit. Vid. Stryk. *de carc. ad cuſtod. cap.* 5. *num.* 2. Kress. *ad conſt. crimin. d. art.* 180. §. 1. *not.* * 1.

§. CCCLI.

In defenſione reorum.

Quod ad defensionem attinet, non eſt dubium, quin ea omnia, quae olim reis proderant, et hodie iiſdem proſint. Quemadmodum enim (27. olim litis conteſtatione opus erat: ita eamdem et hodie exigunt leges criminales, et quidem (28. ita, vt vel ex accuſatoris libello, vel ex teſtium, qui, generali inquiſitione inſtituta, auditi ſunt, depoſitione certi articuli concipiantur, ad eoſque reſpondere cogatur reus, ita tamen vt (29. ei liceat exceptiones quaſcumque, quae ad eius defenſionem pertinere videantur, ſubnectere, Carpz. *Prax. crim. Part. III. quaeſt.* 106. *n.* 68. vel (30. ſed et eaſdem poſtea opponere, quin (31. et praemittere litis conteſtationi, vel, quod idem eſt, petere facultatem offerendi defenſionem pro auertenda inquiſitione, quippe quae viri honeſti pudorem laedere, famamque ſugillare cenſetur. Carpz. *qu.* 115. *n.* 24. Mev. *Part. VI. Deciſ.* 653.

§. CCCLII.

In abſentium proſcriptione.

Quamuis vero proſcriptio abſentium, ſeque non defendentium, multis locis exoleuerit, ea tamen (32. adhuc obtinet in Saxonia, in eaque (33. et hodie ea fere omnia obtinent, quae ſupra obſeruauimus. Nam (34. et hodie diſtinguunt inter crimina manifeſta et nec manifeſta, (*handhaffte vnd übernächtigen thaten*:) et hodie (35. iſta proſcriptio ſit praeuia ci-

 tatione,

tatione, et inſtituto iudicio publico, (*nach gehegtem peinlichen halsgerichte :*) et hodie (36. proſcriptio eſt vel inferior vel ſuperior, quamuis vtraque alicubi ſimul decernitur : ERNESTI PII *Duc. Sax. gerichts - vnd proceſſ - ordn. Part. III. cap.* 10. Et hodie (37. proſcripto licet ſeſe proſcriptione eximere. Quae omnia pluribus explicant iureconſulti Saxonici, et maxime CARPZ. et KEYSERVS, qui ſingulares libros *von inquiſitions - vnd achts - proceſſ* ſcripſerunt.

§. CCCLIII.

Eius quis hodie effectus?

Quamuis vero (38. ſententiae, quibus vel inferior, vel ſuperior proſcriptio decernitur, verbis duriſſimis concipi ſoleat : * non tamen (39. eius hodie is effectus eſt, vt proſcriptum vnuſquiſque occidere poſſit, ſed (40. vt proſcriptus pro confeſſo et conuicto habeatur, et (41. ſi ſuperior acceſſerit proſcriptio, infamia notetur, bonaque eius, ſi ſe proſcriptione non eximat, ſalua tamen vxori dote liberiſque legitima, a fiſco vindicentur, ac demum, (42. publicata in tribus territoriis proſcriptione, vnuſquiſque proſcriptum capere, et iudici exhibere poſſit. Vid. Fridrici Guilielmi et Erneſti, Ducum Sax. reſcripta ad ſcabinatum Ienenſem apud KEYSER. *vom Inquiſ. vnd achts - proceſſ. p.* 403. *ſequ.*

* Sententia proſcriptionis apud KEYSER. *ibid.* p. 363. his verbis concepta eſt nomine *der fürſtlichen landrichters : Solchem geſprochenen vrtheil nach will ich tragenden ambts vnd gerichts wegen den flüchtigen mordthaeter N. hiermit in die acht vnd verfeſtung erklären, alſo, daſs er aus dem frieden in den vnfrieden geſetzt, vnd ſein leben, als eines vogels in der lufft, iedermann in dieſen fürſtlichen amts - gerichten erlaubet ſey, daſs er den ohne alle ſtraffe entleiben, vnd vom leben zum tode bringen mag, welches männiglichen hiermit erlaubet ſeyn ſoll. Will auch allen des ambts Altenburg vnterthanen vnd männiglichen in dieſen gerichten aufferleget haben, ihn nicht etzen auch träncken, nicht behauſen oder beherbergen, noch vorſchub rath oder hülffe thun wollen; vnd die ſich ſolches vnterfangen, ſollen am leib vnd gut geſtrafft werden, darnach ſich ein ieder zu achten.* Apud EVMDEM p. 394. occurrit ſententia, qua ſuperior proſcriptio hac formula decernitur : *Daſs ankläger angeklagten wegen ſeines vngehorſamen auſſenbleibens biſs auf die oberacht erſtanden vnd erlanget, derowegen über die vorige zu recht erkante vnd ergangene achts - erklärung, darinnen angeklagter aus dem frieden in vnfrieden geſetzt, auch männiglich mit ihm gemeinſchafft zu haben verbothen, vnd ſein leib binnen ſelbigen gerichten iedermann erlaubet worden, angeklagtens ehre, leib vnd guth, als anrüchig, recht vnd friedlos verurtheilet, vnd iedermann an*

allem

Digitized by Google

allen orten wieder ihn peinlich zu klagen verſtattet vnd nachgelaſſen, vnd angeklagter alſo, vnd auff dieſe maſſe in die oberacht würcklich erklaret, ſolche ober-achts-erklärung auch darauff durch öffentlichen anſchlag zu S. H. vnd S. an welchen orten angeklagter zuuor durch öffentliche edicta citiret vnd geladen worden, iedermann notificiret, kund vnd zu wiſſen gethan wird. V. R. W.

§. CCCLIIII.

In conuictione reorum.

Quamuis porro, quod ad rei CONVICTIONEM attinet, tantum non omnia, quae olim obſeruata eſſe in iudiciis publicis diximus, ab vſu receſſerint, et loco purgationum vulgarium per ſingulare certamen, ferrum candens, aquam feruentem vel frigidam, aliarumque eius generis, dirae quaeſtiones inuectae ſint, denique nec ſeptem amplius teſtibus ad conuincendum reum opus ſit: manſit tamen (43. id veteris moris veſtigium, vt ſi teſtium depoſitionibus conuinci reus non potuerit, neque indicia diris quaeſtionibus decernendis ſufficiant, ei iusiurandum purgatorium deferatur, ſollemniter, et adhibitis aliquando eccleſiae miniſtris, praeſtandum. *

* Id quoque iusiurandum alii ex iure ciuili deriuant, alii ex iure canonico. Illud probant ex *l. 31. D. de iureiur. l. 3. et l. 12. C. eod.* hoc ex *tit. X. de purg. canon.* Sed quemadmodum ex nullo eorum locorum, quos ex iure ciuili adferunt, probari poteſt, in perſequutionibus criminum vſum aliquem fuiſſe iuriſiurandi purgatorii, nec vnquam Romanos reorum conſcientiae rem commiſiſſe legimus: ita iam ſupra demonſtratum eſt, multo ante, quam Germani iuris vel Romani, vel canonici, notitiam aliquam habere coeperunt, apud eos locum fuiſſe iuriiurando purgatorio, ſi facinus nec manifeſtum, reus vero integrae eſſet famae atque exiſtimationis. Quid opus vero eſt, vt rem, iam antiquiſſimis temporibus domi receptiſſimam, et in foris noſtris quotidianam, ex iure peregrino arceſſere velis?

§. CCCLV.

Et iureiurando purgatorio.

Neque tamen negari poteſt, (44. aliqua, quae ius canonicum de iureiurando purgatorio praecipit, et in fora Germanica penetraſſe, veluti, (45. quod purgatorium non decernitur, vbi vel teſtibus conuinci poteſt reus, vel ii ſaltem ita depoſitionibus ſuis illum onerarunt, vt indicia ad diras quaeſtiones ſufficiant, dummodo crimen ſit tale, vt ſupplicium ſupremum, vel poenam acriorem corporis adflictiuam, mereatur.

Item (46. quod, qui ſe iureiurando purgauit, abſoluendus quidem ſit, ſed (47. ad expenſas nihilominus obligatus eſſe cenſeatur, quia is, contra quem militant indicia, cauſſam inquiſitioni dediſſe videatur. *c.* 8. *X. de purg. can.*

§. CCCLVI.

Denique in ſententia eiuſque exſequutione, quam praecedit iudicium publicum.

Supereſt, vt de SENTENTIA et POENAE exſequutione quaedam ſubiiciamus. Ad hanc vero vbi res redit, et quidem ad poenam capitalem, omnia more maiorum ſolent explicari. Hinc (48. non ſufficit, ſententiam reo intra praetorii parietes eſſe praelectam, ſed (49. citandus is eſt ad iudicium publicum ſollemne, *(vor das hochnothpeinliche halſgerichte :)* idque (50. die conſtituto ſollemniter auſpicatur iudex, adhibitis ſcabinis, et praemiſſa de eorum decreto ſanctione de ſecuritate publica, *(es vvird das hochnothpeinliche hals-gericht gehegent.)* Eo rite facto, (51. vel accuſator, vel carnifex, qui alicubi eius vice fungitur, reum praeſentem criminis vel cum clamore,* vel ſine eo, accuſat, (52. reus ad paucos articulos, qui factum complectuntur, denuo reſpondet, editaque iterum confeſſione, vel reo ex actis de confeſſione ſua conuicto, *(vvann er auff dieſer ſeiner bekäntniſs vor gehegtem peinlichen hals-gericht beharren, oder deſſen, vvie recht, überführet vvürde,)* audire iubetur ſententiam.

* Hanc citationem alicubi fieri vidi per adparitorem, in carcerem miſſum, pridie diei, quo exſequutio fieri debebat, et quidem formula: *Die herren laſſen dich N. hiermit citiren vnd vorladen, morgen, zu rechter früher tages zeit, vor dem hochnothpeinlichen halſs-gerichte zu erſcheinen, dein vrtheil anzuhören, vnd deſſen vollziehung zu erwarten.* At alicubi realem citationem ſufficere exiſtimant. Nam, adpetente die et hora, reus de ſupplicio praemonitus, et ad mortem oppetendam praeparatus a miniſtris eccleſiae, his comitatus in iudicium publicum ducitur, ibique, iam antea damnatus, iterum ſollemniter condemnatur.

§. CCCLVII.

Et rei condemnatio.

Quamuis vero (53. iam antea dicta publicataque ſit ſententia, a collegio quodam iuridico concepta: vidi tamen, ſcabinos

Digitized by Google

ſcabinos a iudice in ſuffragia mitti, verbis: *So ſtehet auff, vnd beredet euch eines vrtheils.* Paullo poſt, (54. locum ſuum iterum occupantibus ſcabinis, iudex reum adloquitur: *kniee nieder, befiehl deine ſeele GOTT, vnd hôre dein vrtheil.* Quod tamen alicubi omittitur, vbi ſufficere creditur publicatio ſententiae, a collegio iuridico conceptae, ſtanti reo facta. Demum (55. ipſa publicata ſententia, iudex confringit baculum, et (56. reum tradit carnifici vinciendum, et ad locum ſupplicii trahendum.

§. CCCLVIII.

Antequam porro iudicium diſſoluatur, (57. carnifex petere ſolet ſaluum conductum, quem vocant, ſi forte male functus ſit officio, eumque impetrat facile. Hinc porro (58. adparitor iudicis iuſſu exclamat: *Hat iemand mehr vor dieſem hochnothpeinlichen halſs-gericht zu klagen, der mag es thun, ſonſt vvollen die herren das gericht auffgeben.* (59. Eo ter repetito, et nemine accedente ad tribunal, ex vltimo ſcabino quaerit, *ob das hochnothpeinliche halſs-gerichte auffzugeben?* reſponſumque fert: *Herr richter, dievveil niemand mehr vorhanden iſt, der auff dieſſmahl zu klagen bedacht, ſo môget ihr das hochnoth-peinliche halſs-gericht auffgeben.* Denique (60. iudex ait: *So gebe ich dieſes hochnoth-peinliche halſs-gericht auff, im nahmen des Vaters, vnd des Sohnes, vnd des heiligen Geiſtes, amen.* Carpz. *vom Inquiſ. und achts-proceſſ. tit.* 10. *art.* 3. *p.* 176. *ſequ.* Iudicii diſſolutio.

§. CCCLVIIII.

Sunt et alia, quae ex moribus Germanicis ſuperſunt in huiuſmodi iudiciis, veluti (61. quod illud plerumque ſub dio haberi ſolet, menſa et ſcamnis in medio foro, vel ad ſtatuam Rolandinam poſitis, locoque hominibus armatis circumdato: (62. quod alicubi ſignum dari ſolet campanae pulſu, id quod vocant *das gericht belâuten.* (63. Quod iudex vna cum ſcabinis reum ſequi ſolent ad locum ſupplicii, vt coram videant, omnia Alii ritus miſcellanei.

omnia ex praeſcripto ſententiae fieri. (64. Quod carnifex ex iudice quaerit, an bene functus ſit officio? reſponſumque fert a iudice, ita eum egiſſe, vti agere ſententia iuſſerit. (65. Quod iudex de ſepeliendo cadauere, vel eodem medicis ad anatomen concedendo, ſtatuit, quamuis poſterius fieri non poſſit regulariter ſine praeſcitu principis. Tam verum eſt, pleraque, quae in his iudiciis hodie obſeruantur, ex antiquis Germanorum moribus, tamquam fractas e naufragio tabulas, ſupereſſe.

F I N I S.

INDEX

Digitized by Google

INDEX I.

CAPITVM.

Prooemivm de natura et conſtitutione iuris Germanici. pag. 1.

LIB. I.

DE IVRE PERSONARVM.

Tit. I. De prima hominum diuiſione, et ſpeciatim de ſeruilis conditionis hominibus. p. 9.
Tit. II. de ſtatu libertinorum, ſeu ruſticorum non adſcriptitiorum. p. 21.
Tit. III. de ſtatu ingenuorum, ſeu equeſtris nobilitatis in Germania. p. 27.
Tit. IIII. de ſtatu nobilium, ſeu principum dominorumque iuribus. p. 38.
Tit. V. de iure municipum, qui medio aeuo burgenſes. p. 44.
Tit. VI. de altera hominum diuiſione, et ſpeciatim, de parentum poteſtate in liberos. p. 59.
Tit. VII. quibus modis ius illud poteſtatis adquiritur. p. 66.
Tit. VIII. quibus modis parentum poteſtas iure Germanico ſoluitur. p. 75.
Tit. VIIII. de ſponſalibus. p. 81.
Tit. X. de ritu nuptiarum. p. 92.
Tit. XI. de iure dotium, dotalitii, morgengabae, ſimiliumque lucrorum nuptialium. p. 112.
Tit. XII. de poteſtate ac tutela maritali. p. 128.
Tit. XIII. de matrimonio ad morganaticam. p. 146.
Tit. XIIII. de diuortiis et repudiis. p. 156.
Tit. XV. de perſonis, quae ſub tutela viuunt, et quotuplex Germanis tutela? p. 163.
Tit. XVI. de officio et adminiſtratione tutorum, modiſque, quibus tutela iure Germanico finitur. p. 184.
Tit. XVII. de tertia hominum diuiſione in eos, qui integrae exiſtimationis, et qui infames ſunt. p. 193.

Tit. XVIII. de quarta hominum diuiſione, et ſtatu peregrinorum: pag. 208.

LIB. II.

DE IVRE RERVM.

Tit. I. De variis rerum ſecundum ius Germanicum diuiſionibus. pag. 216.
Tit. II. de dominio eiuſque diuerſis generibus. 232
Tit. III. de modis adquirendi dominium naturalibus. 241
Tit. IIII. de modis adquirendi iuris ciuilis, ſpeciatim de vſucapionibus, vel praeſcriptionibus, et inueſtituris. 264
Tit. V. de ſeruitutibus. 277
Tit. VI. de iure hereditario, et ſpeciatim de pactis ſucceſſoriis. 282
Tit. VII. de teſtamentis, et vltimis voluntatibus. 296
Tit. VIII. de exheredatione, ſubſtitutionibus, aliiſque teſtamentorum acceſſoriis. 308
Tit. VIIII. de ſucceſſionibus ab inteſtato, vel legitimis. 314
Tit. X. de adquirenda vel omittenda hereditate. 346
Tit. XI. de iure pignoris. 355
Tit. XII. de obligationibus, et primo quidem, de pactis vel conuentionibus generatim. 360
Tit. XIII. de conuentionibus, vel pactis beneficis. 371
Tit. XIIII. de conuentionibus onerofis, certam praeſtationem continentibus. 388
Tit. XV. de conuentionibus onerofis, aleam continentibus. 398
Tit. XVI. de conuentionibus acceſſoriis. 409
Tit. XVII. quibus modis obligationes ſoluuntur. 423

Digitized by Google

* * * * * * * * *

LIB. II.

DE IVRE RERVM

PARS II.

DE DELICTIS ET CRIMINIBVS.

TIT. XVIII. De deliſtis et criminibus generatim. pag. 527
TIT. XVIIII. de furtis. 552
TIT. XX. de rapinis. 560
TIT. XXI. de damno iniuria dato. 569
TIT. XXII. de iniuriis. 579
TIT. XXIII. De crimine maieſtatis. 590
TIT. XXIIII. de adulterio, ſtupro, aliiſque criminibus; quae apud Romanos ex lege Iulia de adulteriis vindicabantur. 505
TIT. XXV. de vi publica et priuata. 535
TIT. XXVI. de ſicariis, veneficis, incendiariis, 554
TIT. XXVII. de parricidio, et aliis homicidiis atrocioribus. 580
TIT. XXVIII. de variis falſi criminibus. 591
TIT. XXVIIII. de reliquis criminibus, quae Germanorum leges vindicant. 599
TIT. XXX. de variis delictorum poenis. 618

* * * * * * * * * *

LIB. III.

DE RE IVDICIARIA ET IVRE ACTIONVM.

Tit. I. De iuriſdictione et iudiciis Germanorum. pag. 633
Tit. II. de actore, reo, aduocatis, procuratoribus. 679
Tit. III. de in ius vocatione, feriis et dilationibus. 697
Tit. IIII. de actionibus, eorumque editionibus in iudiciis. 714
Tit. V. de exceptionibus et litis conteſtatione. 727
Tit. VI. de probationibus et purgationibus. 739
Tit. VII. de ſententiis et re iudicata. 787
Tit. VIII. de appellatione, aliiſque ſententiam impugnandi modis. 769
Tit. VIIII. de iudiciis criminalibus. 810

INDEX

* * * * * * * * * *

INDEX II.

AVCTORVM.

ABBATIS Vrſpergenſis *Chronicon.*
Acta iudicialia varia.
Adami Bremenſis *Hiſtoria eccleſiaſtica.*
Adreualdus Floriacenſis *de miraculis S. Benedicti.*
Adelboldi *Vita Henrici II.*
Adlrzeiter (Io. de) *Annales Boici.*
Agathias *de rebus geſtis Iuſtiniani.*
Agobardi *Opera.*
Aimonius *de geſtis Francorum.*
Alberici *Chronicon.*
Alberti Argentinenſis *Chronicon* apud *Vrſtiſium.*
Alberti Stadenſis *Chronicon.*
Albini (Io.) *Chronicon Miſnicum.*
Alciati (Andr.) *Opera.*
Alfredi *Vita Ludgeri* apud *Leibnitium.*
Ambroſii *Opera.*
Ammiani Marcellini *Hiſtoriae.*
Andegauenſes formulae apud *Mabillonium.*
Andler (Franciſc. Frider. ab) *Iuriſprudentia qua publica, qua priuata.*
Anglebermaei (Pyrrhi) *Conſuetudines Aurelianenſes.*
Annales Bertiniani.
- *Colmarienſes* apud *Vrſtiſium.*
- *Francici* apud *Pithoeum.*
- *Fuldenſes* apud *Freherum.*
- *Hildeſienſes* apud *Leibnitium.*
- *Lambeciani.*
- *Metenſes.*
- *Moiſſiacenſes.*
- *Pithoeani.*
Annales Reuberiani.
Antonii (Gothofredi) *Diſputationes feudales.*
Antonius (M. Aurel.) Εἰς ἑαυτόν.
Appiani *Opera.*
Argentraei (Bertrandi) *Commentarius ad conſuetudines ducatus Britannici.*
Ariſtotelis *Opera.*
Arnkielii (Trogilii) *Alte Cimbriſche heydenthümer.*
Arnobius *aduerſus gentes.*
Arnoldi Lubecenſis *Chronicon Slauorum.*
Arumaei (Dominici) *Deciſiones.*
Attaliatae (Mich.) *Synopſis Baſilicorum.*
Auctor *de geſtis Dagoberti regis.*
- *Operis imperfecti in Matthaeum.*
- *Vitae Ludouici.*
- *Vitae Pipini* apud *Du Cheſne.*
- *des richt-ſteiges.*
Audoëni *Vita S. Eligii.*
Auentini (Io.) *Annales Boici.*
Auguſtinus *de doctrina Chriſtiana.*
- eiuſd. *Epiſtolae.*
Aurea Bulla Caroli IIII.
Autumni (Bernardi) *Cenſura Gallica in ius ciuile Romanorum.*
Azeuedo (Alfonſi de) *Commentarius ad regias conſtitutiones Hiſpanicas.*

B.

BAldi *Opera.*
Balthaſar (Io. Franciſc.) *de operis ſubditorum.*
- eiuſd. *Reſolutiones iuris ciuilis et Bauarici.*
Baluzii (Stephani) *Capitularia regum Francorum.*
- *Comment. ad Reginonem.*

Bangerti (Henrici) *Adnotationes ad* Helmoldi *Chronicon Slauorum.*
Baronii *Annales eccleſiaſtici.*
Barthius (Chriſtian.) *in* Raphaelis Seileri *Cammer-gerichts - vrtheile vnd beſcheide.*
Bartholinus (Thom.) *de cauſſis contemtae a Danis mortis.*
Barulo (Andr. de) *ad Leges Langobardorum.*
Bayeriſche maleſiz-ordnung.
Bechmanni (Io. Volckm.) *in Pandectas.*
Beckii (Caſp. Achat.) *Diſſertatio de fractione baculi in exſequutione ſententiae.*
Beieri (Adriani) *Opuſcula varia de iure opificum.*
Beka (Io. de) *Chronicon epiſcoporum Vltraiectenſium et comitum Hollandiae.*
Bergeri (Io. Henr.) *Diſſertatio de diſcrimine bonorum vxoris.*
- eiuſd. *Electa diſceptationum forenſium.*
- *Electa iuris prudentiae criminalis.*
- eiuſd. *Oeconomia iuris.*
Berlichii (Matthiae) *Concluſiones practicabiles.*
- *Deciſiones aureae.*
Bernardi *Epiſtolae.*
Berneggerus (Matthias) *ad Tacitum.*
Bertachini (Io.) *Repertorium iuris.*
Bertholdi Conſtantienſis *Chronicon.*
Beſoldus [Chriſtophorus] *de ſucceſſione, quae fit regni iure et electione regia.*
- eiuſd. *Theſaurus practicus.*
Betſius [Nicol.] *de conſuetudinibus illuſtrium familiarum.*
Beuſt [Ioachimus a] *de iure connubiorum et dotium.*
Beyeri [Georgii] *Delineationes iuris ciuilis.*
- *Diſſertationes variae.*
- *Specimen iuris Germanici.*
Bignonius [Hieron.] *ad Marculphi formulas.*
Bitſchii [Caſparis] *Commentarius in Vſus feudorum.*
Blondelli [Dauidis] *Genealogiae Franciae plenior aſſertio.*
Blumblacherus [Chriſtoph.] *über die peinliche hals-gerichts-ordnung Caroli V.*
Bocharti [Sam.] *Geographia ſacra.*
Bodinus [Ioannes] *de republica.*
Boecleri [Io. Henric.] *Notitia ſacri Romani Imperii.*
Boehmeri (Iuſt. Hennig.) *Diſſertationes variae.*
- *Ius eccleſiaſticum proteſtantium.*
Boerii (Nicol.) *Deciſiones Burdigalenſes.*
- *Gloſſae ad leges Langobardorum.*
Bonifacii *Epiſtolae.*
Bornii [Io. Iac.] *Diſſertationes.*
Bothonis [Conradi] *Chronicon picturatum* apud *Leibnitium.*
Bretti [Caroli] *Ordo perantiquus iudiciorum ciuilium.*
Briſſonius [Barnabas] *de formulis et ſollemnibus populi Romani verbis.*
- *de regno Perſarum.*
- *de ritu nuptiarum.*
- *de verborum, quae ad ius pertinent, ſignificatione.*
Brouvveri [Chriſtoph.] *Antiquitates Fuldenſes.*
- *Annales Treuirenſes.*
- (Henr.) *de iure connubiorum.*
Brummerus (Fridericus) *de ſcabinis.*
Brunnemanni (Ioann.) *Commentarius ad Digeſta.*
- *Ius eccleſiaſticum.*
- *Proceſſus ciuilis.*
- *Proceſſus inquiſitorius.*
Brunonis *Hiſtoria belli Saxonici* apud *Freherum.*
Brunquelli [Io. Salom.] *Diſſertatio de pictura famoſa.*
Buchanani [Ge.] *Hiſtoria rerum Scoticarum.*
Bullarium Caſſinenſe.
Burcardi Wormatienſis *Liber decretorum.*
Burgundi [Nicolai] *Conſuetudines Flandriae.*
Burken *Tropaea Brabantina.*

Byn-

Digitized by Google

Bynkershoek (Cornel. van) *Obſeruationes iuris Romani.*
- *Opuſcula.*

C.

CAeſaris [C. Iul.] *Opera.*
Calixti [Frider. Vlric.] *quaeſtionis, quid de eorum, qui ſine baptiſmo e viuis excedunt, ſalute ſtatuendum, ſolutio.*
Calmet *Hiſtoire de Lorraine.*
Cambdeni [Guilielmi] *Britannia.*
Caniſii [Henrici] *Lectiones antiquae.*
Capitulatio Caroli Calui.
- Caroli M. *de partibus Saxoniae.*
Capitulationes imperatorum.
Capitulum Ingelheimenſe.
Carionis [Io.] *Chronicon.*
Carpzouii [Bened.] *Definitiones.*
- *Inquiſitions-vnd achts-proceſs.*
- *Practica criminalis.*
- *Reſponſa.*
Caſaubonus [Iſaacus] *ad Athenaeum.*
Caſſinenſe Bullarium.
Caſſiodori (M. Aurel.) *Variae.*
Caue [Guil.] *Erſtes chriſtenthum.*
Cellarii [Chriſtophori] *Notitia orbis antiqui.*
Cellotius [Ludou.] *de hierarchia et hierarchis.*
Chanutii *Appendix ad Paponii corpus iur. Franc.*
Chaſſanaei [Barthol.] *Conſuetudines Burgundicae.*
Cheſne [Andr. du] *Scriptores rerum Francicarum.*
Chifletii (Io. Iac.) *de ampulla Remenſi.*
- *Anaſtaſis Childerici.*
Childeberti *Decretio.*
Choppini [Renati] *de legibus Andium municipalibus.*
- *de moribus Pariſiorum ciuilibus.*
Chriſtii *Hiſtoria legis Scatiniae.*
Chriſtinaei [Paulli] *Deciſiones curiae Belgicae.*
Chronicon Bigauienſe.
- *Brunſuicenſe rithmicum.*
Chronicon Caſſinenſe.
- *Conradi, abbatis Vrſpergenſis.*
- *Epiſcoporum Martisburgenſium*, apud *Ludewigium.*
- *Fontanellenſe.*
- *Gottwicenſe, prodromus.*
- *Gozecenſe.*
- *magnum Belgicum* apud *Piſtorium.*
- *Mindenſe* apud *Meibomium.*
- *Moiſſiacenſe.*
- *Montis Sereni.*
- *Reichersbergenſe.*
- *Wormatienſe* apud *Ludewigium.*
Chronographus Saxo apud *Leibnitium.*
Chryſoſtomi [Ioann.] *Homiliae.*
Chryſoſtomi [Dionis] *Orationes.*
Ciceronis *Opera.*
Claſenii [Dan.] *Commentarius ad conſtitutiones criminales.*
Claudiani *Poemata.*
Cluuerii [Philippi] *Germania antiqua.*
Cocceii [Henr. de] *Diſſertationes variae.*
- [Sam. de] *Ius ciuile controuerſum.*
Codex epiſtolarum Carolinus.
- *Theodoſianus.*
Cointe [Caroli le] *Annales eccleſiaſtici Francorum.*
Coleri *Deciſiones.*
- *de Proceſſu exſecutiuo.*
Columella *de re ruſtica.*
Concilia.
Conradi, abbatis Vrſpergenſis, *Chronicon.*
Conringii [Hermanni] *Opera.*
Conſilia Argentoratenſis collegii.
Conſtitutio criminalis Bambergenſis.
- - Caroli V.
- *de expeditione Romana* edit. *Gebaueri.*
- *tutelaris Pruſſica.*
Conſtitutiones Saxonicae.
- *Siculae* apud *Lindenbrogium.*
Conſuetudines Antuerpienſes.
- *Machlinenſes*
Conſultationes iuris Saxon.
Contracti [Hermanni] *Chronicon.*

Coraſſi

Coraſii [Ioannis] *Miſcellanea.*
Corte [Hier. della] *Hiſtoria Veronenſis.*
Cortius [Gottlieb] *ad Salluſtium.*
Coſta [Ian. a] *Commentarius ad Decretales.*
Cothmanni [Erneſti] *Reſponſa iuris.*
Cowelli [Ioannis] *Inſtitutiones iuris Anglicani.*
Cragii [Thomae] *Ius feudale Anglicanum.*
Cramerus [Io. Ge.] *de natura et indole delictorum et poenarum in cauſſis ſtatuum imperii Rom. Germ.*
Cranius [Henric. Andr.] *de pace religionis.*
Crantzii [Alberti] *Metropolis Saxonica.*
Cranzius *de S. R. I. comitum auſtregis.*
Cruſii [Mart.] *Annales Sueuiae.*
Cruſius [Chriſtoph.] *de indiciis delictorum.*
Cuiacii [Iacobi] *Opera.*
Cuſpiniani [Ioannis] *Deſcriptio Auſtriae.*
Cypraeus [Io. Paull.] *de iure connubiorum.*

D.

D'Achery *Spicilegium eccleſiaſticum.*
Danckelmanni [Carol. Ludou.] *Diſſertatio de pactis et mandatis principis captiui.*
Daniel [P.] *Hiſtoire de France.*
Daſſel [Hardevvic. a] *Conſuetudines Luneburgenſes.*
Dattius [Io. Philipp.] *de pace publica.*
Dauthius [Io.] *de teſtamentis.*
Diaconi [Petri] *Chronicon Caſſinenſe.*
Diecmanni *Gloſſarium Rabani Mauri.*
Diodori Siculi *Bibliotheca hiſtorica.*
Dionis Caſſii *Hiſtoriae.*
Dionyſii Halicarnaſſenſis *Antiqu. Rom.*
Dietherri [Chriſt. Ludou.] *Continuatio theſauri Beſoldiani.*
Dithmarus [Iuſt. Chriſtoph.] *ad Tacitum.*
- eiuſd. *Codex diplomaticus ad Teſcheumacheri Annales Cliuenſes.*
Dithmarus Merſeburgenſis apud *Leibnitium.*
Documenta Wurtenbergica.
Dominicy [Anton. de] *Diſquiſitio de praerogatiua allodiorum.*
Dondorſii [Chriſtoph.] diſſertatio de ſacco ſine ſutura.
Du Cheſne *Scriptores rerum Francicarum.*
Du Pin *de antiqua eccleſiae diſciplina.*

E.

ECcardi [Io. Ge.] *Commentarius ad leges Francorum Salicam et Ripuariorum.*
- *Hiſtoria genealogiae Saxonicae.*
- *Origines Habsburgenſes.*
- *Stemma Deſiderii.*
Eckehardus *de caſibus S. Galli.*
Edicta varia Brandenburgica.
- *Piſtenſe* Caroli Calui.
Eginhardus *de vita et geſtis Caroli M.*
- eiuſd. *Epiſtolae.*
- *Fragmentum* apud *Adamum Bremenſem.*
Ehrenbach [Nicol. Mylerus ab] *Gamologia.*
Emmius [Vbbo] *de Friſia et Friſiorum republica.*
Engelbrechti (Georgii] *Diſſertationes ad Digeſta.*
- eiuſd. *de indiciis metallicis.*
Ennius [Q.]
Eraſmus Roterodamus *de inſtitutione principis chriſtiani.*
Erneſti Pii, ducis Sax. *Gerichts-und Proceſs-Ordnung.*
Esbach [Gotwini ab] *Notae et obſeruationes ad Carpzouii Definitiones forenſes.*
Euerhardi [Nic.] a Middelburg *Conſilia ſeu reſponſa iuris.*
Eugippii *Vita S. Seuerini.*
Euodius *de miraculis S. Stephani.*
Euripidis *Tragoediae.*
Euſtathius *in Homerum.*

Digitized by Google

F.

FAbri (Ant.) *Codex , ſeu deciſiones Pedemontanae.*
- - *Rationalia in Pandectas.*
- - *Staats-Canzley.*
- (Felicis) *Hiſtoria Sueuorum.*
- (Io.) *Commentarius ad Inſtitutiones.*
Fachinaei (Andr.) *Controuerſiae iuris.*
Fachſii (Ludou.) *Differentiae iuris ciuilis et Saxonici.*
Falckenſtein (Io. Henr. de) *Codex diplomaticus antiquitatum Nordgauienſium.*
Feltmannus (Gerh.) *de iure in re et ad rem.*
- *de titulis honorum.*
Felibieni *Probatio hiſtoriae abbatiae S. Dionyſii.*
Feſtus *de verborum ſignificatione.*
Feythii (Eu.) *Antiquitates Homericae.*
Fichardi (Io.) *Conſilia.*
Fileſac. (Io.) *Selecta.*
Finckelthaus (Sigiſm.) *de iure patronatus.*
- *Obſeruationes practicae.*
Flacii (Matthiae) *Catalogus teſtium veritatis.*
Flandriae Chronicon.
Fleta.
Flodoardi *Hiſtoria Remenſis.*
Florus.
Fontanini (Iuſt.) *Vindiciae antiquorum diplomatum.*
Formulae Alamannicae ſeu Goldaſtinae.
- *Alſaticae.*
- *Andegauenſes.*
- *Baluzianae.*
- *Bignonianae.*
- *Lindenbrogianae.*
- *Sirmondicae.*
Fornerii (Guilielmi) *Selectiones.*
Fortunati (Venantii) *Carmina.*
- *Vita S. Martini.*
Frantzkius (Ge.) *de laudemio.*
Fredegarii *Chronicon.*
- eiuſd. *de geſtis Francorum.*
Freheri (Marquardi) *Commentariolus de Lupoduno , antiquiſſimo Alemanniae oppido.*
Freheri (Marq.) *de legitima tutela curaque electorali.* ——
- - *de ſecretis iudiciis in Weſtphalia.*
- *Origines Palatinae.*
- *Scriptores rerum Francicarum.*
- *Scriptores rerum Germanicarum.*
Freſne (Carol. du) *Adnotationes ad Ioinuillam.*
- *Gloſſarium mediae et infimae Latinitatis.*
Friderus (Mindanus) *de mandatis.*
Fritſchius (Ahaſu.) *ad l. vn. C. de palat. et domib. domin.*
- *Continuatio theſauri Beſoldiani.*
- *Continuatio theſauri Speideliani.*
- *Diſſ. de conuenatione.*
- *Diſſ. de regali nundinarum iure.*
Fuchſii (Io.) *Introductio ad praxin forenſem.*
Fulgentius Ruſpenſis *de fide ad Petrum* ſub nomine *Auguſtini.*

G.

GAertneri *Diſſertatio de bonorum dotalium et paraphernalium differentia.*
Gailius (Andr.) *de pignorationibus.*
- *Obſeruationes.*
Galberti *Vita Caroli , comitis Flandriae.*
Gallonius (Anton.) *de SS. martyrum cruciatibus.*
Garſias (Io.) *de adquaeſtu coniugali.*
Gellii (Auli) *Noctes Atticae.*
Gemiticenſis (Guil.) *de ducum Normannorum geſtis.*
Gendre (Louis le) *Hiſtoire de France.*
Germonii (Bartholomaei) *Diſceptationes de veterum regum Francorum diplomatibus.*
Gerardi Stederburgenſis *Chronicon* apud *Leibnitium.*
Gerhardi (Ephraimi) *Diſſertatio de exſequutione in effigie.*
- - - *de ſeruitutibus in faciendo conſiſtentibus.*
Geſta Francorum epitomata.

Gewoldi (Chriſt.) *Epiſtola ad Freherum monitoria.*
- *Replicatio ad reſponſoriam Freheri.*
- *Septemuiratus S. R. imperii.*
Giphanii (Huberti) *Commentarius ad Inſtitutiones.*
Gileberti (Henrici) *Deuteronomium harmonicum.*
- *Iuſtinianus harmonicus.*
- *Periculum ſtatutorum harmonico-practicum.*
Gloſſarium Monſeenſe a Pezio editum.
Gobelini Perſonae *Coſmodromium.*
Godelmannus [Ge.] *de lamiis et magis.*
Godofredi [Monachi S. Pantal.] *Chronicon* apud Freher.
Goedderi [Io.] in *Conſiliis Marburgenſibus.*
Goris [Lambert.] *ad conſuetudines Velauiae.*
- *Aduerſaria iuris.*
Goldaſtus [Melchior] *ad Doſitheum.*
- *ad Ratpertum de caſibus S. Galli.*
- *Collectio conſuetudinum et legum imperialium.*
- *Reichs-Saltzungen und Handlungen.*
- *Scriptores rerum Alamannicarum.*
- *Scriptores rerum Sueuicarum.*
Goldbeck [Andr.] *de Gerada.*
Gomezii [Ant.] *Variae reſolutiones.*
Gonzalez Tellez *Commentarius in Decretales.*
Gothofredus [Dionyſ.] *ad corpus iuris ciuilis.*
- [Iac.] *de monetae aureae mutatione.*
- *Commentarius ad Codicem Theodoſianum.*
Gregorii [Petri Tholoſani] *Syntagma iuris ciuilis.*
Gregorii Turonenſis *Opera varia.*
Griebneri [Mich. Henr.] *Diſſertatio de repetitione tormentorum confeſſo inficiante.*
Groenevvegen [Sim.] *de legibus in Hollandia abrogatis.*
Grotius [Hugo] *de antiquitate reipublicae Batauicae.*
- *de iure belli et pacis.*
- *Introductio in ius Belgicum.*
- *Prolegomena ad hiſtoriam Gothicam.*
Gruteri [Iani] *Theſaurus inſcriptionum.*
Gryphiander [Io.] *de inſulis.*
- *de weichbildis Saxonicis.*
Gualdi *Vita S. Anſcharii* apud *Lambec.*
Gudelini [Petri] *Commentarius de iure nouiſſimo.*
Guiberti *Vita Leonis* Papae IX.
Guichenon *Bibliotheca Sebuſiana.*
- *Hiſtoria genealogiae Sabaudicae.*
Guilielmus (Malmesburienſis) *de geſtis regum Anglorum.*
- (Neubrigienſis) *de rebus Anglicis.*
Guilielmi (Britonis) *Philippidos libri.*
Guillimanni (Franciſci) *Habsburgica.*
Gundlingii (Nic. Hier.) *Commentatio de feudis vexilli.*
- *Exercitationes academicae.*
- *Henricus Auceps.*
- *Prosa Pandectarum.*

H.

HAchenbergius (Paullus) *de mediae aetatis Germania.*
Hahnii (Henr.) *Diſſertatio de legationibus.*
- *Obſeruationes in Weſenbecium ad Pandectas.*
Harmenopuli (Conſtant.) *Procheiron iuris ciuilis.*
Harprechti (Io.) *Commentarius ad Inſtitutiones.*
Harprechti (Ferd. Chriſtoph.) *Conſilia et conſultationes.*
- *Diſſertatio de iure mortuarii.*
- (Ioannis) *Specimen analog. iuris quoad ſtatum libertatis.*
Hartknochii (Chriſtoph.) *Altes und neues Preuſſen.*
Hartmanni (Chriſt.) Annales *Heremi.*
Heda (Guilielm.) *de epiſcopis Vltraiectinis.*

Hetieri

Heeſeri (Io.) *Loci communes de bonorum communione, et inprimis adquaeſtu coniugali.*
Heideri (Dan.) *Hiſtoriſcher bericht von des heiligen Römiſchen reichs voigteyen.*
Heigii (Petri) *Quaeſtiones.*
Heimreichs (Ant.) *Nordfrieſiſche chronic.*
Heineccii (Io. Gottl.) *Commentarius ad legem Iuliam et Papiam Poppaeam.*
- *Diſſertationes variae.*
- *Hiſtoria iuris ciuilis Romano-Germanici priuati.*
Heineccii (Io. Mich.) *Antiquitates Goslarienſes.*
- - - - - - - *de ſigillis veterum Germanorum.*
Heinſius (Daniel) *ad Horatium.*
Helgaldi Floriacenſis *Vita Roberti regis.*
Helmoldi *Chronicon Slauorum.*
Henelius (Nic.) *de communione bonorum inter coniuges.*
- *de iure dotalitii.*
Henrici Rebdorfienſis *Annales.*
Hepidanus *de vita S. Wiboradae virginis et martyris Chriſti.*
Herbaii (Thom.) *Res quotidianae.*
Hering (Io.) *de fideiuſſoribus.*
Hermannus Contractus *Chronicon.*
Herodiani *Hiſtoriae.*
Herodoti *Hiſtoriae.*
Heroldi (Baſil. Io.) *Opus antiquum legum Germaniae.*
Hertii (Io. Nic.) *Elementa politices.*
- *Opuſcula varia.*
Herueldenſis monachi *Chronicon.*
Hieronymi *Opera.*
Hincmari *Opera.*
Hiſtoria Landgrauiatus Thuringiae.
Hiſtoriae Auguſtae ſcriptores.
Hoffmanni (Chriſt. Godofred.) *Adnotationes ad Conſtitutionem Ioachimi I.*
- *Diſſertationes variae.*
- *Scriptores rerum Luſaticarum.*
Hoffmanni (Godofr. Aug.) *Tractatus de gerada.*
- - (Io. Guilielm.) *Commentarius ad legem Iuliam de adulteriis coercendis.*
Hoffmanni (Godofr. Aug.) *Diſſertatio de modo iudicium priuatum exercendi apud Germanos.*
Homeri *Opera.*
Hontheim (I. N. ab) *Diſſertatio de iurisdictione et imperio.*
Hoppii (Ioach.) *Commentarius ad Inſtitutiones.*
Horatii *Poemata.*
Hornii (Caſp. Henr.) *Diſſertatio de die triceſimo.*
- *Iuriſprudentia feudalis.*
- *Iuris publici prudentia.*
Hoſpinianus (Rodolphus) *de templis.*
Hotomanni (Franciſci) *Opera.*
Hroſvvithae *Panegyricus de geſtis Ottonum.*
Huberi (Vlrici) *Diſſertatio de conflictu legum diuerſarum* [in *Praelectionibus ad Digeſta.*]
- *Praelectiones iuris ciuilis ad Inſtit. et Pandectas.*
- (Zachar.) *Caſus enucleati.*
Hundii (Wig.) *Auszug hiſtoriſcher obſeruationem.*
- *Metropolis Salisburgenſis.*
Huſanus (Frider.) *de hominibus propriis.*
Huthii (Phil. Ludou.) *Diſſertatio de his, qui notantur infamia.*

I.

Idacii *Chronographia a primo rege Aſſyriorum Nino vſque ad annum ſecundum Anthemii.*
Imberti (Io.) *Enchiridion du Droit en France.*
Indiculus ſuperſtitionum paganicarum.
Inſtrumentum pacis Weſtphalicae.
Ioannis Sariſberienſis *Policraticus.*
Ioberti *Notitia rei nummariae.*
Ioecheri *Diſſertatio de ritu vindiciarum.*
Iornandes *de Getarum ſiue Gothorum origine et rebus geſtis.*
Irenici (Franciſci) *Collegium in diſcurſus Burgoldenſes.*
Iſaaci, epiſc. Lign. *canon.*
Iſaei *Orationes Gr. Lat.*

Iſidori Hiſpalenſis *Chronicon de Gothis, Vandalis et Sueuis.*
- *Origines.*

Iſocratis *Opera.*
Itterus (Io. Chriſt.) *de feudis imperii.*
Iulii Pollucis *Onomaſticon.*
Iuonis Carnotenſis *Epiſtolae.*
Iuretus *ad Iuonem Carnotenſem.*
Ius Anhaltinum.
- *Auſtriacum* apud *Ludevvigium.*
- *Badenſe.*
- *Bauaricum.*
- *Bremenſe equeſtre.*
- *Brunſuicenſe* cet. apud *Leibnitium.*
- *Butiadingicum.*
- *Culmenſe.*
- *Danicum.*
- *Duhmarſicum.*
- *Goslarienſe.*
- *Hamburgenſe.*
- *Hanſeaticum nauticum.*
- *Hennebergicum.*
- *Iuliacenſe.*
- *Langobardum feudale.*
- *Lubecenſe.*
- *Luſaticum.*
- *Magdeburgicum.*
- *Oſtfriſicum.*
- *Palatinum.*
- *Pruſſicum.*
- *Saxonicum.*
- *Sleſuicenſe.*
- *Suecicum.*
- *Sueuicum.*
- *Tyrolenſe.*
- *Weichbild.*
- *Wurtenberg.*

Iuſtini *Hiſtoriae.*
Iuuenalis *Satirae.*

K.

Kellerus (Ad.) *de officiis iuridico-politicis.*
Ketleri (Engelberti) *Deciſiones Oſtfriſiae.*
Kettneri *Diplomata Quedlinburgenſia.*
Keyſeri *Anvveiſung zum hülfs-proceſs.*
Keyſeri *Anvveiſung zum inquiſitions - und achts-proceſs.*
Keyſleri *Antiquitates ſeptentrionales.*
Khrayſeri (Sebaſt.) *Inſtitutiones iuris Romano-Bauarici.*
Kiliani *Gloſſae.*
Knichen (Andr.) *de territorii iure.*
Knipſchild (Philipp.) *de fideicommiſſis familiarum nobilium.*
- - - *Iura territorialia ciuitatum liberarum imperialium.*

Knorrii (Car. Gottl.) *Diſſertatio de nobilitate adoptiua.*
Koehleri (Io. Dau.) *Diſſertatio de ducibus Meraniae.*
Koenigii [Chiliani] *Practica vnd Proceſs der gerichts-läufte.*
Koeppenii [Io.] *Deciſiones iuris.*
Kohl [Andr.] *de pactis dotalibus et ſucceſſione coniugum cum declaratione conſtitutionis Marchiae ſub tit. Erbfälle zvviſchen eheleuten, von kinder geld und erbe geld.*
Koppius [Io. Ad.] *de iure pignerandi conuentionali.*
Kreſſii [Io. Paulli] *Commentarius ad conſtitutionem criminalem Caroli V.*
- *Deſcriptio des Iorckiſchen noth-rechtes.*
- *Diſſertationes variae.*

Kulpiſii [Io. Ge.] *Collegium Grotianum.*
- *de legationibus ſtatuum imperii.*
- *Diſſertatio de adoptionibus et emancipationibus principum.*

Kyriandri [Guilielmi] *Annales Auguſtae Treuirorum.*

L.

Lambecii [Petri] *Commentarii de bibliotheca Caeſarea Vindobonenſi.*
- *Origines Hamburgenſes.*

Lamberti Ardenſis *Hiſtoria comitum Ardenſium.*
Lamberti Schafnaburgenſis *Chronicon.*
Landgerichts - Ordnung des herzogthums Francken.
- - - - *des erz - herzogthums Oeſterreich.*

Landi [Conſtantini] *Enarrationes in Ius ciuile.*

Lan-

Langenbeck [Herm.] *Anmerckungen vber das Hamburgiſche ſchiff-vnd ſeerecht.*
Lapide [Hip. a] *de ratione ſtatus.*
Lauterbachii [Wolffg. Ad.] *Diſſertationes.*
- *collegium theoretico-practicum.*
Leges Canuti.
- *Normannicae* apud *Ludevvigium.*
- *Obſtalbomicae.*
- *Oſtrogothicae.*
Lehmanni [Chriſtoph.] *Speyeriſche chronic.*
Leibnitii [Godofr. Guil.] *Acceſſiones hiſtorica.*
- *Codex iuris gentium diplomaticus.*
- *Scriptores rerum Brunſuicenſium.*
Leonis Oſtienſis *Chronicon Caſſinenſe.*
Leonis *Nouellae.*
Lerch. [Caſp. a] *de ordine equeſtri Germanico-Caeſareo-bellico-politico.*
Leuberi [Beniam.] *Magdeburgiſcher Stapel-vnfug.*
Leukfeldii [Io. Georgii] *Antiquitates Gandersheimenſes,*
- - - *Ilefeldenſes.*
- - - *Poldenſes.*
Leunclauii [Io.] *Ius Graeco-Romanum.*
Lex Wiſigothica apud Lindenbrog.
Leyſeri [Auguſtini] *Meditationes in pandectas.*
Libanii *Opera.*
Limnaei [Io.) *Ius publicum.*
Linckii [Henr.] *Commentarius in Decretales.*
- *Diſſertatio de bonis confiſcatis.*
- *Diſſert. de matrimonio, lege Salica contracto.*
Lindenbrogii [Erpoldi] *Scriptores rerum Germanicarum ſeptentrionalium.*
- - *Priuilegia Hamburgenſia.*
- [Friderici] *Codex legum Alamannicarum.*
- Eiusd. *Notae ad Ammianum Marcellinum.*
Lipſius (Iuſtus) *de militia Romanorum.*
Liuii *Hiſt. Romana.*
Loccenii [Io.] *Antiquitates-Sueo-Gothicae.*
- *Ius maritimum et nauale.*
- *Sueciae regni leges prouinciales.*
- *Synopſis iuris publici et priuati ad leges Suecanas adcommodata.*
Lucani *Pharſalia.*
Luciani *Opera.*
Ludevvig (Io. Petr. de) *Commentarius ad A. B.*
- *Differentiae iuris ciuilis et Germanici.*
- *Diſſertationes variae.*
- *Ius clientelare.*
- *Muntzvveſen mittlerer zeiten.*
- *Opuſcula Miſcella.*
- *Reliquiae MSCtorum.*
Ludolph. (Ge. Melch. de) *de iure feminarum illuſtrium.*
Ludouici (Iac. Frider.) *Commentarius ad conſtitutionem criminalem Caroli V.*
- *Diſſertationes variae.*
- *Doctrina Pandectarum.*
- *Proceſſe.*
Luitprandi *Chronicon.*

Lunigius (Io. Chriſt.) *de nobilitate mediata.*
- eiuſd. *Reichs-Archiv.*

M.

MAbillonii (Io.) *Annales SS. Benedict.*
- *Analecta.*
- *de re diplomatica.*
- *Acta SS. ord. Benedicti.*
Macrobii *Opera.*
Maderi (Ioach. Io.) *Diſſertatio de duello.*
Magerus (Mart.) a Schoenberg *de aduocatia armata ſeu clientelari patronorum iure et poteſtate clientumque officio et obligatione.*
Magni (Ioannis) *Hiſtoria Gothorum Sueorumque.*
- (Olai) *Hiſtoria gentium ſeptentrionalium.*
Maioris (Io. Dan.) *Cimbria.*
Maius (Burcardus) *de rebus Badenſibus.*
Mallincrot (Bernardus) *de archicancellariis et cancellariis S. R. I.*
Malmesburienſis (Guilielmi) *Chronicon.*
Mamertini *Panegyricus.*
Manzii (Caſparis) *Deciſiones Bauaro-Palatinae.*

Marii Avenic *Chronicon.* apud *du Cheſne.*
Marca [Petrus de] *de concordia ſacerdotii et imperii.*
Marculfi *Formulae* apud *Baluzium* et *Lindenbrogium.*
Marquardus [Io.] *de iure mercaturae.*
Marsmanni [Ge.] *Tractatus mathematico-iuridicus et metrologia et mitulologia.*
Martene *Theſaurus anecdotorum.*
Martialis Epigrammata.
Martini [Ludou. Gunth.] *Commentarius ad ordinationem proceſſus electoratus Saxonici.*
Mafcardus [Ioſ.] *de probationibus.*
Matthaei [Ant.] *ad chronicon Eymond.*
- *de criminibus.*
- *de nobilitate.*
- *de probationibus.*
Mauritii [Eric.] *Conſilia Chilonienſia.*
- *Diſſertatio de iudicio imperii aulico.*
- *Diſſertatio de iudicio Rotvvilenſi.*
Megiſeri [Hieron.] *Annales Carinthiae.*
Meibomii [Henric.] *Scriptores rerum Germanicarum.*
Meieri [Iuſti] *Collegium Argentoratenſe.*
Meinders [Herm. Adolph.] *de iurisdictione coloniaria praedior. et*
- *de ſtatu religionis et reipublicae in Weſtphalia ſub Carolo M.*
Menagii [Aeg.) *Amoenitates iuris ciuilis.*
Menckenii [Luderi] *Theoria et praxis Pandectarum.*
Meneſtrier [Claud.] *Abregé méthodique.*
Mengeringii [Arn.] *ſcrutin. conſcient.*
Menochius [Iac.] *de praeſumtionibus et coniecturis.*
Merillii [Em.] *Obſeruationes iuris.*
Meuii [Dan.] *Bedencken vom zuſtand vnd abforderung der bauer-leute.*
- *Commentarius ad ius Lubecenſe.*
- *Deciſiones.*
Middelburg [Nicol. Eberh. a] *Conſilia ſeu reſponſa iuris.*
Mindanus [Petr. Frideri.] *de proceſſibus, mandatis et monitoriis in imperiali camera*, cet.
Michouia [Matthaeus a] *de Sarmatia Aſiana et Europaea.*
Miraei (Auberti] *Diplomata Belgica.*
- *Donationes piae.*
- *Donationes Belgicae.*
- *Notitia eccleſiae Belgicae.*
- *Chronicum Belgicum.*
Molanus [Io.] *de canonicis.*
Molina [Ludou.] *de iuſtitia et iure.*
- - - *de maioratibus.*
Molinaei [Caroli] *Conſuetudines Pariſienſes.*
Molleri [Dan.] *Commentarius ad conſtitutiones Saxonicas electorales.*
- *Semeſtria.*
- [Io.] *Iſagoge ad hiſtoriam Cherſoneſi Cimbr.*
Monachus Brauvvillerianus.
- *Herueldenſis.*
- *Paduanus.*
Monimenta Paderbornenſia.
- *Wurtembergica.*
Monſeenſe gloſſarium apud *Pezium.*
Montanus [Paull.] *de tutelis et curis.*
Morhoffii [Dan. Ge.] *Vnterricht von der teutſchen Sprache.*
Mulleri [Frider.] *Practica Marchica.*
Mulleri [Io. Ioach.] *Reichs-Tags-Theatrum.*
Mulleri [Io. Sebaſt.] *des Chur-vnd Fürſtlichen Sächſiſchen Hauſes Sachſen annales.*
- [Petri] *Diſſertatio de dono nuptiali.*
- - *de molendinis bannariis.*
- - *de odio ſecundarum nuptiarum.*
- - *de annulo pronubio.*
Munſteri [Sebaſt.] *Coſmographia.*
Muratorii [Ludou. Anton.] *Antiquitates Eſtenſes.*
- *Scriptores rerum Italicarum.*
Mureti (Marc. Anton.) *Variae lectiones.*
Muſculi [Barthol.) *de ſucceſſione conuentionali et anomala.*
Myleri (Nic.) ab Ehrenbach *Archontologia.*
- *Gamologia.*
- *Hyparchologia.*
- *de principibus et ſtatibus imperii.*
Mylii (Guſt. Henr.) *Additiones ad Beyeri poſitiones criminales.*

Myſin-

Digitized by Google

Mynſingeri (Ioach.) *Deciſiones.*
- *Obſeruationes camerales.*

N.

NAngiaco (Guilielmi de) *Continuator.*
Naucleri (Io.) *Chronicon.*
Neoſtadius (Cornelius) *de feudis Hollandiae.*
- eiusd. *Obſeruationes rerum iudicatarum.*
Nicolai Damaſceni excerpta *in Peireſcianis.*
Nigellius (Ermoldus) *de rebus geſtis Ludouici Pii* apud *Muratorium.*
Nithardus *de diſſenſionibus filiorum Ludouici Pii* apud *Pithoeum.*
Noldenius (Ioſias) *de ſtatu nobilium ciuili, eorumque iuribus, priuilegiis, immunitatibus.*
Nonius *de proprietate ſermonis.*
Noodtii (Gerardi) Opera.
Noppii (Ioannis) *Achner chronica.*
Northof (Leuoldi a) *Chronicon comitum de Marcka* apud *Meibomium.*
Noriſii (Henrici) *Cenotaphia Piſana.*
Notheri *Pſalmi* apud *Schilterum.*
Nouellae Leonis.

O.

OBrechti (Vlr.) *Prodromus rerum Alſaticarum.*
- (Georgii) *Diſſertatio de iuriſdictione.*
- (Vlrici) *de legibus agrariis.*
- (Vlrici) *de ſacris termini.*
Obſeruationes Halenſes.
Ockel (Io. Andr.) *de palatio regio.*
- *de praeſcriptione immemoriali.*
Oettinger (Io.) *de iure limitum.*
Olearii *Halygraphia.*
Oliua (Pelicanus de) *de foro eccleſiaſtico.*
Olterſohn *Gloſſae iuris Danici.*
Optatus Mileuitanus.
Ordinatio adſecurationis Amſtelodamenſis.
- *adſecurationis Antu. Philippi II.*
Ordinatio iudicii cameralis.
- *politica Auguſtana.*
- *politica Gothana.*
- *politica Magdeburgenſis.*
- *politica Mecklenburgenſis.*
- *prouincialis Anhaltina.*
- *prouincialis Brunſuicenſis.*
Oſiander *de iure aſyli.*
Otfridi *Euangelia* apud *Schilterum.*
Othlonis *Vita S. Bonifacii.*
Otto (Euer.) *de tutela feminarum.*
- *Iuriſprudentia ſymbolica.*
- (Iac.) *Vorſtellung von der Leib-Eigenſchafft.*
Otto de S. Blaſio apud *Vrſtiſium.*
Otto Friſingenſis apud *Vrſtiſium.*
Ouidii *Opera.*

P.

PAllauicini (Sfortiae) *Hiſtoria concilii Tridentini.*
Panciroli (Guid.) *Variae lectiones.*
Pantoia ab Ayala *de aleatoribus.*
Papebrochii (Nicol.) *Propylaeum Actor. S.*
Paponii (Io.) *Corpus iuris Francici.*
Paſchaſii (Diaconi Rom.) *de ſpiritu ſancto.*
Paulli (Io.) *Schimpf vnd Ernſt.*
Paulli (Iulii) *Sententiae receptae.*
Paullini (Chriſt. Franc.) *de aduocatis monaſteriorum.*
- *Iſenacenſes annales.*
Paulli Warnefridi *Hiſtoria Langobardorum.*
- *Hiſtoria epiſcoporum Metenſium.*
Pax profana.
Peckii (Petri) *Opera.*
Perardi *Burgundica.*
Perez (Ant.] *Praelectiones in Codicem.*
Perizonii (Iac.) *Animaduerſiones hiſtoricae.*
Perizonii (Iac.) *Triga Diſſertationum.*
Perſonae (Gob.) *Coſmodromium.*
Petruchii (Iuſtini) *Chronicon Portenſe.*
Pfeffingeri (Io. Friderici) *Vitriarius illuſtratus.*
Philippi [Io.] *Conſiderationes iuridicae in nouam ordinationem proceſſus Saxonici.*

Phocylidis

Phocylidis *Carmen nutheticum.*
Piccardi [Io.] *Antiquitates Celticae.*
Piccarti [Mich.] *Commentarius ad Ariſtotelis politica.*
Pindari *Opera.*
Piſtorii [Guil. Frider.] *Lebens-beſchreibung Goez von Berlichingen.*
- *Von befehdungen.*
- [Io.] *Scriptores rerum Germanicarum.*
Piſtoris [Modeſtini] *conſilia.*
Pithoei [Petri] *Aduerſaria.*
- *Gloſſarium ad capitularia.*
- *Memoires des Comtes de Champagne et Brie*, apud *Freherum in origin. Palat.*
- *Scriptores rerum Francicarum.*
Platonis *Opera.*
Plauti *Comoediae.*
Plinii *Hiſtoria naturalis.*
Plutarchi *Opera.*
Poeta Saxo apud *Leibnitium.*
Polac (Fridr.] *Syſtema iuriſprudentiae Germanicae priuatae.*
Polyaeni *Strategemata.*
Pomponius Mela *de ſitu orbis.*
Pontani (Io. Iſaaci) *Res Geldricae.*
Potgiterus [Ioach.] *de ſtatu et conditione ſeruorum.*
Pré [Claudii du] *Origines Francicae.*
Pregizeri [Vlr.] *Teutſcher regierungs vnd ehren ſpiegel.*
Priſciani *Grammatices libri.*
Procopius *de bello Gothico.*
- - - - - *Perſico.*
Pruckmanni [Frid.] *Conſilia.*
Puſendorfius [Sam.] *de iure naturae et gentium.*

R.

RAbani Mauri *Gloſſae.*
Radeuicus *de geſtis Friderici I.*
Radulphi [Glabri] *Hiſtoria.*
Rangonis [Mart.] *Diplomata Pomeraniae.*
Ratpertus *de diuerſis caſibus monaſterii S. Galli in Alemannia.*
Rauchbar [Andr.] Quaeſtiones.
Rebhahnii *Decas ſelectarum quaeſtionum.*
Rebuffi [Petri] *Commentarius in conſtitutiones regias.*
Receſſus deputationis Spirenſis.
- *imperii.*
Reformatio Francofurtana.
- *Nurnbergenſis.*
Reginonis *Annales.*
- *de diſciplina eccleſiaſtica.*
Reginonis Prumienſis *Chronicon.*
- *Continuator.*
Reineſii *Corpus inſcriptionum.*
Reinhardi *Differentiae iuris ciuilis et Saxonici.*
Remberti *Vita Anſcharii.*
Rettenbergii *Chronicon Cremiſanum.*
Reuii [Iac.] *Dauentria illuſtrata.*
Rheden [Caſp. a] *de ſucceſſione coniugum ſecundum ſtatuta Bremenſia.*
Rhenani [Beati] *Commentarii de rebus Germanicis.*
Richteri [Chriſt. Philipp.] *Conſilia.*
- *Deciſiones.*
- *Diſſertatio de priuilegiis creditorum.*
- *de ſucceſſione ab inteſtato.*
Richſteig vber das Saechſiſche land-recht.
Rickius [Iac.] *de vnione prolium.*
Ritterſhuſii [Conr.] *Partitiones feudales.*
- [Ge.] *de iure aſylorum.*
Riuinus *ad ordinationem proceſſus Saxon.*
Roberti [Annaei] *Libri rerum iudicatarum in ſenatu Pariſienſi.*
Rodenburg [Chriſt.] *de iure coniugum.*
Roeſner *de libris mercatorum.*
Rolewinckus [Wernherus] *de antiquis ſcriptoribus.*
Roo [Gerardi a] *Annales rerum belli domique ab Auſtriacis Habsburgicae gentis principibus a Rudolpho I. vſque ad Carolum V. geſtarum.*
Ruſvvithae *Carmina.*
Ruinartus.
Rulandus [Rutg.] *de commiſſionibus.*
- - *de commiſſariis.*

Sagittarii

S.

SAgittarii [Caſp.] *Antiquitates archiepiſcopatus Magdeburgenſis.*
- - *ducatus.*
- *Thuringici.*
- - *gentiliſmi et chriſtianiſmi Thuringici.*
- *de cruciatibus martyrum.*

Sainſon [Io.] *Conſuetudines Turonenſes.*
Salluſtius.
Salmuthii [Henrici] *Reſponſum pro matrimonio principis.*
Saluianus *de gubernatione Dei.*
Sande [Frid. a] *de effeſtucatione.*
- *de feudis Geldriae.*
- [Ioannis] *Deciſiones.*

Sangallenſis.
Santerna [Petrus] *de aſſecurationibus et ſponſionibus.*
Sarpii [Pauli] *Hiſtoria concilii Tridentini.*
- *de iure aſylorum.*

Scaligeri [Ioſeph. Iuſt.] *Theſaurus temporum.*
Schannat [Io. Fridr.] *Hiſtoria epiſcopatus Wormatienſis.*
Schanutus.
Schatenii [Nicol.] *Annales Paderbornenſes.*
- *Hiſtoria Weſtphaliae.*

Scheplitzii [Ioach.] *Conſuetudines Marchicae.*
Schickfuſii [Iacobi] *Annales continuati gentis Sileſiae.*
Schilteri [Io.] *Commentarius ad ius Feudale Alemannicum.*
- *de curiis dominicalibus.*
- *de iure obſidum.*
- *de S. R. I. comitum praerogativis.*
- *Gloſſarium Teutonicum.*
- *Inſtitutiones iuris publici Romano-Germanici.*

Schmauſii [Io. Iac.] *Corpus iuris publici academicum.*
Schmiedtius [Io. Andr.] *de Helmſtadio per Frattenradam etc.*
Schminckii *Diſſertatio de vrnis ſepulcralibus et vrnis lapideis veterum Cattorum.*
Schneideri *Chronicon Lipſienſe.*
Schneidevvin [Io.] *Commentarius ad Inſtitutiones.*
Schoepfer [Ioach.] *de iure braxandi.*
Schottelius [Iuſt. Ge.] *Von unterſchiedenen rechten in Deutſchland.*
Schreuelii *Harlemum.*
Schroeter [Ern. Frider.] *de dotalitio.*
Schultingii [Ant.] *Diſſertatio de tranſactione teſtamenti tabulis non inſpectis.*
- *Iuriſprudentia vetus ante-Iuſtinianea.*

Schultzii [Ge.] *Synopſis Inſtitutionum.*
- - *iuris feudalis.*

Schurfii [Hier.] *Conſilia.*
Schurzfleiſchii (Conr. Sam.] *Diſſertationes.*
Schvvederi (Gabrielis) *Diſſertationes.*
Schvvendendoerfer [Barth. Leon.] *ad proceſſum Fibigii.*
Scoti [Mariani] *Chronicon.*
Scriptores hiſtoriae auguſtae.
Seckendorff (Viti Ludouici a) *Hiſtoria Lutheraniſmi.*
Seidenſtickeri (Antonii) *Diſſertatio de furto ferarum.*
Seldeni (Io.) *Ius naturae et gentium ſecundum diſciplinam Hebraeorum.*
- *Mare clauſum.*
- *Notae ad Eadmer.*
- *Succeſſio ex legibus Hebraeorum.*
- *Vxor Hebraea.*

Senckenbergii (Henr. Chriſtian.) *Selecta iuris et hiſtoriarum.*
Senecae *Opera.*
Seruii *Scholia ad Virgilium.*
Sextus Empiricus.
Sibrandi (Io.) *Lubecae et Hanſeaticarum vrbium iura publica.*
Siccamae (Sib. Tetard.) *Antiquae Friſiorum leges* edit. *Gaertneri.*
Sidonius Apollinaris.
Sigebertus Gemblacenſis apud *Piſtorium.*
Simeonis (Ier.) *Chronicon lien.*
Sirmondus *ad Goffred. Vindoc.*
- *ad Sidonium Apollinarem.*

Sirmondi *Epiſtolae.*
Smetii *Antiquitates Neomagenſes.*
Smith. (Thom.) *de republica Anglorum.*
Sommeri (Io.) *Diſſertatio de repraeſentatione.*
Spangenbergii *Hennebergiſche chronic.*
Speelmanni (Henrici) *Gloſſarium archaiologicum.*
Speneri [Iac. Carol.] *Diſſertatio de uſufructu coniugalium.*
- *Notitia Germaniae antiquae.*
Springsfeldus [Ge. Henr.] *de apanagio.*
Stamminius [Herm.] *de Seruitute perſonali.*
Statuta Antuerpenſia.
- *Argentoratenſia.*
- *Bremenſia.*
- *Brunſuicenſia.*
- *Colonienſia.*
- *Hamburgenſia.*
- *Luneburgenſia.*
- *Mindenſia.*
- *Rigenſia.*
- *Silvaeducenſia.*
- *Stadenſia.*
- *Suſatenſia in MSC.*
- *Vianenſia.*
Steinmeyer *de iure proprietatis.*
Stephani [Stephani Ioannis] *Sylloge tractatuum de Dania et Norwegia, ducatibuſque Cimbricis, hiſtorico - Chorographicorum.*
Steuernagelii (Nic. Goth.) *Memorabilia ſtatutorum Lubecenſium et Hamburgenſium.*
Stiernhoeck (Io. Ol.) *de iure Sueonum et Gothorum vetuſto.*
Strabonis *Libri rerum geographicarum.*
Strabus (Walafridus) *de officiis eccleſ.*
- *de vita S. Galli, confeſſoris.*
Stracha [Beneu.] *de aſſecurationibus et ſponſionibus.*
Strauchii [Io.] *Amoenitates iuris canonici.*
- *Diſſertatio de oppignorationibus imperialibus.*
- - *Diſſertationes exotericae iuris publici.*
Struuii [Burc. Goth.] *Diſſertatio de allodiis imperii.*
- - - - - - - *de torneamentis.*
- *Hiſtoria iuris.*
- *Syntagma hiſtoriae Germanicae.*
- - - *iuris publici.*
Struuius [Ge. Ad.] *de vindicta priuata.*
- - *Syntagma iuris ciuilis.*
Stryckii [Sam.] *Adnotationes in compendium Lauterbachianum.*
- *Cautelae contractuum.*
- *de ſucceſſione ab inteſtato.*
- *Vſus hodiernus Pandectarum.*
Stumpfii [Io.] *Hiſtoria Heluetiorum.*
Sturleſonii *Hiſtoria Noruegica.*
Stypmannus [Franc.] *de iure maritimo et nautico.*
Sueſeri *Theatrum.*
Surii *Vitae ſanctorum.*
Sutorius (Imman.) *de non euocando et non appellando.*
Syluii (Aen.) *Hiſtoria rerum Friderici III.*
Syneſii *Epiſtolae.*

T.

TAboris [Io. Otton.] *Opera.*
- *Theſaurus locorum communium iuriſprudentiae ex axiomatibus Aug. Barboſae et analectis.*
Tabularium S. Ioannis.
Taciti *Opera.*
Tarnouius [Petr.] *de feudis Meklenburgicis.*
- *de miniſtris eccleſiae.*
Taſſilonis *Decretio.*
Tatiani *Harmonia euangelica.*
Tenzelii [Guil. Ern.] *Bibliotheca curioſa.*
- *Supplementum hiſtoriae Gothanae.*
Tertulliani *Opera.*
Teſchenmacheri [Wernheri] *Annales Cliuenſes.*
Textoris (Io. Wolfg.) *Diſſertatio de clauſula fidei equeſtris.*
- - *de gentilitiis pactis procerum.*

Thegani

Thegani *Vita Ludouici Pii*, apud *Pithoeum.*
Theodor. *Hermopol.*
Theodorici [Petri] *Collegium criminale.*
- regis Oſtrogothorum, *Edictum.*
Theodoſianus codex.
Thomas Cantipratanus.
Thomaſii (Chriſt.) *Annotationes ad Inſt. et Pandectas.*
Thomaſii [Chriſt.] *Diſſertationes variae.*
- *Iuriſtiſche haendel.*
- *Selecta feudalia.*
Thomaſſinus [Ludou.] *de veteri et noua eccleſiae diſciplina.*
Thuani [Iac. Auguſt.] *Hiſtoria ſui temporis.*
Thucydides.
Thulemarius [Henric. Gunther.] *de octouiratu.*
Tiraquelli [Andr.] *Opera.*
Titii [Gottl. Gerh.] *Diſſertationes variae.*
- *Obſeruationes in Lauterbachium.*
- *Teutſches lehen-recht.*
Tocci [Caroli] ſeu de Tocco, Siculi, *Gloſſae in leges Langobardorum.*
Tolneri [Caroli Ludov.] *Hiſtoria Palatina cum Codice diplomatico.*
Traditiones Friſingenſes.
- *Fuldenſes* apud *Piſtorium.*
- *Werthinenſes.*
Trithemii [Io.] *Chronicon coenobii Spanheimenſis, dioeceſeos Moguntinae.*
- - *Hirſaugienſe.*
Tullenſis epiſcopatus hiſtoria apud Calmet.

V.

VAdianus *de collegiis et monaſteriis.*
Vagedes [Henric.] *Pentas quaeſtionum hiſtoricarum.*
Valerii Flacci *Argonauticon.*
- Maximi *Exempla.*
Valeſii [Henrici] *Annotationes ad Ammianum Marcellinum.*
Valeſii *Scriptores rerum Francicarum.*
Varro *de re ruſtica.*
Vegetius *de re militari.*
Velleii Paterculi *Hiſtoriae.*
Venantii Fortunati *Carmina.*
- *Vita S. Martini.*
Veracii [Iuſti] *Conſuetudines Bambergenſes.*
Vergilii [Polyd.) *Hiſtoriae Anglicae.*
Vetus notitia ex tabulario Vindocinenſi.
Vſſenbach [Io. Chriſt.] *de iudicio Caeſareo imperiali-aulico.*
Vghellus [Ferdinandus.]
Victor [S. Aurelius.]
Victor Tunonenſis.
Vieth (Anton.) *Beſchreibung des landes Ditmarſen.*
Vineis [Petri de] *Epiſtolae.*
Vinnii [Arn.] *Annotationes ad Peckium de re nautica.*
- *Commentarius ad Inſtitutiones.*
Vita S. Berlendis.
- *S. Gertrud.*
- *Gottfried von Berlichingen.*
- *Henrici IIII.* apud *Reuberum.*
- *S. Lebuini.*
- *Mathildis* apud *Leibnitium.*
Vitalis [Ord.]
Vlphilae *Euangelia.*
Vlpiani *Fragmenta* apud *Schultingium.*
Vocabularium iuris Saxonici.
Voet (Io.) *Commentarius ad Pandectas.*
Voet [Paull.] *Commentarius ad Inſtitutiones.*
Vogt [Io. Mart.] *de iure coniugum in bona.*
Voſſii [Iſ.] *Adnotationes ad Pomponium Melam.*
Vredius [Oliverius] *de ſigillis comitum Flandriae.*
Vrsbergenſis abbatis *Chronicon.*
Vrſtiſii [Chriſtian.] *Scriptores rerum Germanicarum.*
Vulſonii *Théatre d'honneur.*
Vulteii (Herm.) *Conſilia Marburgenſia.*

W.

WAgenſeil (Io. Chriſtoph.) *de ciuitate Norimbergenſi.*
Walafridus Strabo.
Walburger *de lamiis.*
Walteri *Conſuetudines Auſtriacae.*
Warnefridus [Paullus] vid. *Paullus.*
Weckii [Ant.] *Beſchreibung von Dreſden.*
Wenckeri [Iac.] *Collectanea iuris publici de phalburgeris et vsburgeris.*
Wendelini [Gothofredi] *Gloſſarium.*
- *Leges Salicae.*
Werlhoffii [Io.] *Diſſertatio de polizza.*
Werneri [Io. Ge.] *Diſſertatio de pactis dotalibus. huth bey ſchleyer, vnd ſchleyer bey huth.*
Weſel [Abrah. a] *de connubiali bonorum ſocietate et pactis dotalibus.*
Weſenbeccii [Matt.] *Conſilia.*
- *Paratitla.*
Wilduogelii [Chriſt.] *Diſſertatio de iure embaſciatico.*
Willenbergii [Sam. Frid.] *Diſſertatio de iure perſonarum ducatus Oppolienſis et Ratiborienſis.*
Willerami *Verſio cantici canticorum.*
Willibaldi *Vita S. Bonifacii.*
Wipponis *Vita Conradi* apud *Piſtorium.*
Wiquefort *de l'ambaſſadeur.*
Wiſigothica lex.
Witichindi Corbeienſis *Annales Saxonici.*
Wormii [Olai] *Faſti Danici.*
Wurſſbein [Hier. Io.] *Diſſertatio de differentiis iuris ciuilis et reformationis Noricae.*

Z.

ZAchiae [Paulli] *Quaeſtiones medicolegales.*
Zahnii [Balthaſ. Conr.] *Ichnographia municipalis.*
Zaſii [Vdalrici] *Opera.*
Ziegleri [Caſp.] *Adnotationes ad Lancelloti Inſtitutiones iuris canonici.*
- - *ad proceſſum electoratus Saxonici.*
- *De epiſcopis.*
- *De iuribus maieſtaticis.*
- *Diſſertatio de praediis cenſiticis ruralibus.*
Zobelii [Chriſt.] *Differentiae iuris ciuilis et Saxonici.*
Zollmann *de promiſſionibus generoſa fide munitis.*
Zylleſii [Nicolai] *Defenſio S. Maximini.*
Zypaei [Franc.] *Notitia iuris Belgici.*

* * * * * * * * * *

INDEX III.
RERVM ET VERBORVM.

Prior numerus librum; ſignum crucis † alteram II. libri partem; poſterior paragraphum; ſignum * ſcholion ſignificat.

A.

ABDICATIO liberorum olim parentibus permiſſa. II. 203.
Abigeatus poena apud veteres. II. † 360. hodierna. II. † 362.
Abortus procurati poena apud Baiuuarios. II. † 296. apud Alamannos. II. † 297. ſecundum conſtitutionem criminalem. II. † 305.
Abſens an potuerit accuſari. II. 326.
Abſtinendi beneficium in Germ. a repudiatione non differt. II. 309.
Abzug qualis cenſus. I. 61.
Academicae iuriſdictionis origo. III. 72.
Acceſſionis ius apud Germ. quale? II. 62. ſequ. quale hodie? II. 92. ſequ.
Accolabi genus ſeruorum. I. 38. *
Accuſare quis potuerit? III. 310.
Accuſatio cum clamore facta. II. † 28. III. 313. et 316. 346.
calumnioſa quomodo punita? III. 31. III. 341. III. 343.
quotuplex? III. 312.
priuatorum cur hodie rarior in Germ. III. 348.
in eius locum cur ſucceſſerit inquiſitio? III. 348.
Accuſator niſi fideiuſſores daret, in carcere habitabat. III. 320. gladio euaginato inſtructus accuſabat, II. † 24.
Accuſatorius proceſſus olim ordinarius, III. 309. qualis hodie? III. 345.
Acht vnd Bann. vid infra proſcriptio.
Acta transmiſſa ad dicaſteria. III. 283. transmittendi beneficium. III. 284.
Actiones legis an habuerint Germani? I. 374. *
Actiones in certas claſſes redegit auctor des richtſteiges. III. 134. non edebantur, niſi impetrata venia. III. 154. ſequ. editae certa formula. III. 154. 156. 157. 159. earum diuiſio prima. III. 135. ſecunda. III. 136. tertia. III. 137. quarta. III. 138. quinta. III. 139. ſexta. III. 140. et 141. ſeptima. III. 142.
Actiones ciuiles quotuplices? III. 136.
Actiones criminales quotuplices? III. 141. falſo mixtae. III. 143.
de feudis quotuplices? III. 139.
ob iactum. III. 85.
iniuriarum aeſtimatoria an hodie vbique in vſu? II. † 116.
mixtae quae? III. 142.
ad palinodiam, deprecationem, vel declarationem honoris vnde? II. † 115. eius natura et indoles. II. † 117. ſequ.
reales quotuplices? III. 138. vbi inſtitutae? III. 88.
Actores qui eſſe potuerint. III. 74. 85. ſequebantur rei forum. III. 75. 87. 95. an et eius ius? III. 77.
Actuarii iudiciorum. III. 71.

Addictio poenae genus apud Germanos. II. † 154. * 375.
Adeliche ehre vnd wort, formula promittendi. II. 456. *
Adfatomiae ritus. II. 151. * vnde dicta? II. 152. *
Adfinitas pro cognatione. II. 263. *
Adframire pro adramire. III. 116. * eo vocabulo et Saxones et Franci vſi. III. 116. *
Adiectiuus quis dictus? III. 110.
Aditio hereditatis quomodo et quando fieri debuerit? II. 295. qualis hodie? II. 130.
Admallatio. vid. *mallatio* et *mallus*.
Admenationis poena ex lege Burgundica. II. † 365.
Adminiſtratio tutorum qualis? I. 386.
Admiralitäts gerichte quae iudicia? I. 120.
Adoptio non tribuit ius ingenuorum natalium. I. 84. Eam apud Germanos non reperiſſe videtur Tacitus. I. 151. an modus transferendi patriam poteſtatem? I. 152. 153. ad religionem magis pertinuit medio aeuo. I. 152. an ex iure Germ. I. 154. eius effectus. I. 160. hodie rarior, ſed non ſine exemplo. I. 160.
Adoptio per arma, I. 152. per barbam. I. 152. per baptiſmum. I. 152. per capillum. I. 152. per catechiſmum. I. 152. per comam. *ibid.* per confirmationem. *ibid.* per mantum, *ib.* per mitram. *ib.* per poenitentiam. *ib.* per teſtamentum. *ibid.*
Adparitor homines in ius vocat. III. 119. aliquando inſalutato iudice. III. 127.
Adpellatio an tempore Taciti? III. 288. eius neceſſitas. III. 287. qualis apud Burgundiones. III. 290. apud Francos. III. 291. Langobardos. III. 297. Saxones et Sueuos. III. 298. ſequ. Wiſigothos. III. 289.
Adpellatio ad vrbes, vnde ius adſumtum. III. 54. ad miſſos dominicos. III. 291. ad comites palatii. III. 292. ad Duces a comitibus. III. 294. ad ipſos reges. III. 293. medio aeuo ad palatium Caeſaris. III. 301.
Adpellationi in quibus cauſſis locus fuerit. III. 294. 300. 306. eius proſequutio qualis? III. 302. eius euentus. III. 303. temere interpoſitae poena et hodie qualis. III. 307.
Adquirendi modi ciuiles quot? II. 98. naturales quinam? III. 50. ſingulares qui? II. 99. vniuerſalis. II. 98.
Adramitio vel *Adhramitio* quid fuerit? III. 109. Ea et Franci et Saxones vſi. III. 116. * etiam in tradenda hereditate. II. 151.
Adſcendentium ſucceſſio, vid. *ſucceſſio*. qualis iure Rom. eſt non vbique recepta. II. 284. ſequ. iure Sax. adſcendentes excludunt fratres et ſorores, eorumque liberos. II. 286.
Adſecuratio quid? II. 435. eius antiquitas, et an Romanis nota? II. 435. * eius ſubiectum. II. 436. et obiectum, an etiam perſona? II. 436. finis. II. 437. conditiones. II. 438. formula. *ibid.* effectus. II. 439. actiones inde natae. II. 440.
Adſertores pacis quinam? III. 11.
Adſeſſores in conſilium adhibendi a iudicibus German. III. 12. ſequ. Vid. *Scabini.*
Adſilire quid? II. † 69. *
Adulter impune occiſus. II. †. 173. II. † 203.
Adulterii poena iure Anhaltino. II. † 199. Auguſtano. II. † 199. * Auſtriaco. II. † 196. Badenſi, II. † 198. Bauarico hodierno, II. † 195. Boemico, II. † 199. Boioarico, II. † 193. Brandenburgico, II. 199. Brunſuicenſi, II. † 199. Burgundico, II. † 164. ex conſtitutione criminali. II. † 193. ſequ. Dithmarſico, II. † 198. Francico, II. † 167. ſequ. Friſico, II. 179. Holſatico, II. † 200. Langobardico, II. † 180. Lubecenſi. II. † 187. Magdeburgico, II. † 199. Oſtrogothico, II. † 161. Palatino, II. † 199. Saxonico, II.

Digitized by Google

II. † 184. 200. Solmenſi, II. † 199. Sueuico, II. † 185. Tirolenſi, II. † 197. Wurtembergico. II. † 197. Wurzburgico. II. † 197.

Adulterii etiam ſimplicis poena acrior apud Germanos. I. 224. poena permiſſa maritis tempore Taciti. I. 320. apud Friſios, II. † 139. * Langobardos, II. † 180. Saxones. I. 321. II. 178. cur minuatur ob deprecationem innocentis coniugis? II. † 202. capitalis cur rarius exſequutioni mandetur? II. † 101.

Adulterium an iure Rom. vindicatum ante Legem Iuliam. II. † 147. * in Germania olim rarius. II. † 148. 150. ſequ. an committatur cum femina cauponaria? II. 186.

Aduocati, *belehnte voigte*. II. † 384.

Aduocati eccleſiarum an iuriſdictione gauiſi? III. 35. 39. 59. * eccleſias defendebant in iure, pro iiſque certamina ſingularia ſuſcipiebant. III. 35.

Aduocati pauperum. III. 100.

Aduocati prouinciales qui? III. 44.

Aduocati pupillorum, id eſt tutores. I. 360.

Aduocati vrbium nobiles. I. 109. quando ſuppreſſi? I. 113.

Aduocati dicti cauſidici, clamatores, reclamatores. III. 82. * ferendarii III. 94. Fürſprecher et vormünder. III. 91.

Aduocati non permittebantur infamibus. I. 407. poſtulabantur et impetrabantur a iudice. III. 92. 95. 99. aliquando ex officio dati. III. 92. a quibus conſtituti? 100. id officium detrectare non poterant. III. 92. nec dimitti ſemel accepti. III. 93. praeſentibus tantum dati in iudicio. III. 94. diuerſi olim a procuratoribus. III. 95. 101. quomodo coerciti, qui male functi officio? III. 93. * 100. quinam eſſe potuerint. III. 91.

Aduocatis an vſi Germani? III. 73. an tempore Taciti? III. 78. iis vſi Burgundiones? III. 81. Franci? III. 82. Langobardi? III. 83. Oſtrogothi? III. 80. Wiſigothi. III. 79. an et gentes boreales? III. 79. *

Aduocati vocati etiam conſacramentales reorum. III. 217. *

Aedificandi ratio apud veteres Germanos. II. 66. *

Aeswird gladius nuptialis apud Friſios. II. † 179. *

Aegrotis quibuſdam locis teſtari non licet. II. 197. ſequ.

Aer alicubi ſeruos reddit. I. 36.

Aetas eorum, qui ineunt matrimonium. I. 21. 2.

Agere quis potuerit? III. 95. ad agendum num quis cogendus? III. 85.

Agri olim vniuerſitatis, non ſingulorum. II. 9. eorum pars victis adempta. I. 422.

Agros alterius laetificandi obligatio. II. 134. et 138.

Ahnen, maiorum imagines quomodo numerentur? I. 84. ahnen auſ ſchwerten quid? I. 226. vid. *Imagines*.

Alamanni victi in ſeruitutem detruſi. I. 421. *

Alaricianum corpus in gratiam prouincialium Galliae et Hiſp. factum. II. 176.

Albani ſerui. I. 38.

Albini ſerui. I. 38. *

Albinagii iuris antiquitas? I. 428. an ab Albinis vel Scotis nomen acceperit? I. 428. * hodie paene vbique extra Franciam ceſſat. I. 431.

Aldiones ſerui. I. 38.

Alea Romanis vetita. II. 331. * nec non epiſcopis et clericis. II. 420. Ei deditiſſimi Germani. II. 331. 419. ea vxor adquiſita Imperatoris ſoror. II. 421.

Alienatio mobilium quomodo facta iure Saxonico? II. 163. * quomodo immobilium? II. 162. non niſi cum conſenſu cognatorum facta. II. 162. 399. ſequ.

Alieni iuris homines quinam in Germania? I. 132.

Allode quid? II. 13.

Allodio-

Allodiorum auitorum illuſtrium natura. II. 28.
Alluuiones apud Germ. fiſco cedebant. II. 23. 64. 89.
Allzuuiel pro hermaphrodito. II. 236.
Alteri ſtipulari an liceat? II. 347.
Alueus derelictus principum. II. 23. 63. et 91.
Ambaſcia dominica, Herrendienſte. III. 113.
Amond quid? I. 55. 133.
Amtsſchulzen qui? III. 59.
Amtsuervvaltere qui? III. 59.
Anagrip tactus impudicus. II. † 181. *
Andalangus quid? I. 183. * II. 76.
Andelagum pro andalango, Handſchlag. II. 427.
Andrepuſs vnder-buſſe. II. † 106.
Anefang et *anefangen* quid? III. 140.
Angariare quid? II. 133.
Anima patris. Per eam iuratum. III. 221. *
Animae portio legitima debebatur apud veteres. II. 164. *
Annonarii, officiales apud Wiſigothos. III. 11.
Annuius, pro epiſtola. III. 105. *
Annulus ſponſae oblatus. I. 182. 191. * eius effectus. I. 184. * 187. de eo paroemia. I. 187. * ſymbolum traditionis. II. 77.
Anteſtatio Germanis non ignota. III. 197.
Antichretico pacto non indigebant creditores apud Germanos, II. 327.
Antworter, id eſt, reus. III. 161.
Apes, ſi damnum dederint, vid. *damnum.*
Apocha veteribus *ſecuritas.* II. 473.
Appellatio. vid. *adpellatio.*
Aquae frigidae examen. III. 231. diu ſuperſtes in Germ. III. 262. feruentis examen. III. 232.
Aqua probari legitimi infantium natales. III. 229. In ea ſuffocari malefici. vid. ſuffocatio.
Aras habebant veteres Germani. II. 2.
Aribanagium quid? II. † 353.
Arbannum quid? II. † 353.
Arbitri an apud Gothos in viis? III. 9. *
Arbores confines cuius? II. 69. ſacrae Germanorum. II. 3.
Archicapellani, vid. *capellani.*
Arena [*der kampff-plaz*] ſanctione poenali munita. III. 248. quomodo eam ingreſſi ſint ſingulare certamen inituri? * III. 249.
Arga [*arg*] conuicium apud Langobardos. II. † 111. *
Aribannum quid? II. † 353.
Ariſtato, quaſi *ehren-ſtelle.* Plura de hoc vocabulo. II. † 342. *
Arma adparitoris ſibi cur commodari petierit accuſator? III. 25. cur catenis adligata? I. 395. * Ea relinquens infamis erat. I. 395.
Armato nemini ad mallum venire licebat. III. 25.
Armis ſollemniter incincti iuuenes ingenui. I. 64. 71. et tunc patria poteſtate exibant. I. 163.
Armorum vſus in nuptiis. I. 209. ſequ. 230. * II. † 179. in adoptionibus. I. 152. in manumiſſionibus. I. 53.
Κρυφθαι emere vnde? I. 178. *
Arre pro arrha. II. 397. *
Arrha ſponſalitia. I. 182. 191. in emtione venditione data quem effectum habuerit? II. 394. 397.
Arribannum quid? II. † 353.
Arriéreban quid? II. † 353.
Art-land vnde dicatur? II. † 259. *
Aſtarto. vid. *ariſtato.*
Aſyi. ius rebus ſacris datum. II. 6. *
Athargrati quale vulnus? II. 89. *
Aucupii ius quibus fuerit medio aeuo? II. 57. quibusnam hodie? II. 85.
Auctoritas tutorum an Germanis nota? I. 374. quid apud Germanos? I. 373. * quid hodie? I. 385.
Augmentum dotis quid? I. 245. 249. 260.
Auorum ius quid in Germ. II. 156. * 359.
Aurum colligendi ex flumine ius ad principem

Digitized by Google

cipem pertinet. II, 23.
Ausburger qui dicti? I, 127.
Aufrotten vnde? II, † 259. *
Auſtrachia [Oſtergovv] Friſiorum pagus iam tempore Caroli Martelli notus. III, 8.
Auſtregarum origo. III, 40. ſequ. ad eas facta requiſitio an citatio? III, 127.*
Auſthun de mutuo et locatione accipitur. II, 360.

B.

B*Aar recht* quid? et quamdiu in vſu? III, 263.
Baculus ſignum traditionis, II, 77. cur in iudiciis publicis frangatur? II, † 393. III, 340. 357.
Baiulus pro tutore. I, 360.
Balmunden quid? I, 259. * 372. *
Bann vnd acht quid? III, 85.
Bannaria iura qualia? II, 134. 138.
Banniri dicebantur vaſalli, ad bellum euocati. II. † 353.
Banniti ſeu proſcripti infames. I. 402. *
Bannus vocatus etiam diſtrictio. III. 116.
Barba, per eam iuratum. III. 221.
Barcus quid? II. † 248. *
Bargus pro barco. II. † 248. *
Baſilicae quae? II, † 342. *
Baſtonicum pro ergaſtulo. II. † 70. *
Baulebungs-Recht quale ius? I, 45.
Bearten agrum colere vnde? II. † 259. *
Bedemus quid? I. 46. 62.
Bedungene ehe quod dicatur matrimonium? I. 286.
Behalter pro tutore. I. 360. *
Beinſchrötige wunde quale vulnus. II. † 91. *
Belehnte voigte qui? vid. *aduocatus*.
Bella priuata, quando inualeſcere coeperint in Germania? II. † 234. II. † 71.* iis oppoſitae ſanctiones variae. II. † 234. ſequ. eae ſanctionis pacis publicae nomine veniebant. II. † 234.
Beneficia pro feudis. II. 14.
Beneficium verum quale? II. 354.* excuſſionis an fideiuſſoribus olim datum? II. 449. 450. 451. id et hodie alicubi fideiuſſoribus denegatur. II. 465.
Benuffien quid? III. 337. *
Beſatzungs-recht quale ius. I. 39.
Beſetzung I. 39.
Beſſer ritter als knecht formula equites creandi. I. 71.
Beſtebenen quid? III. 218. *
Bethemut quid? I. 46. 62.
Beweiſen in iure Sax. eſt ad oculum demonſtrare. III. 214. *
Beyeri [Ge.] Specimen iuris Germ. quo conſilio ſcriptum. I. 13.
Beyſetzen die braut dem bräutigam qualis ritus? I. 287.
Bibliotheca, id eſt, biblia, ſignum traditionis, II. 77.
Bigati numi qui? *II.* † 307. *
Blaſphemare ſententiam quid? III. 295.
Bluth-bann pro iuriſdictione criminali. III. 62. *
Bluthrünſtige wunden quae vulnera? II. † 91. *
Bluthſchreyer accuſans cum clamore. III. 346.
Bodmerey-Brieffe quomodo differant *von bilbrieffen*? II. 433.
Bodmeriae antiquitas. II. 426. quinam hunc contractum ineant? II. 430. quis ſuſtineat periculum? II. 431. in ea vſuras maiores ſibi ſtipulari poteſt creditor. II. 432. quae reliqua creditoris iura? II. 433.
Bona hereditaria quae? I. 291.* II. 26. quae adquiſita? I. 291. * II. 26. eius differentiae effectus. II. 27. de hereditariis teſtari vbique non licet. II. 195.
Bordarii, genus ſeruorum. I. 38. *
Borgen promiſcue de mutuo et commodato accipitur. II. 360.
Botding vnd lotding, quale iudicium? III. 58. * 68.

Bothen apud Saxones vocati procuratores. III. 94.
Boues iuncti ſymbolum nuptiarum. I. 209.
Brand vnd mordbrand quomodo differant? II. † 284. *
Brennen auf einer horde : vid. *horde.*
Bubii genus ſeruorum. I. 38. *
Budtheil quid? I. 45.
Buliſtechi quid? II. † 87. *
Burgenſium origo in Germania. I. 24. eorum antiquiſſima conditio. I. 24.
Burgfriede quid? eiuſque ſigna. II. 17. et *
Burggraffen pro iudicibus. III. 70. *
Burgundiones ſingularium certaminum amantes. II. † 104. quando apud eos locus fuerit iuriiurando ſuppletorio? III. 215.
Buſse quomodo differat von der vvette? II, † 25.
Buſsen iſt getrennet, quid ſignificet? II. 285. *
Bylbrieff quid? eiuſque iura. II. 433. *

C.

CAdauer occiſi in iudicium ſolebat ferri. III. 314. * illud tangere cogebantur ſuſpecti de homicidio. III. 252. e furca detrahentes quomodo puniti ex lege Salica? II. † 248. exſpoliantes quomodo puniendi? II. † 249.
Caeſar (Iulius) ex inſtituto agit de Germanis. I. 5.
Caeſpes traditionis ſymbolum. II. 74.
Calcei ſponſae oblati a ſponſo. I. 182.
Calida manus quid? II. † 28. *
Cambire quid? II. 391. *
Cambium pro permutatione. II. 391. *
Camerae nuncii quinam? III. 94.
Campiones qui? III. 240.
Cancellarii olim ſcribae. III. 71. *
Candelabrum ſignum traditionis. II. 77.
Canes venatici ſymbolum traditionis. II. 77.
Canum portatio qualis poena? II. † 143.
Capella pro capſa reliquiarum. III. 199. *
Capellani apud Francos in cauſſis eccleſiaſticis ius dicebant. III. 17.
Capilli, ſymbolum traditionis. II. 77.
In Capillis eſſe, pro innuptam eſſe, I. 168.
Capillum et cutem amittere, pro fuſtigare. I. 320. * 401. * *capillum facere* quid? II. 357.
Capillum ponere ſignum ſeruitutis. II. † 357. *
Capillus prolixus decus nobilitatis. I. 402. II. 357.
Capitale aeſtimatio damni. II. † 24.
Capitalis poena. vid. poena.
Captiuos et Germani redigebant in ſeruitutem. I. 31. quando ea ſeruitus ceſſarit in Germania. I. 32. eorum promiſſa an obligatoria? II. 339.
Carcer an veteribus in vſu? III. 318. perpetuus Germanis pro poena. II. † 376.
Carmulus quid in lege Boica? II. † 132. *
Carnificis origo et conditio in Germania. I. 414. * Ei traditi infames erant. I. 414. Die exſequutionis lautius exceptus. II. † 393. ſecuritatem ſibi petit ante exſequutionem. III. 358. ſententiam exſequutus quaerit an recte functus ſit officio. II. † 393. III. 359. eius iudex praefectus venationibus et rebus ſilueſtribus. III. 72. *
Caroli M. concubinae pleraeque vxores ad marganaticam fuerunt. I. 302. Martelli cum Alpaide matrimonium ad Marganaticam. I. 303.
Caſati genus ſeruorum. I. 38.
Caſtratio poena furti, II. † 44. * ſacrilegii. II. † 44. ſeruilis. II. † 44. poena receptiſſima. II. † 372. ingenuorum quomodo punita? II. † 265.
Caſus aliquando a Germanis punitus. II. † 3. an iure? II. † 82.
Catenaticum quid? III. 318.
Caualliers-parole quam ſancta obligatio? I. 412. II. 456.
Cauſſae grauiores vbi iudicatae tempore Taciti? III. 6.
Cauſſarum patroni, vid. *aduocati.*
Cautio reddenda ſoluto debito. II. 473. de

de iureiurando praeſtando. III. 173. de iudicio ſiſti. III. 173. * pro reconuentione. III. 179.
Celtarum omnium eadem inſtituta. I. 1.
Cenſiere quae dicta iuriſdictio? III. *66.*
Cenſitica bona quotuplicia? II. 34. a ICtis in emphyteutica transformata. I. 60. laudemialia. II. 35. 44. ſine inueſtitura. II. *36.* 45.
Cenſuelle quae dicta iuriſdictio? III. 66.
Cenſus ab hominibus propriis praeſtandus dominis. I. 42. emigrationis. I. 61. *ſequ.* pronobilis. I. 42. II. 35. an et hodie vſu receptus? II. 44.
Cenſus an ſemper ſignum dominii directi. II. 34. * cur bonis non laudemialibus impoſitus? II. 36.
Cenſuum ſingulorum dies quando cedat? II. 71. *
Centenarii, comitum optio. II. 10. * III. 23. officiales Wiſigoth. III. 11.
Cereuiſiam coquendi ius vrbibus competit. I. 120. quatenus et pagis tributum? I. 120. de ea coquenda leges. I. 120.
Certaminum ſingularium amantiſſimi Burgundiones, II. † 104. * ea fruſtra abrogare voluerunt Langobardi. II. † 110. * qui ad illud prouocare alios potuerint. III. 90. * inita *vmb. ehre vnd gümpf* vel ad vindicandas iniurias. II. † 114.
Chariſloduna. vid. *ariſlato.*
Chartis ſollemniter ſcriptis multum tribuerunt Germani. III. 212.
Chereburgus maleficus. II. † 105. *
Chibot pro *geboth.* III. 161. *
Chind pro *kind.* III. 161. *
Chirotheca ſymbolum inueſtiturae. II. 116. traditionis. *II.* 77. prouocationis ad duellum. III. 240. 164.
Chrenecruda quid? II. † 260. * II. † 23. II. † 371. *
Cinnitus, conuicium apud Francos. II. † 105. *
Citatio qualis iure Wiſigothico? III. 105. Francico? III. 109. Alamannico. III. 114. Boioarico. III. 115. Saxonico. III. 120. certum ſpacium an comprehenderit? III. *126.* quo ritu facta apud Francos? III. 110.
Ciues academici, eorumque forum priuilegiatum. III. 89. aduentitii. I. 418. originarii, *ibid.* vrbani plerique olim ſeruilis vel libertinae conditionis. I. 107.
Ciuitatis vicinae collegio quem deputare quae poena? II. † 218. *
Cladolg quale vulnus? II. † 109. *
Clamare pro cauſſam agere. III. 82. *
Clamatores dicti aduocati. III. 82. *
Clamodici pro accuſatis. III. 82. *
Clamor iudicialis. II. † 28. III. *313. 316.* *
Clauis giratio, genus diuinationis. II. 38. *
Clerici an reconueniri potuerint? III. 87. forum eorum. III. 87. * non poterant eſſe teſtes. III. 190. geradae participes. II. 238.
Clientes nobilium ingenui. I. *66. 73.*
Cluuerii (Phil.) antiqua Germania de eaque iudicium. II. 80. *
Cociones qui? I. 427. *
Codicilli Germanis notiores, quam teſtamenta. II. 210.
Cognationis et adfinitatis in nuptiis an rationem habuerint Germani? I. 199. 205. eam Germani modo quinto, modo ſexto gradu terminabant. II. 257. *
Cognati vindicare tenebantur iniuriam cognato illatam. II. † 18. ſequ. etiam poſt Francorum imperium. II. † 21.
Collatio: ad eam iure Sax. tenebantur liberi ſeparati. II. 235.
Collegiati qui ſint in edicto Theoderici. II. 219. *
Collegia opificum in Germ. I. 123.
Collegio vicinae ciuitatis deputare quid? II. † 218. *
Coluckerli qui? I. 427. *
Comitatus coniuncti, diſſipati, epiſcopis et principibus dati. III. 43. a plebe occupati. III. 43. hereditario iure poſſideri coepti. III. 37.

Comites et vrbibus praeerant, I. 104. et in iis ius dicebant. III. 24. ſecundarii res fiſci curabant. II. † 11. * cum ſcabinis iudicabant de criminibus. II. † 10. an ſoli ius dixerint. III. 5. 6. an medio aeuo iuri dicundo praefuerint? III. 8. erant olim ordinarii iudices. III. 18. vocati hinc iudices publici. *ibid.* perſequebantur facinoroſos, III. 309. * et ciuilem et criminalem iuriſdictionem habebant. III. 25. etiam clericos minores coercebant. III. 25. et 32. * ita et minores iudices dicti. III. 70. *

Comites apud Alamannos. III. 8. * et 18. Baiuuarios. III. 18. Burgundiones. III. 13. Francos. III. 15. Friſios. III. 18. Saxones, *ib.* Wiſigothos. III. 9. ſequ.

Comites palatii apud Francos. III. 17. vid. *palatium*: prouinciales. III. 44. ad Rhenum. III. 42.

Comitum palatii Lateranenſis iuriſdictio legibus coercita. I. 159.

Comitiorum prouincialium participes poſſeſſores praediorum nobiles. I. 81. ea pleraque ſub dio habita. I. 108. *

Commenda et in commendam dare quid? II. 362.

Commendare quid iure Germ. II. 362.

Commentarienſis poena, qui reum aufugere paſſus eſt. III. 322.

Commodatum et mutuum iure Germ. fere confunduntur. II. 360. an commodato iure Germ. transferatur dominium? *II.* 361. ſequ. an iure Romano? II. 361. * an iure Saxonico? II. 366. *ſequ.* quae culpa in eo praeſtanda? II. 371.

Communes res iure Germanico: II. 7. eae apud Germanos fere ad principes pertinent. II. 23.

Communio bonorum inter coniuges quid? I. 285. quando incipiat? I. 287. *ſequ.* alia vniuerſalis, alia particularis. I. 262. vniuerſalis ad quae bona porrigatur. I. 289. ad quae particularis? I. 290. *ſequ.* eius effectus. I. 292. *ſequ.* reſtrictio per pacta dotalia. I. 294. Romanis an ignota? *I.* 264. * non obſtabat poteſtati maritali. *I.* 265. Qualis olim fuerit apud Francos? *I.* 270. Gallos? *I.* 263. Germanos? *I.* 264. Saxones? *I.* 272. Wiſigothos? *I.* 267. *ſequ.* qualis medio aeuo ex iure Sax. et Sueuico? *I.* 274. Qualis iure nouo apud Anhaltinos, *I.* 278. in marchia Brandenburgica? *I.* 279. in Franconia? *I.* 279. in Heluetia? *I.* 280. in Holſatia? *I.* 275. iure Lubecenſi? *I.* 274. in terris Meclenburgicis? *I.* 279. in Pomerania? *I.* 279. in Saxonia inferiore? *I.* 277. in ducatu Sleſuicenſi? *I.* 275. in Sueuia? *I.* 280. in Thuringia? *I.* 278. in Weſtphalia? *I.* 276.

Comparatio litterarum apud Germanos non minus, quam apud Rom. recepta. *III.* 257. *

ex Comparato res pro adquiſitis. *II.* 13.

Compenſatio an iure Sax. admiſſa? *II.* 475. Eam non admittentes iure crediti priuabantur. *II.* 475.

Compoſitio quid? II. † 22. quotuplex. II. † 22.

Compulſores exercitus officiales militares apud Wiſigothos. III. 11.

Concacatus conuicium apud Francos. II. 105. *

Concambiare permutare. II. 391.

Concambiatura pro permutatione. II. 391.

Concambio. *ibid.*

Concambire, permutare. *ibid.*

Concambium, permutatio. *ibid.*

Concilia apud Francos controuerſias eccleſiaſticas maioris momenti decidebant. III. 16.

Concubinae pro vxoribus ad morganaticam. I. 307. tales pleraeque vxores Caroli M. I. 206.

Concubinatus an apud Germ. prohibitus? I. 309. non impediebat iuſtas nuptias. II. † 167.

Concubitus requirebatur ad nuptias conſummandas. I. 212. *ſequ.* qualis? I. 287. cum ſimilabant ſponſorum illuſtrium

Digitized by Google

ſtrium legati. I. 212. * eo non ſequuto nec communio bonorum incipiebat. I. 287. nec lucra nuptialia debebantur. I. 231.
Concuſſio quomodo ex lege Oſtrog. punita? II. 365.
Condictio cauſſa data an competat ob permutationem non adimpletam? II. 410.
Conditionarii, genus ſeruorum. I. 38. *
Confirmatio tutorum Germanica. I. 363.
Confuſione an ſublata debita? II. 476.
Congrui ius quale? II. 413.
ex Conquiſito res. II. 13.
Conſacramentales qui dicti? III. 117.
Conſuetudines Galliae, Belgii et aliarum gentium a quibus in ſcripturam redactae? I. 10.
Contemplatio ſuperna pro vita monaſtica. II. 135. *ſequ.*
Contrabande waaren, quid circa illas iuſtum? II. † 390.
Contractus a pactis iure Germ. non differunt. II. 330, II. 344. * eorum diuiſionem in nominatos et innominatos Germani ignorant. II. 344. 408. nec non in bonae fidei et ſtricti iuris contractus, itemque in reales, verbales, literales, conſenſuales. II. 352. an omnes apud Germanos ſint conſenſuales? II. 345. illi hodie fere ex iuris Romani regulis aeſtimantur. II. 386. *ſequ.*
Contractus forum an Germanis notum? III. 88. apud ipſos Romanos rarius. *ibid.* quale hodie. III. 97.
Contubernium quid in lege Salica? II. † 224. *
Contumaciae poena apud Burgundiones. III. 116. Francos. III. 112. Friſios. III. 116. Saxones. III. 116. Wiſigothos. III. 107. ex iure Saxonico qualis in cauſſis ciuilibus. III. 122. in cauſſis criminalibus. III. 121. eius purgatio. *III.* 108. 123. *ſequ.* quid hodie *III.* 129. *ſequ.*
Conuentiones acceſſoriae. *II.* 242. *ſequ.* aleam continentes. *II.* 418. *ſequ.* beneficae. *II.* 353. onerosae. *ibid.* et 389. *ſequ.*
Conuicti tantum vel confeſſi puniendi. *II.* † 381.
Conuictio reorum quomodo ſe olim habuerit? *III.* 331. *ſequ.* quomodo hodie? *III.* 354.
Conuiuia nuptialia. *I.* 218. ſponſalitia. *I.* 177. 186. 194. carnificum, *Hencker-Mahlzeit. II.* †. 393. obſidum, *Geiſel-Mahlzeit. II.* 458.
Cornua pro poculis fuere Germanis. *II.* 75. * ſymbola traditionis. *II.* 78. *
Coronae nuptiales. *I.* 221. ſymbola traditionis. *II.* 77. per eas iuratum? *III.* 221.
Corporalis diſciplina. vid. diſciplina.
Corpori quae exitio ſint poenae? *II.* † 383.
Corpus delicti cur liquidum eſſe debuerit. *III.* 346. * olim in rem praeſentem ferebatur. *III.* 346. *
Corſnid purgatio vulgaris. *III.* 237.
Coſsleute genus ſeruorum. *I.* 38. *
Cotiones qui? *I.* 427. *
Crateris vſus iudicialis apud Germanos. *III.* 232. *
Crattare, id eſt, *kratzen. II.* 109. *
Creditor pignore aliquando inueſtitus. *II.* 325. in territorio oppignorato pleraque regalia exercebat. *II.* 326. fructus ex pignore percipiebat ſine pacto antichretico. *II.* 327. nec de fructibus rationes reddere tenebatur. *II.* 327.
Cribratio genus diuinationis, quo furtum requirebatur. *II.* † 38. *
Crimen: vid. *delictum.*
Crimina extraordinaria an habuerint Germani? *II.* † 121. plurima, quae Romae frequentiſſima erant, Germanis ignota. *II.* † 329.
Criminalis iuriſdictio. vid. *iuriſdictio.*
Criniti dicti primi Francorum reges. *II.* † 357. *
Cruentationis ius, vid. *Baar-Recht*, item *ius feretri.*
Cruſinae cenſus, idem ac *Krauſen. I.* 42. *

Crucis examen quale? *III.* 233. et *.
Cuico medio aeuo pro colloco. II. † 351.*
Cullei poena iure etiam Sax. et Sueuico recepta. II. † 382.
Culpae praeſtatio qualis apud Germanos veteres. II. 372. *ſequ.*
Cultellus, traditionis ſymbolum. II. 74.*
Curiae dominicales quales? III. 36. * earum poſſeſſores cauſſas emphyteutarum cognoſcebant. III. 89.
Curiae pares vnde? III. 90. *
Curiarum prouincialium [*der hoff-gerichte*] origo. III. 55.
Curioſi Imperatorum Rom. qui? III. 27. *
Curmeden genus ſeruorum. I. 38. *
Curmedicum ius quale? I. 45. * II. 406.
Curtis dominica qualis? III. 36.
Cutem et capillum amittere, id eſt, fuſtigari. I. 320. * 401. *

D.

Damnum iniuria datum videbatur Germanis etiam quod caſu datum. II. † 82. ergo multo magis dolo vel culpa datum. II. † 80. ſequ. Quomodo illud vindicarint Alamanni? II. † 89. Anglii? II. † 90. Baiuuarii? II. † 89. Burgundiones? II. † 85. Franci? II. 86. *ſequ.* Friſii? II. † 90. Langobardi? II. † 89. Saxones? II. † 90. Wiſigothi. II. † 84. eius perſequutio ex iure Sax. et Sueu. II. † 91. *ſequ.* ex iure hodierno. II. † 93. de eo, quae datur, actio rei perſequutoria eſt. II. † 96. ex iure Germ. et canon. et ab heredibus reſarciendum. II. † 96. * ob illud aliquando et poena irrogatur a iudice. II. † 98. ab apibus datum. II. † 365.
Debitores iure Germ. creditoribus addicti. II. 379. carceri mancipantur. II. 387. obligant ſe in Holſatia ad obſtagium. II. 387. ſe ipſos in ſolutum dabant. II. 474.
Debitum a defuncto contractum probandum erat iure Sax. per LXXII. teſtes ingenuos. II. 300. *
Decaluari et fuſtari, quale ſupplicium? I. 320. * 401. *
Decania quid? III. 23.
Decanus comitis optio. II. † 10. * III. 23. officialis militaris apud Wiſigothos. III. 11. dicti etiam decuriones. III. 23.
Decernere quid Romanis? III. 293. *
Decke beſchlagen concumbere. I. 212. * conſ. *concubitus.*
Decurionum collegiorum in Germania origo. I. 111. * illa olim ex ſolis ingenuis conſtabant, poſtea etiam ex plebeiis. I. 112. qualis eorum iuriſdictio. I. 113. ita etiam decani vel thungini aliquando dicti. III. 23.
Defenſiones reorum quotuplices? III. 23. ſubiungebatur litis conteſtationi. III. 324.
Defenſores ciuitatum apud Wiſigothos qui? III. 11.
Delatura pro expenſis protractae litis. II. † 24. *
Delictum quid? II. † 3. vel verum vel quaſi delictum. II. † 4. vel publicum vel priuatum. II. † 6. Capitale vel non capitale. II. † 13. quaedam in comitiis accuſata. *II.* † 6. *ſequ.* quaedam a comitibus iudicata. *II.* † 10. quaedam a miſſis dominicis. *II.* † 10. leuiora iuriſdictioni ciuili accenſita. *II.* † 29.
Delinquentes nuſquam ſecuri. *II.* † 17. eorum forum. *II.* † 381. *III.* 88. 97.
Denariale praeceptum. *I.* 36.
Denariales libertinorum genus. *I.* 51. et 55.
Denarii excuſſio, ritus manumittendi. *I.* 51.
Denckzettel geben, vnde haec phraſis? *II.* 72. *
Deorum ſimulacra apud Germanos. *II.* 3.
Depoſitum quid circa illud iuris in Germania. *II.* 381.
Depraedatio quid? *II.* 442. quomodo a rapina

rapina differat. *II.* † 73. ad eam patiendam ſe obligabant Germani. *II.* 459. ea obligatio hodie ceſſat. *II.* 470.

Derectarii poena apud Langobardos. *II.* † 361. hodierna. *II.* † 362.

Deſcriptio domus quid ſit? *II.* † 212. * apud Wiſigothos ſpecies vis maioris. *II.* † 212.

Deſertae militiae poena. *II.* † 354. vid. *fuga.*

Detruſio ardua quid apud Wiſigothos. *II.* † 376.

Deus: *per eius dentes et ſplendorem iuratum.* *III.* 221. *

Dextra fidei ſymbolum. *II.* 335.

Dies nominum quotus a natiuitate. *II.* 144.

Diffidationes factae praeuia indictione. *II.* † 73. eas non oportebat fieri contra treugas. *II.* † 73. nec contra pacem Dei. *II.* † 73. nec contra perſonas quas leges violari vetabant. *ibid.*

Digamia acrius punita a Germanis. *I.* 224. prohibita apud Francos. *II.* † 167.

Digitorum extenſio ſignum acceptatae promiſſionis. *II.* 335.

Dilatio reo indulta iure Wiſigothico. *III.* 106. iure Francico. *III.* 111. iure Saxonico. *III.* 120. iuris Romani an hodie vſu frequententur? *III.* 128.

Dilatura apud Francos quid? II. † 24. *

Ding pro iudicio. III. 58. *

Ding eute qui? III. 281.

Dingſtag dies iuridicus. III. *69.* *

Diplomatum collectiones. I. 11. eorum vtilitas in illuſtrando iure Germanico. I. 11. iis adiuta ſymbola traditionis. II. 79. an omnia ſuſpecta? III. 201.

Diſa, Germanorum Themis. III. *69.* * an ab ea nomen inditum feriae tertiae, dictae *Dinſtag? ibid.*

Diſciplina corporalis quae poena? *II.* † 374.

Diſcuſſio, examen teſtium. *III.* 197. *

Diſparagium quomodo differat a matrimonio ad morganaticam? *I.* 308.

Diſſectio in quatuor partes ſupplicium vetus. *II.* † 145. * eius exemplum recentius. *II.* † 146. *

Diſtrictio quid? *III.* 116. quando ei locus fuerit. *ibid.* eadem dicta bannus. *ibid.* quomodo facta? *III.* 118.

Dithmarſi poeſeos ſtudioſi. *I.* 405. * ſeuere vindicarunt adulteria. *I.* 321. *

Diuortia bona vtriuſque gratia facta. *I.* 324. *ſequ.* ob vitam monaſticam. *I.* 324. ob damnationem in monaſterium. *I.* 324. * ob malitioſam deſertionem. *I.* 326. ob viliorem coniugis conditionem. *I.* 327. ob diſſenſum parentum. *ibid.* ob peregrinitatem. I. 328. ob inſidias vitae ſtructas. *I.* 329. frequentiſſima ad ſaeculum vſque *XII. I.* 330. etiam quod ad vinculum. *I.* 331. poſtea in iis decernendis ius canonicum ſeruatum. *I.* 332.

Doarii vel dotalitii origo et natura. *I.* 245.

Doctores ſine ſuperiorum conceſſione aduocatorum munere fungi nequeunt. *III.* *99.* *

Dolg Germanis vulnus. *II.* † 90. *

Dolum et culpam veteres non ſemper diſtinxerunt. *III.* 350.

Domicilium forum. *III.* *97.*

Dominicalis curia. vid. curia.

Dominium quid Germanis? *II.* 32. in eo et res incorporales iure Germ. *II.* 31. vel plenum vel minus plenum. *II.* 32. eius eſſentia in quo conſiſtat. *II.* 32. * minus pleni variae ſpecies. *II.* 33.

Domus cuique ſua ſancta. *II.* 22.

Dona nuptialia. *I.* 219: cuius illa ſint? *I.* 232.

Donare liberaliter ſolebant Germani. *II.* 354. qui potuerint? *II.* 355. 357. quantum? *II.* 357. * an et geradam? *II.* 358.

Donatio facta apud acta adhibitis teſtibus. *II.* 355. confectis inſtrumentis. *II.* 355. vi et metu extorta inualida. *II.* 355. irreuocabilis niſi certis caſibus. *II.* 355. ſollemniter facta. *II.* 356. additis ſanctioribus

ctioribus

ctioribus poenalibus diriſque imprecationibus. *II.* 356. *

Donatio propter nuptias quando dici coeperit dos maritalis. *I.* 242. 252.

Dos Germanica quid? *I.* 243. in quibus rebus conſtitit. *I.* 251. conſtituta ſponſae a ſponſo. *I.* 178. 182. 186. data vxori a marito. *I.* 233. 236. praecipua viri virtus et nobilitas. *I.* 208. 229. ea conſtituta, concubina fiebat iuſtą vxor. *I.* 305.

Dos qualis apud Alamannos? *I.* 238. Baiuuarios? *I.* 239. Francos? *I.* 237. Gallos? *I.* 233. * Saxones? *I.* 239. Wiſigothos? *I.* 236. qualis ſaeculis X. et *ſequ.* *I.* 240. an et ab vxore Francica conſtituta? *I.* 242. eius nomen quando adſumſerit illata ab vxore? *I.* 243. *ſequ.*

Dotalia inſtrumenta. *I.* 183. 186. 193. per modum vltimae voluntatis confecta. *I.* 294. *

Dotalitii origo et natura. *I.* 245. quid? et an in ea perpetuum ſemper dominium vxor acceperit? *I.* 249. et *. quale conſtitutum in allodio? *I.* 253. quale in feudo? *I.* 254. quando conſtituendum ab agnatis et ſimultanee inueſtitis? *I.* 255. quantum eſſe oporteat? *I.* 255. an domini conſenſu ad illud conſtituendum opus ſit? *I.* 255. * quod ius in illo vxor conſequatur? *I.* 256. *II.* 46. *II.* 38. quando ceſſet? *I.* 257. aliquando alienabile. *II.* 38.

Dreyſigſte vid. trigeſimus. *II.* 306. *

Druchte ſponſa. *II.* † 169. *

Drutinna ſponſa. *II.* † 169. *

Duces Germanorum qui? *III.* 4. * eorum paene regium poſt Francos imperium. *III.* 37.

Duellum, ad id prouocans probare tenebatur quatuor imagines. *I.* 84. * ad id euocari non poterant ciues certarum vrbium. *II.* 21. eo et de ſenſu legum dubio contendebatur. *II.* 231. * illud pro eccleſiis ſubibant aduocati. *III.* 35. per illud Germani iam olim res obſcuras inueſtigabant. *III.* 229. 239. eius ritus. *III.* 240. quando abrogatum? *III.* 241. in quibus cauſſis ei locus fuerit? *III.* 243. ad id quomodo prouocatum? *III.* 244. illud detrectandi iuſtae cauſſae. *III.* 245. cur illud deferri potuerit? *III.* 246. quibus armis in illo vſi? *III.* 247. a feminis quo ritu fuerit initum? *III.* 247. * eius euentus. *III.* 250. 251. eius hodierni ritus plerique ex antiquitate ſuperſtites. *III.* 264.

Dykgraffii qui? *III.* 70. *

E.

EBrii teſtes eſſe non poterant. *III.* 191. *

Echtloſe leute quinam dicti? *I.* 391. * et 408. *

Edele qui dicti? *I.* 95. *edele Herren.* *I.* 95. edele knechte. *I.* 71.

Edelmann dictus princeps et comes. *I.* 89. *

Edictum Theoderici. vid. *Theoderici.*

Effeſtucatio ſpecies traditionis. *II.* 80.

Ehehaffien. vid. *legitima impedimenta.*

Ehehaffte noth. *III.* 131.

Ehelich pro pactis dotalibus. *I.* 193. 294.

Eheliche vormundſaffi poteſtas maritalis. *I.* 295.

Ehepacten. *I.* 193. 294.

Eheſtiffiung. *ibid.*

Ehezärter. *ibid.*

Ehrlichmachen pro legitimare. *I.* 158.

Ehrloſe leute pro infamibus. *I.* 291.

Eigenbehörige genus ſeruorum. *I.* 38. *

Eigene leute genus ſeruorum. *I.* 38.

Eingeſchneitel (ius ſuperuitae) quid? *I.* 259.

Einlager, (ius obſtagii) *II.* 452.

Einritt, (ius obſtagii) *II.* 452.

Emancipatio Germanis ignota. *I.* 159. *ſequ.* quando inuecta? *I.* 17.

Embateuticum ius Rom. *II.* 460. *

Emenda Saxonica quid? *II.* † 106. * 365.

Emphyteuſis

Digitized by Google

Emphyteuſis ignota olim Germanis, praeterquam Wiſigothis et Langobardis. *II.* 33. non praeſumitur in dubio in Germania. *II.* 43. quando ſenſim inuecta? *II.* 43.
Emtio venditio bobus aliiſque animalibus facta. *I.* 178. * immo et aliis rebus. *II.* 392. * in litteras relata, praeſentibus teſtibus. *II.* 394. immobilium rerum apud acta facta. *II.* 394. *II.* 396. 411. eius effectus. *II.* 395. ea perfecta periculum ad emtorem tranſibat. *II.* 397.
Entlehnen promiſcue de mutuo et commodato vſurpatur, *II.* 360.
Epiſcopi cur ex ingenuis lecti? I. 83. mitius puniti ob crimen laeſae maieſtatis. *II.* † 129. iis cenſura morum incumbebat. *III.* 31. eorum maxima apud Francos potentia. *III.* 31. * iuriſdictio in clericos et monachos. *III.* 32. eorum cauſſae vbi tractatae. *III.* 34.
Epulae nuptiales. vid. *conuiuium.*
Equites armis ſollemniter incincti. I. 64. 71. olim ex ſolis ingenuis. *I.* 74. poſtea et ex municipalibus lecti. *I.* 130.
Equorum vitia capitalia. *II.* 398.
Eraſmi Roterodami natalium labes. *I.* 416. *
Erbannum vnde deſcendat? *II.* † 353.
Erbzins-güter olim non emphyteutica, ſed cenſitica. II. 43. *
Erfurtum vrbs paganorum. I. 24. * 103.*
Errungene güter. I. 295. *. II. 26. *III.* 152.
Errungenſchafft. ibid.
Eſſonia quid? *III.* 113.
Eſſonium quid? *ibid.*
Eſſonius quid? *ibid.*
Ethelingi apud Saxones qui? I. 23.
Euacuatoria ein mortifications-ſchein. *II.* 473.
Euchariſtiae vſu furti ſuſpicio purgata. *II.* † 34. * purgationis genus. *III.* 258.
Euictionis praeſtatio qualis iure Saxonico? *II.* 398. eam non praeſtabat Iudaeus. *II.* 398.
Examen per aquam. *III.* 229. tum feruentem. *III.* 232. tum frigidam. *III.* 231. per crucem. III. 233. per duellum. III. 229. per ferrum candens. III. 234. Vid. *purgatio.*
Exartare, ſiluam exſtirpare. II. † 259. *
Exartus quid? *ibid.*
Exceptiones dilatoriae an diſtulerint litis conteſtationem? III. 176. 181. an Germanis eaedem ac Romanis? III. 169. cautionis. III. 172. 173. 174. diuiſionis. III. 168. guarandae. III. 170. linguae actoris ſibi ignotae. III. 175. ordinis. III. 168.
Exceptio quid? III. 166. peremtoria litis conteſtationi ſubiuncta. III. 166. an ea cum exceptione iuris Romani conueniat. *III.* 166. * variae earum ſpecies ex legibus antiquis. III. 167.
Exceptiones antiquioris poſſeſſionis. III. 167. dominii. III. 167. nouationis. III. 168. pacti non adimpleti. III. 168. ſolutionis. III. 168. * ab accuſatis oppoſitae. III. 325.
Exceptiones poſtulandae a iudice per modum interrogationis. *III.* 168.
Excommunicati infames. *I.* 400. ne agere quidem poterant. *III.* 85.
Excommunicatio qualis apud Francos? *III.* 31.
Exculcatores qui? *II.* † 351. *
Excuſationes tutorum an in Germania receptae? *I.* 388.
Exemti a iuriſdictione municipali. *I.* 129.
Exercitus compulſores, officiales Wiſigothorum. *III.* 11.
Exheredare pro exſortem hereditatis facere etiam extraneum. II. 206.
Exheredatio ignota veteribus fuiſſe videtur tempore Taciti. II. 202. ob quas cauſſas permiſſa apud Langobardos? II. 205. Saxonibus? II. 206. Suecis. II. 207. Viſigothis. II. 204. eius cauſſae non omnes, et quaedam diuerſae receptae a Germanis. II. 211.
Exhibitio rei quomodo fieri debuerit a fideiuſſoribus?

deiuſſoribus? III. 321. quomodo a commentarienſibus? III. 322.
Exiſtimationis amiſſio loco poenae. II. † 367. 383.
Exonia quid? III. 113.
Exonium quid? *ibid.*
Expeditoriae res. vid. *heergewette.*
Expenſae termini a quo reſtituendae? III. 130.
Expoſitio infantis. vid. *infans.*
Exſequutio ſententiae. vid. *ſententia.*
Exſilium poena Germanis frequens. II. † 327.
Extenſio in equuleo poenae cauſſa facta. II. † 374. * nec non dirarum quaeſtionum cauſſa. *ibid.*
Extraordinaria crimina an nota Germanis? II. † 121.

F.

F*Acinoris* et flagitii differentia. II. † 14. *
Factum promittens non liberatur, praeſtando id, quod intereſt. *II.* 346.
Faderphium quid Langobardis? I. 2. et 43.
Fads Gothis *ein vogt.* III. 11. *
Faida quid Germanis? II. † 18.
Falconerius inter venatores regios. *II.* 57.
Falſarii manu truncati. *I.* 383. * 402. II. † 309. 310. 313. 315. 316. 317. 320. 321. 322. 323.
Falſum in antiquiſſima Germania rarius. II. † 307. *ſequ.* quomodo coercitum a variis gentibus Germanicis. II. † 308. *ſequ.* eius poenae vnde in Germania. II. † 323.
Familia ſeſe eximendi modus apud Francos. I. 165. vniuerſa vindicabat iniuriam vni illatam. II. † 210.
Farinagium quid? II. 134. *
Farinarii quinam. *ibid.*
Farlegani quid? II. † 229. *
Faths Wiſigothis dicebantur magiſtratus, quaſi *voigte.* III. 11.
Fegangi furtum manifeſtum. II. † 49. *
Ferarum fures capitis non damnati apud Sax. et Sueuos. *II.* 51.
Ferendarii dicti aduocati. vid. *aduocati.*
Feretri ius, das baar-recht diu apud Germanos in vſu. *III.* 261.
Feriae excuſabant a poena contumaciae. *III.* 108. 113. de iis quid iure Germanico cautum. III. 116. *ſequ.* quae in iis potuerint explicari? III. 125.
Ferrum candens purgationis genus antiquiſſimum. III. 234. quando abrogatum? III. 235. et *
Feſtuca ſymbolum traditionis. II. 75.
Feudi ius originis Germanicae. I. 66. * eius capaces olim ſoli ingenui. I. 81.
Feudum dictum etiam beneficium itemque honor. II. 74. ob illud quibus caſibus in foro ordinario actum? III. 139.
Fidei olim ſtudioſiſſimi Germani. I. 397. II. 331. an et poſteri. II. 332.
Fideicommiſſa Germanis prius recepta quam directae heredum inſtitutiones. II. 209. eorum exempla. *ibid.* * pactitia an Romanis nota. II, 170. *
Fideiuſſores quales apud Germanos. II. 446. eorum obligatio apud Burgundiones: II. 446. apud Francos. II. 448. de iudicio ſiſti dati legitima impedimenta allegare tenebantur. III. 94. quomodo puniti ſi non exhibuerint reum criminis. III. 321. an iis locus in criminibus capitalibus? III. 349.
Fideiuſſores tollere quid? II. 446. *
Filia *in capillis* quae? I. 168. parentibus ſuccedebat apud Wiſigothos. II. 218. non apud Francos in *terra* Salica. II. 219. nec in reliquis bonis, niſi in ſubſidium. II. 220. in ſubſidium quoque ad hereditatem paternam vocabatur apud Burgundiones, II. 222. Langobardos. II. 222. Saxones. II. 223. eius ſucceſſio apud Anglios et Werinos, II. 224. apud Alamannos. II. 225. apud Baiuuarios. II. 226. ex iure Sax. II. 233. *ſequ.* ex iure Sueuico. II. 239. Quomodo iure nouo ſuccedat? II. 242. ea et hodie alicubi in bonis auitis

Digitized by Google

auitis poſtponitur fratribus. II. 277. alicubi portionem dimidiam capit. II. 278.

Filii pro liberis vtriuſque ſexus. II. 289. * non omnes ſucceſſionis capaces iure Sax. II. 136. ducis patri rebelles quomodo puniti? II. † 137. 139.

Filiorti quinam? III. 145.

Finden, ſententiam ferre. III. 168.

Findung Hamburgi ſententia iudicii inferioris. III. 168.

Fiſci ius pleriſque iudiciis competebat. II. 275.

Fiſcus quomodo et quando ſuccedat. II. 273. 274.

Flagitium quomodo differat a ſcelere? II. † 14. *

Fleiſchwunden qualia vulnera? II. † 91. *

Fluchtſaal quid? III. 152. *

Flumina eorumque incrementa ad principes pertinent. II. 8. *

Folium nucis, ſignum traditionis. II. 77.

Fonceria iuriſdictio. vid. *iuriſdictio*.

Fontes ſacri Germanorum. I. 3.

Forbannire quid? III. 326.

Foreſtale ius an rarius ante Fridrici I. Imp. tempora? II. 55.

Foreſte regis ius piſcandi in fluminibus maioribus. II. 8.

Formulae actiones proponendi. III. 154. 155. *ſequ*.

Forſt-ämbter iudicia de rebus ſilueſtribus. III. 72. *

Forſt-vnd jagd-gerichte. III. 72. * iis et carnifices ſubſunt. III. 72.

Forum quotuplex? III. 76. rei actor ſequebatur. III. 95. contractus. III. 88. delicti. III. 88. domicilii. III. 88. 97. originis. III. 88. priuilegiatum. III. 89. 97. clericorum an in reconuentione ceſſarit? III. 87. * prorogatae iuriſdictionis. III. 97. rei ſitae. III. 88.

Fragiptim, deſponſa. I. 164. *

Franchiſiarum ius quale? II. 18. *

Franci mores patrios ſanctiſſime ſeruarunt. III. 15. qualis apud eos iudiciorum forma. III. 15. eorum reges ius dixerunt. III. 17. venandi ſtudioſiſſimi. I. 69.

Fratri minori natu competit ius optandi praedium paternum. II. 83.

Frauen kluge pro ſagis. II. † 254. *

Frayſch iuriſdictio criminalis. III. 62. *

Frayſchliche obrigkeit. ibid.

Fredum quid iure Germanico? II. † 17.

Freuel-ſachen quales cauſſae? III. 62. *

Freye pürſt quid, et vnde hoc ius? II. 53.

Freyen cur Germanis nubere? I. 164. *

Freyer alle reich. I. 192.

Freygraffen iudiciorum Weſtphalicorum praeſides. III. 57.

Freyherren qui? I. 91.

Freyſchöpffen, adſeſſores iudiciorum Weſtphalicorum. III. 57.

Freyſler virgo nubilis. I. 164.

Friede würcken quid? II. † 27.

Frilazzi libertini. I. 23.

Frilingi ingenui apud Saxones. I. 23.

Fronbothe vocatur etiam *der büttel*. III. 49. eius dignitas et officium. III. 49. eius teſtimonium pro duorum teſtimonio valebat. III. 49. puluinari inſidebat. *ibid.* ſacroſancta perſona. III. 49. decimum quemque damnatorum capitis liberare periculo poterat. *ibid.* vocabulum hoc vnde? III. 49. * ſupplicium more maiorum ſumere ſolebat. III. 274.*

Fructus futuros emere non licebat apud Langobardos. II. 427. nec eam emtionem permittunt receſſus imperii. II. 441.

Frumentariis Imperatores vtebantur tamquam exploratoribus. III. 17.

Frygraffii, iudicii Weſtphalici praeſides. III. 70. *

Fuga crimen veteribus poena digniſſimum. II. † 350. tam ſeruorum quam militum. II. 350. quali poena coercita. II. † 350. *ſequ*.

Fürſprechere Germanorum aduocati. III. 91.

Fulvreal plenam libertatem manumiſſione conſequuti. I. 55.

Feudalis iuriſdictio. vid. *iuriſdictio.*
Funis, ſymbolum traditionis. *II.* 77.
Funus duello victi victor magnifice ducebat. III. 250.
Fur erat et qui res furtiuas vel fures recipiebat. II. † 32. * 43. quando hodie ad laqueum damnetur? II. † 56. *ſequ.* non damnatur ad furcam, ſi alienam cuſtodiam non inuaſit. II. † 58.
Furca detrahenda non erant cadauera. vid. *cadauer.*
Furioſus an delinquat? *II.* † 5.
Furtum ferarum an ſupplicio capitali coercitum. II. 52. rei, vſus, poſſeſſionis. II. † 33. apud Germanos delictum publicum. II. † 31. grauiter a Celtis et Scythis punitum. II. † 31. * in contrectatione fraudulosa rei alienae conſiſtebat. II. † 32. manifeſtum et nec manifeſtum. II. † 34. conceptum. II. 35 *ſequ.* oblatum. II. † 37. prohibitum. *ibid.* non exhibitum. II. † 38. diurnum et nocturnum. II. † 39.
Furtum quomodo punitum ab Alamannis. II. † 46. Angliis et Werinis. II. † 47. Boioariis. II. † 45. Burgundionibus. II. † 42. Francis. II. † 43. ſequ. Friſiis, II. † 48. Langobardis. II. † 49. Saxonibus. II. † 47. Wiſigothis. II. † 41. ex iure Saxonico. II. † 51. Suenico. II. † 52. iuribus ſtatutariis. II. † 53. conſtitutione Fridrici I. Imp. II. † 50. ex Conſtitutione Carolina quomodo puniatur qualificatum? II. † 59. ſimplex, ſed magnum? II. † 60. paruum primum. II. † 61. ſecundum. II. † 62. tertium. II. † 58. quaedam ſupra poena ordinaria exemta. II. † 58. 64.
Fuſtigatio cum decaluatione coniuncta. I. 320. * 401 II. 37?. poena apud Germanos vſitatiſſima. II. † 375. an legislatoriae prudentiae conueniat? II. † 389. *
Fuſum ad illud a lancea tranſibat hereditas apud Anglios poſt quintum gradum. II. 250.

G.

G*Adalis* femina focaria. II. † 172. *
Galliae prouinciae aliae iure ſcripto, aliae non ſcripto vtuntur. I. 10.
Ganerbii Fridbergenſes et Geilenhuſani maiorum imagines probare tenentur. I. 226.
Garathinx quid apud Langobardos. II. 355.
Geſachio Francis quid? III. 161. et *.
G-ſagen vel *geſagen* quid maioribus noſtris. *ibid.*
Gaſindi genus ſeruorum. I. 28. * 38. *
Gebutskum tuberes. II. † 89.
Gebundene tage. vid. *feriae.*
Geburths-brieff cur exigi ſoleat. I. 124.
Geding quid? III. 58. *
Gegen-geld loco dotis maritalis. I. 252.
Gegenſteuer loco dotis maritalis. *ibid.*
Gegen vermaechtniſs. *ibid.*
Geiſel pro teſte. II. 356. *
Gelaeſs mortuarium. I. 45.
Geliehene ſatzung, feudum pignoratitium. II. 325.
Gemmas colligendi ius principum. II. 23.
Genauenſis ſolidus quid? vid. *ſolidus.*
Genecium prius pro gynaeceo interiore. II. † 177. *
Genus per omnes iuratum. III. 221.
Genicium pro gradu. II. 257.
Gerada teſtamento relinqui non poteſt. II. II. 195 an donari poſſit. II. 358. quam antiqua? II. 224. eam ex hereditate materna praecipuam habebant filiae. II. 224. 229. et quidem innuptae tantum. II. 233. 241. nec non filii clerici II. 238. 241. filia non exſtante, cognatae I. 260. vxori poſt mortem mariti debita. II. 271. *
Geranii ius municipiis conceſſum. I. 119.
Gerechtigkeiten pro ſeruitutibus. II. 137.

Gerhaber

Digitized by Google

Gerhaber pro tutore. I. 360. *
Gerichte ſimpliciter pro iuriſdictione inferiore vel ciuili. II. † 13. *
Gerichts bank l. ſitzen quid ? II. † 16.
Gerichts-halter. III. 60.
Gerichts-herren. III. 64.
Gerichts-tage. III. 69.
Germani antiquiſſimi litteris carebant. I. 4. morum patriorum olim ſeruantiſſimi. I. 6. quando leges in ſcripturam redigere coeperint. I. 7. * an olim barbari ? II. † 80. olim valde ſuperſtitioſi. III. 228. *
Germania ante Francorum tempora in vnum regnum non coaluit. III. 3. medio quoque aeuo per pagos diuiſa. III. 8.
Geruffte clamor in iudiciis publicis. II. † 28.
Geſamte hand, loquutionis huius origo. III. 167.
Geſchaeff-vnd ſeelen geraethe pro teſtamento. II. 185.
Geſchoil, debitor vel reus. III. 151. *
Geſchrey, clamor in iudiciis publicis. II. † 28.
Geſtilde, ius congrui. II. 413.
Gewand-fall, ius exuuiarum. I. 45.
Gewehre pro auctore, a quo cauſam habemus. III. 151. *
Gewi-merz, termini pagi vel iuriſdictionis. III. 326. *
Giſeberti [Henrici] libri de iure ſtatutario, de iiſque iudicium. I. 12.
Gieſel-mahl pro epulis ſumtuoſis, II. 458. *
Giſeles pro teſtibus. II. 355. * pro fideiuſſoribus. II. 458.
Gladiatores (*kaempffer*) quid iure Sax. loco mulctae acceperint ? II. † 385.
Gladius, ſymbolum traditionis. II. 77.
Gleba, ſymbolum traditionis. *ibid.*
Glebae ſerui. I. 28. *
Glevenburger quinam ? I. 130.
Gleuener quinam ? *ibid.*
Gograuii quinam ? III. 47. 59. 70. * quotuplices ? III. 47. *
Gohgerichte. III. 62. *
Gothi multa per vim agere ſolebant. II. † 211. *
Gothicus vel *Gothius* ſolidus. vid. *ſolidus*.
Gottes-friede quid ? II. 22. *
Grauen qui ? III. 4. * cur comites dicti? vid. *comites*. ita et hodie iudices quidam vocantur. III. 70.
Grieswaertel praefectus arenae. III. 248.
Grosvater-recht. II. 156. *
Guanto, chirotheca. II. 116. *
Guantus, chirotheca. *ibid.*
Guaranda quid et quomodo ac quando promittenda ? III. 177. *ſequ.*
Guelphi olim nemini nexu feudali obſtricti. I. 91.
Guerpire, *werffen*, ritus traditionis. II. 75.

H.

HAdriani Papae collectio LXXV. Capitulorum ſubiectae fidei. III. 34. *
Haffi-geld, arrha. II. 394.
Hageſtolzii non teſtantur. II. 194.
Haiſterhand, manus calida vel armata. II. † 28. *
Halbeigene genus ſeruorum. I. 38. *
Halberſtadienſis priuilegii, Iudaeis dati origo. II. 398. *
Hals vnd hand. II. † 13.
Hals-gericht. III. 62. *
Hand muſs hand wahren: paroemia iuris. II. 368. vbi illa et hodie obtineat ? *ibid.*
Handels gerichte. I. 120.
Handgethat, facinus, in quo quis deprehenſus. III. 125. * 312. *
Handhaffte that, delictum, in quo quis deprehenſus. III. 125. * 312. * in eo oppreſſus teſtibus conuinci poterat. III. 167. cum clamore accuſabatur. III. 313. quid ſi aufugiſſet ? III. 315.
Hand-lohn, laudemium. III. 167. *
Hanſa pro foedere ciuitatum maritimarum et aliorum emporiorum. II. 407. Hamburgenſium ciuium. II. 407.

Hansgrauiorum Ratiſponenſium officium. II. 70. *
Haribannum quid et vnde dicatur. II. † 353.
Haro clamor iudicialis apud Normannos. III. 157. *
Halla, ſymbolum traditionis. II. 77.
Hauerey vnde dicta. III. 85. *
Hauefcot, ſpurii inteſtabiles. II. 184.
Hauptfall, mortuarium. I. 45.
Hauſs-friede quid? eiuſque effectus. II. 22.
Haut vnd hare abſchlagen fuſtigare. I. 320.* 401. * II. † 13.
Heergevvette: eius origo. II. 224. * de eo teſtari non licet. II. 195. illud et apud Anglios praecipuum habebant filii et maſculi heredes. II. 224. quid ad illud referatur. II. 237. ex eo gladium praecipuum habet natu maior. II. 237. II. 241. et 278. debetur etiam proximo agnato inter collaterales. II. 218. 260. an illi locus inter ſolos nobiles? II. 278. *
Heerſchilde ſeptem quid? I. 92.
Heffiung, pro arrha. II. 397.
Hegung des hochnothpeinlichen hals-gerichts, quid? II. † 27. *
Heilige, auf denenſelben ſchweren. III. 199. *auf denenſelben etvvas entreden.* III. 278. *
Heilige tage, feriae. vid. *feriae*.
Heipnzucht quid? II. † 89. *
Heiſterhand, manus calida vel armata. II. † 28. *
Henkermahl quid? II. † 193.
Henne fleget nicht über die mauer. I. 39.
Henricus Auceps, vrbium per Saxoniam conditor. I. 105. Eius in condendis vrbibus inſtitutum. I. 108.
Here herr richter quid? III. 157. *
Heredis inſtitutio hodie non vbique neceſſaria pars teſtamenti. II. 191. qualis iure Lubecenſium? 191. II. * extranei inſtitutio non vbique permiſſa, exſtantibus cognatis. II. 193.
Heredes an Germanis alii neceſſarii, alii ſui, alii voluntarii et extranei. II. 194. omne aes alienum ſoluere tenebantur apud Burgundiones et Francos. II. 298. apud Sueuos. II. 303. non omnino tenebantur apud Wiſigothos. II. 299. et Saxones. II. 300. eorum iure ne facta quidem omnia defuncti praeſtabat heres. II. 301. ſuccedunt in iura defuncti. II. 302. eorum obligatio ex quaſi contractu. II. 307. qualis hodie? II. 311.
Hereditatis poſſeſſio an adprehendenda? II. 296.
Heribannum quid? II. † 312. eius varia nomina. II. † 353. eius reliquiae in Francia hodierna. II. † 353.
Herireitha quid? II. † 89. *
Herisliz, deſertio. II. † 351. *ſequ.*
Hermaphroditi iure Saxonico ſucceſſionis incapaces. II. 236.
Herren κατ' ἐξοχὴν dicti iudices. III. 157.
Hertzoge Germanis quinam? III. 4. *
Hiddae, Ilenburgenſis comitis lex de mulcta a vidua iterum nubente ſoluenda. I. 222. *
Hierologiae in nuptiis origo. I. 211.
Himmelzorum induſii dilaceratio. I. 108.*
Hoch-gerichte. III. 62. *
Hochnothpeinlich hals-gericht, quid? II. † 9. ſub dio ſolemniter habetur. II. † 26. III. † 358. quomodo diſſoluatur. III. 359.
Hochzeit pro conuiuio nuptiali. I. 177. *
Hoff-gerichte eorum origo. III. 55. certis anni temporibus habentur. III. 68.
Hoff-gerichts-ſchreiber. III. 55. *
Hoff-richter. III. 55. *
Hohes vngericht quid? II. † 13.*
Homicidium antiquiſſimis temporibus non fuit capitale. II. † 247. priuatim in Germania vindicabatur ab occiſi cognatis. II. † 248. 249. doloſum quomodo punitum ab Alamannis, Angliis et Baiuuariis. II. † 267. 269. 272. 276. a Burgundionibus. II. † 257. a Francis. II. † 260. 261. *ſequ.* a Langobardis. II. † 276. a Wiſigothis.

Digitized by Google

this. II. † 250. medio aeuo apud Germanos vſque ad ſaeculum XII. II. † 280. ex iure Sax. et Sueuico. II. † 281. ex ſtatutis variis. II. † 282. ſeq. ex conſtitutione criminali. II. † 285. 288.

Homicidium caſuale extra poenam ciuilem eſt. II. † 252. 258. 260.

Homicidium culpoſum quomodo punitum a Burgundionibus. II. † 258. a Francis ſub Carolingis. II. † 263. a Wiſigothis. II. † 251.

Homicidium doloſum veteribus *Mordridum*. II. † 26.

Homines et perſonae an differant iure Germ. I. 20. vel nobiles, vel ingenui, vel libertini, vel ſerui. I. 21. vel ſui vel alieni iuris. I. 131. vel integrae exiſtimationis vel infames. I. 390. *ſequ.* vel ciues vel peregrini. I. 418. *ſequ.* boni quinam dicantur. III. 271.

Homines proprii etiam in vrbibus. I. 24. eorum conditio in Germania. I. 28. *ſeq.* ii vel naſcebantur. I. 30. vel fiebant, per captiuitatem. I. 31. per ſpontaneam addictionem. I. 33. *ſequ.* per matrimonium cum alterius ancilla et habitationem. I. 36. ſunt adſcriptitiae conditionis. I. 39. poſſunt a dominis alienari. I. 40. in eos domini gaudent iuriſdictione. I. 41. dominis debent cenſus. I. 42. operas. I. 43. praecipuum ex hereditate. I. 45. eorum quoque liberi ſunt dominorum. I. 50. neque hi admittuntur in collegia opificum. I. 39. an gaudeant iure contractuum et teſtamenti factionis? I. 34. non contrahunt nuptias ſine dominorum conſenſu. I. 46. non ſunt liberi homines. I. 47. nec ius ciuitatis in municipiis obtinere poſſunt. I. 39. e fuga iure retrahuntur, et ob id ſaepe bella orta. I. 39. *

Honores pro feudis. II. 14.

Horcher, ſcabini ſuffragii iure deſtituti. III. 70.

Horde, einem auf der horde brennen, quale ſupplicium. II. 282.

Horgriffi quid iure Germ. II. † 108. *

Hortenſchlag aliquando ſeruitus, quamuis in faciendo conſiſtat. II. 138.

Hortis caruere Germani antiquiſſimi. II. 10.

Hoſpitalitas veterum Germanorum. I. 419.

Hrevvunt quale vulnus? II. † 89. * 268.

Hropant quale vulnus. II. † 89. *

Hubarum ſerui. I. 38. *

Hubenbands gerechtigkeit feminarum Holſaticarum. I. 259.

Huſenband. vid. *Hubenband*.

Hundafads Gothis centenarii. III. 11.

Huth bey ſchleyer ius ſuccedendi inter coniuges. I. 230. *

Ὑπόβολον quale additamentum dotis apud Romanos? I. 246. *

I.

IA-vvort an ſponſalia efficiat? I. 189.

S. Iacobi per lanceam iuratum. III 221. *

Iactiuus qui apud Francos et Saxones III. 116. *

Iagd-gerichte. III. 72. *

Ieiuni olim tantum ferebant ſententiam, maxime in cauſſis criminalibus. III. 128. †

Illegitimi. vid. *liberi*, *ſpurii*.

Illyrii an Germanicae originis. I. 335. *

Imaginum ius ingenuis competens. I. 84. Eius participes non ſunt nati ex impare matrimonio. I. 84. 225. earum demonſtratione quando opus ſit, et quomodo ea fiat. I. 226. *

Immobilia non vbique teſtamento relinqui poſſunt. II. 195. adde *donatio*, *emtio venditio*.

Impans, votum regis, manumittendi modus Langobardicus. I. 53.

Impedimenta legitima. vid. *ehehafften*, ob ea ceſſabat poena contumaciae. III. 108. ea qualia fuerint. III. 108. 111. 113. 117. 123. 131.

Impe-

Imperatorum cauſſae in comitiis tractatae. III. 38.

Imprecandi formulae in donationibus, maxime eccleſiae factis. II. 356. *

Inaedificatio, qualis modus adquirendi? II. 66.

Incendiariorum poena apud Anglios. II. †. 269. Baiuuarios. II. † 268. Burgundiones. II. † 259. Friſios. II. † 271. Francos. II. † 266. Langobardos. II. † 279. Saxones. II. † 275. Wiſigothos. II. † 256. ex iure nouiſſimo. II. † 284. 287. *ſequ.*

Inceſtae nuptiae prohibitae. I. 205. eas ſibi permittebant reges Francorum Merouingici. I. 205. *

Inceſtus poena apud Alamannos. II. † 177. Burgundiones. II. 166. Francos. II. † 171. Langobardos. II. † 182. Sueuos. II. † 196. Wiſigothos. II. † 159. ex iure hodierno. II. 205.

Incolae diſtincti a ciuibus. I. 128.

Induciae reo concedendae. III. 128.

Infamia Germani notabant ſceleratos. I. 391. parentum etiam liberis nocet. I. 393. * ex iure Germanico hodie aeſtimanda. I. 410. eius poena Germanis recepta. II. † 378.

Infamia maiore qui notati? I. 392. ea manebat arma relinquentes. I. 394. ignauos, imbelles, deſertores, fugaces. I. 395. perfidos. I. 397. 412. impudicos, adulteras, ſtupratores, meretrices. I. 398. poenae addictos a ſacerdotibus. I. 393. 413. ad poenam capitalem vel corporis adflictiuam damnatos. I. 401. 414. excommunicatos. I. 401. fuſtigatos et decaluatos. I. 401. manu truncatos, vel eam redimentes. I. 402. bannitos. I. 402. * tranſigentes ſuper crimine. I. 403. eius effectus. I. 407. 414. ad illam ſe Germani aliquando vltro obligabant. II. 452.

Infamia minore qui notentur? I. 393. 404. *ſequ.* eam incurrunt artem ludicram facientes. I. 405. campiones. I. 404. illegitime nati. I. 406. 416. opifices in rebus ſordidis verſantes. I. 415. eius effectus. I. 408. 417.

Infanc manus iniectio. II. † 89. *

Infans viuere intelligitur ex apertis oculis et viſis quatuor parietibus. I. 288. alibi ex vagitu ad quatuor parietes. *ibid.* an delinquere poſſit? II. † 5. eius expoſitio quomodo coercita apud Alamannos? II. † 297. apud Baiuuarios. II. † 296. Burgundiones. II. † 293. Friſios. II. † 298. Francos. II. † 295. Langobardos. II. † 300. Wiſigothos. II. † 293. ex conſtitutione criminali. II. † 304. 306. eorum caedes capitalis. II. † 302. *ſequ.*

Inficiando lis creſcebat apud Francos. II. † 86.

Ingenui qui iure Germanico? I. 26. 63. in Gallia equites. I. 63. medio aeuo dicti liberi homines, itemque milites. I. 63. a nobilibus erant diſtincti. I. 63. venationibus et armis dediti. I. 65. 69. *ſequ.* exteris etiam faciebant ſtipendia. I. 65. 72. clientelari nexu obſtricti nobilibus. I. 66. 73. nonnulli adſcriptitiae conditionis. I. 67. 73. iudiciis adſidebant. I. 68. 74. armis ſollemniter incingebantur. I. 64. 71. *ſequ.* abhorrebant ab impare matrimonio. I. 75. raro olim litteris vacabant. I. 76. * raro in vrbibus habitabant. I. 78. artem venatoriam addiſcunt. I. 78. mercaturam adſpernantur. I. 79. torneamentorum ius habent. I. 80. et inſignium. I. 80. alicubi ſoli feuda equeſtria accipere poſſunt. I. 81. in vrbes tranſlati ab Henrico Aucupe. I. 106.

Ingenuilis manſus eine ritter-huffe. I. 26. *

Ingenuitas ein Rittergut. I. 26. *

Ingenuorum cognomina, I. 81. cur aliquando ab vrbibus petita. I. 106. ius ſuffragii in comitiis prouincialis. I. 81. officia aulica. I. 82. officia iudicialia. I. 82. habilitas capeſſendi officia eccleſiaſtica maiora. I. 83. priuilegia. I. 85. caſtratio. vid. *caſtratio.* ligatio. vid. *ligatio.*

Inimi-

Digitized by Google

Inimicitias vniuerſae familiae ſuſcipiebant. II. † 210.

Iniuria quotuplex ? II. † 101. eam veteres fere priuatim vlciſcebantur. II. † 102. 114. leges illi oppoſitae ab Alamannis. II. † 107. Baiuuariis. II. † 108. Burgundionibus. *II.* † 104. Francis. II. † 105. *ſequ.* Langobardis. *II.* † 110. *ſequ.* cur non et a reliquis gentibus ? II. † 109. 114. verbales cur non vindicarint Anglii. II. †. 109. Alamanni. II. † 107. Baiuuarii. II. † 108. Friſii. II. † 109. Ripuarii. II. † 109. Saxones. II. † 109.

Iniuriarum actio aeſtimatoria an vbique recepta ? II. † 116.

Inſignia ingenuorum. *I.* 80.

Inſlmannem ſeruilis conditionis. *I.* 38. *

Inſtrumenta ſuper omnibus fere negotiis confecta a Germanis. *III.* 202. *ſequ.* 212. quotuplicia ? III. 203. publica maioris fidei. III. 203. eorum requiſita ex lege Alamannica. III. 208. Boica. III. 209. Burgundica. III. 206. Friſica. III. 209. Francica. III. 207. Langobardica. III. 210. Saxonica. III. 209. Wiſigothica. III. 204. Eorum effectus. III. 205. 211. ex iure Sueuico. III. 213. Eorum agnitio per teſtes. III. 257. 258.

Inſtrumenta falſa conficientium vel vera corrumpentium poena. II. † 316. 320. 324.

Inſulae nouae ad principes pertinent. II. 23. 62.

Interdictum de glande legenda hodie ex Germanis exſulat. II. 70.

Interloquutiones Romanorum et Germanorum. III. 293.

Intertiare quid ? II. 101. * II. † 36.

Inuentae res nullius a fiſco occupatae. II. 60. 188. amiſſae cuius ? II. 61. 88.

Inuentarium a tutore conficiendum. I. 375. enim beneficium heredibus in Germania non neceſſarium. II. 305. 311.

Inuentori rerum amiſſarum εὕρετρα debebatur. II. 61.

Inueſtitura modus adquirendi. II. 99. * an Romanis nota ? II. 115. vnde dicta ? II. 116. fiebat tradita veſte, vel ſaltim chirotheca. II. 116. * quid ſit ? II. 117. ob eam praeſtandum laudemium. II. 118. quoties renouanda ? II. 119. eius effectus. II. 125. circa eam multa turbauit ius commune. II. 127. creditoris in pignore. II. 325. etiam in rebus allodialibus ei locus erat. II. 24. *

Iodus, clamor iudicialis. II. † 28. * eius vocabuli ſignificatio. III. 313. *

Irbann proſcriptio ſuperior. III. 226. *

Iudaei an municipes ? I. 95. an ſeruilis conditionis ? I. 95. gaudent alicubi aliqua iuriſdictione. I. 95. * cum illis nullum ius connubii. I. 204. eorum conditio ſub Francis. I. 325. * ii non tenebantur ad euictionem. II. 398.

Iudices et inferiore aeuo dicti *grafen*, *gografen*, *burggraffen*. II. † 11. publici olim dicti comites. III. 18. alii ordinarii, alii vicarii. III. 47. 58. 59. electi eiuſdem cum reo conditionis eſſe debebant. III. 90. Eos maxima veneratione proſequebantur Germani. III. 154. ſine venia ab iis impetrata nihil dici agique in foro poterat. III. 154. ſequ. officium eorum olim, non hodie, hereditarium. III. 72.

Iudicia, iis adſidebant tantum ingenui. I. 68. 74. vbi habita ſub Francis ? III. 21. Eorum domini vocabantur, quibus iuriſdictio erat patrimonialis. III. 64. in iis qui perſonam ſtandi habuerint. III. 74. * Eorum ordo vnde ? III. 181. patria conſeruari voluerunt imperii ordines ſub Fridrico III. Imp. III. 181. *

Iudiciorum aulicorum origo. I. 76. * inprimis Imperialis. III. 41. Cameralis ordinatio qualis. III. 182. criminalium veterum quae ſuperſint veſtigia ? III. 344. colli et manus. III. 62.

Iudicium aenei quod ? III. 232. caldariae. *ibid.* Dei. III. 183. 230. metallicum. III. 89. ordinarium. III. 68. probabile. III. 230. publicum. II. † 9. ſacrum quotuplex apud Francos ? III. 30. quale medio aeuo ? III. 56. ſanguinis. III. 62. * ſpiritus ſancti. III. 230. vehmicum. II. † 10. Weſtphalicum. II. † 10. III. 57. eius odio multi ſtatus impetrarunt priuilegium de non euocando. III. 88.

Iuncker dicti etiam principes, et comites. I. 89.

Iuniores apud Francos qui ? I. 22.

Iurare an licuerit per procuratores ? III. 219. eius moris origo. *ibid.* an idem et mulieribus permiſſum ? *ibid.* *

Iuratores qui dicti. III. 217. 219. qui admiſſi ? III. 217. * modo pauciores, modo plures. III. 218. diu in vſu fuerunt apud Saxones et Sueuos. III. 218.

Iureconſultorum ſententiae cuius auctoritatis. *III.* 285.

Iuriſdictionis Germanicae praecipua pars vindicatio criminum. *II.* † 2. * qualis antiquiſſimis temporibus. *III.* 6. 7. ſaepe diuerſa in vno pago. *III.* 46. quomodo et quoties per inueſtituram dari potuerit ? *III.* 46. * eius variae ſpecies nouae inuectae. *III.* 72.

Iuriſdictio *alta.* *III.* 62. * *ciuilis* cum criminali olim coniuncta. *III.* 61. et hodie coniuncta cum facultate coercendi leuiora crimina. *III.* 61. *criminalis* penes comites. *III.* 6. 10. 18. cum ciuili olim coniuncta. *III.* 61. hodie et mandari ſolet. III. 61. aliquando inter plures diuiſa. III. 62. aliquando reſtricta. III. 62. 65. eius ſigna pleraque, quae vulgo iactant, incerta. III. 63. an ſemper competat nobilibus ? III. 64. *colonaria* ſaepe diuiſa a ciuili et criminali. III. 65. *domeſtica* dominorum in homines proprios. I. 41. et libertinos. I. 59. in familiam. III. 7. 13. *eccleſiaſtica.* *III.* 17. * *fonceria* quae ? *III.* 66. ſequ. *feudalis*, *ibid.* *mandata.* *III.* 9. eius quae hodie ratio. *III.* 60. ſequ. *maxima* quae ? III. 62. * *patrimonialis* ſub Francis. *III.* 36. nobilium. *III.* 52. an ex officio competat ? *III.* 64. an feminis ? *III.* 64. eius origo. *III.* 64. * *praediaria.* *III.* 66. ſequ. *propria.* *III.* 9. *prorogata* ſaepe in epiſcopos. *III.* 33. eius forum an hodie receptum. *III.* 97. *ſacra.* *III.* 30. 56. *ſolaria.* *III.* 66. ſequ. *ſuperior.* *III.* 64. *vrbana* quomodo paullatim adquiſita a collegiis decurionum. *I.* 113. *ſeq.*

Iuriſprudentia Germanorum praecipue criminalis. *II.* † 2.

Ius *canonicum* quando in terris Magdeburgicis receptum? *III.* 56. * *Germanicum* quid ? *I.* 1. etiam extra Germaniam viget. *I.* 1. vel publicum vel priuatum. *I.* 2. vel prouinciale, vel feudale, vel municipale. *I.* 3. vel ſcriptum vel non ſcriptum. *I.* 4. antiqui, medii et noui fontes. *I.* 8. *ſequ.* ex vicinarum etiam gentium moribus illuſtrari poteſt. *I.* 10. et 15. de eius principiis axiomata. *I.* 12. *ſequ.* hodie paſſim legibus, et moribus peregrinis inquinatum. I. 16. ſincerius ſupereſt in ciuitatibus, quam in prouinciis principum. *I.* 15. *Romanum* in Germania ſubſidiarium. *I.* 6. a Germanis victoribus olim relictum prouincialibus. I. 423. et in horum gratiam in varia corpora et compendia redactum. *II.* 176. * citius vſum habere coepit in principum palatiis, quam apud priuatos. *I.* 248. *

Ius in re et ad rem. *II.* 30. originis an mutato domicilio mutatum. *III.* 88. *retractus congrui* etc. vide ſub ſingulis his vocabulis.

In ius vocatio. vid. *vocatio.*

Iusiurandum de vitando territorio (die *vrphede*) vid. *vrphede.* ad id non admittebantur infames. *I.* 408. a Saxonibus deferendum ante praeſtitam guarandam

randam. *III.* 171. probatio per illud ſubſidiaria. *III.* 214. quando praeſtandum? *III.* 116. quomodo? *III.* 117. ſequ. vicariis manibus praeſtitum. *III.* 219. eius formulae improbatae religionis. *III.* 221. quibus ritibus iuratum apud Francos. Friſios aliaſque gentes. *III.* 222. quo geſtu iurarint maſculi, feminae, clerici. *III.* 227. 233. 234. quo ritu iurarint Iudaei. *III.* 228. ſequ. veterum iurandi rituum reliquiae. *III.* 259. ſequ.

Iusiurandum per arma. *III.* 198. * ſuper SS. euangeliis. *III.* 198. * 199. 235. *mit hand und mund, mit kopff vnd bruſt.* *III.* 260. in manu comitis. *III.* 221. tacto pectore et capillis. *III.* 227. per pectus. *II.* 233. in pecunia. *III.* 221. ſuper reliquiis ſanctorum. *III.* 199. 216. vicariis manibus. *III.* 219.

Iusiurandum neceſſarium fere tantum in vſu. *III.* 215. purgatorium vere ex iure Germanico eſt, quatenus eius vſus in criminalibus. *III.* 354. * ſuppletorium paene ignotum olim Germanis. *III.* 194.

Iuſtice domaniaire, vid. *iuriſdictio fonceria.*

Iuſtitia alta et maxima. *III.* 62. *

Iuſtitiarii. *III.* 60.

K.

KAbeln diuidere fructus ex rebus vniuerſitatis. *II.* 24.

Kämpffer-wunden qualia vulnera? *II.* † 91. *

Kluge frauen pro ſagis. *II.* † 38. * 254. *

Knapen, qui dicti? I. 71.

Knechte ingenui, armis nondum cincti. I. 71.

Köhr-erbe frater natu minor. II. 288. *

Köhr-recht, ius eligendi fratri natu minori prae maiore competens. II. 288. *

Königs-leute genus ſeruorum. I. 38. *

Koppel-holzung, iagd, weide. II. 388.

Kranz bezahlen. I. 221. * *der braut nehmen.* I. 221.

Κυνοφορία qualis poena? II. † 145.

L.

LAchinones pro latronibus. II. † 69. *

Lacina via quid? II. † 69.

Laiſa veteribus ſinus. II. 75.

Laiſowerpire iactu feſtucae in ſinum tradere. II. 75.

Laiſowerpium traditio vel renunciatio ſollemnis, hoc ritu facta. *ibid.*

Landfriede quid? II. 22. eius hiſtoria. II. † 235.

Landgerichte Kayſerliche. III. 44. ordinum imperii. III. 55.

Landgrauiorum dignitas an noua? I. 64. *

Landſiedley genus conductionis colonariae. I. 60. II. 405.

Lapidatio, ſupplicium apud Francos. II. † 370. et Sueuos. II. † 382.

Lapis, ſymbolum traditionis. II. 77.

Laſſi apud Saxones qui? I. 23. 38. 60.

Latrocinia Germanis antiquis non turpia. II. 58. II. † 65. eorum poena apud Burgund. II. † 258.

Laudemii origo. II. 118. in quibus rebus olim conſtiterit? II. 118. *

Launechild quaſi lehen-geld. II. 35.

Lazzi apud Saxones qui? I. 23.

Lebetis vſus iudicialis apud veteres Germanos. III. 232.

Legata ad pias cauſſas in teſtamentis alicubi neceſſaria. II. 190. itemque *zu wegen vnd ſtegen.* II. 299. prius apud Germanos recepta, quam heredum inſtitutiones. II. 209.

Legatorum aedes iure aſyli olim gaudebant. II. 18.

Legitima alicubi et cognatis debetur. II. 193.

Legitimati liberi an parentibus ſucceſſerint? II. 241. an hodie ſuccedant? II. 287.

Legitimatio per pallium. I. 150. per reſcriptum papae. I. 150. per reſcriptum principis. I. 154. per ſubſequens matrimonium. I. 154. 158. ſaepe fit ad eluendam tantum maculam natalium. I. 158. etiam ſpurii eius beneficii participes. I. 158. cur plures malint legitimari per comites palatinos Caeſar. I. 159.

Leges Germ antiquae collectae. I. 8. medii aeui collectae. I. 9. ſuae cuique populo a Germanis victoribus permiſſae. I. 423. dubiae interpretationis per duellum ad liquidum perductae. II. 231. * ſaeculi quae? III. 310. *

Lehens-ſatzung quid? *II.* 325.

Lehnen promiſcue de mutuo, commodato et dominii vtilis conceſſione dicitur. *II.* 360.

Lehenwaare pro laudemio. *II.* 125.

Leib-zeichen membrum e cadauere occiſo ad iudicem adlatum. *III.* 314.*

Leihen de mutuo, commodato, dominii vtilis conceſſione. *II.* 360. de locatione *II.* 406.

Leiſtmahnung requiſitio ad obſtagium. *II.* 452.

Leiſtung idem. *II.* 452.

Lenocinium Germanis veteribus ignotum. *II.* † 149. apud Francos ab ipſis maritis factum. *II.* † 167. * eius poena apud Boioarios *II.* † 175. Francos. *II.* † 171. Langobardos. *II.* † 183. Wiſigothos. *II.* † 160. ex iure Sax. et Lubecenſi. *II.* † 191. ex conſtitutione criminali. *II.* † 207.

Leproſi ſucceſſionis incapaces. *II.* 236.

Lepus, conuicium apud veteres. *II.* † 105. *

Leudis quid? *II.* † 22. *

Leuterationis origo. *III.* 305.

Lex Aquillia an a Germanis recepta? *II.* † 94. *ſequ.* morganatica quid? *I.* 500.

Ley-kauff pro arrha. *II.* 397.

Leytgeb, mulier cauponaria. *II.* † 186. *

Libelli dotis varii. *I.* 237. * 240. actionum ſcripti et prolixiores quando inualuerint. *III,* 128. famoſi quomodo eorum auctores puniantur. *II.* † 113. 120.

Liberi quomodo educati a Germanis. *I.* 134. iis non ſuccedebant parentes apud Wiſigothos, niſi ad diem X. vixiſſent. *II.* 244. recens nati Rheno immerſi. *I.* 147. *III.* 229.

Liberi illegitimi regum Merouingorum eadem iura habebant ac legitimi. *I.* 147. non Carolingorum. *I.* 147. * nec priuatorum. *I.* 148. quae eorum conditio? *I.* 156. non erant capaces ſucceſſionis in feuda et allodia. *I.* 156. nec admittebantur in collegia opificum, nec ad honores. *I.* 157. inter wildfangios fiſco cedebant. *ibid.*

Liberi ex impare nati matrimonio non habebant iura imaginum. *I.* 84. nec admittebantur ad ludos equeſtres et dignitates eccleſiaſticas. *I.* 226. aliquando tamen natales iis reſtituti. *I.* 225.

Liberi inceſtuoſi cuius conditionis. *I.* 148.

Liberi legitimi qui? *I.* 146.

Liberi ex matrimonio ad morganaticam nati cuius conditionis? *I.* 155.

Liberi ſeparati quomodo ſuccedant iure Lubecenſi? *II.* 281.

Libertatis amiſſio poena delinquentium. *II.* † 367.

Libertini in Germ. qui? 56. 57. patronis debent operas, cenſum, mortuarium. *I.* 58 in eos illis iurisdictio eſt. I. 59. raro praedia ſua iure optimo maximo poſſident. *I.* 60. non ſunt adſcriptitiae conditionis. *I.* 63. gaudent iure connubii, contractuum, teſtamentifactionis. *I.* 62.

Lidiſcardi quale vulnus. *II.* † 89. *

Lidoleip, quaſi *leihe zu leib*. *II.* 37.

Liedlohn, merces famulorum, vnde dicta? *I.* 38. *

Ligatio ingenuorum quomodo punita? *II.* † 365.

Lignum

Digitized by Google

Lignum, ſymbolum traditionis. *II.* 77.
Linteum, ſymbolum traditionis. *ibid.*
Linum, ſymbolum traditionis. *ibid.*
Lis apud Francos aliquando inficiando creſcebat. *II.* † 86.
Lites in Germania olim rariores. *III.* 7.
Liti modo ſerui, modo libertini. *I.* 23. * 38. *
Litis conteſtatio apud Germanos quid? *III.* 16. negatiua eiuſque effectus. *III.* 162. 165. adfirmatiuae ſubiunctae exceptiones peremtoriae. *III.* 166. an fieri debuerit, nondum praeſtita guaranda? *III.* 171. 178. euentualis vnde originem habeat? *III.* 180. ſuper ea interloquutio requirebatur. *III.* 180. eorum, qui criminis fuerant accuſati. *III.* 324. 351.
Litterae patentes. vid. *Steckbriefe.*
Litteras an habuerint veteres Germani. *I.* 4.
Locatione conductione apud Germanos aliquando tranſlatum dominium. *II.* 495. in ea eadem damni praeſtatio, quae in commodato. *II.* 406.
Lot-ding iudicium prouinciale certis anni temporibus habitum. *III.* 58. * 68.
Ludendo perditam pecuniam an heres ſoluere teneretur? *II.* 422. *ſequ.* an eo nomine pignorati quis poſſet. *II.* 423. * an hodie ea repeti poſſit? *II.* 419.
Ludicram artem facientes apud Germanos infames. vid. *Spielleute.* quid loco mulctae acceperint, ſi aliqua iniuria adfecti? *II.* † 385.
Luminis ſeruitutis meminit lex Burg. *II.* 136. *
Luparii venatores qui? *III.* 22.
Lupodunum vrbs vbi? *I.* 102.
Lupulus, in confinio natus, cuinam adquiratur. *II.* 69. *

M.

Maieſtatis crimen frequentiſſimum apud Wiſigothos, *II.* † 124. et Francos. *II.* † 131. eius rei ſaepe clam et per inſidias ſublati e medio. *II.* † 129. * quomodo punitum a vetuſtis Germanis. *II.* 128. ab Alamannis? II. † 138. *ſequ.* a Baiuuariis? II. † 132. *ſequ.* a Francis? II. † 128. a Langobardis? II. † 141. *ſequ.* ab Oſtrogothis. II. † 127. a Wiſigothis? II. † 125. *ſequ.* quomodo punitum poſt Francorum imperium? II. † 143. ex aurea bulla? II. † 144. ex conſtitutione criminali. II. † 145. *ſequ.*
Maioratus quae ſpecies vſusfructus? II. 41.
Maior diuidit, minor eligit. II. 241.
Maiores, vel *maiores natu* qui dicti apud Francos? I. 22. I. 74.
Mallatio quid? III. 109.
Malmanni quinam? I. 38. * III. 36. *
Mandatum apud Germ. non ſemper gratuitum. II. 382. quid circa illud iuſtum? *ibid.*
Mangones qui? I. 417. *
Mannitio quid? et quomodo facta? III. 109. 116. *ſequ.*
Manſionarii genus ſeruorum. I. 38. *
Manſuarii qui? III. 89.
Mantel-kinder. I. 150.
Manu truncati falſarii. I. 383. 402. eam poenam paſſi vel redimentes infames. I. 402. ſua iurare. III. 217. tertia, quarta, ſeptima, etc. III. 218. in proximi manu iurare. III. 218. in manu comitis. 221.
Manufirmatio cur dicta promiſſio? II. 335. *
Manumiſſio in Germ. facta per denarium. *I.* 41. in SS. eccleſiis. I. 50. per epiſtolam. I. 50. per impans. I. 53. per portas patentes. I. 52. per quartam manum. I. 52. per quatuor vias. I. 52. per ſagittam. *I.* 53. per teſtamentum. I. 50. eius effectus. I. 54. qualis hodie in vſu. I. 56.
Manus mortua, genus ſeruorum. I. 38.
Manus ſtipulata ſymbolum traditionis. II. 76. et promiſſionis. II. 335.
Marcheta ius obſcenum apud Scotos. I. 46.

Marchfalli deiectio ex equo. II. † 89. *
Marchzahn quid ? II. † 89. *
Maris dominium. II. 8. *
Maritagium quid ? I. 46. aliquando et pro dote acceptum. I. 241.
Maritus non ob dotem, ſed ob nobilitatem, adpetitus. I. 202. 208.
Maſca pro ſaga. II. † 278.
Maſcopey, ſocietas, cur ita dicta ? II. 407.
Maſſarii, genus ſeruorum. I. 38. *
Mater iure Germ. poteſtatem habet in liberos. I. 138. vſufructu gaudet in bonis liberorum. I. 139. tutorem dat liberis. I. 142. minorennis an tutelam ſuſcipere poſſit. I. 369. *
Maternae originis rationem habuere maiores. I. 76. 84.
Matrimonia ſeuera apud Germ. I. 169. et indiſſolubilia. I. 209. ab imparibus abhorrebant Germani. I. 75. 96. ex iis nati non ſuccedebant in principatibus. I. 96. finiebant patriam poteſtatem. I. 164. 168. et tutelam. I. 379.
Matrimonii ad morganaticam genuina ſedes. I. 300. quid ſit? I. 310. an ex lege Salica ? I. 301. * eius exempla. I. 302. *ſequ.* vnde dictum ad morganaticam ? I. 306. qui id contrahant ? I. 312. 313. liberi inde nati cuius conditionis ? I. 314. iuſtae illud contrahendi cauſſae. I. 317.
Mazen quid apud Heluetios? II. 467. *
Meilen-recht. I. 121.
Membra hominis certo pretio aeſtimabant Franci. II. † 87. *ſequ.*
Mendacii argui, ſumma iniuria. I. 412.
Mengen qui ? I. 427. *
Menſurae falſae poena. II. † 319. 321. 325.
Mercatorum priuilegia. I. 116. 123. codices cur ſemiplene probent ? I. 116.
Mercatoria iuriſdictio. III. 72.
Mercaturam adſpernantur ingenui. I. 79.
Mercheta ius obſcenum Scotorum. I. 46. *
Mercium falſarum poena. II. † 325.
Meretrices apud Germanos in ames. I. 398. earum poena. II. † 208.
Merouingici reges πολύγαμοι. I. 206. inceſtuoſi. I. 205. impares nuptias adfectabant. I. 207. eorum liberi naturales eiuſdem conditionis cum legitimis. I. 147.
Meſſen cur dictae nundinae? I. 117.
Meta Langobardis dos, quaſi *miete.* I. 181. haec et morgengaba dotem abſorbebat. I. 240.
Metallica iudicia ſaeculo XIII. III. 89.
Metallifodinae principum. II. 8. et 23.
Metropolitanorum ſub Francis iuriſdictio. III. 34.
Metterium iurare. III. 217.
Meyborgen-zinſs pro cenſu promobili. I. 42.
Meyer, genus colonorum. I. 60. II. 405. *
Meygaſſen-zinſs, cenſus promobilis. I. 42.
Mez veteribus terminus. III. 326. *
Mezibann proſcriptio inferior. *ibid.*
Militari genere nati dicebantur ingenui. I. 63.
Milites iidem qui ingenui. I. 63. agrarii iidem. I. 63. primi, ſecundi, tertii ordinis, gregarii, qui apud Wipponem? I. 92.
Militiam equeſtrem ſequebantur Germani. I. 71. ſoli ingenui apud veteres Germ. conſtituebant. I. 79. vrbanam quando primum viderit Germania ? I. 130. qui illam ſubterfugiebant, quomodo puniti? vid. *fuga.*
Millenarii officiales apud Wiſigothos. III. 11.
Milliarii ius in Saxonia. I. 121.
Minare pro perſequi. II. † 36. *.
Mineralia principum ſunt in Germania. II. 23.
Miniſteriales aliquando pro ſeruis. I. 28. aliquando ingenui. I. 73.
Minorennitas quando hodie finiatur. I. 30.
Minores natu apud Francos qui? I. 12.

Miſſorum

Miſſorum dominicorum origo et officium. III. 26. *ſequ.* eorum diuerſi ordines. III. 27. iudicia quatuor annua. III. 28. ad eos prouocatum. III. 29. quamdiu haec dignitas durarit? III. 53.
Molendina ſanctione poenali munita. II. † 45.
Mombour, tutor. I. 360. *
Monetae falſae crimen, et poena apud Burgundiones. II. † 312. Goslarienſes, II. † 322. Langobardos. II. † 317. Saxones. II. † 318. Sueuos. II. † 321. Wiſigothos. II. † 310. qualis poena ex conſtitutione criminali? II. † 327.
Monſtroſi ſucceſſione excluſi. II. 236.
Mora purgata probatis legitimis impedimentis. III. 126.
Mordbrand et *brand* quomodo differant? II. † 284.
Mordridum homicidium doloſum, maxime proditorium. II. † 260. 272.
Morganatica lex, vid. *matrimonium.*
Morganaticum pactum an reuocabile? I. 316.
Morgengabae origo. I. 214. quid ſit? I. 249. an et tempore Taciti nota? I. 235. an eadem cum dote Germ. I. 215. * eius quantitas. I. 216. quo ritu conſtituta apud Langobardos. I. 216. quomodo ſequiore aeuo? I. 217. 258. in ea quod ius conſequuta ſit vxor? I. 247. 259. quaedam poſt mortem mariti vxori debetur. I. 289. II. 271. * eam et vxor ad legem morganaticam ducta accipiebat. I. 306.
Morgengnad. pro morgengaba. I. 306. *
Morte turpiſſima perire incertum ſupplicium. II. † 253. *
Mortem redimere an licuerit? II. † 371.
Mortuarii ius. I. 45.
Mortuos concremarunt Germani. II. † 341. et Saxones diutiſſime. II. † 345. *
Moti termini crimen, vid. *terminus.*
Mulcta frequentiſſima Germanis poena. II. † 384. cui pendenda? II. † 284. *ſequ.*
Mulieres Celtarum laborioſiſſimae. I. 263.
Mit mund vnd halm. II. 336. *
Mundiburdis tutor. I. 360. *
Mundium quid? I. 132. in eo qui vixerint? I. 132.
Mundmann quis? I. 132.
Mundwald, tutor. I. 360. *
Marci qui? I. 395. *
Muſices genus apud Germanos antiquiſſimum rhythmorum cantillatio. I. 405.
Muſstheil, ex bonis mariti viduae debetur. I. 259. II. 271. *
Muthen auf die meiſterin oder meiſters tochter. I. 223.
Mutilatio, poena Germanis vſitata. II. † 372.
Mutterloſe wayſen Germanis noti. I. 138. *
Mutuum an conuentio oneroſa? II. 353. * cum commodato confuſum. II. 360. in Germania olim rariſſimus contractus. II. 377.
Myladys in Anglia vocantur filiae illuſtrium etiam plebeiis nuptae. I. 228.

N.

N*Achbarn-recht* quid? II. 415.
Nachſteuer, quale vectigal? I. 61.
Nani ſucceſſionis incapaces. II. 236.
Naſi abſciſſio, poena Graecis et Francis vſitata. II. † 128. *
Naſtaid quale iuſiurandum? II. 268. *
Naeſſum. vid. *noſſum.*
Naufragorum bona colligendi ius. II. 23. ei oppoſita *auth. nauigia C. de furt.* II. 23. *
Nautica iuriſdictio. III. 72.
Nefandae Veneris crimen Germanis ignotum. II. 3. poſtea eo ſe polluerunt Wiſigothi et Burgundiones. II. † 170. * eius poena apud Francos. II. † 170. Sueuos. II. † 190 Wiſigothos. II. † 158. ex iure hodierno. II. † 204.
Neiſligante apud Francos idem ac apud Romanos Lucius Titius. III. 154. *
Niedergerichts-findung. Hamburgi ſententia iudicii inferioris. III. 168. *

Nobiles

Nobiles in Germania vetere qui ? I. 25. 86. ita non vocabantur ingenui. I. 63. Tacito dicti principes. I. 87. quales duces et comites. I. 88. et medio aeuo vocati principes. I. 89. item epiſcopi et praelati. I. 90. ſaepe totas prouincias iure allodiali poſſidebant. I. 91.
Nobilitas ad poſteros tranſibat. I. 27. ad eam in monarchiis et libertini adſpirabant. I. 87. eius gradus. I. 92. matris an nobiles fecerit liberos. I. 228.
Nodus, ſymbolum traditionis. II. 77.
Noſſus ſarcophagus. II. † 342.
Nominati vel denominati qui ? III. 217. *
Nominum dies, nonus vel decimus dies a natiuitate. II. 244.
Non capitales poenae quae ? vid. *poena*.
Notariorum in iudiciis Germanicis officium. III. 71.
Notula, ſymbolum traditionis. II. 77.
Nouatione an apud Germanos ſublata obligatio. II. 471.
Noxales actiones apud Oſtrogothos. II. † 84. an hodie in vſu ? II. † 99.
Numellarum ius etiam cum iuriſdictione ciuili coniunctum. II. † 29.
Numi bigati qui? vid. *bigati ſerrati*. vid. *ſerrati*.
Nuncii camerae qui ? III. 94. *
Nundinae quotuplices, earumque iura. I. 117.
Nuptiae ſine conſenſu parentum initae irritae. I. 117. apud omnes gentes ſollemni ritu factae. I. 195. ad eas ſero animum adpellebant Germani. I. 203. inceſtae prohibitae. I. 205. impares exoſae, praeterquam regibus Merouingis. I. 207. 225. earum ritus. I. 209. ſecundae et Germanis exoſae. I. 319. *

O.

OBaerati in Germania creditoribus addicti. I. 37.
Obligatio ad infamiam. I. 412. II. 462. ad inediam. II. 462. ad proſcriptionem, *ibid.* obſtagium. II. 452. depraedationem. II. 459. *ſequ.* pignorationem. II. 460. ad picturam famoſam II. † 101. * naturalis, ciuilis et mixtae diſcrimen ignorarunt Germani. II. 328. quotuplex apud Germanos ? II. 329. quomodo tollatur ? II. 471. ſequ.
Obreptus idem ac *obere buſſe*. II. † 106. *
Obſignatione an ſublata obligatio? II. 477.
Obſtagii origo. II. 453. ſequ. ad id frequenter ſeſe obligabant Germani. II. 452. etiam ciuitates. II. 456. * etiam principes, qui vel ſe ipſos, vel vaſallos et fidejuſſores obligabant. II. 457. conjunctum erat cum comiſſationibus. II. 458. quando in Germania ab vſu receſſerit? II. 467. eius hodiernus vſus in ducatibus Sleſuicenſi et Holſatico. II. 468. *ſequ.*
Occupatio bellica, qualis olim in Germania adquirendi modus ? II. 58. *ſequ.* qualis hodie ? II. 87.
Officia palatina in aulis principum aliorumque nobilium, I. 82.
Ὠνεῖσθαι pro emere, vnde ? I. 178.
Opſtracht traditio per effeſtucationem. II. 80.
Operae ab hominibus propriis dominis praeſtandae. I. 43. indefinitae. I. 43. ruſticorum ſeruitutes in faciendo conſiſtentes. II. 132.
Opes in poenam ademtae. II. † 367.
Opificia an et in pagis exerceri poſſint ? I. 123. qui illa in vrbe exerceant ? I. 124. ſordida exiſtimationi hominum nocebant. I. 415. honeſta dicebantur, quibus fas erat coire in collegium. I. 415. *
Opificum priuilegia. I. 123. collegia. *ibid.* ii extra collegium vxores ſibi quaerere non poſſunt. I. 123.
Optandi ius, minori natu fratri competens. II. 183.
Oratores (*furſprechen*) quales in Germania. III. 346. *
Ordalium quid. III. 183. *
Ordela quid ? III. 183. 230.
Originarii, genus ſeruorum. I. 38. *

Originis

Originis forum an apud veteres Germanos locum habuerit? III. 76. an medio aeuo? III. 88. an hodie? III. 97.
Orſcardi, cicatrix in aure. II. † 89. *
Oſculum ſponſae oblatum. I. 182.
Oſtaticum pro obſtagio. II. 455.
Oſtium, ſymbolum traditionis. II. 77.
Oſtphali et Weſtphali non iiſdem per omnia legibus vtebantur. I. 239.
Ottonis per barbam iuratum. III. 221. *
Ouefen quid in iure Saxonico? II. 136. *

P.

PAciſcentium ritus varii. II. 335. *ſequ.* hodierni. II. 340.
Paciſci an poſſint impuberes, minores, filii-familias? II. 342.
Pacta in Germania et actionem et exceptionem producunt. II. 340. inter nuda et non nuda nihil intereſt iure Germ. II. 330. 344. non differunt a contractibus. II. 330. 344. eorum auctoritas apud Baiuuarios. II. 334. Saxones et Sueuos. II. 337. Wiſigothos. II. 333. imperfecta non valent. II. 343. liberatoria ipſo iure tollunt obligationem. II. 346. de permutando valent. II. 410.
Pacta *ſucceſſoria* iure Germ. licita. II. 140. 146. cur turpia viſa Romanis? II. 146. * *adquiſitiua* olim licita. II. 150. 161. *ſequ.* eorum ſollemnitas apud Anglios. II. 156. Baiuuarios. II. 155. Burgundiones. II. 154. Francos. II. 151. *ſequ.* Saxones. II. 156. Wiſigothos. II. 153. frequentia non modo inter illuſtres. II. 170. ſed et inter priuatos. II. 170. *confraternitatis*. II. 170. *conſeruatiua* an olim licita? II. 148. 160. cuius hodie effectus? II. 169. frequentia inter familias illuſtres. II. 169. *Diſpoſitiua* an apud veteres licita? II. 147. 159. ea reiicit ius Sueuicum. II. 166. an hodie licita? II. 168. *dotalia* etiam per modum ultimarum voluntatum ineuntur. II. 171. de *ganerbinatu*. II. 170. de *maioratu*. II. 170. de *primogenitura*. II. 170. *Renunciatiua* an olim licita? II. 149. quem hodie effectum habeant? II. 173. an iureiurando neceſſario firmanda? II. 173.
Pagani (*bauergulten*.) II. † 385.
Pagi Weſtphalici hodierni vetuſtis ſimiles. I. 109. * vnde nomina acceperint? I. 100. *
Pagi vel *gowae*, in eos Germania iam antiquiſſimis temporibus deſcripta. III. 4. nec non medio aeuo. III. 8. per eos comites ius dicebant. III. 8.
Palatia principum ſancta. II. 17. II. II. † 45. * gaudent iure aſyli et immunitatis. II. 18. ea violantium poena. II. 19.
Palatii comitum iuriſdictio apud Francos. III. 17.
Palinodia: ad illam actio vnde. II. † 115.
Palla, ſymbolum traditionis. II. 77.
Pallium per iſtud facta legitimatio. I. 150.
Panis oblatus, ſymbolum traditionis. II. 77.
Papiani reſponſum in gratiam prouincialium a Burgundionibus victorum, factum. II. 176. *
Parangiare quid? II. 133.
de Parentela ſe tollendi modus. I. 165. II. 149.
Parentes medio aeuo dicti cognati. I. 188.
Parentes ius vitae et necis in liberos habuere temporibus antiquiſſimis. I. 135. ſequ. iis poſtea ius tantum flagellandi permiſſum. I. 135. 140. an venundare potuerint liberos? I. 137. adminiſtrabant bona liberorum aduentitia iure vſufructuario. I. 139. dirigunt liberorum actiones. I. 140. non ſunt cum liberis vna perſona. I. 143. eorum conſenſus requiritur in actionibus liberorum. I. 143.
Pares curiae vnde dicti? III. 90. *

Paroemiae iuris:
Alle freyer reich, alle gefangene arm. I. 192.
Auf eine lügen gehört eine maulſchelle. I. 412. *
Bürgen muſs man würgen. II. 449. *
Byl-brief gaet vor bodmerey-brief. II. 433. *
Das kind gehört zur ärgern hand. I. 225.
Der hehler ſo gut, als der ſtehler. II. † 32. *
Die henne trägt das hand-lohn auf dem ſchwanze. I. 60. *
Die den mann trauet, die trauet die ſchulden. I. 222. *
Ehren-worte binden nicht. II. 340.
Ein wort ein wort, ein mann ein mann. II. 337.
Femme gagne ſon douaire, à mettre ſon pied au lit. I. 215.
Geld vor, recht nach. II. 475.
T' Goet moet gaen van daer 't gekomen is. II. 187.
Hand muſs hand wahren. II. 81. * II. 368.
Hehler vnd ſtehler gehören an einen galgen. II. † 32.
Huth bey ſchleyer, ſchleyer bey huth. I. 230. *
Iſt der finger beringet, ſo iſt die iungfrau bedinget. I. 187. *
Keine henne flieget über die mauer. I. 39.
Längſt am leib, längſt am gut. I. 278.
Leib an leib, gut an gut. I. 278. *
Mann ende wyf hebben geen verſcheyden gut. I. 278. *
le Mort ſaiſit le vif. II. 296.
Ritten, royen, das en is geene ſchande, dat doynt de beſten van dem lande. II. † 72.
Tauſch iſt kein raub. II. † 77.
Wehrmann haben hülffe nicht. II. † 117.
Wenn die decke über den kopf iſt, ſind die eheleute gleich reich. I. 257.
Wer den kindern giebt das brod, vnd leidet ſelber noth, den ſchlage man mit dieſer keule todt. II. 359.
Wo der mann recht fordert, da ſoll er rechts pflegen. III. 87.
Zuſagen macht ſchuld. II. 337.
Parricidium quid? II. † 290. apud Germanos cur rarius? *ibid.* * pro illo et expoſitionem infantum habebant Wiſigothi. II. † 293. itemque abactionem partus. II. † 294. eius poena myſtica. II. 301. * qualis apud Friſios. II. † 298. Langobardos. II. † 300. Saxones et Sueuos. II. † 301. ſecundum conſtitutionem criminalem Carolinam. II. † 303.
Partus abactio apud Wiſigothos ſpecies parricidii. II. † 294. eius poena apud illos capitalis. II. † 294. diſtinctio inter partum vitalem et non vitalem. II. † 294. * qualis eius poena apud Baiuuarios. II. † 296. et apud Francos. II. † 295.
Paſcha quotuplex Chriſtianis? II. 108.
Paſtor an cogendus ducere paſtoris defuncti viduam vel filiam? I. 223.*
Patibulum, furum poena. II. † 43. 47. 50. 382.
Patria expelli poena maxima. II. † 367.
Patroni cauſſarum, vid. *aduocati.*
Pax publica pactis et legibus ſancita. II. † 234. 235. eius participes non erant delinquentes, praeterquam in certis locis. II. † 17. eius adſertores. III. 11.
Peculatus crimen eiuſque poena. II. † 361.
Peculium vxorum apud Gallos Ciſalpinos quid? I. 234.
in *Pecunia iurare* quid? III. 221.
Pellicatus apud Germanos prohibitus. I. 309. *ſequ.*
Perbannire quid? III. 195. *
Perduelles Germanis dicti proditores. II. † 112. *

Perc:

Peregrinorum amantes Germani. I. 419. *ſequ.* eos facile ſuſcipiebant. I. 420. eos aduenientes ciuitate donabant. I. 425. minor tamen eorum erat compoſitio quam ciuium. I. 426. ii alicubi in ſeruitutem redacti. I. 427. eorum bona iure albinagii fiſco vindicata. I. 428. hodie illi eodem fere iure, ac ciues, fruuntur. I. 429. niſi quod pauciſſimis locis in ſeruitutem rediguntur. I. 430. et alicubi teſtari non poſſunt. I. 194.

Periculum rei venditae. II. 396.

Permutatio, contractus Germanorum antiquiſſimus. II. 390. eius nomina. II. 391. * aequiparata emtioni venditioni. II. 391. eius requiſita. II. 393. vi extorta an rata? II. † 77.

Perſequutio delinquentium per litteras patentes. III. 339.

Perſona et homo an iure Germ. differant. I. 20.

Pfalburger qui? I. 126. leges iis oppoſitae. *ibid.*

Pfand-herr cur dictus creditor? II. 315.

Pfand-lehen quid? *ibid.*

Pfleger, tutor. I. 360. *

Pfleghaffige qui? II. 125.

Pictura famoſa: ad eam ſe obligabant Germani. II. † 101. *

Pignoratio: ad eam ſe Germani obligabant. II. 460. *ſequ.* animalium ob damnum depaſcendo datum. II. † 86.

Pignus: an in eo creditori competierit dominium? II. 315. 318. in eo dominium habuit creditor iure Francico. II. 323. et Saxonico. II. 319. *ſequ.* non differebat olim a venditione cum pacto de retrouendendo. II. 324. illo creditor aliquando inueſtiebatur. II. 325. rerum immobilium apud acta conſtitutum. II. 443. *ſequ.* 464. cum ſollemnitate andelangi.

Pileus, ſymbolum traditionis. II. 77.

Pingere animal in furtum quid? II. † 86. *

Piraticam fecere Germani. II. 58.

Piſcandi ius quatenus principum. II. 8. 57. cuiuſnam hodie. II. 86.

Piſces, ſymbolum traditionis. II. 77.

Plagium, crimen apud Germanos frequentiſſimum. II. † 330. eius poena apud Alamannos. II. † 332. Baiuuarios. II. † 331. Friſios. II. † 331. Francos. II. † 333. Oſtrogothos. II. † 331. Saxones veteres. II. † 332. nouos. II. † 334. Sueuos. II. † 334. Wiſigothos. II. † 330. ex conſtitutione criminali Carolina. II. † 335.

Plantatio qualis adquirendi modus olim? II. 67. et hodie? II. 94.

Poena in inſtrumentis dicta iis, qui conuentionem violent. II. 299. * ab ea aliquando liberabat poenitentia. II. † 5. * eam olim ſacerdotes infligebant. II. † 6. capitalis rariſſima apud veteres. II. † 14. in quo conſtiterit? II. † 369. qualis apud Saxones et Sueuos. II. † 382. qualis per conſtitutionem criminalem. II. † 388. *ſequ.* capitalis apud Saxones. II. † 15. quotuplex ſecundum Tacitum. II. † 14. * apud Saxones, vti apud Perſas aliquando cognatis ſimul irrogata. II. † 15. * etiam capitalis pecunia redimebatur. II. † 23. vti hodie non capitalis. II. † 29.

Poena quid? II. † 367. in quo conſiſtere ſoleat? *ibid.* quotuplex? II. † 368. capitalis vbi infligenda? II. † 369. aliquando et cadaueri irrogatur. II. † 391. priuatiua alia, alia poſitiua. II. † 368. ea aliquando laeſi arbitrio permiſſa. II. † 371.

Poena pecuniaria receptiſſima Germanis. II. † 379. 380.

Poenae talionis vſus exiguus. III. 350. *

Poenitentia locum non habebat apud Germanos in contractibus, quos Romani innominatos vocant. II. 410. aliquando

a poena liberabat. II. † 5.
Poetae veterum Germanorum quales? I. 405. *
Πόλις an ſemper vrbem notet? I. 99. *
Πολυγυνία non niſi potentioribus nota. I. 200. 206. alioquin in vniuerſum prohibita. I. 224.
Πωλεῖν, vendere, vnde? I. 178. *
Polizza quid? II. 438. eius formula. II. 438. *
Pomponius Mela Germaniam deſcripſit. I. 5.
Ponderis falſi poena ex iure Saxonico. II. † 319. Sueuico. II. † 321. conſtitutione criminali. II. † 325.
Pontifices Romani quando ſibi iuriſdictionem in imperatores adrogarint. III. 38. *
Pontificium pro poteſtate. II. 37. *
Poſſeſſor bonae fidei quos fructus percipiat? II. 95.
Poteſtas parentum qualis iure Germ. antiquiſſimo? I. 135. vtrique communis. I. 138. 143. conſiſtebat in mundio ſeu tutela. I. 138. apud Germanos iuris naturae tantum. I. 143. patriae poteſtati Romanorum diſſimillima. I. 144. magis liberis, quam parentibus vtilis. I. 145. quibus modis adquiſita? *ibid.* quibus modis ſoluta? I. 162. 171. 172. *ſequ.*
Poteſtas mariti in vxorem. I. 261. * quid ſit? I. 285. apud Gallos in iure vitae et necis conſtitit. I. 265. itemque apud veteres Germanos. I. 265. eius origo ex coemtione vxorum. I. 265. * non vbique eadem. I. 282. 283. 297. *ſequ.*
Praeceptores palatii pro comitibus palatii. III. 292.
Praefecturarum origo. III. 23.
Praeſcriptio XXX. annorum. II. 100. talis recepta apud Belgas. II. 100. Burgundiones. II. 103. Francos. II. 101. *ſequ.* Gallos. II. 111. Langobardos. II. 105. Saxones. II. 108. Sueuos. II. 109. Wiſigothos. II. 104. in emporiis contractior. II. 112. veluti Lubecae. II. 113. an iure Germ. in ea requiratur bona fides? II. 106. 108. * 122. an vbique obſeruetur diſcrimen rerum mobilium et immobilium? II. 121. an exigatur vbique iuſtus titulus? II. 122. vnius generis apud Germanos. II. 123. circa eam multa mutauit vſus iuris Romani. II. 126.
Praeſtare pro mutuum dare et commodare. II. 363. *
Praeſtaria eadem ac precaria. II. 39.
Praeuidere pro praeeſſe. I. 104. *
Precaria, vſusfructus Germanici ſpecies. II. 38. quid iuſtum circa illam? II. 47.
Precarium in Germania vix diſtinctum a commodato. II. 380. quodnam vocetur mutuum? II. 388.
Preſter promiſcue de mutuo et commodato accipitur. II. 363. *
Principes quinam apud Caeſarem et Tacitum? I. 87. III. cur armati ſiſtantur in ſigillis? I. 94. iuuenes cur venantes in iiſdem repraeſententur? I. 94. eorum arma et vexilla in funeribus feruntur. I. 94. eorum tituli. I. 95. ii an et fratribus natu minoribus dati? I. 95. * ab impare matrimonio abhorrent. II. 96. quomodo quis factus ſit? II. 72. eorum cauſſae vbi tractatae. III. 39. *ſequ.*
Principis filia, nupta comiti, ſereniſſima vocatur. I. 227.
Priuilegii de non euocando origo. III. 88.
Probatio apud Germanos quotuplex? III. 183. cui iure vetere incubuerit? III. 184. *ſequ.* cui ex iure Saxonico? III. 186. *ſequ.* cui ex iure Sueuico? III. 188. eam ſuſcipere non licet pro lubitu, ſed poſt iudicis interloquutionem. III. 255.
Probatio per inſtrumenta. III. 189. 202. per iuſiurandum. III. 189. tantum ſubſidiaria. III. 214. per teſtes. III. 189. eius effectus. III. 201.

Pro-

Digitized by Google

Proceſſus accuſatorius, vid. accuſatorius.
Proclamare, pro in ius vocare. III. 82. *
Procuratores medio aeuo extra vſum, praeterquam ad excuſandam abſentiam. III. 94. an diſtincti ab aduocatis? III. 95. III. 101. dicti *bothen*, *miſſi*, *nuncii*. III. 94. * quinam eſſe potuerint? III. 84. qui ordinarii? III. 101. a quibus conſtituantur? III. 102. eorum hodierna conditio ex iure Romano et canonico. III. 103.
Prodigalitas, iuſta alicubi eſt exheredationis cauſſa. II. 207. * 211. *
Proditores dicebantur perduelles. II. † 122. eorum poena tempore Taciti. II. † 123.
Promiſſum captiuorum an obligatorium? II. 339. facti eſt obligatorium abſciſſe. II. 346.
Propinatio, ſymbolum traditionis. II. 78.
Proſcriptio abſentium olim receptiſſima. III. 326. etiam iure Sax. et Sueu. III. 327. multis locis extra vſum. III. 351. obtinet adhuc in Saxonia. III. 351. quotuplex? III. 326. * 351. eius effectus. III. 330. 353. illa quomodo quis exemtus ſit. III. 329.
Proſcripti agere non poterant. III. 685. recipi a nemine impune poterant. III. 328. *
Prouincialibus ius Romanum permiſere victores Germani. I. 248. * II. 179. in eorum gratiam confecta corpora iuris. II. 176. *
Prouocatio ex *l. diffamari* et ex *l. ſi contendat* an maioribus cognita? III. 85. *
Pubertas et minorennitas apud Germanos non differebant. I. 336. Eius terminus apud Francos. I. 337. Langobardos. I. 339. Normannos. I. 338. Wiſigothos. I. 336. finiebatur alibi poſt annum XX. I. 341. alibi poſt XXI. I. 342. alibi poſt XVIII. I. 343. eam alibi citius, alibi tardius, quam maſculi, attingunt feminae. I. 341. * alicubi non ex annis aeſtimatur. I. 344.
Publica aedificia ſancta. II. 20.
Publicae res quae? II. 8. eas ſibi principes vindicabant. II. 8. ita et hodie. II. 23.
Pudicitia Gallorum, I. 146. * Germanorum. I. 146. Gothorum. I. 146. * Saxonum. *ibid.* Varnorum et Vandalorum. *ibid.*
Pueritia longa Celtis, et Illyriis. I. 335. Germanis. I. 334.
Pulebruſt quale vulnus? II. † 89. *
Puleslach quale vulnus. II. † 87. *
Pupillus aliquid agere poterat ſine tutore. I. 37.
Purgatio quid et quotuplex? III. 183. per *aquam*. III. 229. *ſequ.* feruentem. III. 232. frigidam. III. 231. per *certamen ſingulare*. III. 239. eius ritus. III. 240. quando abrogata? III. 241. per *corſnid*. III. 237. per *crucem*. III. 233. per *duellum*. vid. *certamen ſingulare*, *duellum*. per *S. eucharistiam*. III. 238. * per *ferrum candens*. III. 234. quando abrogata? III. 235. et * per *iuſiurandum*. vid. *iuſiurandum*. per *ſortem*. III. 236.
Purgationes quae a Saxonibus et Sueuis receptae. III. 242. vulgares poſtea reprobatae. III. 253. an et hodie earum quaedam veſtigia ſuperſint? III. 262.

Q.

Quadrupedes ſi damnum dederant, quomodo id vindicatum a Burgundionibus? II. † 85. * Francis? II. † 86. *ſequ.* Oſtrogothis? II. † 84. * Saxonibus, Sueuis et Wiſigothis. II. † 84. II. † 92. quomodo hodie?
Quaeſtiones dirae, vid. *tortura*, *extenſio*.
Quaſi contractus an Germanis noti? II. 471. an quaſi delicta? II. † 3.
Quarteriorum ius quale? II. 18. *

Quingentariorum officium apud Wiſigothos. III. 11.

R.

R*Achinburgii* iidem ac ſcabini. III. 5. 19. a Wendelino ab his fruſtra diſtincti. III. 19.
Ramus, traditionis ſymbolum. II. 74.
Rapinae an et quales veteribus Germanis licitae? II. † 65. ab Henrici IV. Imp. temporibus gliſcere coeperunt. II. † 71. * earum poena apud Burgundiones. II. † 68. Francos. II. 69. *ſequ.* Wiſigothos. II. † 67. an medio aeuo impune factae? † 72. quomodo differant a depraedatione? II. † 73. poena capitalis iure Sax. et Sueu. II. † 74. ex ſtatutis medii aeui. II. † 75. ex conſtitutione Carolina. II. † 76. quid iure hodierno? II. † 77. an in rapinae poena damni habeatur ratio? II. † 78. quando ea poena mitigetur? II. † 79. an qui rapuerunt Iudaeis, mitius puniendi? III. 79.
Raptor impune occidebatur. II. † 70.
Raptus mulierum poena apud Angliós. *II.* † 230. Alamannos. *II.* † 227. Baiuuarios. *II.* † 226. Burgundiones. *II.* † 219. Friſios. *II.* † 229. Langobardos. *II.* † 232. Oſtrogothos. *II.* † 217. Ripuarios. *II.* † 223. Salios. *II.* † 222. Saxones. *II.* † 228. Wiſigothos. *II.* † 217. *ſequ.* ex conſtitutione criminali. *II.* † 239. 243. ob quas cauſſas mitigetur? *II.* † 244.
Rathinburgii. vid. *rachinburgii.*
Rationes quomodo reddiderint tutores? *I.* 365. an et legitimi? *I.* 310.
Recadentiae ius impedit teſtamentifactionem. *II.* 193. quale illud? *II.* 287.
Receptatorum poena. *II.* † 365.
Rechtloſe leute quinam dicti? *I.* 315. 408. *
Reclamatores aduocati. *III.* 82. *
Reconuentioni an locus apud maiores? *III.* 87. ea inſtituenda finita conuentione. *III.* 87. 97.
Redhibitio rei vitioſae venditae quando fieri potuerit? *III.* 395.
Regalia ſola aliquando a principibus et ordinibus Imperii in feudum ab Imp. accipiuntur, non terrae. *II.* 31.
Reges ſuos parum reuerenter habuere Wiſigothi. *II.* † 124. eorum cauſſae in comitiis tractatae. *III.* 38. ius dicebant ipſi. *III.* 93. maxime ſi ad eos adpellatum. *ibid.* etiam iure Sax. et Sueuico. *III.* 299.
Rei ſitae forum, vid. forum.
Reipus quaſi reu-buſse quid? *I.* 181. * 221. *
Relatio nuncii de exhibita citatione. *III.* 129.
Relegationis poena. *II.* † 389. *
Releuium quid? *II.* 119.
Religio veterum Germ. qualis. *II.* 2.
Religioſae res. *II.* 6.
Reliquiae ſanctorum in iudicio fuerunt. *III.* 126. iis iurantes dextram impoſuerunt. vid. *iusiurandum.*
Remedia ſuſpenſiua eorumque origo. *III.* 305.
Repetundarum crimen quale? *II.* † 363. eius poena qualis? *II.* † 364.
Repraeſentationis ius in deſcendentibus valuit apud Wiſigothos et Francos. II. 229. Langobardos. II. 230. non apud Saxones veteres. II. 231. an apud recentiores. II. 234. et apud Sueuos. II. 240. in Gelria anno demum MDLX. introductum. II. 280. hodie etiam paſſim reſtrictum. *ib.*
Repraeſentationis ius in collaterali linea non obtinuit apud Francos. II. 229. nec apud Langobardos. II. 230. ne hodie quidem in Saxonia vbique obtinet. II. 288.
Reprobationis [*des gegenbeweiſes*] origo. II. 354.
Requiſitio ad auſtregas quomodo fiat? III. 127. *

Digitized by Google

Res diuini iuris. II. 2. 3. *ſequ.* humani iuris. II. 2. 7. *
Res communes, II. 7. corporales. II. 11. fiſcales. II. 12. 14. 16. quotuplices? III. 138. immobiles. II. 11. mobiles. *ibid.* propriae. II. 12. 16. eae quotuplices? II. 13. 16. publicae. II. 8. religioſae. II. 6. ſacrae. II. 3. ſanctae. II. 4. ſingulorum. II. 10. vniuerſitatis. II. 9.
Res iudicata quando in eam tranſierit ſententia? III. 275. eius effectus apud veteres. III. 274.
Reſignatio rerum immobilium. II. 96.
Retractus origo. II. 399. eius veſtigia in iure Alam. II. 410. in lege Saxonum. II. 400. in iure Saxonico. II. 401. in iure Lubecenſi. II. 403. in conſtitutione Fridrici II. Imp. II. 404.
Retractus ex iure congrui et vicinitatis. II. 413. gentilitius. II. 412. eius fatale.
Retruſio quid Wiſigothis? II. † 376.
Reus. Eius forum ſequebatur actor. III. 75. immo et ius eiuſdem. III. 77. eius partes fauorabiliores, quam actoris. III. 160. eum iurare patiebantur Burgundiones. III. 162. * ad contrarii probationem admittitur in Germania. III. 254. *
Reus criminis carceri mancipatus. III. 318. *ſequ.* quibus caſibus datis fideiuſſoribus liberatus? ibid. quando liber a ſatiſdatione? III. 319. * quomodo exhibendus? III. 321. abſentis proſcriptio. vid. *proſcriptio.* praeſentis conuictio. III. 831. *ſequ.* ſupplicio adfecti ſepultura. III. 341.
Ῥινοκοπεῖσθαι, poena Conſtantinopolitanis et Francis vſitata. II. † 128. *
Rhythmorum ſtudioſi Germani. I. 405. * et Dithmarſi maxime. *ibid.*
Richtſteig über das Sachſ. land-rechs liber praeſtantiſſimus praeſtat. Tom. II. eius auctor incertus. III. 134. *
Riſtorno quid in contractu adſecurationis? II. 440.
Roden vnde deriuandum? II. † 259. *
Rolandinae ſtatuae in vrbibus Germaniae. I. 114.
Rotland. II. 259. *
Rüge-gerichs. III. 68.
Rukfalls-recht. vid. *recadentia.*
Ruſtici an in totis territoriis et prouinciis manumiſſi? *I.* 58. *
Ruſcher-zinſs. *I.* 4. *II.* 35.

S.

SAccus ſine ſutura cum aliquot numis a vidua nubente offerendus iudici. I. 122. *
Sacerdotes apud Gallos et Germanos poenas infligebant. *I.* 399. *II.* † 6. *
Sachſen-buſse qualis poena? *II.* † 106. *
Sacrae res. *II.* 5. *ſequ.*
Sacramentales pro coniuratoribus. *III.* 117.
Sacrilegii poena apud Alamannos. *II.* † 46. Baiuuarios. *II.* † 45. Friſios. II. † 48. Saxones. *II.* † 51. Sueuos. *II.* † 45.
Sächſiſche friſt. *III.* 120. *
Saeculi leges, id eſt, Romanae. *III.* 310. 317.
Saeculum Germ. XXX. Romanis CX. Chaldaeis CXX. annorum. *II.* 100. *
Sagibarones qui? *III.* 19. * eorum numerus legitimus in iudicio. *III.* 20. ab eorum ſententia comes recedere non poterat. *III.* 20. in conſilium adhibiti a iudicibus. *III.* 271.
Sagitta, in manumiſſione adhibita. *I.* 53.
Saiones Wiſigothorum qui? *III.* 11. *
Sala [*ein Saal.*] *II.* † 268. *
Salicae legi multa tribuuntur, quae conſuetudine apud Salios inualuerant. *I.* 301. *
Salicae terrae origo. *I.* 422. * *II.* 14. * ea quid? *II.* 14.
Salinae principum. *II.* 23.
Salinaria iuriſdictio. *III.* 72.
Salutem per ſuam iurare. *III.* 221. *

Sal-

Saluus conductus, eiuſque origo. III. 349.
Salzgräffe iudex, rei ſalinariae praefectus. *III.* 70. *
Sanctae res. *II.* 4. *ſequ.* *II.* † 45. *
Sanitati quae poenae exitio? *II.* † 380.
Satio qualis adquirendi modus? *II.* 68. quid hodie? II. 94.
Säumniſs. vid. *ſomnis.*
Saxones genus ſeruorum. I. 38. eorum lex reliquis ſeuerior. *II.* † 15. cur dicta crudeliſſima? *II.* † 15. *
Saxonia antiqua [old Sachſen] Holſatia. I. 321.
Satz-recht, quid? I. 39.
Scabini ingenui. I. 74. I. 109. aliquando nobiles. III. 4. etiam de criminibus iudicabant. II. † 10. immo in iudiciis criminalibus neceſſarii, II. † 26. iam Taciti tempore comitibus adiuncti. III. 4. *ſequ.* etiam apud Francos. III. 19. ſine his comites nihil decernebant. III. 6. *ſequ.* eorum numerus. III. 20. 48. comitem in caſtra ſequi tenebantur. III. 20. vel maiores vel minores. III. 21. Et hodie requiruntur in iudiciis publicis. III. 70. varia eorum genera apud Francones. III. 70. ſententiam inueniebant. III. 265. ipſi a reis aliquando ſumebant ſupplicium. III. 274.*
Scabinatuum origo. I. 114.
Scachorum ludus in Germania frequentiſſimus. II. 421. *
Scalm quid? II. † 337. *
Scamera pro exploratore. II. † 141. *
Scandalae ad caudam iumenti ligatae. II. † 365.
Sceleris et *flagitii* differentia. II. † 14. *
Schand-glocke in exſequutione ſententiarum criminalium pulſata. II. † 393.
Schelmen vnde dicti? I. 397. * II. 337. *
Schelten ein vrtheil quid? III. 295. 301. *
Schidinga, vrbs. I. 102.
Schillingshäuer, colonorum genus. I. 60.
Schleyer bey huth, pactum de mutua inter coniuges ſucceſſione. I. 230. *
Schlüſſel-lauffen genus diuinationis. II. † 38. *
Schöpffenbar-freye, ingenui. I. 74. III. 5.
Schreibſchilling, laudemium minus. II. 125.
Schub quid? III. 151. *
Schulze. vid. *ſculdaſius*, *ſculteтus.*
Scirpus, ſymbolum traditionis. II. 77.
Scotatio ſpecies traditionis apud Danos. II. 74.
Scoti ſibi a ſeruorum vxoribus vindicarunt ius primae noctis. I. 46. * immunes a iure albinagii. I. 428.
Scribae iurati iudiciis intereſſe debent. III. 71.
Sculca quid denotet. II. † 351. *
Sculdaſius apud Langobardos quis? III. 22. *
Sculſcara quid apud Langobardos? II. † 351.
Sculteti, vrbibus praefecti. I. 109. paullatim ſuppreſſi, I. 113. * quotuplices? III. 22. † a iudice electi, et inueſtiti. III. 47. * ingenuorum natalium eſſe debebant. III. 48.
Scuria (*eine ſcheure.*) II. † 268. *
Scutum relinquens infamis. I. 394. hinc collo loro adligatum. ibid. *
Secretarius. vide *actuarius.*
Securitas pro apocha. II. 473.
Semper-freye quinam dicti? I. 91.
Senatus vrbium. vid. *decuriones.*
Senatus conſulti Velleiani exceptio an feminis vbique in Germania competat? II. 466.
Seneſchallus quis? II. 473.
Seniores apud Francos qui? I. 22. *ſeniores loci* apud Wiſigothos. III. 13.
Sententia quotuplex? III. 265. quomodo inuenta? III. 265. *ſequ.* an inueniri potuerit ſine ſcabinis? III. 267. eodem modo inuenta poſt Francorum tempora. III. 267. modus eam ferendi deſcriptus. III. 268. *ſequ.* conferendi deſcriptus. III. 273. quomodo intra quos lata? III. 273. quomodo impugnata? III. 274. non impugnata vires rei iudicatae adquirebat. III. 274. publi-

Digitized by Google

publicam. III. 275. * exſequutioni quomodo mandata? III. 276. ſequ. a iureconſultis concepta quantae auctoritatis? III. 285.

Separatio liberorum tempore Taciti. I. 163. medio aeuo. I. 165. ſecundum ius Sax. et Sueuicum, I. 166. ſecundum ius Lubecenſe. I. 167. filiarum per nuptias. I. 164. 165. 168.

Separatorum liberorum conditio. I. 174.

Sepulcrales vrnae, vid. *vrnae.*

Sepulcri violati crimen nec Germanis ignotum. II. † 340. eius variae ſpecies. II. † 342. * quomodo punitum apud Alamannos. II. † 343. Baiuuarios. II. † 343. Francos. II. † 342. Langobardos. II. † 345. Oſtrogothos. II. † 342. Saxones et Sueuos. II. 345. *ſequ.* Wiſigothos. II. † 341. ex iure hodierno. II. † 347.

in *Sermone alicuius eſſe*, pro in poteſtate vel tutela. I. 132. *

Serrati numi qui? II. † 307. *

Serui Germanorum quales? I. 28. variá eorum genera. I. 37. * naſcebantur. I. 30. fiebant variis modis. I. 34. *ſequ.* glebae. I. 38. fugitiui quomodo puniti ab Alamannis? II. † 358. Baiuuariis? II. † 358. Burgundionibus. II. † 357. Francis. II. † 358. Langobardis. II. † 358. Oſtrogothis. II. † 356. Wiſigothis. II. † 355. iure hodierno. II. † 359.

Seruitores genus ſeruorum. I. 38. *

Seruitus: in illam ſe quiſque mancipare poterat. I. 34. in eam ſaepe addicebatur reus. *II.* † 371. 375.

Seruitutes reales quid apud Germanos? *II.* 137. quomodo adquirantur? *II.* 139. aliquando neceſſariae. *II.* 129. eas nec omnes nec tam ſubtiles norunt Germani. *II.* 130. 135. apud Germanos etiam in faciendo conſiſtunt. *II.* 131. 138. pauciores, et aliae, quam iure Romano, in Germania ſunt. *II.* 136.

Sicherbothe, tutor. *I.* 360. *

Siculae conſtitutiones non continent ſince-rum ius Germanicum. *I.* 20. *

Sieb-lauffen, genus diuinationis. *II.* 38. *

Siedel hoff quid? *II.* 239. *

Siegelmaeſſige qui? *III.* 20 :. *

Sigillum pro litteris. *III.* 105. *

Signa in inſtrumentis an ſemper ſigilla fuerint? *III.* 204. *

Silaue (ſeule) vid. *Ariſtate.*

Siluaeducenſe ſtatutum de poteſtate maritali. *I.* 295. *

Siluae maiores, foreſta principum. *II.* 8. regiae quae fuerint tempore ſpeculi Saxonici? *II.* 54. an ex earum paucitate ſequatur, ius venandi tunc fuiſſe commune omnibus? *ibid.*

Silueſtris iuriſdictio. *III.* 72. eius variae ſpecies. *III.* 72. *

Sinaida, ein ſchalm an bäumen. *II.* 337. *

Slaui a Germanis in ſeruitutem redacti. *I.* 481.

Slaui, genus ſeruorum. *I.* 38. *

Smurdi, genus ſeruorum. *I.* 38.

Socidae ius quale? *II.* 405. an ex iure Romano? *II.* 405. *

Societatis contractus. *II.* 407.

Sodomia. vid. *nefanda Venus.*

Sol pro die vel termino iudiciali. *III.* 11. ſolem collocare, terminum praefigere. *III.* 109. et 111.

Soldurii, qui ſe pro dominis deuouebant. *I.* 67.

Solidus Genauenſis, Gothius, Valentinianus. *II.* † 323.

Solſadia quid? *III.* 109.

Solutio, qualis modus ſoluendi obligationem? *II.* 473.

Soneſti, abigeatus. *II.* 360.

Sonia, vel ſonius quid? *III.* 113.

Somnis, quaſi *ſaumniſſ.* *III.* 117. *

Sors quid apud Gothos, Burgundiones, Vandalos. *II.* 9. * genus purgationis. *III.* 236.

Sortilegium quid apud Wiſigothos? *II.* † 254. eius poena. *II.* † 255. quid apud Saxones? vid. *veneficium.* quid de hoc crimine ſenſerint Langobardi? *II.* †

278. quid Carolus M. *II.* † 274.
Spathae capulus oblatus, ſignum traditionis. *II.* 77.
Specificatio iurata defectum inuentarii ſupplet. *II.* 305.
Spicarium, *in ſpeicher*, *II.* † 160. *
Spiel zu Wartburg. *I.* 405. *
Sponſa coemenda. *I.* 188. * a pacta non differebat. *I.* 189. ei oblatum oſculum cum annulo et calceis. *I.* 182. capillis ſolutis incedebat. *I.* 221. * violatio eius adulterium. *II.* † 156. apud Burgundiones capitalis. *II.* † 164. quae eius poena apud Francos? *II.* † 169. apud Sueuos. *II.* † 188. eius raptus quomodo punitus apud Wiſigothos? *II.* † 215.
Sponſalia inter pocula et epulas celebrata. *I.* 177. per emtionem venditionem. *I.* 178. 181. 185. indiſſolubilia habebantur. *I.* 179. 184. 187 apud Francos inita per ſolidum et denarium. *I* 180. apud Gallos per XIII. numos. *I* 185. apud Suecos etiamnum per coemtionem fiunt. *I.* 185. * in iis opus viſum conſenſu parentum. *I.* 188. 189 adhibitis propinquis. *I.* 188. 190. quomodo differant a declaratione priuata, (*vom ia-wort?*) *I.* 189 inter ruſticos fiunt promiſſo certo pecorum numero, vel certa frumenti quantitate. *I.* 192. * iis interſunt alicubi teſtes, dicti *wein-kauffs-zeugen.* *I.* 193.
Sponſalitia largitas. *I.* 182. 192. pacta in libellum relata. *I.* 183. 186. 193. et firmata andelango. *I.* 183.
Sponſiones iure Germ. licitae? *II.* 424. *ſequ.* 434. cur vocentur *wetten*? *II.* 425. *
Sponſus et ſponſa in nuptiis in altum ſublati. *I.* 173. coronati. *I.* 221.
Spurii non vbique teſtantur. *II.* 184 194. nec ſuccedebant apud Bauaros. *II.* 227. nec apud Francos. *II.* 228 apud Saxones. *II.* 235 an apud Langobardos? *II.* 227. * non erant in poteſtate patris. *I.* 148. infames. *I.* 149. ſeruilis conditionis. *I.* 149. ab honoribus excluſi, *I.* 149. *
Stamm-güter. *II.* 28. ſequ.
Stapulae ius. *I.* 118.
Staroſten, praefecti illis, qui mellificio vacant. *III.* 72. *.
Statuae Rolandinae. *I.* 114.
Statuta condendi ius vrbibus competens. *I.* 113.
Steckbrieffe, his Franci ſeruos fugitiuos perſequebantur. *II.* † 198.
Stillicidii ſeruitutis an mentio fiat in iure Saxonico? *II.* 136. *
Stipula quid? *III.* 222. * eius vſus in pactis. *II.* 335. etiam iure Hennebergico. *II.* 336. *
Stipulata manu firmata pacta. *II.* 335. *ſequ.*
Strabo rerum Germ. non admodum peritus. *I.* 5.
Strato ſuo aliquam copulare. *I.* 212. ſtrati vſus in nuptiis illuſtrium. *I.* 212. *
Stria, conuicium apud Francos. *II.* † 105.
Strioportium clamare aliquem. *ibid.*
Stuba, hypocauſtum. *II.* † 268. *
Stuhl-genoſſen ſcabini. *III.* 57.
Stuhl-herren qui? *III.* 57.
Stumme ſchoepffen qui? vid. *ſchoepffen.*
Stupri poena apud? Alamannos. *II.* 176. Boioarios. *II.* † 174. Burgundiones. *II.* † 165. Friſios. *II.* † 179. Francos. *II.* † 169. Langobardos. *II.* † 181. Lubecenſes. *II.* † 189. Oſtrogothos. *II.* † 162. Sueuos. *II.* † 188. Wiſigothos. II. † 157.
Stuprum dictum adulterium. *II.* † 157. rarius olim in Germania. *II.* † 184.
Stuprum violentum, ſpecies vis publicae. *II.* † 214. *II.* † 218. quomodo punitum apud Alamannos, *II.* † 227. Langobardos. *II.* † 223. Oſtrogothos. *II.* † 218. Salios II. † 224. Wiſigothos. II. † 216. ex conſtitutione criminali. II. 239. 245.
Subaduocati qui dicti? III. 59. *

Digitized by Google

Subſtitutiones Germanis olim ignotae. II. 208. ne hodie quidem vbique receptae. II. 208. * 212. cur a Romanis inuentae? II. 208. * pupillares, etiam matribus permiſſae. II. 212.
Suburbani deterioris conditionis, quam reliqui ciues, I. 125.
Suburbiorum origo. I. 125. *
Succeſſio Germ. vel pactitia vel legitima. II. 145. pactitia cum teſtamentaria confunditur a ſpeculatore Sueuo. II. 165.
Succeſſionis ab inteſtato fundamentum. II. 215. eius quis ordo Taciti temporibus? II. 216. *Deſcendentium.* II. 217. vel ſine diſcrimine ſexus, vti apud Wiſigogothos. II. 218. vel maſculorum tantum, et feminarum in ſubſidium duntaxat. II. 219. deſcendentium qualis iure Saxonico? II. 235. *aſcendentium* an tempore Taciti? II. 243. qualis apud Anglios et Werinos. II. 247. Alamannos. II. 249. Burgundiones. II. 245. Francos. II. 246. Langobardos. II. 248. ex iure Saxonico. II. 250. ſequ. Sueuico. II. 252. Wiſigothico. II. 244. *collateralium* qualis tempore Taciti? II. 253. apud Anglios. II. 258. Burgundiones. II. 255. Boios. I. 257. Francos. II. 256. Langobardos. II. 259. ex iure Saxonico. II. 260. *Coniugum* quotuplex apud Germanos. II. 262. apud Alamannos. II. 268. Boios. II. 269. Burgundiones. II. 264. Francos. II. 265. Langobardos. II. 267. Wiſigothos. II. 263. ex iure Sax. II. 270. Sueuico. II. 272. ex iure hodierno. II. 290. *Fiſci* qualis ſucceſſio olim? II. 273. ſequ. qualis hodie? II. 292.
Succumbenz-geld. III. 307.
Sueui nulla praeſcriptione ab hereditate excluduntur. II. 295. Huius iuris origo. II.
Suffocatio in aquis poena Francis non ignota. II. † 370.
Suffragia ſi paria, quae ſententia praeferatur. II. 269. quid recentiores leges ea de re diſponant? *ibid.*
Sumis, ſunis, ſunni, ſunnia pro *ſäumniſs.* III. 112. ſequ.
Superficiei ius an Germanis notum? II. 53.
Superuentus pro violenta inuaſione. II. † 69. *
Superuita, eingeſchneitel quid? I. 259.
Supplicium an cum tormentis ſumtum? II. † 371. an a fideiuſſoribus ſumtum? III. 173. *
Suſpectus tutor, vid. *tutor.*
Suſpendium poena recepta Saliis. II. † 369. Ripuariis. II. † 369. Saxonibus. *ibid.* *
Suſpiciones non ſufficiebant ad ſumendum ſupplicium. II † 381.
Symbola traditionis varia. II. 79. 97.
Syndici an eorum mentionem faciant leges Germ. III. 101. *

T.

T*Abularii*, libertini. I. 50. 55. *
Taciti finis in libello de moribus Germanorum ſcribendo quis? I. 5.
Tactus cadaueris occiſi, ſpecies purgationis. III. 252.
Tagewercken. II. † 385.
Talionis poena commentarienſibus imminet, ſi captiuum dimiſerint. III. 350.
Tangano quid? III. 154. *
Taudregil claudus. II. † 385.
Templa an habuerint veteres Germ. II. 2. *
Tempora quatuor (*quatember*) quae? III. 68.
Termini moti crimen apud Romanos cur veluti ſacrilegium? II. † 338. eius poena apud Baiuuarios. II. † 337. Burgundiones, *ibid.* Oſtrogothos. II. 336. Saxones et Sueuos. II. † 338. Wiſigothos. *ibid.* ex conſtitutione criminali. II. † 338.
Terra Salica. vid. *Salica.*
Teſtamentariae regulae iuris Rom. in Ger-

Germania non vbique valent. II. 200.
Teſtamentariorum mentio ſaeculo XV. II. 186.
Teſtamenta Germanis priſcis incognita. II. 141. etſi liberi et cognati deeſſent. II. 142. eorum defectus an ſtuporem gentis arguat? II. 143. eadem et ius Sax. ignorat. II. 158. non Sueuicum. II. 164. primum vſitata gentibus Germanicis extra Germaniam. II. 175. et tunc ſecundum leges Romanas condita. II. 176. * in Germania magna ſerius. II. 180. et quidem ex perſuaſione de igne purgatorio. II. 180. initio a regibus et principibus tantum condita. II. 181. poſtea et ab ingenuis et plebeiis. II. 182 demum legibus probata. II. 184-187 eorum formulae et exempla antiquiora. II. 176. 177. ex ſaeculis XII. et XIII. II. 183. ex ſaeculo XIV. II. 185. et ſaeculo XV. II. 187. iis inſertae exſecrationes. II. 179. a priuatis facta ex conceſſione principum. II. 183. * alicubi et hodie. II. 192. pro remedio animarum. II. 164. * 188. * in iis legata ad pias cauſſas alicubi neceſſaria. II. 190. iis excludere alicubi non licet cognatos. II. 193. nec diſponere de bonis hereditariis, immobilibus, expeditoriis, vtenſilibus. II. 195. non obſeruantur vbique ſollemnitates iuris Romani. II. 196. alicubi publica tantum valent. II. 196 alicubi coram notario fiunt. II. 196. alicubi coram parocho et duobus teſtibus. II. 196.
Teſtamentum pro inſtrumento. II. 155. * II. 180.
Teſtamentifactio an Saxonibus a Carolo M. adempta? II. 144.
Teſtari alicubi non poſſunt aegroti II. 197. niſi ſpecimen virium edant. II. 198. hageſtolzii. II. 154. mulieres, niſi mercatrices, et quibus teſtamentifactionem mariti teſtamento dederunt. II. 199. peregrini. II. 194. qui pubertatem plenam nondum attigerunt. II. 194. ſpurii. II. 294.
Teſtes auribus tracti. II. 72. * 197. non niſi pares contra vaſallum audiebantur. III. 90. * probatio per eos. III. 189. quales eos eſſe oportuerit ratione aetatis et ſtatus? III. 190. ratione vitae? III. 191. ratione adfectuum? III. 192. inhabiles iure Sax. et Sueuico. III. 193. quot probent? III. 194. an cogendi ad teſtimonium? III. 195. praeſentes deponere cogebantur. III. 196. eorum iuramenta. III. 197-200. quid ex vetere iure Germ. hodie ſuperſit circa teſtium productionem? III. 256.
Teſtimonii falſi poena apud Burgundiones. II. † 313. Francos. II. † 314. Friſios. II. † 315. Langobardos. II. † 314. Saxones. II. 317. Wiſigothos. II. † 321. ex conſtitutione criminali. II. † 326.
Txaga quid? II. 143. *
Theclamea quid? II. † 237.
Theoderici edictum in gratiam prouincialium factum. II. 176. non tollit ius Romanum. II. † 163.
T[illegible]or an inde vocabulum Dienſtag.
Theſaurus principis. II. 8. II. 60. quid hodie? II. 88. *.
Thingare quid? II. 355. *
This an inde Dienſtag? III. 69. *
Thauda gens. III. 4. *
Thiudafass Wiſigothis, quaſi *Land-voigte*. *ibid.*
Thiuphadus idem. III. 10. 11.
Thungini Decani, comitum optio. II. † 10. * III. 23.
Thyjundifaths, mille hominibus praefecti. III. 11.
Tituli nobilium vel principum. I. 95. an et fratribus natu minoribus dati? I. 95. *
Todte hand quid? I. 45.
Todten-fall mortuarium. I. 45.
Tombe quid? I. † 342.

Tom-

Tormenta an ſuppliciis aliquando addita. vid. *ſupplicium*. qualia fuerint legitima apud veteres Germanos. III. 333.
Torneamentorum ius. I. 80.
Tortura vſi Germani veteres. III. 333. *ſequ.* an et medio aeuo Saxones et Sueui? III. 335. an Britanni? III. 335. * quando in Germania iterum recepta? III. 336.
Tortus pro iniuſtitia. III. 145. *
Traditio facta praeſentibus. II. 72. in iudicio. II. 73. per varia ſymbola. II. 74. 77. per feſtucam et laiſowerpum. II. 75. per andelangum. II. 76. per propinationem, etiam ſi diuo alicui donaretur. II. 78. eius ſymbola diplomatibus aliquando adiuta. II. 79. per adiatomiam vel adramitionem II. 151. per cornu quid? II. 78. * hodierna. II. 96. 97. omnium bonorum. II. 156.
Tranſactiones quae licitae vel illicitae? II. 338 earum valor. II. 348. an valeant ſuper rebus teſtamento relictis, alimentis, re iudicata? II. 349. an ſuper criminibus? II. 350. *II.* † 42.
Tranſfugarum poena tempore Taciti. *II.* † 123. 350.
Tranſigentes ſuper crimine infames. *I.* 403.
Tranſport, traditio per effeſtucationem. *II.* 80.
Tres-ſ-aciens quae iuriſdictio? vid. *iuriſdictio.*
Treues-träger, tutor. *I.* 360. *
Treuga, foedus. *II.* † 173.
Treuga Dei quid? *II.* † 73. *
Tributarii redditi victi. *I.* 422.
Triluuarii genus ſeruorum. *I.* 38. *
Trigeſimus dies: (*der dreyſſigſte*), induciae heredibus cur conceſſae tot dierum? *II.* 306. eae induciae et hodie in vſu. 313.
Trotingi, ioculatores. *II.* † 112. *
Trutinae publicae ius municipiis datum. *I.* 119.
Tumba quid ſit? vid. *Tamba.*
Turpiſſima morte punire. vid. *mors.*
Tutela *datiua*. I. 353. 370. *fructuaria*. *I.* 252. ſequ. *legitima*. *I.* 350. 352.
Tutela qualis in Germania fuerit? *I.* 133. *maritalis*. *I.* 286. 295. 299. *materna*. *I.* 351. 368. *mulierum* apud Athenienſes. *I.* 297. *Pactitia* Germ. veterum. *I.* 349. 357. *ſuprema* principum et magiſtratuum. *I.* 345. probata ex legibus antiquis. *I.* 346. ex recentioribus. *I.* 347. in feudis olim competebat domino. *I.* 348. et hodie alicubi competit. *I.* 348. * *teſtamentaria* qualis in Germania. *I.* 350. *
Tutela adminiſtranda auctoritate magiſtratuum *I.* 356. feminarum. *I.* 360. vbi et hodie obtineat. *I.* 372. * impuberum. *I.* 360. an hodie gratuita? *I.* 371. fructuaria alii inueſtiti. *I.* 375. * quomodo finita. *I.* 377. *ſequ.* quomodo hodie finiatur? *I.* 387.
Tutores tenentur ad rationes reddendas. *I.* 365. eorum nomina Germanica. *I.* 360. * officium. *I.* 376. confirmatio. *I.* 368. an in Germania petendi? *I.* 364. pupillas vxores poterant ducere. *I.* 376. ſuſpecti remouebantur. *I.* 381. 389. et puniebantur. *I.* 383. an auctoritatem interponant? *I.* 385. quomodo adminiſtrent? *I.* 386.
Tutoris datio cur apud Germanos ordinariae iuriſdictionis? *I.* 170. *
Tyrrs-dag an inde noſtrum *Dienſtag*. *III.* 69. *

V.

VAcuare, pro liberare obligatione. *II.* 43. *
Vagabundi in ſeruitutem redacti.
Valentinianus ſolidus, vid *ſolidus.*
Vara quale iudicium? *III.* 58. *
Vargus quis? *III.* 326. *
Vaſallus veſte a domino donatus. *II.* 116. *
Vberkur, adulterium. *II.* † 195.
Vbernächtige thaten quae delicta? *III.*

312. * quomodo eorum inſtituta accuſatio. *III. 316.* an cum clamore facta? *III. 316.* *
Vberſiebenen, ſeptem teſtibus conuincere. III. 218.
Vbii, reliquis Germanis exoſi ob vrbis moenia. I. *99.*
Vegius, index rerum amiſſarum. II. *61.*
Venandi ius nobilibus et ingenuis vindicatum. I. *77.* II. *51.* quibus medio aeuo competierit? II. *36.*
Venatio Romanis inter ſeruilia officia. I. *64.* * eius ſtudioſi Germani ingenui. I. *64.* 69. numquam promiſcue omnibus conceſſa. II. *51.* * *ſequ.* 83. qualis modus adquirendi? II. 82. a venatione ferarum maiorum an ad iuriſdictionem criminalem valeat argumentum? III. 63.
Venatorias leges principes condunt. II. 84.
Vendere pro alia re, id eſt, permutare. II. 392. *
Venditio. vid. *emtio.*
Venedi in ſeruitutem a Germanis detruſi. I. 411.
Veneficii poena apud Anglios et Werinos. II. † *269.* Langobardos. II. † *277.* Ripuarios et Salios. II. † *265.* Saxones. II. † *273.* Wiſigothos II. † *253.*
Venti ius. II. 7. 23.
Verbera, ob ea olim ciuiliter actum. III. 142. *
Verbeſſerung, augmentum dotis. I. 246.
Verbum pro poteſtate. I. 132.
Verchans an idem, ac tutor? I. *360.* *
Verger, tutor. I. *360.* *
Vergraben, ſupplicii genus. II. † 387.
Verleihen pro locare. II. 406.
Verpfählen, ſupplicii genus. II. † 387.
Verräther quis? II. † 144.
Veru, ſymbolum traditionis. II. 77.
Verweiſs pro donatione propter nuptias. I. 252.
in Veſtimento iurare. vid. *iusiurandum.*
Veſtis vaſalli. II. *116.* *
Veſtiaria ancilla. II. † *176.* *
Via lacina, quid? II. † *69.* *
Viae ſeruitus. II. *136.* *
Vicarius pro vicecomite. III. 22. lupariis venatoribus praeerat. III. 22.
Vicecancellarius. III. 59.
Vicecomitum officium. III. 22.
Vice-Hoffrichter. III. 59.
Vice-praeſidens. ibid.
Vici Germanorum quales? I. 100.
Victos Germani ciuitate donabant. I. 421. iis agri partem adimebant. I. 422. et imponebant tributum. ibid.
Viduae nubentes mulctatae. I. 222.
Vidualitii natura et origo. I. 245.
Villani, genus ſeruorum. I. 38.
Villicus apud Wiſigothos quis? III. 11.
Vindicare an rem commodatam, depoſitam, oppignoratam ſemper licuerit a tertio poſſeſſore? II. *367.* 368.
Vindiciarum ritus apud Romanos. II. 210.
Vino quamdiu caruerint Germani? II. 10.
Virga, ſymbolum traditionis. II. *77.*
Vis publica et priuata aduerſatur ſtatui ciuili. II. † 209. ea libenter vtebantur veteres Germani. II. † 210. nec non medio aeuo. II. † 211. ab Henrici IV. temporibus maxime inualuit. II. † 71. * aegre eam dimiſerunt Germani. II. † 212. eius poena apud Alamannos. II. † 227. Anglios et Werinos. II. † 230. Baiuuarios. II. † 225. Burgundiones. II. † 219. Francos. II. † 220. Langobardos. II. † 231. Oſtrogothos. II. † 217. Wiſigothos. 211. *ſequ.* ex iure hodierno. *II.* 241. eius ſpecies *raptus*, vid. *raptus* et *ſtuprum violentum.* vid. *ſtuprum.* itemque *bellum priuatum* de quo vid. *bellum.*
Vis fluminis. II. 64. et 89.
Vitae amiſſio poena. II. † 367.
Vitia equorum capitalia. II. 398.
Viuicomburium, ſupplicium receptum apud Wiſigothos et Francos. II. 369.

Vnge-

Digitized by Google

Vngericht, quid ? II. † 13. * III. 62. *
Vnio prolium an adoptio ? I. 161. quid circa illam iuris ? I. 161. II. 172.
Vniuerſitatis res. II. 9. quid circa eas iuſtum ? II. 24.
Vnterthanen ſpeciatim dicti homines proprii. I. 38. *
Vnterwundingh quid apud auctorem des richtſteiges ? III. 146. et *
Vocatio in ius qualis antiquitus recepta ? III. 116. qualis inſequentibus temporibus ? III. 119. medio aeuo facta per adparitorem. III. 119. de ea axiomata. III. 126. qualis hodie? III. 127.
Voigte, iudices vicarii. III. 59. ita et tutores dicti. I. 360. * *belehnte* qui ? vid. *aduocati*. et III. 11. *
Voigt-geding iudicium prouinciale. III. 58. * 68.
Voigtland vnde nomen acceperit. III. 44. *
Vormunde dicti aduocati. III. 91.
Vorritt, ſpecimen virium et ſanitatis in alienationibus neceſſarium. II. 163.
Vrbes non habuere Germani antiquiſſimi. I. 99. quae antiquiſſimae ? I. 101. 102. ſub Francis florentes. I. 103. iis praeerant comites. I. 104. in Saxonia plures conditae ab Henrico Aucupe. I. 105. in eas et ingenui traducti. I. 106. et ſeruilis conditionis homines. I. 107. in iis omnes conuentus rex voluit haberi. I. 108. earum adminiſtratio per aduocatos, ſcultetos, ſcabinos. I. 109. an condi poſſint ſine imperatorum conſenſu. I. 110. * pauciſſimae cur hodie regantur ariſtocratice ? I. 115.
Vrnae ſepulcrales cur plures in Saxonia reperiantur. II. † 245. *
Vrpheda in bellis priuatis a victo e captiuitate dimiſſo exigebatur. II. † 390. hodie et a delinquentibus dimiſſis. *ibid.*
Vrtheiler, id eſt, *ſcabini*. vid. *Scabini*.
Vſucapio, vid. praeſcriptio.
Vſufructuarius quando alienare potuerit ? II. 37. *
Vſurae a Germanis permiſſae. II. 378. ceſſabant, ceſſante ſine debitoris culpa vſu pecuniae. II. 378. ob moram debentur etiam non promiſſae. II. 387.
Vſusfructus bonorum aduentitiorum etiam matri competebat. I. 139. in dominio vtili conſiſtebat apud Germanos. I. 13. * et 37. 48. mariti et tutoris qualis ? II. 41. nec non in maioratibus ? II. 41.
Vtenſiles res. vid. *gerada*.
Vulnerum diuerſa genera diſtincta a Baiuuariis. II 89. * Francis. II. † 87. Friſiis. II. † 90. Langobardis. II. † 89. * in iure Saxonico. II. † 105. *
Vulpecula, conuicium apud Francos. II. † 105. *
Vxores Germani non niſi Germanas ducebant. I. 198. 204. Eae quoque ad maritum quid adferebant. I. 139. 341. nec tamen id erat dos. I. 142. earum bonis fruebantur mariti, tamquam tutores legitimi. I. 142. earum illata olim tenuia. I. 243. paullatim dotis nomen adſumſerunt. I. 243. apud Wiſigothos pro ſe poſtulare poterant, ſine marito vel curatore. I. 282. *

W.

W*Alawrff* quid ? *II.* † 108.
Walapauz quid ? *II* † 108.
Walaraupa quid ? ibid.
Wadia, *wadiae*, *wadii*, pignora et fideiuſſores. *II.* 444. * *II.* † 225. * *III.* 172. et 240.
Wände beſchreyen quid ? *I.* † 288. *II.* 249. *
Wanfiodal quid ? *II.* † 89. *
Wantus, chirotheca. *II.* 116. *

Wapen ; *wapen* ; clamor iudicialis. *II.* † 28. *
Wargus , extorris. *II.* † 49. † *III.* 326. *
Waſio , caeſpes , ſymbolum traditionis. *II.* 77.
Waſſer-vrtheil quid ? *III.* 241. *
Watergraue qualis magiſtratus. *III.* 70. *
Wede pro patibulo. *II.* † 51. *
VVegelageren. *II.* † 69. *
VVehading , ſpecies vis forenſis vel certaminis ſingularis iudicialis. *II.* † 211. *
VVehrbuſſe quid ? *III.* 142. * *III.* 170. an hodie adhuc vſitata ? *III.* 178.
VVehrung ius ſocidae. *II.* 416.
VVeichbild quid ? *I.* 3. *
VVeichfried-recht. *I.* 113. * *II.* 21.
Weinkauff-zeugen in ſponſalibus. *I.* 193.
Wergeldum infamium duplo minus. *I.* 407. ab eo vt differat widregildum ? *II.* † 22. * apud Friſios etiam illata vi ſoluebatur. *II.* † 229. * idem quod lege Salica compoſitio. *II.* † 260. *
VVerpire , *werffen* , tradere vel renunciare ſollemniter , feſtuca in ſinum iacta. *II.* 75.
Weſtphali non eodem per omnia iure , ac Oſtphali , vtebantur. *I.* 239.
VVette quid ? et vnde dicta ? *II.* † 25. * *II.* † 384. *III.* 122. *
VVeyde , patibulum. *II.* † 51. *
VVicker pro ſortilego. *II.* 61. *
VVidergildum vel *widrigildum.* *II.* † 22. et *
VViderboran , manumiſſus. *I.* 148. *
VVederlage pro donatione propter nuptias. *I.* 252.
Wildfangiatus ius. *I.* 430.
VVildfänge , genus ſeruorum. *I.* 38.
Wisbyenſis iuris antiquitas. *II.* 426.
Wiſigothorum reges plerique obtruncati. *II.* † 124. * 125. *
VVittemon quid ? *I.* 181. * apud Burgundiones dotem abſorbebat. *I.* 240.
VVitze pro poena. *II.* † 25. * 51. *
VVulliworff quid ? *II.* † 108. *
VVunden quotuplicia ? *II.* † 90.
Wurzburgum , vrbs perantiqua , *I.* 102.
Wyde , patibulum. *II.* 51. *

Z.

Zeidel-güter. *III.* 72. *
Zaedler-gerichte. *III.* 72.
Zent. *III.* 61. *
Zentbarkeit. *III.* 62. *
Zentfälle. ibid.
Zent-gerichts. ibid.
Zent-geſchrey. ibid.
Zent-graffen. *III.* 70. *
Zeter-geſchrey. *II.* † 28. et *
Zitter-hand , manus calida vel armata. *II.* † 28.
Zona , ſymbolum traditionis. *II.* 77.

FINIS.

Digitized by Google

IO. GOTTLIEB

HEINECCII,

POTENT. PRVSSORVM REGIS
A Conſil. Sanctior., Iur. ac Philoſoph. in ill.
Frideric. Profeſſoris publ. ord.

ELEMENTA
IVRIS CAMBIALIS

COMMODA AVDITORIBVS METHODO
ADORNATA.

* * * * * * * * * * * *

EDITIO ALTERA.

GENEVAE,
Impenſis HERED. CRAMER, ET FRATR. PHILIBERT.

cIↃIↃCCXXXXVIII.

VIRO
ILLVSTRISSIMO
ATQVE
EXCELLENTISSIMO
SAMVELI
LIB. BAR. DE
COCCEII,
POTENT. PRVSSOR. REGIS
MINISTR. STAT. INTIM.
ECCLESIAST. ET CIVILIVM
TRIBVNALIVM
PRAESIDI PRIMARIO,
REGIARVM ACADEMIARVM
CVRATORI SPLENDIDISS.
DYNASTAE
IN WVSECKEN KLEIST REPKOV
LAAS cet.

D. D. D.

IO. LVDOV. VHLIVS.

QVEM incredibilis TVA et nihil plane intermittens in maximis patriae rebus occupatio negare aditum vel mihi, vel huic munuſculo ſine vlla ſuperbiae ſuſpicione poteſt, cum rurſus non minor, quam ſunt ceterae TVAE virtu-

 tes,

tes, humanitas recludit, facilemque TVI conueniendi veniam pollicetur. Nempe talem eſſe decebat, cui ſapientiſſimus rex ſupremam per omne imperium ſuum religionis, iuſtitiae, ſapientiae, doctrinaeque omnis et humanitatis procurationem feliciſſimo euentu demandaret; talem, qui cum illarum rerum omnium religioſiſſimum velut ſacrarium ſuo in pectore conſtituiſſet, item ipſe, vt templa illa Romanorum, quin vt auguſtiſſimum ipſum huius caeli templum, omnibus omni tempore pateret. Mea tanto cauſſa facilior eſt, quod non opinor, non ſpero, non confido, ſed pluribus feliciſſimiſque experimentis edoctus ſcio, quam expoſiti mihi, quam ipſis Muſarum foribus ſimiles, quas *ἀφθόνας* et ſupra inuidiam faciles, antiqui vocabant, hic cancelli, TVVM velum eſſe ſoleant. Accedo itaque intrepidus, ac *Elementa* haec *iuris cambialis*, a magno meo praeceptore nuper adornata, in TVA domo, quae templo quouis ſanctior eſt, in TVIS pulpitis, tamquam ſacra memoriae ara, venerabundus equidem atque humilis, idem tamen laetus et alacris depono: et huic tabellae non immortales tantum gratias, TVAE in me beneuolentiae atque humanitati debitas, ſed vota etiam pia commendo, quorum haec ſumma eſt, vt TE conſeruando, TVAEque ſalutis tutela quam accuratiſſime ſuſcipienda, muneribuſque in TE ſuis perpetuo tuendis atque augendis, Deus immortalis, tum ſapientis atque inuicti regis noſtri rebus fauere, tum totius, quae TE reſpicit, patriae, poſteritatiſque adeo otio, dignitati, felicitati velit conſulere. *Berol. Cal. Aug.* cIↄ Iↄ CCXXXXII.

ELE-

ELEMENTA IVRIS CAMBIALIS.

CAPVT I.

DE IVRE CAMBIALI IN GENERE, EIVSQVE ORIGINE.

§. I.

CONTRACTVVM omnium, quibus commercia inter homines conſiſtunt, antiquiſſimus eſt permutatio, quippe iis etiam temporibus recepta, quibus nondum de cudendo nummo cogitatum eſt. *L. 1. pr. D. de contrab. emt.* Sed ea permutatio non ad nummos, qui tum nulli erant, ſed ad alias res, quae alteri ſupereſſe, alteri deeſſe videbantur, pertinebat. Permutatio an ſit contractus antiquiſſimus?

§. II.

Ad nummos quoque porrecta.

Poſtquam intellecta permutationis incommoditate electa eſt materia, cuius publica ac perpetua aeſtimatio difficultatibus permutationum aequalitate quantitatis ſubueniret: emtio venditio quidem frequentior eſſe coepit, ſaepiſſime tamen contigit, vt venditore vel creditore certum nummorum genus reſpuente, aliud permutatione eſſet quaerendum, atque ita hic contractus ad nummos quoque porrigetur.

§. III.

Campſores, collybiſtae, menſarii, nummularii quinam dicti.

Quia itaque varia nummorum genera, quae cuiuis neceſſaria viderentur, aliis ſiue melioribus, ſiue deterioribus monetae generibus permutabant, atque inde lucrum faciebant, dicebantur inde *campſores*, *collybiſtae*, *menſarii*, *nummularii*, et, ſi publica auctoritate negotiarentur, *argentarii*.

§. IIII.

Permutatio illa pecuniae an commune quid habeat cum negotiatione cambiali hodierna?

Sed nihil haec pecuniae permutatio, cui ipſi quoque quadrat vocabulum Germanicum, *ein Wechſel*, commune habet cum negotiatione cambiali hodierna. Quemadmodum enim in negotio collybiſtico inter duos in continenti fit permutatio ſpecierum: ita hic quatuor concurrunt perſonae, et permutatio fit quantitatum, ita vt quantum vno loco ego ſolui Titio, tantumdem alteri a Sempronio alio loco ſoluatur. VID. VLR. HVBER. *Praelect. Pand. libr.* XVII. *tit.* 1. §. 12.

§. V.

Cambiorum diuiſio.

Itaque doctores recte diſtinguunt cambium *reale* vel *manuale*, quo nummi in continenti apud menſam permutantur, a *locali*, *mercantili*, vel *traiectitio*, de quo nos agimus. Illud vno loco exercetur a collybiſtis, qui ideo dicuntur *argenti diſtractores* in *L.* 27. *C. de pignor.* et *L. penult. C. de conſtit. pecun.* nec non *argenti venditores* in *L.* 12. *C. de cohortal.* Hoc pluribus locis per teſſeras collybiſticas, per argentarios vel menſarios exercetur.

§. VI.

Digitized by Google

§. VI.

Cambium traiectitium an veteribus notum fuerit?

Quaeri ſolet, an poſtremum hoc cambii genus, quod proprie huius loci eſt, veteribus iam notum fuerit? Et ſane id adfirmant haud pauci ideo, quod iam veteribus notae fuerint teſſerae collybiſticae, quas ipſi interpretantur *Wechſel-Briefe*. Enimuero hae teſſerae potius adſignationes erant, quam litterae cambiales. Quemadmodum enim, qui ex arca ſoluebant, *a ſe ſoluere*, ita qui depoſitam alibi pecuniam creditori adſignabant, *ab alio dare*, *ſoluere*, *numerare*, *repraeſentare* dicebantur. Vid. *L. 6. §. 1. D. de adim. vel transfer. legat.*

§. VII.

Locale cambium an Romanis fuerit cognitum?

Propius ad cambiorum noſtrorum ſimilitudinem accedit mos veterum, ita permutandi pecuniam, vt quod quis Romae ſoluerit, id alii Athenis redderetur. Talem enim pecuniae permutationem ſaepiſſime memorat CICERO, *Epiſt. ad Attic.* XII. 24. XV. 15. item *ad diuerſ.* II. 17. III. 5. ex quibus locis recte collegit HVBERVS *l. c.* nec locale cambium Romanis ignotum fuiſſe: quamuis et illud aliquantulum a noſtro diſcrepaſſe, non minus recte obſeruauerit BERGER. *Supplem. elector. proceſſ. exſequut. theſ. 1. poſit. 7. pag. 3.*

§. VIII.

Cuinam genti cambiorum perfectio debeatur?

Paullatim ergo ad eam perfectionem, quam hodie miramur, peruenit negotium iſtud cambiale, et quidem opera mercatorum Venetorum et Langobardorum. Id quod vel inde patet, quod vocabula technica huius negotiationis pleraque ſint Italica, veluti, *traſſa*, *valuta*, *indoſſamentum*, *aduiſo*, *ſcontro*, cet.

§. VIIII.

Quotuplici ſenſu cambium hodie accipiatur?

Hodie cambium accipitur vel pro *litteris cambialibus*, vel pro ipſo *cambio*. Si prius: per *cambium* intelligimus litteras ſollemni formula ſcriptas, quibus quis alterum ſolui iubet praeſentanti certam pecuniae ſummam, ſibi iam numeratam, ſuoque nomine ſatisfactionem promittit. Sin poſterius: *cambium* erit negotium ex variis contractibus conflatum, quo intercedentibus litteris cambialibus ſumma Titio vno loco numerata a Meuio alio loco recipitur, arctiſſimo paratae [illegible] onis et arreſti vinculo adſtrictum.

§. X.

§. X.

Inuento cambio iura quoque cambialia inualeſcere oportuit.

Inuento itaque ſemel hoc negotiandi genere, etiam iura cambialia inualeſcere oportuit. Nam et leges cambiales a ſummis poteſtatibus condi coeperunt, et variae inoleuerunt conſuetudines, quas mercatores vocare ſolent *den Wechſel-Styl, Wechſel-Uſance, Wechſel Coutume.* Vnde recte ius cambiale diuiditur in ſcriptum, et non ſcriptum.

§. XI.

Ius cambiale quid ſit?

Eſt ergo *ius cambiale*, tum ſcriptum, tum non ſcriptum, habitus practicus leges et conſuetudines cambiales recte intelligendi, interpretandi adplicandique ſpeciebus obuenientibus.

§. XII.

Principium II.

Quamuis vero tot gentium ciuitatumque leges cambiales non per omnia conueniant, conueniunt tamen in pleriſque, et maxime in eſſentialibus: vnde recte pro principio domeſtico et proprio iuris cambialis habentur. Ex quo fluit: I. *mores et praecepta cambialia omnibus gentibus emporiiſque communia pro fundamento iuris cambialis habenda ſunt, adeoque et omnia pro veritatibus habenda, quae inde iuſta ratiocinatione eliciuntur.*

§. XIII.

Principium II.

Accedit alterum principium, idque commune. Cum enim negotium cambiale ex variis contractibus conflatum ſit (§. 9.) conſequens eſt, II. *vt, quidquid iuſtum eſt circa hoſce contractus, id iuſtum etiam ſit in cambiis, niſi iure cambiali illis ſpeciatim derogatum ſit.* Vid. BARTH. *Hodeg. forenſ. cap. 4. §. 21. pag. 753.*

§. XIIII.

Conſectaria.

Itaque inde colligitur, in decidendis cauſſis cambialibus eum ſeruandum eſſe ordinem, vt (1. ratio habeatur pactorum, quae inter cambiantes interceſſerunt, (2. his deficientibus leges cambiales cuiuſuis loci, hinc porro (3. vſuum et conſuetudinum cambialium, ac (4. denique iuris ſtatutarii, vel, hoc deficiente, iuris communis ratio habeatur.

§. XV.

Digitized by Google

§. XV.

Denique totum ius cambiale eo ordine quam commodiſſime tradi poſſe videtur, vt (1. de cambiis generatim, variiſque eorum generibus, (2. de contractibus cambialibus, (3. de litteris, quibus illi comprehenduntur, (4. de perſonis cambiantibus, (5. de obligatione et effectu inde naſcente, (6. de proceſſu cambiali, quem vocant, agatur. Ratio ordinis. Cambium.

* * * * * * * * *

CAPVT II.

DE CAMBIO GENERATIM, VARIISQVE EIUS GENERIBUS.

§. I.

QVid ſit cambium, iam ſupra (*cap. I.* §. 10.) vidimus, oſtendimusque, ad illud concurrere quatuor perſonas, et pecuniam vno loco ſolutam altero reddi. At ſaepe tamen contingit, vt loco chirographi debitor creditori det litteras cambiales, quae tunc vocantur cambium *proprium*, et opponuntur cambio *locali*; quo ipſo primam habes cambiorum diuiſionem. Cambium *proprium* quid ſit?

§. II.

Cum itaque in cambio proprio duae tantum perſonae contrahant (§. 1.), neceſſe eſt, vt vterque contrahens duarum perſonarum vicem ſuſtineat, adeoque debitor ſe ſimul traſſantem ſimul acceptantem, creditor vero ſimul remittentem ſimul praeſentantem ſe eſſe fingat. In eo vterque contrahens duarum perſonarum vicem ſuſtinet.

§. III.

Quamuis ergo eius modi litterae cambiales vere ſint chirographa, cambiorum ſchemate induta: nihilo minus tamen ideo An ſit magni momenti?

ſunt magni momenti, quod (1. vti alia cambia poſſunt indoſſari, (2. facillime praeſcribuntur, et (3. non ſequuta ſolutione locus eſt proceſſui et exſequutioni cambiali.

§. IIII.

Conſectaria.

Cum itaque hoc cambium proprie ſit chirographum, cambii ſchemate indutum (*§. 3.*) conſequens eſt, (1. vt nec praeſentatione, nec proteſtatione indigeat, (2. vt hoc cambium ſemper ſit ſolum, numquam ſecundum, tertium, cet. (3. vt ſaepe iſti inſerantur clauſulae, pignoratitia et hypothecaria, LVDOVIC. *Introd. ad proceſſ. camb. cap.* III. *§.* 10. quamuis hypothecae conſtitutio in cambio facta iure Pruſſico nullius effectus ſit. *Ordin. camb. nouiſſ. ann.* 1724. *art.* 51.

§. V.

An in cambio traſſato ante diem ſolutionis recte ſoluatur?

Ex eodem principio ſequitur, (4. vt in cambio traſſato ſtricte obſeruandus ſit dies ſolutionis, adeo, vt ne quidem ante illum ſolui poſſit; qua in re omnes leges cambiales conſpirant. In cambio proprio autem et ante diem ſolutio recte fit; quod et iuris communis eſt. *L.* 29. *D. de ſolut.*

§. VI.

An chirographarius debitor, et qui cambium proprium dedit, ante diem recte ſoluat?

Equidem et chirographarius debitor ante diem non ſemper recte ſoluit, quia, ſi ſub vſuris ipſi creditum eſt, dies non tam in fauorem debitoris, quam creditoris, adiecta cenſetur: ſed id contingere non poteſt in cambiis propriis, vbi vſurae non ſeparatim promittuntur, ſed in ſortem ſtatim computantur. ZIPFEL. *de litter. camb. ſect. VI. pag.* 124. Hinc creditor eo ipſo, quod debitor citius ſoluit, nullum plane patitur detrimentum.

§. VII.

Cambia *ceſſa* vel *indoſſata*, et *non ceſſa* vel *non indoſſata* quaenam dicantur?

Hactenus de cambiis propriis et traſſatis. Vtraque deinde diuiduntur in *ceſſa* vel *indoſſata*, et *non ceſſa* vel *non indoſſata*. Cum enim quiſque ordinarie ius ſuum alteri cedere recte poſſit: nullum eſt dubium, quin et cambii exigendi ius in alterum transferri poſſit, id quod vocant *indoſſamentum*, quia in dorſo ſcribi ſolet.

§. VIII.

§. VIII.

Hinc in cambiis ipſis plerumque ſcribitur : *der Herr zâhle an Titium, oder deſſen Ordre*; vel: *an Titium oder Commiſs.* Sed ſi vel maxime haec formula in litteris cambialibus non legitur, ceſſio tamen etiam ignorante et inuito debitore fieri poteſt. *L. 1. C. de nouat.* Praeterquam quod ex legibus cambialibus Franciae, nec non Lipſienſibus, ceſſio tunc nullius momenti eſt, ſi formula iſta in cambiis omiſſa ſit.

An inuito et ignorante debitore talis ceſſio fieri poſſit, etiamſi formula non legatur?

§. VIIII.

Ex quo porro ſequitur, vt ceſſio vel indoſſatio ab vnoquoque vnicuique fieri poſſit, adeoque et Iudaeus Chriſtiano, et Chriſtianus Iudaeo cambium recte cedat. Quamuis enim Iudaei Chriſtianis actiones cedere prohibentur, *R. I. ann.* 1551. *art.* 79. et *Ordin. polit. ann.* 1577. *tit.* 20. *art.* 4. id tamen in praxi non obſeruari, docet BERGER. *Oeconom. iur. libr. III. cap.* 5. §. 4.

Quinam alteri cedere poſſint?

§. X.

Id vero praecipue obſeruandum, cambia cedi vel indoſſari duplici modo. Aut enim indoſſatarius tantum fit procurator indoſſantis, vel eius mandatarius, quod fit, ſi formula quis vtatur: *vor mich an Herrn Javolenus, ſoll mir gute Zahlung ſeyn*; aut vera et propria eſt ceſſio, eum in finem facta, vt indoſſatarius fiat verus creditor et procurator in rem ſuam, quod fit formula: *vor mich an Herrn Javolenus, Valuta von demſelben.* Vnde ſaepe ſex vel plures ceſſiones dorſo cambii inſcriptae leguntur, quale cambium tunc vocari ſolet *ein Giro*, vel *ein girirter Wechſel.*

Quomplici modo fieri poſſit ceſſio?

§. XI.

Nec minus notari meretur, leges cambiales tantum non omnes ob innumeras fraudes prohibere ceſſiones, quae ſolo ſubſcripto nomine fiunt, ac proinde vocantur *Indoſſements in bianco.* Ex his ne actio quidem datur, niſi ante praeſentationem ipſa ceſſio ab indoſſante inſcripta ſit; id quod vocant *das Bianco ausfüllen.* Vid. *Ord. camb. Lipſ.* §. 11. *Dantiſc. art.* 27. *Pruſſic. art.* 25.

An valeant ceſſiones, quae ſolo ſubſcripto nomine fiunt?

§. XII.

Cambia feriarum et platearum quaenam dicantur?

Tranſeamus ad tertiam cambiorum diuiſionem. Nimirum traſſatorum alia dicuntur *feriarum*, alia *platearum*. Illa ſunt, quae in nundinis publicis vel contrahuntur, vel ibi ſoluenda ſunt: haec, quae extra nundinas in emporiis praeſentantur.

§. XIII.

Cambia a viſta, a dato, et a vſo quaenam dicantur?

Cambia platearum ſunt vel *à viſta*, quando ſolutio iniungitur aliquot diebus poſt viſum cambium, cuius formula eſt: *der Herr bezahle drey Tage nach Sicht*; vel *a dato*, quando acceptans ſoluere iubetur intra certum tempus a datis litteris cambialibus, cuius formula eſt: *von dato über vier Wochen beliebe der Herr zu bezahlen*; vel denique *à vſo*, quando tempore conſueto ſoluere tenetur acceptans. Tempus autem conſuetum Lipſiae, in terris Brandenburgicis, Francofurti, Dantiſci, et Vratiſlauiae eſt quatuordecim dierum, Auguſtae Vindelicorum et Noribergae quindecim dierum. Vnde facile intelligitur, quid ſit *doppelte Vſo*, *anderthalb Vſo*, cet. Vid. *Ordin. camb. Lipſ. art.* 15. et *Auguſt. art.* 3.

§. XIIII.

An non acceptanti dentur induciae aliquot dierum.

Quamuis vero id tempus vocari ſoleat tempus fatale ſolutionis: quibuſdam tamen locis etiam elapſo illo tempore, quod in cambio expreſſum eſt, acceptanti dari ſolent induciae aliquot dierum, e. g. trium, quatuor, quinque, ſex, qui dies vocantur *Reſpit-Tage*, *Diſcretions-Tage*, *Nach-Tage, oder Ehren-Tage*, de quibus ſingularem in hac academia diſſertationem ſcripſit Io. Christoph. Franckivs. Sed in Saxonia hae induciae ob fidem mercatorum vacillantem plane abolitae ſunt.

§. XV.

Cambia feriarum et platearum quomodo differant?

Ceterum alia plane eſt cambiorum, quae feriarum vocant, indoles, quam platearum. Nam illa (1. certo tempore praeſentanda ſunt, et elapſo illo tempore non amplius admittuntur; quod tempus in nundinis Lipſienſibus vernis et autumnalibus currit *vom erſten Tag nach eingeläutetem Marckt bis Freytag zu Mittag um 10. Vhr*, in hiemalibus *bis zur Ausläutung der Meſſe.* (2. Cambia feriarum ſoluenda etiam certo tempore, e. g. Lipſiae

Digitized by Google

ſiae die Iouis poſterioris hebdomadis; quae vocatur *die Zahl-Woche*, vſque ad horam decimam nocturnam. Vid. *Ordin. camb. Lipſ. art.* 14. (3. Nullae hic admittuntur dies induciarum. Et denique obſeruandus eſt valor in ſingulis nundinis obtinens.

§. XVI.

In quonam vtraque conueniant?

Commune id habent vtraque cambia, quod aliquando a tertio, ad quem non directa ſunt, et acceptentur, et ſoluantur. Cum enim ſaepe contingat, vt is, ad quem cambium dirigitur, acceptationem deneget, alius vero traſſantis amicus illud ſponte et vltro acceptet: haec acceptatio vocatur *in honorem litterarum.* Eaque non aliter fieri poteſt, quam (1. interpoſita a praeſentante proteſtatione, et (2. expreſſo eius nomine, cuius in honorem acceptarit.

§. XVII.

Quid ſi plures litterae dantur?

Porro cambia vel ſola, vel plura ſimul dari, iam ſupra animaduertimus. Poſterius fit commodo remittentis vel praeſentantis, vt vno alteroue exemplari deperdito, reliquis adhuc vti poſſit. Tunc vero obſeruandum eſt campſoribus, (1. eas litteras omnes pro vnicis haberi, (2. eaſdem per omnia ſibi ſimiles eſſe debere, praeterquam quod ſecundis et ſequentibus inſeri ſolet clauſula: *wenn* prima *noch nicht bezahlt*; vel: *der Herr bezahle auf dieſen meinen* ſecunda *Wechſel-Brief*, prima *unbezahlt*, (3. cauendum, ne error in numero committatur, e. g. ne binae, ſecundae, vel tertiae exſtent.

§. XVIII.

An prima tantum poſſit praeſentari?

Qui plures eius generis teſſeras collybiſticas habet, primam ſtatim poteſt praeſentare ad acceptandum quamuis reliquae per alia loca girentur. Acceptantis enim aeque, ac traſſantis, non intereſt, ſi vel maxime reliquae per ceſſionem in alienas manus peruenerint, quia non niſi ex vna ſoluit, ex reliquis tum demum ſolutio exigi poteſt, ſi ex prima nondum fuerit ſatisfactum.

§. XVIIII.

Cambia pro comparo alie-

Sunt et alia cambiorum genera paullo infrequentiora, vti ea vocat FRANCK. *Inſt. iur. camb. libr. II. ſect. I. tit. 1. ſeqq.*

no, conti-ta, condi-tionalia, et intermiſtica quaenam dicantur?

ſeqq. Talia ſunt *cambia pro computo alieno*, quando inſtitor vel proxeneta alterius mandato cambium traſſandum curat: *contitum*, quando vnus ex contrahentibus duas pluresue perſonas, alias in hoc contractu concurrentes, repraeſentat: *conditionale*, quando litteris cambialibus conditio quaedam licita et honeſta inſeritur: denique *intermiſticum*, quod quis ſoluta nondum valuta interim dat traſſanti ſecuritatis cauſſa.

§. XX.

Cambium *ſiccum* quodnam dicatur? An apud Catholicos ſit licitum?

Denique inter pontificios natum eſt cambium *ſiccum*, quo ſimulatur, cambium traſſari, re vera autem id agitur, vt pecunia credita poſt interuallum eodem loco cum foenore ob eiuſdem vſum ſoluendo reddatur. Quod cum in fraudem canonum foenus et vſuras prohibentium, repertum ſit, pleriſque legibus Romano-catholicorum cambialibus prohibetur. Vid. FRANCK. *Inſt. iur. camb. libr. II. ſect. I. tit.* 8. §. 2.

§. XXI.

An apud proteſtantes? Nec hodie ſtricte vetita ſunt in imp. apud Catholicos.

Sed ſicca haec cambia neque inter Proteſtantes prohibita ſunt, et cum propriis fere per omnia conueniunt. Nam et in his id plerumque agitur, vt pecunia credita eodem loco, additis ſorti vſuris, adeoque cum lucro reddatur. Talia vero cambia propria ne inter pontificios quidem hodie tam ſtricte vetita eſſe, poſtquam *R. I. ann. 1600. §. 179.* vſurae tolerari coeperunt in imperio, obſeruauit NEVMANNVS a PVCHHOLTZ, *de camb. cap. X. §. 6. 8.*

Digitized by Google

* * * * * * * * *

CAPVT III.

DE CONTRACTIBVS CAMBIALIBVS.

§. I.

IAm ſupra diximus, cambiale negotium conflatum eſſe ex variis contractibus. Itaque ad eius naturam et indolem eo diſtinctius cognoſcendam quam maxime neceſſarium eſt, contractus illos, qui inter tot perſonas intercedunt, probe perſpectos habere. Quare de iis hoc capite ex inſtituto agere animus eſt. Connexio.

§. II.

Obligationem cambialem ex contractu naſci, inter omnes conſtat. Qualis vero ſit iſte contractus, de eo adhuc ſub iudice lis eſt. Pro *permutatione* illum venditauit LAVTERBACH. in *Diſſert. de contract. innominat. coroll.* 2. 3. Alii eumdem pro *mutuo*, alii pro *depoſito*, alii pro *mandato*, alii pro *locatione conductione*, alii denique pro *emtione venditione* habuerunt. Variae de contractu cambiali opiniones.

§. III.

Sed nullum horum contractuum cambii naturam et indolem exhaurire, facile vnuſquiſque intelligit. *Permutatione* enim id agitur, vt res pro re, ſpecies pro ſpecie reddatur: in cambio vero, vt quantitas quaedam hic ſoluta ab alio alibi reddatur. Nec *mutuum* dici poteſt, cum pecunia non ſemper detur, vt reddatur, ſed illa ſaepe reddenda ſit, antequam accipiatur. Nec *mandatum* tantum ſubeſſe poteſt, quia ab initio ſtatim ad mutuam praeſtationem tenentur contrahentes, et obligatio ab ipſa pecuniae numeratione incipit. Nec permutatio, nec mutuum, nec mandatum,

§. IIII.

Non minus falluntur, qui hic fingunt *depoſitum*, vbi tamen nec res ipſa redditur, et traſſans dominium pecuniae conſe- nec depoſitum,

nec locatio conductio, nec emtio venditio eſſe poteſt. ſequitur, quae vltima ratio etiam impedit, quo minus *locatio conductio* dici queat. Denique *emtio venditio* ideo dici non poteſt, quod hic non res pro pecunia, ſed pecunia pro pecunia redditur, quamuis campſores ſaepe vti ſoleant phraſi: *einen Wechſel kauffen.* Vid. *Ius camb. Wolfenbut. art.* 2.

§. V.

Origo errorum. Fieri profecto non potuit, quin hi omnes opinione ſua fallerentur, (1. quod negotium inter tot perſonas contractum ad vnam tantum conuentionem referre conati ſunt, cum illud ex pluribus conflatum eſſe, intellexiſſent facile, ſi mens non laeua fuiſſet, (2. quod hoc conuentionis genus ad contractus cuiuſdam iuris Romani normam exigere voluerunt, cum multa a poſteris inuenta ſint, de quibus Romani olim ne per ſomnium quidem cogitarunt, quales ſunt contractus feudales, aſſecurationum, vitalitii, ſocidae, lotteriae, bodmeriae, de quibus conſulto Papiniano, ſi reuiuiſceret, fatendum eſſet, ſibi iam de nouo ius addiſcendum eſſe. Vid. Titii *Ius priuat. libr. IIII. cap.* 14. §. 1. et 16.

§. VI.

Plures ſunt conuentiones non per omnia ſimiles contractibus iuris Romani. Primus contractus. Rectius ergo obſeruarunt Schilt. *Exerc. ad Pandect. XXXII.* §. 10. et Stypmann. *de iure marit. part. IIII. cap.* 8. §. 42. ex pluribus conuentionibus conſtare negotium iſtud cambiale, eaſque contractibus iuris Romani non per omnia ſimiles eſſe; primo ſane inter remittentem et traſſantem intercedit contractus litteralis, ceu poſt alios obſeruauit Boehmer. *de action. ſect. II. cap.* 9. §. 16. qui enim litteras cambiales ſcripſit, obligatus eſt ex ſolis litteris, quamuis ipſi numerata non ſit pecunia.

§. VII.

obiectio I. Eiuſdem ſolutio. Obiici poſſet, ſcripturam magis ad naturalia, quam ad eſſentialia cambii pertinere, et, ſi aliunde probari poſſit, inter contrahentes hoc conueniſſe, vt pecunia hic numerata alibi reddatur, nihil cauſſae eſſe, cur non inde naſci debeat obligatio. Scaccia, *de camb. §. 1. quaeſt. 5. num.* 10. et Rhet. *de verſur. cap. I. theſ.* 10. At his ego reſponderim, obligationem quidem tunc naſci, ſed non cambialem, et actionem dari, non tamen perſequutionem cambialem.

§. VIII.

Digitized by Google

§. VIII.

Eiuſdem momenti eſt argumentum, quod ſententiae noſtrae obuertit STYPMANN. *de iure marit. part. IIII. cap.* 8. §. 40. non poſſe cambium dici contractum litteralem, quia non ſoluat, qui ſcripſerit, ſed alius, nec quia ſcriptum ſit, ſed quia pecunia ſit numerata; nam ad prius reſpondeo, in ſenſu iuridico vere ſoluere, qui ab alio ſoluit, *L.* 56. *L.* 87. *D. de ſolut.* ad poſterius vero, falſum eſſe traſſantem ideo obligari, quod pecuniam acceperit, cum manifeſto obligetur ex litteris tantum. Obiectio II. Eiuſdem ſolutio.

§. VIIII.

Hinc id omnino pro certo habendum, contractum illum principalem, qui inter remittentem et traſſantem intercedit, ad litteralem quam proxime accedere. Inde multas concluſiones fluere, recte animaduertit TITIVS, *Iur. priuat. libr. X. cap.* 5. §. 53. veluti (1. quod indoſſatus, ſi indoſſanti ſoluerit, et ab eo acceperit inſtrumentum caſſatorium, indoſſatario nihilo minus ſoluere teneatur, BERGER. *Elect. proceſſ. exſequut.* §. 53. (2. quod indoſſatarius ceſſionem indoſſato denunciare non teneatur, et (3. quod indoſſatarius ceſſionario extracambiali, licet antiquiori, praeferatur, contra *L.* 2. *C. qui potior. in pign.* Concluſiones.

§. X.

Neque tamen exiſtimandum, adeo omnia, quae de contractu litterali inuenit IVSTINIANVS *§. vn. Inſt. de litter. oblig.* in cambiis etiam obtinere, vt in iis biennio nondum antiquioribus locus ſit exceptioni non numeratae pecuniae, vel onus probandi pertineat ad creditorem; exceptio enim illa opponi quidem poteſt, ſed tum demum, ſi in continenti poſſit probari. Vid. BERGER. *Diſſert. de exceptione non numeratae pecuniae aduerſus cambium.* Non per omnia conuenit cum contractu litterali.

§. XI.

Et hic quidem primus et principalis contractus eſt, quem inter remittentem et traſſantem intercedere diximus: alter initur inter traſſantem et eum, cui iniuncta eſt ſolutio. Is enim plerumque verum mandatum eſt, quia acceptans ſuſcepto illo mandato ad ſolutionem pro alio praeſtandam, adeoque ad negotium alienum explicandum obligatur. Contractus ſecundus.

§. XII.

Conſectaria.

Ex quo ſequitur: (1. vt tertius, cui ſolutio iniungitur, cambium acceptare inuitus non teneatur, (2. vt ſemel acceptato cambio obſtrictus ſit ad ſolutionem, (3. vt hoc, tamquam mandatario, ſolutionem denegante et interpoſita proteſtatione regreſſus aduerſus mandantem pateat, (4. vt acceptans tamquam mandatarius fines mandati non egredi, adeoque nec ante tempus, nec ante conditionem litteris expreſſam, nec in alia moneta, quam praeſcriptum, ſoluere poſſit.

§. XIII.

Conſectaria litterae aduiſoriae.

Quandoquidem vero et mandans mandatarium indemnem praeſtare tenetur: ita facile patet, cur (5. acceptans, tamquam mandatarius, ſoluto cambio refuſionem pecuniae cum vſuris recte a traſſante exigat, et (6. cur cambia acceptari non ſoleant, niſi acceptans in anteceſſum ſciat, quomodo ſibi ſatisfacturus ſit traſſans. Quo comparatae ſunt litterae, quas mercatores *aduiſorias* vocare ſolent.

§. XIIII.

Conſectaria.

Cumque in mandato perſonae induſtria et qualitas eligatur, ac proinde ſubſtitutio in negotiis extraiudicialibus regulariter non ſit permiſſa: facile patet, (7. cur ne in cambio quidem is, cui ſolutio mandata eſt, alium v. gr. debitorem ſuum, inuito praeſentante pro ſe ſubſtituere poſſit. Clauſula enim ſubſtituendi cambiis quidem inſeritur in fauorem praeſentantis, non autem in fauorem acceptantis.

§. XV.

Contractus tertius.

Tertius contractus inter remittentem et praeſentantem intercedit, qui pro diuerſitate circumſtantiarum diuerſus eſſe poteſt. Modo enim praeſentans ſit dominus cambii, veluti ſi reſtituta valuta emerit: aliquando mandatarius tantum, ſi pecuniam remittentis nomine, eiuſque mandato exigit.

§. XVI.

An et quando remittens litteras cambiales recte reuocet?

Hinc priore caſu remittens litteras cambiales reuocare non poteſt, quippe quarum dominium iam in praeſentantem translatum eſt: poſteriore litteras iſtas recte reuocat, re adhuc integra. Id quod ex natura mandati manifeſto fluit. Vid. §. 9. *Inſt. de mandat.*

§. XVII.

Digitized by

§. XVII.

Inter eum, cui iniuncta ſolutio, et exactorem vel praeſentantem proprie non intercedit ſingularis contractus, quia praeſentans remittentis, et acceptans traſſantis mandatarius eſt, et hinc vterque omnia non ex proprio, ſed alieno negotio agit, ceu recte obſeruat FRANCK. *Inſt. Iur. camb. libr. I. ſect. I. tit.* 4. §. 22. Simulac vero hae perſonae limites mandati egrediuntur, et acceptans e. g. ante diem ſolutionem promittit, nouam omnino ineunt conuentionem, quae conſtituti vel delegationis indolem redolet. Vid. RAPH. DE TVRRE, *de camb. diſſert. II. qu.* 16. *num.* 57.

An inter eum, cui iniuncta ſolutio, et exactorem proprie intercedat contractus.

§. XVIII.

Quae cum ita ſint, verum omnino eſt, quod obſeruauit TITIVS, *Iur. priuat. libr. X. cap.* 5. §. 4. tria negotia vel tres conuentiones hic concurrere, primam tamen tantum eſſe principalem, duas poſtremas minus principales et acceſſorias, quia non tam ad perfectionem, quam conſummationem et exſequutionem negotii cambialis pertineant.

Tres conuentiones concurrunt, prima principalis, poſtremae acceſſoriae.

§. XVIIII.

Saepe tamen et alia negotia extra ordinem concurrunt. Nam (1. aliquando proxenetae de cambiis alieno nomine negotiantur, quo caſu nouum mandatum intercedit. (2. Saepe cambium indoſſatur, vel alteri creditur: et tunc emtio venditio, mandatum, in ſolutum datio, donatio, vel alius qualiſcumque contractus initus eſſe poteſt. Denique (3. quoties quis acceptat cambium in honorem litterarum, toties intercedit negotiorum geſtio.

An non aliquando alia negotia extra ordinem concurrant?

§. XX.

Quin ſunt quaedam conuentiones cambialibus adfines, et quae ad earum naturam proxime accedunt; cum tamen ſint diuerſiſſimae. Eo inprimis pertinet *adſignatio*, quae eſt actus, quo qui ſoluere tenetur, alium a quo ſolutionem ſuo nomine accipiat, demonſtrat. Ea, quod ad formulam attinet, cambio ſaepe tam ſimilis eſt, vt facile incautos fallat.

Conuentiones cambialibus adfines.

Adſignatio quid?

§. XXI.

Adſignatio in quonam a cambio differat?

Differt adſignatio a cambio, quia in adſignatione vnus mandat duobus, alteri, vt ſoluat, alteri, vt accipiat. *L. 27. §. 2. D. de legat. 3.* Deinde in adſignatione nec quatuor perſonae concurrunt, ſed tres tantum, nec rigor cambialis obtinet, nec indoſſatio, nec proteſtatio in caſu non praeſtitae ſolutionis. Vid. Hoeckner. *de litterar. cambial. indoſſam. cap. I. §. 7.*

§. XXII.

In adſignatione concurrunt adſignans, adſignatus, et adſignatarius.

Tres vero iſtae perſonae, quae in adſignatione concurrunt; ſunt (1. *adſignans*, qui per alium ſoluit, et hinc etiam vocatur *der Ausgeber*; (2. *adſignatus*, qui alterius iuſſu, eiuſque nomine ſoluit; ac denique (3. *adſignatarius*, cui ab adſignato ſoluendum eſt, tradita adſignatione, quae apochae vicem ſuſtinet. Vid. Stryk. *Diſſ. de iure adſignationum inter mercatores, §. 29.*

§. XXIII.

Quid circa adſignationem iuſtum?

Schedula adſignationis adſignato in tempore repraeſentanda, eique praeſtita ſolutione relinquenda eſt, quippe quae tunc apochae vice fungitur. *Ordin. camb. Lipſ. art. 24.* Si adſignatus non ſoluit, non ideo liberatur adſignans, ſecundum paroemiam: *Anweiſung iſt keine Zahlung*; ſed adſignatario recurſus aduerſus eum patet: quo ipſo adſignatio a delegatione quam maxime diſtinguitur. Vid. *§. 3. Inſt. quib. mod. toll. oblig.*

§. XXIIII.

An poſſit reuocari?

Vnde facile intelligitur ratio, cur adſignatio ſemper et prohibita reuocetur, cum cambium regulariter reuocari non poſſit. Koenigke *ad ordinat. camb. Lipſ. art. 25. not. 1.* Immo et facile inde intelligitur, adſignatum obſtrictum non eſſe ad acceptandam adſignationem, niſi ipſe ſit debitor adſignantis, et dies debiti iam venerit. Vid. Stenger. *de adſignat.* §. 4.

§. XXV.

In quanam moneta adſignatio ſoluenda?

Sunt leges et conſuetudines quaedam topicae, quae et adſignationi paullo maiorem effectum tribuunt, veluti, quod in nundinis non praeſtita ſolutione adſignatarius proteſtari non tenea-

neatur, perinde ac de cambio non ſoluto. Franck. *Inſt. iur. camb. libr. I. ſect. III. tit. 9. §. 13.* Sed hoc ad exceptiones pertinet. Ad regulas contra referendum eſt, quod data adſignatione ſolutio in minore moneta praeſtari ſolet, niſi aliud liquido expreſſum ſit. Vid. Koenigke *ad ordin. camb. Lipſ. §. 22. not. 4.*

§. XXVI.

Quid ſit auallum?

Fideiuſſiones etiam quaedam ſimiles ſunt cambiis. Aut enim quis fideiubet ſeparatim, tradito inſtrumento fideiuſſionis; et tunc iuri cambiali aduerſus fideiuſſorem non eſt locus: aut in ipſis litteris cambialibus fideiuſſio latitat, et tunc fideiuſſor conuenitur proceſſu cambiali. Vocari ſolet haec fideiuſſio *auallum*, idque fit ſola ſubſcriptione litterarum cambialium ab vno conſcriptarum. Vid. Savary, *Negotiat. perfect. part. I. libr. III. cap.* 8.

§. XXVII.

Aualli differentia ab obligatione correali.

Hinc facile diſcernitur *auallum* ab obligatione correali, qua tenentur, qui ſe in ſolidum in cambio obligarunt: fideiuſſor enim, ſi debitor principalis ſoluendo eſt, tantum in ſubſidium; correus in ſolidum principaliter tenetur, ſiue alter correus ſoluendo ſit, ſiue non ſit.

§. XXVIII.

An fideiuſſio omnibus cambiis accedere poſſit?

Perinde vero eſt, ſiue quis in cambio proprio pro debitore; ſiue in traſſato pro traſſante, ſiue pro remittente, ſiue pro indoſſante, ſiue pro acceptante fideiubeat. Omnibus enim obligationibus ex quocumque contractu ſecuritatis cauſſa accedere poſſe fideiuſſionem, ex ipſo iure communi ſatis notum prouocatumque eſt. Vid. *§. 5. Inſt. de fideiuſſ.*

§. XXVIII.

Quinam pro cambio poſſint fideiubere.

Ceterum obſeruatu dignum eſt, pro cambio fideiubere poſſe, quicumque poſſunt cambiare, excepto ſolo proxeneta, cuius fideiuſſio nullius momenti eſt, niſi quod in Gallia valet tamquam teſtimonium, quod recte ſeſe habeat ſubſcriptio debitoris principalis. Vid. Savary, *Negotiat. perfect. part. II. libr. III. cap.* 7.

§. XXX.

Litterae commendatitiae quid ſint? Aliquando cambiis accedunt *litterae commendatitiae*, quae mercatoribus vocantur *eine Addreſſe*, vel *eine Notiz*, et nihil aliud ſunt, quam litterae, quibus tertius breuibus verbis rogatur, vt, ſi forte is, cui iniuncta eſt ſolutio, acceptare cambium recuſet, ipſe honorariam ſolutionem praeſtet. Hae litterae ſeparatae ſchedulae inſcribi, et acu litteris cambialibus adiungi ſolent.

§. XXXI.

Quid ſi acceptatio denegetur? Negante ergo acceptationem eo, cui illa iniuncta eſt, exactor, praeuia proteſtatione, litteras cambiales una cum commendatitiis praeſentat tertio, eumque rogat, vt in honorem litterarum ſoluere velit; vid. FRANCK. *Diſſert. de acceptatione litterar. cambial. honor. cauſſ.* §. 17. *pag.* 36. hic vero deinde declarat, acceptare velit, nec ne, ad quod tamen faciendum non prius obligatus eſt, quam dies venerit. Vid. PHOONSEN, *Stil. cambial. Amſtelod. cap.* 24. §. 4.

§. XXXII.

An commendatio obliget tertium ad acceptandum cambium? Cum vero commendatio nulla alterum inuitum obſtringat: conſequens eſt, vt nec eius modi litterae obligent tertium ad acceptandum cambium, ſolutionemque praeſtandam. Quin ne declarare quidem voluntatem ſuam tenetur ante terminum ſolutionis. Denegata ſolutione vel acceptatione, proteſtationem ſumtibus traſſantis fieri iubet *Ordin. camb. Hamburg. art.* 20. idque etiam plerique doctores neceſſarium putant, quamuis diſſentiat FRANCK. *Diſſert. cit.* §. 17. *not. f.*

* * * * * * * * * *

CAPVT IIII.

DE LITTERIS CAMBIALIBVS EARVMQVE CVRSV.

§. I.

Ratio ordinis. QVomodo ex campſorum conſuetudine concipiendae ſint litterae cambiales vel teſſerae collybiſticae, iam ſupra obiter mo-

Digitized by Google

monuimus. Nunc ea de re ex inſtituto agendum erit accuratius, ſimulque de curſu litterarum illarum quaedam haud proletaria erunt monenda.

§. II.

Litterarum cambialium quot ſint partes? Litterarum cambialium partes ſunt tres, I. *lemma*, II. *litterae* ipſae, et III. *ſubſcriptio.* In *lemmate* continentur (1. *votum*, (2. *locus*, vbi ſcriptum ſit cambium, (3. *dies*, *menſis*, et *annus*, ac denique (4. *ſumma pecuniae* exactori ſoluendae, expreſſo ſimul monetae genere. Votum an ſit neceſſarium? *Votum* in inuocatione Dei conſiſtit, quae quam ſuperflua ſit, quaque cleri vafritie in omnia fere inſtrumenta irrepſerit, eleganter oſtendit THOMASIVS, tum ad *§. 2. prooem. Inſt.* tum in *Diſſert.* elegantiſſ. *de natura precum iuridicarum.* Vnde et hodie ſaepe omittitur.

§. III.

Mentio loci an ſit neceſſaria? Magis neceſſaria eſt *mentio loci*, adeo, vt eius omiſſio cambium vitiet in Auſtria, et ducatu Brunſuicenſi. Quamuis vero alibi locum impune omitti putet ZIPFEL, *von der Wechſel-Uſance, pag.* 118. idque etiam iure communi recte ſe habere videatur, *L.* 21. *D. de obligat. et act.* merito tamen diſſentit STRYK. *in Diſſert. de acceptat. litter. camb. cap.* 3. *§.* 3. Quomodo enim ſcire poteſt litterarum illarum poſſeſſor, in quem locum cum proteſtatione remittendae ſint litterae cambiales, ſi in eo loci nulla fiat mentio?

§. IIII.

Diei, menſis, et anni mentio quandonam neceſſaria? Sequitur *diei*, *menſis*, et *anni*, *mentio*, duobus caſibus neceſſaria, (1. quando id ſpeciatim exigunt leges cambiales, veluti Auſtriacae, Pruſſicae, et Brunſuicenſes, (2. quoties dies ſolutionis a die ſcriptarum litterarum computandus eſt, ab eoque currere incipit. Alias omiſſus dies contractum regulariter non vitiat. *L.* 5. *C. de tranſact.*

§. V.

An ſumma zifris exprimenda? Denique ſollemne etiam eſt campſoribus ſub finem lemmatis zifris exprimere ſummam ſoluendam, addito monetae genere, quo exactori ſit ſatis faciendum: quamuis hoc requiſitum vel ideo eſſentiale non poſſit exiſtimari, quod ſumma poſtea in ipſis litteris cambialibus iterum exprimi ſolet.

§. VI.

§. VI.

Dies ſolutionis in ipſis litteris exprimendus.

In ipſis litteris primo omnium exprimendus eſt *dies ſolutionis*, et quidem in cambiis propriis ſpecifice, in traſſatis autem diſtinguendum, ſintne feriarum, an platearum. In illis ſufficit mentionem fieri nundinarum, in quibus fieri debeat ſolutio, quia dies ſolutionis tunc ſatis certus eſt; in his vero dies ſtatuendus eſt certus, vel a datis, vel a viſis litteris, vel ſecundum conſuetudinem computandus.

§. VII.

Mandatum ſoluendi et precatiuis, et imperatiuis verbis exprimi poteſt.

Sequitur mandatum ſoluendi, quod perinde eſt, ſiue verbis precatiuis, vel imperatiuis exprimatur: eo enim ſeculo viuimus, quo cultiores gentium mores loquutiones imperatiuas reſpuunt. Vnde nec Vogtio adſentimur, qui *pag.* 195. debitori imperatiuis, nihil debenti precatiuis verbis ſolutionem mandandam eſſe putat, nec Strykio, qui in *Diſſert. de cambial. litterar. acceptat. cap.* 4. *num.* 22. exiſtimat, cambia verbis precatiuis concepta eſſe reuocabilia.

§. VIII.

Cambio proprio promiſſio ſolutionis inſerenda.

Si cambium ſit proprium, facile intelligitur, loco mandati inſerendam eſſe *promiſſionem ſolutionis*, quae ex vſu loquendi praeſenti tempore exprimi ſolet: *zahle ich auf dieſen meinen Wechſel*, vel: *gelobe ich zu bezahlen.* Immo plerumque haec promiſſio bis repeti ſolet, ſemel hoc loco, ac iterum ſub finem litterarum verbis: *leiſte zu geſetzter Zeit richtige Zahlung nach Wechſel-Styl, und nehme Gott zu hülfe.*

§. VIIII.

Mentio litterarum cambialium facienda.

Proxima eſt *mentio litterarum cambialium*, (*auf dieſen meinen Wechſel-Brief*), quae verba adeo ſunt neceſſaria, vt plures leges cambiales perſequutionem collybiſticam denegent ex ſchedula, in qua vocabulum cambii ne ſemel quidem occurrat, quamuis alii id ſuperfluum, vel ſaltem implicitam cambii mentionem ſufficere exiſtiment. Vid. Berger. *Elect. diſceptat. forenſ. pag.* 706. et Franck. *Inſt. iur. camb. libr. I. ſect.* 1. *tit.* 6. §. 7. 8.

§. X.

Digitized by Google

§. X.

Earum qualitas exprimenda.

Immo non modo litterarum cambialium generaliter fieri debet mentio, ſed et earum *qualitas* exprimenda eſt, puta quod ſint ſolae, vel primae, ſecundae, tertiae. Vbi tamen obſeruandum, litteras primas et ſolas pure concipi ſolere, reliquas ſub conditione, ſi primis vel ſecundis ſolutione nondum ſatisfactum fuerit.

§. XI.

Exactoris praenomen et nomen adiicienda.

Nec praetermittendum *exactoris praenomen* et *nomen*; vel ideo quippe neceſſarium, quod nemo ex litteris agere poteſt, cuius in illis nulla ſit mentio. Quod adeo verum eſt, vt ne ſufficiat quidem ſola litterarum poſſeſſio, ſi inſerta ſit clauſula: *an getreuen Briefs-Innhaber*. Exactoris nomini ſubiici ſolet: *oder deſſen Ordre*, vel: *oder deſſen Commiſs*, quibus verbis ſignificatur, exactorem etiam per alium, puta indoſſatarium, litteras offerre, et ſolutionem exigere poſſe, idque eiuſdem vigoris ac effectus futurum, ac ſi ipſe exactor eas obtuliſſet.

§. XII.

Summa ſoluenda eſt exprimenda, vt et monetae genus.

Hinc porro exprimenda eſt *ſumma ſoluenda*; quam leges quaedam cambiales, veluti Danica et Wolfenbutelana bis ſcribi iubent, ſemel litteris, et iterum zifris. Quamuis vero alibi alterutrum ſufficiat: procul dubio tamen conſuetudo prior laudatu dignior eſt, quia e litteris ſcriptis difficilius aliquid eraditur, quam in zifris. Denique et *monetae genus* exprimendum; quod niſi factum ſit, monetae vulgares intelliguntur, quas vocant *courant*.

§. XIII.

Campſoris profeſſio.

Tum ſequitur *profeſſio campſoris*, ſibi iam eſſe ſatisfactum, id quod ſtilo collybiſtarum vocatur *valuta*. Haec plerumque exprimitur ita, vt (1. mentio fiat perſonae, a qua ſatis factum, (2. vocabulum adhibeatur, ex quo acceptio colligi poſſit, e. g. *Valuta vvohl empfangen, des Wechſels bin vvohl vergnügt*, (3. aliquando etiam ipſe modus ſatisfaciendi exprimatur, e. g. *Valuta baar empfangen*, vel: *an Wechſel-briefen*, item: *Valuta in Rechnungen vvohl empfangen*, cet.

§. XIIII.

Sitne valutae mentio neceſſaria, nec ne?

Sitne *valutae* mentio adeo neceſſaria, vt omiſſio eius cambium vitiet, ex legibus cambialibus ſingulorum locorum iudicandum eſt. Eam omnino exigunt leges Ruſſicae, Gallicae, Danica, et Wolfenbutelana: contra ea in *Lipſienſi* §. 3. legimus: *es ſollen die Wechſel-Briefe einen Weg vvie den anderen kräftig vnd gültig ſeyn, es mag der empfangenen Valuta, (vvie zvvar an ihm ſelbſt billig vväre), darinnen gedacht ſeyn, oder nicht.* De eo tamen inter omnes conuenit, quod ſemel accepto cambio fieri debeat ſolutio, ſi valuta vel maxime omiſſa ſit.

§. XV.

Litterae aduiſoriae ſeu ſpachium.

In cambiis propriis, vti iam §. 8. monuimus, plerumque ſequitur repetita promiſſio ſolutionis, cum inuocatione nominis diuini: in traſſatis contra acceptanti indicari ſolet, quo facto ipſi iterum ſit ſatis faciendum. Hinc ſollemnes formulae: *ſtelle es a Conto*, vel: *ſtelle es a Conto Herrn Mevii*, vel: *ſoll mir validiren*, cet. Cumque non ſemper conſtet acceptanti, quomodo ſibi a traſſante ſit ſatis faciendum: hinc adiici plerumque ſolent verba, *laut Adviſo.* Litterae vero aduiſoriae, quas et *ſpachium* vocant campſores Itali, ſunt litterae, quibus certior fit acceptans, cambium eſſe a ſe traſſatum, et quomodo ſibi ſit ſatis faciendum. Aliquando tamen non exſpectandas eſſe litteras aduiſorias acceptanti denunciatur, et plerumque colophonis loco additur benedictio.

§. XVI.

Subſcriptio quomodo fiat? Sigilli vſus aliquis ſit, vel non?

Ad *ſubſcriptionem* quod attinet, a dextra praenomen et nomen traſſantis, et aliquando fideiuſſoris, adſcribi ſolet, cui nonnumquam etiam epitheton additur, e. g. *bereitvvilliger*, *dienſtvvilliger.* Aliquando et ipſum ſoluendi mandatum repetitur, ſi forte traſſans litteras ſua manu non ſcripſerit. Sigilli plane vſus nullus eſt in hiſce litteris, quamuis et hoc aliquando addatur, maxime in cambiis propriis.

§. XVII.

§. XVII.

Ad ſiniſtram ſubiicitur nomen acceptantis in datiuo caſu, praemiſſo verbo honoris, et ſubiuncto vocabulo: *fautori.* Repeti etiam ſolet qualitas litterarum cambialium, vt ſtatim appareat, ſolae iſtae ſint, an plures exſtent eiuſdem generis. Qualitas litterarum repetenda.

§. XVIII.

An charta ſignata opus ſit, ex legibus ſingulorum locorum cambialibus diiudicandum eſt. In Saxonia adhibenda eſt eius modi charta, ſi cambia in ipſa prouincia manent: ſin alio diriguntur, non requiritur charta ſignata. Idem hodie obtinet in prouinciis Pruſſicis, *Ordin. camb. de ann.* 1724. *art.* 2. cum olim mercatoribus iſta neceſſitas plane remiſſa eſſet. An et vbi charta ſignata opus ſit?

§. XVIIII.

Tales eſſe oportet litteras, ex quibus actio cambialis poteſt inſtitui. Lipſiae tamen, Brunſuigae, et Dantiſci mos inualuit, vt et ex cautione a mercatore mercatori data ſuper mercibus creditis cambialis perſequutio detur, modo ſumma debita, et certus ſolutionis dies illa exprimantur. Vid. KOENIGK. *Addend. ad Ordinat. cambial. Lipſ. pag.* 20. *ſeqq.* An et ex cautione a mercatore mercatori data cambialis perſequutio detur?

§. XX.

Si debitor chirographum creditori dederit, eique inſeruerit clauſulam: *ich verſpreche hiermit die vorgeſchoſſene tauſend Thaler nach Wechſel-Recht zu bezahlen*; vel: *in entſtehung prompter Bezahlung gebe ich dem Herrn Gläubiger freye Macht vnd Gevvalt, dieſer Poſt halber nach Wechſel-Recht vvieder mich zu verfahren*, in Saxonia, aliiſque locis, inde datur perſequutio cambialis, STRYK. *Diſſ. de accept. litter. camb. cap.* 3. §. 2. enim vero leges cambiales Pruſſicae id plane non admittunt. An et ex chirographo, cui clauſula cambialis inſerta?

§. XXI.

Haec de litteris cambialibus: proximum eſt, vt de curſu earum paullo adcuratius agamus, id eſt, quomodo hae litterae ſint dandae, praeſentandae, acceptandae, ſoluendae, vel cum proteſtatione remittendae, diſtincte oſtendamus. Primo itaque Connexio materiae.

 remit-

Quid circa remittentem iuſtum?

remittens aut paratam numerare pecuniam, aut dato interim cambio, quod ideo *interimiſticum* vocant, vel cautione ſeu chirographo traſſanti ſatis facere tenetur. Niſi enim id fecerit, traſſans, qui litteras cambiales ſub ſpe ſolutionis dedit, perſequutione cambiali aduerſus illum poteſt vti. Vid. *Ord. camb. Lipſ. art.* 26.

§. XXII.

Numerata pecunia, vel dato cambio quid fieri debeat?

Numerata pecunia, vel dato cambio, quod interimiſticum vocant, traſſans ſcribit tum litteras cambiales vel ſolas, vel plures, tum aduiſorias. Priores accipit remittens, poſteriores, ipſe traſſans ad ſoluturum dirigit. Hic ſi cambium ſit platearum, remittens ante omnia obſeruare debet, vt in tempore cambium ad praeſentantem mittat, ſiquidem alias omne damnum emergens ferre tenetur. Sufficere tamen, ſi paullulum ante tempus ſolutionis cambium praeſentetur, pluribus reſponſis tum ICtorum, tum mercatorum, oſtendit LVDOVICI, *Introd. ad proceſſ. camb. cap. IIII.* §. 11. 12.

§. XXIII.

Quid ſi inſtitor cambium traſſarit ad dominum, bonis lapſum?

Quid ſi inſtitor cambium traſſarit ad dominum, hic vero bonis labatur? Tunc diſtinguitur, dominine fidem ſequutus ſit remittens, an inſtitoris. Hoc enim caſu aduerſus inſtitorem regreſſum habet, aliquando etiam finito officio: illo caſu ipſe damnum ſentire tenetur. Cum vero parum conſtet, vtrius fidem ſequutus ſit, id iureiurando ad liquidum perducendum eſſe, oſtendit ſententia a facultate Francofurtana concepta apud STRYK. *Cautel. contract. ſect. II. cap.* 5. §. 19.

§. XXIIII.

Exactor quidnam facere debeat?

Exactor litteras cambiales ad ſe miſſas traſſato mature praeſentat, rogatque, vt iſtas honorare velit. Id ſi hic facere detrectet, proteſtatione opus eſt, de qua paullo poſt dicemus. Sin traſſatus promitit, ſe ſoluturum, acceptatio fieri debet, formula ſubiecta litteris: *ich acceptire vnd verſpreche contente Bezahlung.* Aliquando inſtitor acceptat tamquam mandatarius, idque fieri ſolet his ſimilibuſque verbis: *im Namen ſeines Patrons N. und in deſſen Vollmacht acceptiret vnd verſpricht contente Bezahlung N. N.* Ceterum hodie prohibitae ſunt acceptationes

Digitized by Google

tiones, quae fiunt per ſigna, vel formulis: *ich habe es geſehen*, vel: *ich acceptire, um in der Zeit zu antvvorten*, de quibus vid. SAVAR. *Negotiat. perfect. part. I. cap.* 21. et STRYK. *Diſſ. de acceptat. litterar. cambial. cap. III. §.* 20. 21.

§. XXV.

Probe etiam attendendum eſt, an acceptatio fiat pure, an vero addita clauſula vel conditione. Illo caſu proteſtatio quidem interponenda eſt, ſed conditio tamen illa tunc pro non adiecta habetur, niſi praeſentans in illam diſerte conſenſerit. Quid circa acceptationem puram et conditionatam ſit iuſtum?

§. XXVI.

Quaeritur, an acceptatio etiam tacite fieri poſſit, quin et facta eſſe praeſumatur? Hoc merito adfirmandum eo caſu, ſi quis litteras cambiales aliquamdiu ſecum retineat, nec quidquam aduerſus illas moneat. Qui enim hoc modo tacet, is conſentire in acceptationem videtur. Vid. MARQVARD. *de iur. mercat. libr. III. cap.* 9. *n.* 60. STRYK. *Diſſ. de acceptat. litterar. camb. cap. III.* §. 21. Acceptatio an tacite fieri poſſit, et quandonam facta eſſe praeſumatur?

§. XXVII.

Nec permiſſum eſt traſſato loco totius ſummae partis ſolutionem in ſe recipere. Si tamen promiſſam particularem ſolutionem ratam habeat praeſentans, et in ea promiſſione adquieſcat, nec proteſtationem interponat: valida omnino habetur illa particularis acceptatio. Qua in re inter leges cambiales tantum non omnes conuenire, obſeruauit LVDOVIC. *Introd. ad proceſſ. camb. cap. IIII.* §. 38. Num particularis ſolutio poſſit promitti?

§. XXVIII.

Ceterum cum hic variae perſonae contrahant, earumque quam maxime interſit, vt quae aduerſus auctorem ſuum regreſſum habent: non mirum ſane eſt, tam frequentem in hac negotiatione eſſe proteſtationem, quippe quae conſeruare dicitur ius proteſtantis. *L.* 8. *§.* 6. *D. de nou. oper. nuntiat.* Cur proteſtatio in hoc negotio tam ſit frequens?

§. XXVIIII.

Si cambia feriarum praeſentantur, tunc traſſatus aut cathegorice declarat, ſe litteras non accepturum, vel ob defectum Quidnam circa feriarum

 aliquem,

cambiorum praeſentationem iuſtum?

aliquem, e. g. quia litterae aduiſoriae nondum aduenerunt; acceptationem denegat. Priore caſu ſtatim interponenda eſt proteſtatio, domumque remittenda, nec opus eſt, vt exſpectetur dies ſolutionis. Poſteriore caſu itidem interponitur proteſtatio, nec tamen ea domum remittitur, niſi finita prima hebdomade nundinarum. Si ergo interea adhuc ſe offert traſſatus ad acceptationem, proteſtatio plane reiicienda eſt. Vid. *Ordin. camb. Lipſ. art.* 14. 15.

§. XXX.

Quid ſi ſolutionem initio detrectans poſtea ſoluerit?

Quid ſi mercator detrectans initio acceptationem, veniente tamen die nihilo minus ſolutionem praeſtet? Reſp. tunc exactor illam recipere non tenetur, niſi traſſatus ſimul reſtituat impenſas in proteſtationem factas. Vid. *Ordin. camb. Francofurt. art.* 9. et *Lipſ. art.* 6.

§. XXXI.

Proteſtatio extra nundinas quomodo interponenda?

Extra nundinas quoque in proteſtationibus interponendis, domumque remittendis, ſummum in mora periculum eſt: praeſentatae enim litterae cambiales ſaltim ſex horis ante curſum publicum acceptandae, vel, ſi id non fiat, proteſtatio interponenda, eaque illico domum traſſantis remittenda eſt.

§. XXXII.

Quisnam proteſtationis effectus ſit?

Cum ergo, vti paullo ante diximus, rite factae proteſtationis is effectus ſit, vt ius proteſtantis conſeruet: conſequens eſt, vt, ea facta, praeſentans aduerſus traſſantem vel indoſſantem ſaluum habeat regreſſum ratione ſortis, vſurarum, damnorum, et impenſarum; ea vero neglecta, vel plane omiſſa, regreſſus iſte omnino ceſſet.

§. XXXIII.

Quid ſi cambia remittantur ad locum, vbi negotiatio collybiſtica non feruet?

Sed quae de cambiali proteſtatione adhuc dicta ſunt, ea intelligenda de caſu, ſi cambia, vel feriarum, vel platearum, in locum, vbi negotiatio collybiſtica feruet, remittantur, non aeque, ſi remittantur ad locum, vbi iſta non feruet: tunc enim regreſſus etiam ſine interpoſita proteſtatione ſaluus eſt. Vid. KOENIGKE *ad Ordin. camb. Lipſ. art.* 7.

§. XXXIIII.

Digitized by Google

§. XXXIIII.

Proteſtatio quomodo fiat?

Fiunt proteſtationes non quidem ad acta, (quamuis ſi talis interponatur, illa procul dubio itidem rata eſſet, teſte ZIPFEL. *de camb. ſect. VI. pag.* 185.) ſed adhibitis notario et duobus teſtibus, quibus praeſentibus exactor cambium iterum praeſentat. quo facto, negataque acceptatione, notarius declarat: *er wolle hiermit wider Traſſirern des Wechſels, ſo wohl wegen nicht erfolgter Bezahlung, als auch wegen alles hieraus entſtehenden Schadens, Unkoſten, Intereſſe, Wechſels und Wieder-Wechſels ſollenniter proteſtiret haben.* Vid. STRYK. *Caut. contract. ſect. III. cap.* 5. §. 17. Super eo actu deinde notarius conficit inſtrumentum, idque a ſe et teſtibus ſubſcriptum tradit praeſentanti domum remittendum.

§. XXXV.

An et diebus feriatis proteſtatio interponi poſſit?

Proteſtatio haec, quia non eſt actus contentioſae iuriſdictionis, nec res moram fert, etiam diebus feriatis recte interponitur, niſi leges cambiales id diſerte prohibeant. Prohibent autem leges cambiales *Brunſuic. art.* 23. *Norimberg. art.* 1. *Colon. art.* 1. et *Dantiſcan. art.* 18.

§. XXXVI.

Proteſtatio quidnam operetur?

Proteſtatio haec fit denegata acceptatione. Ea facta, acceptans abſciſſe tenetur ad ſolutionem praeſtandam. Quod adeo verum eſt, vt recedere, voluntatemque mutare non poſſit, ſi vel maxime traſſans interim foro ceſſerit, STRYK. *Diſſ. de acceptat. litter. camb. cap. IIII.* §. 1. *n.* 4. *ſeqq.* vel ſi in acceptatione errauerit. Vid. KOENIGKE *ad ordin. camb. Lipſ. art.* 13.

§. XXXVII.

Quid ſi ſolutio non fuerit ſequuta?

Neque tamen ideo, quia traſſatus litteras cambiales acceptauit, traſſans illico liberatur, ſi ſequuta non ſit ipſa ſolutio. Hinc ſi acceptans ante ſolutionem foro cedat, praeſentans regreſſum habet aduerſus traſſantem vel indoſſantem. Vid. STRYK. *ibid. cap.* 4. §. 7. Sin aliis ob cauſſas non ſoluat: in praeſentantis arbitrio poſitum eſt, traſſantem an acceptantem conuenire malit, quin alterutro conuento nihil impedit, quo minus conſilium mutare, et aduerſus alterum actione experiri poſſit. Vid. *Ordin. camb. Lipſ. art.* 20.

§. XXXVIII.

Regreſſus non eſt, niſi rite interponatur proteſtatio.

Neque tamen ſaluus eſt praeſentanti ille regreſſus, niſi et hoc caſu rite interponatur proteſtatio: id quod non ſolutis cambiis feriarum fieri debet ipſo ſolutionis die, vſque ad ſolis occaſum, niſi hora ſpecialis legibus ſit definita. Extra nundinas proteſtatio interponenda circumactis diebus induciarum, ſi tales conceduntur.

§. XXXVIIII.

Quid ſi in diem feriatum terminus ſolutionis incidat?

Si in diem feriatum incidat terminus ſolutionis: nec acceptans inuitus ſoluere tenetur, nec praeſentans ſolutionem vrgere, vel proteſtationem interponere poteſt, ſed exſpectandus eſt dies ſequens non feriatus, praeterquam *iur. camb. Auguſtan. art.* 4. quod ſolutionem proteſtationemue in cambiis Venetis ante diem feriatum iniungit.

§. XXXX.

Quomodo Iudaeus rite ſoluat?

Illud quoque notatu dignum, quod cum Chriſtiani non niſi domi ſuae ſoluere teneantur, Iudaei ſolutionem in ipſis praeſentantis aedibus, vel eius hoſpitio, praeſtare debeant, modo praeſentans et ipſe Chriſtianae religioni addictus ſit. Si id vltro non facit Iudaeus, Chriſtianus poteſt interponere proteſtationem, etiamſi nulla praeceſſerit interpellatio. Vid. *Ordin. camb. Lipſ. art.* 12. *Brunſuic. art.* 25. *Francofurtan. renou. art. vlt.*

§. XXXXI.

Quid ſi acceptans ſit Chriſtianus?

Si acceptans eſt Chriſtianus, pecuniam a ſe non exactam iuſto tempore vel in iudicio deponere, vel obſignandam offerre poteſt, nulla licet praeuia citatione praeſentantis. Quod et Iudaeo facere licet, ſi pecuniam domum praeſentantis attulerit, neque eum vmquam reperire potuerit. Qua in re mirus eſt legum cambialium conſenſus.

§. XXXXII.

Formula petendi.

Quum vero iam ſaepe monuerimus, non praeſtita ſolutione, et proteſtatione interpoſita, regreſſum dari aduerſus traſſantem vel indoſſantem: ſciendum eſt, tunc in libello peti ſolere: *in Rechten zu erkennen und auszuſprechen, daſs Beklagter Klägern*

wegen

Digitized by Google

wegen Wechſels, Wieder-Wechſels, Senſerie (*oder Courtage*), *Proviſion, und Unkoſten zu befriedigen ſchuldig.* Vid. LVDOVIC. *Introd. ad proceſſ. camb. cap. VI.* §. 8. Quare haec vocabula technica paullo adcuratius erunt explicanda.

§. XXXXIII.

Per *cambium* intelligitur ipſa ſumma, quae ſoluenda erat, nec tamen ſoluta eſt. *Recambium*, quod vocant *den Wieder-Wechſel, Rück-Wechſel*, in eo conſiſtit, quod praeſentans non acceptatis litteris cambialibus pecuniam ab aliquo mutuam ſumit, et pro ea cambium ad auctorem ſuum traſſat. Cum vero id ſine diſpendio fieri nequeat: damnum illud omne repetitur ſub nomine recambii. Vid. KOENIGKE *ad ordinat. camb. Lipſ.* §. 30.

Quid per cambium et recambium intelligatur?

§. XXXXIIII.

Synonyma ſunt vocabula *ſenſerie* et *courtage*. *Senſal*, vel *courtier* mercatoribus eſt proxeneta, adeoque *ſenſerie* vel *courtage* idem eſt, ac proxeneticum. Itaque et hoc honorarium reſtituit traſſans, quia fruſtra haec impenſa facta eſt.

Quid per ſenſerie et courtage?

§. XXXXV.

Per *prouiſionem* intelligitur honorarium, quod acceptanti debet traſſans pro ſolutione vel honoratis litteris cambialibus: quod pleriſque locis eſt triens thaleri pro centum, id eſt, octo groſſorum pro centum thaleris. Hoc ergo honorarium merito a praeſentante repetitur.

Quid per prouiſionem?

§. XXXXVI.

Denique ſub *impenſarum* nomine repetuntur, quaecumque pro interpoſita proteſtatione, pro litteris transferendis, ac denique ob actionem in foro inſtitutam continuatamque impenſa ſunt. Ex quibus patet, duram ſatis eſſe traſſantis conditionem, cuius litterae cambiales interpoſita proteſtatione reuertuntur.

Quid impenſarum nomine veniat?

* * * * * * * * *

CAPVT V.

DE PERSONIS CAMBIANTIBUS.

§. I.

Cur cambia ad alias perſonas, quam mercatores prolata ſint?

CAmbialis ſeu collybiſtica negotiatio proprie ad mercatores pertinet: ideo enim tam rigida obligationis cambialis perſequutio inter iſtos inuenta eſt, vt tanto tutius aliorum fidem ſequi poſſent. Quia tamen hoc ipſum negotium ex variis conflatum eſt contractibus, quos et alii inire poſſunt, quin rei publicae interſit, promtam eſſe pecuniae debitae exſequutionem: facile patet, cur iſta negotiatio et ad alias perſonas prolata ſit.

§. II.

Principes comites, aliiue ill. recte cambia dant.

Hinc cum et principes comites, aliique viri illuſtres et nobiles libere contrahant: conſequens eſt, vt iidem et litteras cambiales dare, ex iiſque recte conueniri poſſint. Id quod ſpeciatim cauetur *Ordin. camb. Lipſ. art.* 1. nec non *Pruſſic. recent. art.* 4.

§. III.

In quibuſnam perſonis rigor cambialis ceſſet?

Contra non obſcurum eſt, rigori cambiali locum non eſſe aduerſus impuberes et minorennes: illorum enim cambia plane nullius momenti ſunt: his laeſis competit beneficium reſtitutionis in integrum. Vid. MEV. *ad ius Lubec. libr. III. tit. 6. art.* 21. §. 26. Excepti tamen ſunt minorennes, qui mercaturam exercent, quippe qui in rebus ad mercaturam pertinentibus non reſtituuntur in integrum. Vid. BRVNNEMANN. *Comment. ad L.* 1. *C. qui et aduerſ. quos reſtit. in integr. non eſt neceſſ.* Vbi ſimul obſeruandum, *iur. cambial. Pruſſic. recent. art.* 5. cautum eſſe, vt mercatores cambiantes anno aetatis vigeſimo pro maiorennibus habeantur.

§. IIII.

An ii, qui ſub patria poteſtate ſunt, literas cambiales recte dent?

Eos, qui ſub patria poteſtate ſunt, litteras cambiales dare, iiſque obſtringi poſſe, plerique tradunt. Vid. TITII *Ius priuat. libr. X. cap.* 5. §. 10. Enimuero cum addant limitationem, *niſi id fiat in fraudem SC. Macedoniani:* haec regula hac exceptione vere abſorbetur. Hinc pleraeque leges cambiales exceptionem SC. Macedoniani ſaluam eſſe iubent. Quod in Saxonia vniuer-

Digitized by Google

vniuerſa obtinet, teſte KOENIGKE *pag.* 151. nec non in terris Pruſſicis, per *Ordin. camb. art.* 5. denique Dantiſci, *art.* 39. et pleriſque aliis legibus cambialibus. Eos tamen filios familias, qui mercaturam exercent, hic quoque exceptos eſſe, vel ex ipſo iure communi patet. Vid. *L.* 7. §. 11. *D. de SC. Maced.*

§. V.

Feminae in terris Brunſuicenſibus abſciſſe iure cambiali tenentur. In aliis pleriſque Germaniae prouinciis tum demum obligatae ſunt, ſi mercaturam exerceant, reliquae iis locis, vbi curatorum conſilio reguntur, ſine horum conſenſu litteras cambiales dare nequeunt. Neque dubium eſt, quin beneficio SCti Velleiani fruantur, ſi pro aliis interceſſerint. An et feminae iure cambiali teneantur?

§. VI.

Quin ne ſufficit quidem, mercaturam exercere feminam: ſed oportet etiam litteras cambiales ſuper negotio ad mercaturam pertinente datas eſſe. Id quod tamen in dubio tantiſper praeſumitur, dum contrarium a femina mercatrice probetur. Vid. CARPZOV. *Part. II. conſtit.* 15. *defin.* 16. *num.* 5. 6. An exercitium mercaturae ad validitatem ſufficiat?

§. VII.

Ceterum feminas, quae tamquam mercatrices cambialem obligationem contraxerunt, etiam abdicato eo vitae genere teneri, inter omnes conſtat. In eiuſmodi enim negotiis potiſſimum ad initium contractus reſpicitur: nec occaſio defutura eſſet mulieribus, exſequutionem cambialem eludendi, ſi obligatio mutato vitae genere exſpiraret. Vid. LVDOVIC. *Diſſ. de muliere cambiante*, §. 30. An et abdicato eo vitae genere teneantur?

§. VIII.

Quamuis vero nullum vitae genus regulariter liberet ab obligatione cambiali, et de clericis, quibus nulla cura animarum eſt, indubium ſit, eos ex cambiis ſuis recte conueniri: pleraeque tamen leges eatenus rigore cambiali eximunt parochos, vt perſonali arreſto non poſſint conſtringi. Pertinent huc *Edict. Saxon. de ann.* 1711. nec non *Ord. camb. Pruſſ. recent. art.* 7. vbi tamen legiſlatores ſimul poenam ſuſpenſionis vel remotionis minantur paſtoribus et ludimagiſtris, cambio ſeſe obſtringentibus. An aliquod vitae genus liberet ab obligatione cambiali?

§. VIIII.

An et opifices, ruſticique rigori cambiali ſubſint?

Quum denique et opifices, et ruſtici alias valide contrahant: illos etiam cambiis ſuis obſtringi, plerique cenſent; qua in re conſentit etiam *Ord. camb. Wolfenbut. art.* 2. Enimuero *ius cambiale* in terris *Pruſſicis* receptum ab eo rigore eximit infimae ſortis ciues, qui non negotiantur, nec non omnes ruricolas, *art.* 6. Id quod et in ducatu Altenburgenſi omnino obtinet. Vid. KOENIGKE *l. c. pag.* 248.

§. X.

An et plures ſimul litteras cambiales recte dent?

Eo minus dubitandum, quin et plures ſimul litteras cambiales vel tamquam correi, vel ſine correali obligatione dare poſſint. Quo poſteriore caſu beneficium diuiſionis non obtinere, recte ſtatuunt BERGER. *Oecon. iur. pag.* 1173. WERNHER. *Compend. iur. libr. III. tit.* 29. *§.* 7. et FRANCK. *Inſtit. iur. camb. libr. I. ſect. I. tit.* 9. *§.* 15.

§. XI.

An et aduerſus heredes cambialis perſequutio competat?

Sed quaeritur, an et aduerſus heredes rigida illa perſequutio cambialis competat? Id quod merito affirmandum, adeo, vt ne ſpatium quidem deliberandi, vel beneficium inuentarii heredibus indulgeatur, ſed hi in continenti hereditatem repudiare, vel exſequutionem cambialem pati teneantur. Vid. *Ord. camb. Pruſſ. art.* 18. et *Ord. iudic. mercat. Lipſ. §.* 23.

§. XII.

An et quando mandatarii cambium acceptantes teneantur? Quid ſit procura?

Cambia non quidem dari, ſed acceptari tamen ſolent a mandatariis, ſpeciali mandato inſtructis: et tunc mandantes non minus teneri, ac ſi ipſi has litteras acceptaſſent, nullum eſt dubium. Mandatum huiuſmodi vocatur *Procura*, idque alicubi publice conſignandum eſt: generale vero mandatum, quale habent inſtitores, minime ſufficit. Vid. *Ord. camb. Hamb. art.* 8. praeterquam Vratislauiae, vbi ſufficit vxorem vel inſtitorem cambium acceptaſſe. Vid. *Ord. camb. Vratisl. art.* 2.

§. XIII.

Quinam collybiſticam facere poſſint?

Vidimus, qui iure cambiali obligentur: conſequens eſt, vt, qui collybiſticam facere poſſint, diſpiciamus. Id quoque non modo mercatoribus, ſed et quibuſuis aliis conceſſum eſt, praeterquam clericis, ob *c.* 15. et 16. *X. de vit. et honeſt. cleric.* nec non ſcholarum miniſtris et proxenetis, in quo leges cambiales tantum non omnes conſpirant.

§. XIIII.

Digitized by Google

§. XIIII.

Et quamuis alioquin mercatura interdicatur miniſtris principum, nobilibus, militibus, doctoribus academicis, *L. vn. C. negot. ne milit. L. 3. C. de commerc. et mercat.*: ea tamen ſanctio non ſtringit exercentes negotiationem campſoriam, quippe quam in ſenſu proprio et ſtrictiore mercaturam eſſe, plerique negant. Vid. STRACCH. *de mercatorib. part. I. num. 67.*

An et ii, quibus alioquin mercatura interdicta?

§. XV.

Itaque ne ſocietates quidem tamquam perſonae morales collybiſticam exercere prohibentur. Id tantum Lipſiae cautum eſt, vt tunc omnes ſocii nomina propria ſubſcribant, cum alioquin receptum ſit, vt ſufficere videatur nomen appellatiuum, e. g *Martell und Compagnie.*

An et ſocietates?

§. XVI.

Iudaei et arte collybiſtica lucrum prae reliquis adfectant, et nulla lege cambiali id facere prohibentur. In cambiis ſuis etiam ad alios Iudaeos directis rariſſime vtuntur litteris Iudaicis: ſi tamen tales adhibuerint aliquando, ex iis actio cambialis non datur, niſi prius de litterarum iſtarum vero ſenſu conſtet. Quem in finem in conſilium adhiberi ſolent viri earum litterarum periti, qui haſce litteras in vernaculam transferant. Quod et de aliis inſtrumentis a Iudaeo productis eſt obſeruandum. Vid. WAGENSEIL. *Iüdiſch Deutſche Belehrung*, quae *Altdorfii* in forma *quarta* prodiit.

An et Iudaei?

§. XVII.

Obiter adhuc monendum, obligationem cambialem non confundendam eſſe cum obligatione ad obſtagium, quo vtuntur nobiles Holſati. Quamuis enim in eo conueniant, quod vtroque caſu debitores ſe obſtringunt ad carcerem: in eo tamen differunt quam maxime, quod debitores obſtagium vltro obire tenentur, ob cambium tum demum mancipandi carceri, ſi a iudice condemnentur. Vt iam non dicam, clauſulam de obſtagio nudis etiam chirographis ibi plerumque inſeri ſolere. Vid. SCHILTERI *Diſſ. de obſtagio.*

Obligatio cambialis differt ab obſtagio.

* * * * * * * * *

CAPVT VI.

DE OBLIGATIONE CAMBIALI.

§. I.

Connexio capitis cum antecedentibus.

QVibus ex contractibus conflata ſit negotiatio collybiſtica; iam ſupra, quantum ſatis eſt, diximus. Ex ſingulis iſtis contractibus variae naſcuntur obligationes ſingulares, quas actione cambiali perſequi ſolent, niſi ob certam cauſſam exſtincta ſit. Quapropter hoc capite partim de obligationibus, quae ex litteris cambialibus naſcuntur, partim de modis, quibus exſtinguuntur, agendum eſt.

§. II.

Quotnam ex proprio cambio naſcantur obligationes?

Primo itaque ex cambio proprio tres naſcuntur obligationes cambiales, (1. debitoris aduerſus creditorem, (2. indoſſati aduerſus creditorem indoſſantem, ſi debitor non ſoluerit, vel bonis lapſus ſit, (3. debitoris aduerſus indoſſatarium, ad ſoluendum cambium a ſe acceptatum. Quibus caſibus omnibus rigidior illa exſequutio locum inuenit, ſed non niſi ad ſummam debitam et impenſas.

§. III.

Quot ex traſſato? Obligatio remittentis.

At in cambio traſſato multo plures perſonae obligantur, adeoque et tanto plures obligationes inde naſcuntur. Primo enim *remittens*, valuta non ſoluta, ad eam ſoluendam tenetur, et ex iure cambiali conuenitur: ſiue litteras cambiales interim dederit, ſiue chirographum, ſiue ſine litteris contraxerit. Vid. *Ord. camb. Pruſſ. art.* 47. *Dantiſc. art.* 1. *Vratiſlau. art.* 12. *Auſtriac. art.* 40. Vnde hoc debitum cambiale omnium maxime priuilegiatum eſt.

§. IIII.

Obligatio traſſantis?

Deinde vel maxime obligatur *traſſans* tum remittenti, tum praeſentanti, vel eiuſdem indoſſatario, ad reſtituendam valutam, praeſtandamque indemnitatem, ſi traſſatus vel non acceptauerit cambium, vel acceptatum non ſoluerit: quamuis vtroque caſu opus ſit interpoſita proteſtatione, eaque neglecta obligatio iſta omnino exſpirat.

§. V.

Digitized by Google

§. V.

Traſſati obligatio ex acceptatione demum naſcitur; et tunc ille conueniri poteſt, tum a praeſentante, tum ab indoſſatario, quamuis interpoſita proteſtatione in vtriusque ſit arbitrio poſitum, aduerſus traſſatum agere malit, an aduerſus traſſantem. Id quod poſterius vel ideo plerumque fieri ſolet, quia denegata ſolutio cambii iam acceptati plerumque argumento eſt euidentiſſimo, traſſatum foro cedere, et iam ſoluendo non eſſe. Ex quo obligatio traſſati naſcatur?

§. VI.

Id quaeritur, an et traſſatus a traſſante conueniri poſſit, ſi cambium non acceptauerit, ac proinde illud vna cum interpoſita proteſtatione redierit? Id quod regulariter negatur, quia acceptatio, ceu ſupra diximus, eſt res meri arbitrii. Si tamen traſſatus ſit in aere traſſantis, litteraſque cambiales ad ſe tranſcribi voluerit, vel iam prouiſionem, quam vocant, acceperit, in eaque adquieuerit, tunc eum ad indemnitatem praeſtandam eſſe obſtrictum, nemo dubitauerit. An traſſatus a traſſante conueniri poſſit, cambio non acceptato.

§. VII.

Is, qui cambium alicui ita ceſſit, vt valutam a ceſſionario receperit, huic ſemper obligatus eſt, ſi non ſoluta ſit pecunia. Vnde indoſſatarius vel ceſſionarius, actionem cambialem inſtituit aduerſus indoſſantem vel cedentem, ad ſummam cambialem cum impenſis omnibus reſtituendam. Aduerſus quem indoſſatario vel ceſſionario competat actio?

§. VIII.

Praeſentans cambiali actione proprie non tenetur: attamen, ſi ſit remittentis mandatarius, et in offerendo exigendoque cambio negligentius ſeſe geſſerit, a remittente recte conuenitur actione mandati ad damnum omne, culpa ſua datum, reſarciendum. An et quandonam praeſentans recte conueniatur.

§. VIIII.

Qui in honorem traſſantis litteras cambiales ad ſe non directas acceptauit, perinde ac ipſe traſſatus tenetur. Sed et ipſe, praeſtita ſolutione, perſequutionem ex cambiali iure habet aduerſus traſſantem, ad recuperandam ſummam ſolutam cum prouiſione et impenſis. Quem in finem haec acceptatio non aliter fieri ſolet, quam *ſopra proteſto.* An acceptans in honorem traſſantis obligetur, et quinam ei obligentur?

§. X.

Digitized by Google

§. X.

Quid ſi fideiuſſores accedant?

Praeterea iam ſupra diximus, aliquando et fideiuſſores accedere ſolere alterius obligationi: id vero vel in ipſo cambio fit per eius ſubſcriptionem vel avallum, vel extra cambium per ſingulare chirographum. Priore caſu fideiuſſor tenetur iure cambiali, ſiue debitor principalis non ſoluerit, ſiue bonis lapſus ſit.

§. XI.

Poſteriore caſu ſi fideiuſſor extra cambium vel chirographo vel verbis ſeſe obligauit, locus quidem eſt proceſſui exſequutiuo, vel actioni ex ſtipulatu, non autem actioni cambiali.

§. XII.

Quid ſi litterae perierint, vel reus neget?

Et hae quidem obligationes omnes, ſi ſemel litterae cambiales interceſſerint, ſaluae ſunt, quamuis poſtea litterae perierint, aut amiſſae ſint, modo reus eiuſmodi litteras adfuiſſe fateatur. Quo caſu tamen ad ſolutionem non aliter condemnatur, quam vt actor cautionem de futura indemnitate praeſtet. Si reus neget, ſe ex cambio aliquo obſtrictum eſſe, actori incumbit probatio, et tunc ea adimpleta reus tenetur cambialiter, et praeſtita cautione ſoluere tenetur.

§. XIII.

An circa cambia et obligationes ex delictis oriantur.

Poſſunt et ex delictis oriri obligationes circa cambia, veluti ſi quis litteras cambiales falſas finxerit, vel genuinas raſerit, alteri ſubtraxerit, rapuerit. Enimuero tunc perſequutioni non cambiali, ſed criminali eſt locus, et, ſi idonea adſint indicia, proceſſus cambialis tantiſper ſuſpenditur, dum finita fuerit inquiſitio.

§. XIIII.

Pertractata obligatione de eius ſolutione omnino agendum.

Hactenus de obligationibus, quae ex litteris cambialibus naſcuntur: proximum eſt, vt, quibus modis illae ſoluantur, paucis expediamus. Quemadmodum enim prior doctrina fundamentum praebet actionibus cambialibus: ita haec poſterior ad exceptiones, quibus illae eliduntur, pertinet.

§. XV.

Primus modus, *praeſcriptio.*

Primus, iſque potiſſimus modus tollendi obligationem cambialem eſt *praeſcriptio.* Quamuis enim Bononiae obligatio cambialis nullo temporis lapſu perimatur, teſte FRANCK. *Inſtit. iur. camb. libr. II. ſect. III. tit.* 3. §. 1. regulariter tamen obtinet praeſcriptio triginta annorum, cui Saxones annum vnum, ſex hebdomades, et tres dies adiicere ſolent. Vid. MEVII *Conſil. Poſtum.*

poſtum. I. num. 18. et LVDOVIG. *Introd. ad proceſſ. camb. cap.* 11. §. 23.

§. XVI.

At nullo breuius tempus praefigunt plaeraeque leges cambiales: Lugduni enim ciues cambiis praeſcribunt anno, in reliqua Gallia quinquennio, eiuſque praeſcriptionis hic effectus eſt, vt circumacto eo tempore ſolutio praeſumatur, quamuis Ludouicus XIIII. rex ſolutionem illam debitoris iureiurando firmandam eſſe ſtatuit. Vid. *Ordinat. mercator. tit.* 5. *art.* 71.

§. XVII.

Dantiſci et Lipſiae litterae cambiales traſſatae poſt quatuor hebdomadas; in ducatu Brunſuicenſi poſt menſem pro ſolutis habentur. Vid. *Ord. camb. Dantiſc. art.* 36. *Lipſienſ.* §. 32. *Wolfenbutel. art.* 45. Propriis tantum non vbique obſtat praeſcriptio annalis, veluti in terris Pruſſicis, ducatu Brunſuicenſi, quin et in Auſtria, Dania, aliiſque locis quamplurimis, eatenus, vt ex eius modi litteris agi non poſſit cambialiter.

§. XVIII.

Quare vel maxime hic ſingularum prouinciarum vrbiumque ſtatuta conſulenda ſunt, quippe quae in hoc capite vt plurimum diſcrepant. Nam vt quiſque legiſlator commercia florere, fidemque inter mercatores ſaluam eſſe maxime cupit: ita breuius praeſcriptionis tempus lege ſtatuere ſolet. Cur ſtatuta varia ſint conſulenda?

§. XVIIII.

Incipit haec praeſcriptio a die ſolutionis, quippe a quo tempore in mora eſt praeſentans, vel, ſi prorogatio ſponte facta ſit, a termino prorogato, vel denique vbi dies induciarum traſſato conceduntur, iis demum elapſis currit praeſcriptio. Vid. KVSTNER. *Diſſ. de menſtrua et annali praeſcriptione litterarum cambialium*, §. 32. *ſeqq.* Quandonam incipiat praeſcriptio?

§. XX.

Quamuis vero exceptio praeſcriptionis perimat rigorem exſequutionis cambialis: non tamen illa ſimul perimit ipſam obligationem. Nam etſi inde non datur actio cambialis, datur tamen proceſſus exſequutiuus, vel, illo quoque exſtincto, ordinarius. Vid. SCACCIA, *de commerc. et camb.* §. 7. *num.* 1. FRANCK. *Inſtit. iur. camb. libr. II. ſect. IIII. tit.* 3. §. 14. *ſeqq.* Ea an totam obligationem perimat?

§. XXI.

Eius curſus quomodo ſiſtatur?

Ipſe praeſcriptionis curſus tum *prorogatione* a creditore vel praeſentante facta, tum *renuntiatione* exceptionis praeſcriptionis, tum *interruptione* per citationem, tum denique *interpellatione*, coniunctaque cum illa proteſtatione ſiſtitur. Vid. WILDVOGEL. *Reſponſ.* 197. *num.* 13. KVSTNER. *Diſſ. cit.* §. 57. et BARTHIVS, *Hodeg. forenſ. cap.* 4. §. 24. 25.

§. XXII.

Cur in primis hic ſit vigilandum?

Quae cum ita ſint, ſi in vllo alio negotio, certe in hoc, iura vigilantibus ſunt ſcripta, nihilque facilius eſt, quam vt nimiam modeſtiam ac humanitatem ſibi nociuam eſſe experiantur creditores. Vnde inter mercatores obtinet paroemia: *in Geld-Sachen gilt keine Freundſchaft.*

§. XXIII.

Secundus modus, confuſio.

Quemadmodum deinde iure communi obligationes *confuſione* ſoluuntur, quia fieri nequit, vt quis ſui ipſius creditor ac debitor ſit, *L.* 65. *L.* 69. *D. de ſolut.* ita idem contingit circa obligationem cambialem. Eſt vero *confuſio* concurſus debiti et crediti, itemque obligationis principalis et acceſſoriae in eamdem perſonam. Ac proinde obligatio cambialis procul dubio exſtinguitur, ſi vel cambium proprium debitor, vel traſſatum acceptans ex iuſta cauſſa adquiſiuerit.

§. XXIIII.

Quid ſi traſſans ſatis fecerit?

Quin et tunc confuſione ſublatum eſſe cenſetur cambium, quando traſſans receptis litteris cambialibus remittenti vel indoſſato ſatisfecerit. Quo tamen caſu traſſato, ſi acceptatio iam ſequuta ſit, dimidia pars prouiſionis, quam vocant, debetur. Vid. PHOONSEN *Conſuet. camb. Amſtelod. cap. XXVIII. poſit.* 15.

§. XXV.

Quid ſi litterae cambiales ad indoſſantem redeant?

Quin ſi ad indoſſantem quoque litterae cambiales ex iuſta cauſſa redeunt, deletis ab illo indoſſamentis intermediis, (id quod ſine ſuſpicione falſi fieri poteſt), obligatio cambialis omnis ratione reliquorum indoſſatariorum plane exſpirat. Vid. KOENIGK. *ad Ord. camb. Lipſ.* §. 11. *adnot.* 6.

§. XXVI.

Quandonam ipſo iure obligatio tollatur confuſione?

Ipſo iure confuſione tollitur obligatio cambialis, quoties actione iam nata debitum et creditum in una perſona concurrunt. Si enim nondum nata eſt actio, ſed eius tantum ſpes aliqua affulget, confuſio adeſſe non cenſetur. Quam diſtinctionem con-

tra

tra TITIVM et BARTHIVM fuſius demonſtrauit FRANCK. *Inſtit. iur. camb. libr. II. ſect. IIII. tit. 2. d.* §. *6. vſque ad §.* 11.

§. XXVII.

Omnium minime autem id pro confuſione habetur, ſi quis cambium, e quo ipſe obligatus eſt, vel alterius nomine et mandato exigit, vel, quod ſibi debetur, alieno nomine ſoluendum ſuſcipit, quia quod quid alterius nomine facit, ipſe feciſſe non videtur.

An confuſio ſit, ſi quis alieno nomine cambium exigat.

§. XXVIII.

Solutionem eſſe modum tollendi obligationem cambialem vel maxime naturalem, facile patet. Cum vero ei aequiparetur *compenſatio*: merito quaeritur, an et huic in negotiatione collybiſtica locus ſit. Id quod merito affirmatur a STRENGERO, *de aſſignationibus mercatorum*, §. 27. FRANCKIO, *Inſtit. iur. camb. libr. I. ſect. III. tit.* 7. §. 4. et LVDOVIC. *Introd. ad proceſſ. camb. cap. XI.* §. 31.

Tertius modus, *compenſatio.*

§. XXVIIII.

Tunc vero locus eſt huic compenſationi, quando (1. vtriusque cambii dies iam venit, argum. *L.* 15. *D. de compenſat.* (2. quando vtrumque debitum eſt liquidum. Liquidum enim et hic cum illiquido, inuito creditore, non compenſatur, ceu recte obſeruauit FRANCKIVS, *ibid.* §. 6.

Quando locum habeat?

§. XXX.

Vocari haec compenſatio ſolet *ſcontro*, vel *ſcontratio*, quae paucis verbis fieri ſolet in aedibus mercatorum publicis, praeſentibus omnibus, quorum intereſt, et ſingulis rem notantibus in libro ſingulari, quem vocant *das Scontro-Buch*, vel *das Meſs-Memorial.* Qui libri ſi omnes inter ſe conſpirant, plenam fidem merentur in iudiciis mercatorum. Vid. *Ordinat. camb. Brunſuic. art.* 24.

Scontratio quomodo fiat?

§. XXXI.

Compenſationi etiam locus eſt, ſi litterae cambiales tertio ceſſae ſint, quia ceſſionario etiam iure communi eaedem exceptiones recte opponuntur, quae cedenti obſtant. Vid. *L.* 2. *pr. D. de heredit. vel act. vendit.* Id tamen in Saxonia per edictum de ann. 1699. eatenus reſtrictum eſt, vt indoſſatario obſtet exceptio compenſationis, ſi tantum mandatarius ſit, non autem ſi dominium cambii ſit conſequutus. Vid. KOENIGKE *Append. pag.* 26.

Compenſationi quoque locus eſt, ſi litterae tertio ſint ceſſae.

§. XXXII.

§. XXXII.

Quartus modus, *acceptilatio* et *nouatio*.

Quemadmodum porro iure communi et acceptilatione, et nouatione tolluntur obligationes: ita iiſdem modis etiam cambiales ſoluuntur. Siue ergo creditor debitori remittat debitum, ſiue loco obligationis prioris noua conſtituatur, priorem vtroque caſu exſpirare, manifeſtum eſt.

§. XXXIII.

Nouatio fit et ſine, et cum delegatione.

Ceterum vel ſine delegatione fit nouatio, vel cum delegatione. Quoties nimirum perſona debitoris ita mutatur, vt tertius alterius obligationem expromittendo in ſe recipiat. Cuius poſtremae is effectus eſt, vt prior debitor liberetur, actioque naſcatur aduerſus expromittentem.

§. XXXIIII.

Non autem die ſolutionis prorogatio.

Non autem fieri nouationem prorogato die ſolutionis, vel inde patet, quod tunc animus nouandi deficiat: hic vero niſi declaretur, nulla intelligitur nouatio. *L. ult. C. de nouat. et delegat.*

§. XXXV.

Quid ſi ratione officii quis contraxerit?

Si quis ratione officii litteras cambiales alicui dederit, finito officio ipſe liberatur, ſimulque ius exigendi ex litteris cambialibus ſibi datis amittit, *L. 1. C. quando ex fact. tutor. L. 25. C. de adminiſtrat. tutor. et curator.* Quae omnia tamen de eo caſu intelligenda ſunt, ſi ratione officii quis contraxerit: alioquin enim qui ſuo nomine campſauit, vel cuius fidem ſpeciatim ſequutus eſt creditor, obligatione minime exſoluitur, ſi vel maxime ſeſe abdicauerit. *L. 9. C. de praed. et al. reb. minor. non alien. L. 15. D. de adminiſtrat. et peric. tutor.*

§. XXXVI.

Quid ſi fines officii exceſſerit?

Nec magis abdicatione ab officio obligatione cambiali quis liberatur, ſi fines officii exceſſerit, talemque ſuſceperit negotiationem, quae ad id officium non pertineat. *L. 43. §. 1. D. de adminiſtr. et peric. tut.* Conf. HVBER. *Praelect. ad tit. D. quando ex fact. tutor. §. 2.*

§. XXXVII.

Quid ſi campſor foro cedat?

Sunt quidam euentus, qui ipſam quidem obligationem cambialem non perimunt, at ſolutionem tamen vel ſuſpendunt, vel morantur, ac proinde mirifice turbant negotiationem collybiſticam. Quo in primis pertinet caſus, ſi campſor foro cedat, reſque ad creditorum concurſum redeat.

§. XXXVIII.

Digitized by Google

§. XXXVIII.

Num reſcripta moratoria cambiorum exactionem morentur?

Concurſum creditorum ſaepe antecedunt reſcripta moratoria, quae et cambiorum exactionem regulariter morantur, praeterquam in Dania, vbi litteris moratoriis, quod ad cambia attinet, omnis plane effectus detrahitur. Vid. *Ordinat. camb. Danic. art.* 20. Non tamen eius modi reſcripta temere concedenda ſunt iis, qui luxu bona ſua abligurmerunt. Quin ne fortunae quidem iniuria bonis euerſi iſta facile impetrare debent, niſi adcuratam bonorum omnium deſignationem obtulerint. Vid. *Ordinat. camb. Pruſſic. art.* 57.

§. XXXVIIII.

An creditoribus tunc currat praeſcriptio?

Impetrato eius modi reſcripto, et labente induciarum tempore, creditoribus non currere praeſcriptionem, ex analogia iuris recte ſtatuit TREVNDEBERG. *de reſcriptis moratoriis, concluſ.* 58. Cum vero alii diſſentiant, et cambium interea nihilominus producendum, actionemque inſtituendam eſſe moneant, vid. KVSTNER. *de menſtrua et annali praeſcriptione litterarum cambialium*, §. 51. hoc conſilium, tamquam tutius, merito eligendum eſt.

§. XXXX.

Debitor hoc reſcripto vti poteſt, vel non.

Ceterum debitor huius modi conſequutus reſcriptum, adhuc optionem habet, eo reſcripto vti, an bonis cedere, an ſoluere malit. Aliquando enim eius modi reſcripto ſeſe muniunt debitores, qui malam debitorum ſuorum fidem metuunt, deinde vero, vbi hi ſoluunt praeter exſpectationem, reſcripto moratorio renuntiant. Conf. ZOESIVS, *ad tit. D. de ceſſ. bonor. n.* 25.

§. XXXXI.

Quid circa creditorum concurſum iuſtum.

Vbi res ad ipſum concurſum redit: creditores cambiales, aeque ac reliqui, credita ſua in termino liquidationis profiteri, litteriſque cambialibus productis demonſtrare tenentur. Eas litteras deinde contradictor vel agnoſcit, ſaluis exceptionibus, vel iurato diffitetur.

§. XXXXII.

Quidnam creditores cambiales prae reliquis creditoribus

Cambio ſemel ad liquidum perducto, concurſus ſuccedit in locum debitoris communis, adeoque ad eadem omnia tenetur, quae a debitore, ſi ſoluendo eſſet, praeſtari deberent. Quin id praecipui habent creditores cambiales, quod reliquis debitori inducias concedentibus, aut aliquid remittentibus, ipſi inuiti conſentire

praecipuum habeant? ſentire non tenentur. Vid. Rivin. *Enunc. ad proceſſ. Saxonic. tit.* 41. *num.* 12. 14.

§. XXXXIII.

Num reliquis creditoribus praeferantur?

Quod ad prioritatem attinet, in dubio ſequimur ius commune, niſi quod Bulſani et quibuſdam aliis locis ciues peregrinis, et poſſeſſores litterarum cambialium nundinalium reliquis praeferuntur.

§. XXXXIIII.

Regulariter chirographariis accenſentur.

Itaque regulariter creditor cambialis chirographariis accenſetur, nec vllo praelationis iure gaudet. Attamen in Auſtria, Vratiſlauiae, Dantiſci, et in prouinciis Pruſſicis proxime ab hypothecariis collocantur in claſſe quarta, omnibuſque chirographariis praeferuntur. Vid. *Ordinat. camb. Auſtr. art.* 47. *Vratiſlau. art.* 35. *Dantiſc. art.* 33. denique *Ordinat. hypoth. et concurſ. Pruſſ. art.* 197.

§. XXXXV.

An aliquid operetur clauſula *ſub hypotheca bonorum* litteris inſerta?

Nec intereſt in hiſce prouinciis, clauſulane *ſub hypotheca bonorum*, inſerta ſit litteris cambialibus, an iſta deſideretur: neutro enim caſu inter hypothecarios collocantur creditores cambiales. Aliud tamen extra haſce prouincias obtinet, quamuis eius modi hypotheca iis locis, vbi immobilia extra acta oppignorari non poſſunt, ſolas res mobiles afficiat. Vid. Stryk. *Vſ. hod. Dig. tit. qui potior. in pign.* §. 3.

§. XXXXVI.

Alicubi tacitam hypothecam habent poſſeſſores litterarum cambialium.

Alicubi tamen, veluti Mediolani, litterarum cambialium poſſeſſoribus tacita hypotheca tribuitur, teſte Nic. de Passerib. *de ſcript. priuat. III. tit. de litter. cambial. qu.* 2. *n.* 7. Id quod et in Gallia obtinet, quoties eius modi litteris ſubſcripſerit proxeneta. Vid. Savary *Negociat. perfect. part. I. lib. III. cap.* 7. *pag.* 247. Quin et in Suecia et ducatu Brunſuicenſi creditores cambiales proxime poſt hypothecas ſpeciales iudiciales, et ante generales collocantur. Vid. *Ord. camb. Suec. art.* 26. *Wolfenbut. art.* 55.

§. XXXXVII.

Quid ſi valuta nondum ſoluta, vel pecunia ſub ſpe accipiendi litteras cambiales fuerit ſoluta.

Pinguiore tamen iure fruuntur, qui litteras cambiales, valutâ nondum ſoluta, dederunt, nec non qui pecuniam ſub ſpe accipiendi litteras cambiales ſoluerunt: eae enim litterae, iique nummi adhuc exſtantes extra concurſum iure dominii recte vindicantur. Vid. Lvdovic. *Introd. ad proceſſ. camb. cap.* 16. §. 2.

CAPVT

* * * * * * * ſ

CAPVT VII.

DE PROCESSV CAMBIALI.

SECTIO I.

DE FORO COMPETENTE, ET ACTIONIS LIBELLO.

§. I.

Reſponſum iauidum, et parere quid ſint?

ORta ſuper cambio lite, ſaepe a forenſi diſceptatione ita nonnulli abhorrent, vt rem amice componere malint. Quem in finem compromittere ſolent in deciſum vel ICti, quod *reſponſum*, amicorum, quod *laudum*, vel mercatorum ſiue ſingulorum, ſiue totius collegii, quod *parere* vocant.

§. II.

Quid circa ea iuſtum, et an conſultum poenam conuentionalem adiici?

Huic arbitrio tunc ſtandum eſſe, vel ex ipſo iure communi notum eſt, et quidem ex *L. 5. C. de recept. arbitr.* Nec minus exploratum videtur, ne appellationi quidem tunc locum eſſe. *L.* 27. §. 2. *D. L.* 1. *C. eod.* Attamen quia exſequendi facultate deſtituuntur arbitri, conſultiſſimum erit, et hoc caſu poenam conuentionalem ſtipulari compromittentes, ab eo, qui non pareat arbitrio, ſoluendam.

§. III.

An non breues induciae debitori concedendae?

Quia etiam paullo rigidior eſt litigandi modus, qui in cauſſis cambialibus obtinet: non raro et iudices, et ipſa humanitas ſuadent, vt creditor non illico arma veluti corripiat, ſed potius praeſtita idonea cautione debitori breues concedat inducias.

§. IIII.

Forum requiritur competens.

Vbi res ita ad liquidum perduci non poteſt, nihil ſupereſt, quam vt iudex adeatur. Tunc vero primo omnium quaeritur, quodnam ſit forum competens? competens enim forum omnino requiritur, niſi vel debitor vltro ſeſe obligauerit ad ſolutionem,

tionem, vbicumque deprehendatur, praeſtandam, vel fuga eum aliquo abſtulerit. Tunc enim, vbicumque deprehenditur, domicilium agnoſcit. *L. 27. §. 2. D. ad municipal.*

§. V.

Id vel ſpeciale eſt, vel generale. Quinam et vbi illud ſortiantur?

Forum vero *competens* vel *ſpeciale* eſt, vel *generale*: hoc vnusquisque ſortitur in eo iudicio, quod vel domicilii ratione, vel ob priuilegium agnoſcit. Vnde ciues coram magiſtratu oppidano; academici coram rectore vel pro-rectore; nobiles in curia ſuprema, vel, ſi praefecturis ſubiiciantur, coram praefectis ſunt conueniendi. Lipſiae tamen in nundinis ob nobiles conſtituta eſt *perpetua commiſſio*, id eſt iudicium delegatum compoſitum ex praefecto circuli et delegatis quibusdam e ſenatu vrbano.

§. VI.

Quinam et vbi ſortiantur forum ſpeciale.

Speciale eſt forum contractus, quod quiſque ſortitur eo loco, vbi vel praeſtanda eſt ſolutio, *L. 21. D. de obligat. et act.* vel cambialis obligatio contracta eſt, *L. 2. L. 3. D. de reb. auct. iudic. poſſid.* modo vtroque caſu reum ibi deprehendat citatio. Si fugientis vel perſonam vel res impetrato arreſto aliquis ſtiterit: locus etiam eſt foro arreſti. Vid. LVDOVIC. *Introd. ad proceſſ. camb. cap. V. §. 12.*

§. VII.

An non aliquando ſingulare forum habeant cauſſae cambiales?

Quin aliquando principes ſingulare forum deſtinare ſolent cauſſis cambialibus, vel iudicii cuiusdam iuris dictionem ad huius modi cauſſas prorogant. Quo caſu foro illi ſubiecti non gaudent praeſcriptione fori vel exceptione primae inſtantiae.

§. VIII.

Quid in libello actori praecipue obſeruandum?

Primum, a quo initium capit lis cambialis, eſt libellus, non ſollemnis ille quidem, ſed ſummarius tantum; vnde et actor *implorans*, reus *imploratus* vocari ſolet. Praecipue vero obſeruandum, in libello eius modi exprimendum eſſe, diem cambii iam veniſſe, et reum vltro ſolutionem noluiſſe praeſtare.

§. VIIII.

Digitized by Google

§. VIIII.

An ſemper libellus ſcriptus ſit offerendus iudici?

Perinde vero eſt, ſcriptum libellum quis offerre malit, an actionem inſtituere verbis ore prolatis, quamuis prius et frequentius fiat, et multo ſit commodius, ſiquidem alioquin libellus cum reo non poteſt communicari.

§. X.

An ex pluribus negotiis cambialibus poſſit agi?

Praeterea non intereſt, ex vno negotio cambiali quis agat, an ex pluribus, quod adeo verum eſt, vt et in Saxonia, vbi alias non niſi tres actiones cumulari poſſunt, ex pluribus cambiis poſſit agi. Vid. *Ordin. iudic. mercator. Lipſ. tit. 6.* verbis: *wenn gleich mehr, als drey Puncten.*

§. XI.

Quaenam documenta libello adiicienda?

Libello adiicienda ſunt documenta, ex quibus agitur, et proprio quidem ſolum cambium, traſſato vero et reliqua inſtrumenta, ex quibus probare actionem conabor, e. g. proteſtatio, apochae, cet. Haec omnia tantum deſcripta adiiciuntur libello, in termino autem recognitionis ipſa autographa producenda ſunt.

§. XII.

Quidnam in concluſione cauendum?

Denique ſubiungitur concluſio vel petitum: vbi inprimis cauendum, ne actor petat litis conteſtationem; ſic enim ex cambiali fieret proceſſus ordinarius.

§. XIII.

Tranſitio ad cambia traſſata.

Itaque quomodo libellus, quo cambium proprium producimus, eoque obligationem perſequimur, concipiendus ſit, ex iam dictis patet.

§. XIIII.

Quidnam circa libellum traſſat. camb. ſit obſeruandum?

At plures circumſtantiae inſerendae ſunt libellis, quibus cambia traſſata perſequimur, eaeque circumſtantiae omnes adiectis documentis probandae ſunt, ne actor ad proceſſum ordinarium inuitus trahatur.

§. XV.

Cuinam offeratur?

Huius modi libellus offerendus eſt iudici, qui diem, quo oblatus eſt, vel in fronte, vel in dorſo adſcribit.

SECTIO II.

DE CITATIONE, ET TERMINO RECOGNITIONIS.

§. I.

Citationis per adparitorem factae quinam ſint effectus? OBlato libello iudex decernit citationem, quae plerumque ſit ſine ſcripto per adparitorem, reum paucis redditurum certiorem, qualis actio aduerſus illum inſtituta ſit. Ea citatio, perinde ac ſcripta, omnes citationis ſollemnis effectus habet, modo de ea facta ad iudicem referat apparitor, ſuperque eo regiſtratura, quam vocant, ad acta ſcripta ſit.

§. II.

Quidnam circa citationem ſcriptam ſit obſeruandum? Si quando ſcripta citatio decernitur, (id quod in iudiciis ſuperioribus fere ſemper fieri ſolet,) ei adiungendum eſt apographum libelli, vna cum inſtrumentis libello adiectis. Aliquando tamen ſi de fuga ſuſpectus ſit reus, ſtatim prehenditur, et in cuſtodiam datur periculo et ſumtibus petitoris.

§. III.

An in ea obſeruatur dilatio legitima. In eius modi citatione non obſeruatur dilatio legitima, ſed reus aliquando poſtridie, aliquando poſt biduum vel triduum adeſſe iubetur, nec locus eſt exceptioni termini nimis anguſti: ſi tamen a curia ſuprema decernatur citatio, plerumque ſpatium laxius, e. g. quatuordecim dierum, reo indulgendum eſſe, ipſa ratio ſuadet.

§. IIII.

Quid ſi reus non comparent? Non comparentem reum actor accuſat contumaciae, expenſarum reſtitutionem repetit, et reum iterum citari petit ſub poena recogniri et arreſti perſonalis. Id quod ſtatim decernitur, et, ſi denuo perſeuerat in contumacia, interlocutio publicatur.

§. V.

§. V.

Comparente reo, actor vel eius mandatarius (nam ex parte actoris procuratorem admitti, nemo dubitat), reum prouocat ad recognoſcendum.

Comparente reo quidnam actori agendum ſit?

§. VI.

Reus plerumque recognitionem variis oppoſitis exceptionibus dilatoriis a ſe amoliri conatur: ſed eius modi exceptiones variis legibus cambialibus prohibitae ſunt, velut *Pruſſica communi, art.* 11. et *Brunſuic. art.* 8. Si tamen opponantur exceptiones dilatoriae ad ipſam proceſſus ſubſtantiam pertinentes, veluti legitimationis, iudicis incompetentis, reus omnino erit audiendus.

Reus quidnam agat, numque exceptiones dilatorias opponere poſſit?

§. VII.

Si exceptionibus dilatoriis deſtituitur reus, vel in illis nihil ponit fiduciae, contra vero exceptionem peremtoriam in continenti liquidam in promtu habet, tunc recte et ordine facit, ſi ſtatim documenta recognoſcat, ſubiuncta illa exceptione peremtoria.

Quid ſi dilatoriis exceptionibus deſtituatur, peremtorias vero in promtu habeat.

§. VIII.

Tales exceptiones peremtoriae admittuntur omnes, quae in continenti ſunt liquidae, id eſt, quae ex inſtrumento quodam guarentigiato ſtatim poſſunt probari, praeter exceptiones diuiſionis et ordinis. Sed quaeritur, an non iuriſiurandi delatione eius modi exceptio in continenti ad liquidum perduci poſſit? id quod pragmatici plerique negant, maxime in Saxonia, vbi id lege publica cautum eſt.

Quaenam exceptiones peremtoriae admittantur? et an iureiurando ad liquidum poſſint perduci?

§. VIIII.

Multo minus reus exceptionem ſuam probaturus, prouocare poteſt ad codicem ſuum, (*auf ſein Handels-Buch*). Eo enim priuilegio mercatores tantum vtuntur aduerſus debitores ſuos, non aduerſus creditores; et praeterea productio codicis ſemiplenam tantum probationem efficit. At, ſi reus probaturus exceptionem ſuam ad actoris codicem prouocet, iſque in continenti producatur, probatio inde petita pro liquida, et regina omnium probationum habetur. Praeiudicium habes apud LVDOVIC. *Introduct. ad proceſſ. cambial. cap. XI.* §. 67.

Num poſſit ad codicem ſuum mercatorium prouocare reus.

§. X.

Quid ſi recognitionem litterarum cambialium ſimpliciter detrectet?

Saepe etiam contingit, vt reus recognitionem cambialium litterarum detrectet ſimpliciter, et ſe ad illas abiurandas paratum oſtendat, quo caſu ad prouocationem actoris reſpondere ſolet.

§. XI.

Quid ſi ſubſcriptionem agnoſcat, litteras vero a ſe vel iuſſu ſuo ſcriptas eſſe neget?

Quid ſi ſubſcriptionem agnoſcat reus, ipſas vero litteras a ſe vel iuſſu ſuo ſcriptas eſſe neget? tunc diſpiciendum, an in continenti falſum aliquod probare poſſit reus, vel ſaltim indicium proximum huius criminis oſtendere; an nihil adferat, quo falſum iſtud reddatur probabile: poſteriore caſu diffeſſio iurata non admittitur, priore admittitur.

§. XII.

Num iurata diffeſſio in cambiis poſſit impediri?

Alias in proceſſu exſequutiuo iurata diffeſſio nonnumquam impediri poteſt, recognitione per teſtes facta, aut inſtituta litterarum comparatione. Sed cum vtrumque remedium ſit altioris indaginis: illud in cambiis non admittitur. Vid. SCHWENDEND. *ad* FIBIG. *pag.* 739. *num.* 364. Praeſtita tamen ſolutione nihil impedit, quo minus periurium eius modi comparatione litterarum probari, de eoque in reconuentione quaeri poſſit. Vid. MEV. *part. VI. deciſ.* 278.

§. XIII.

Quot allegationes partium in cambiis admittantur?

Quemadmodum in aliis proceſſibus actor replicatione, reus duplicatione aduerſarii allegationes euertere conatur: ita et in diſceptatione cauſſarum cambialium idem obſeruatur. Nec plures allegationes admittuntur in hiſce prouinciis, etiamſi reus in duplicatione noua quaedam attulerit. Aliis locis ob noua allata reſciſſio concluſionis decerni, et actor ad triplicandum, reus ad quadruplicandum admitti ſolet.

§. XIIII.

An in replicatione vel duplicatione exactiones altioris indaginis admittantur?

Praeterea cum in hac diſceptatione cauſſarum cambialium nulla admittatur exceptio, niſi quae in continenti liquido probari poſſit: facile patet, nec ea, quae replicando vel duplicando proferantur, altioris indaginis eſſe debere. Quam ob rem ſi in replicatione huius modi quid attulerit actor: reus duplicat ea, quae attulerit actor, altioris eſſe indaginis, adeoque ad ea attendendum iam non eſſe.

Digitized by Google

§. XV.

Iam ergo nihil ſupereſt, praeter ſententiam. Antequam vero ea publicetur, partes plerumque conſilia ſiue mercatorum, ſiue ICtorum, quae ſibi profutura ſperant, ad acta offerunt. Vid. Lvdovic. *Introduct. ad proceſſ. camb. cap. XII. §. 3.* Ea ſi altera pars admitti nolit, (ſiquidem regulariter poſt concluſionem in cauſſa nihil vltra admittendum eſt), iudex finiendae iſtius litis cauſſa decernere ſolet, in poſterum videndum eſſe, an admitti poſſint. Quidam ante ſententiam fieri plerumque ſoleat?

SECTIO III.

DE SENTENTIA DEFINITIVA.

§. I.

Cauſſa concluſa, ferenda eſt ſententia, quae ſaepe in ipſo termino; rarius, et nonniſi ſi cauſſa admodum perplexa ſit, poſt aliquot dies fertur, quo caſu citatione opus eſt ad audiendam ſententiam. Sententia quando feratur?

§. II.

Ordinarie ipſe iudex, vti in aliis cauſſis, quae celerrimae ſunt expeditionis, pronunciat. Si tamen a reo cautio ſufficiens praeſtita ſit, vel in ea ipſa vrbe collegium aliquod iuridicum floreat, quod ſtatim poſſit conſuli, vel ſi ipſae partes petant, acta alio tranſmitti: id petentibus denegari non poteſt. Quinam eam ferat?

§. III.

Acta ad facultatem aliquam tranſmiſſa, ſimul ac redierunt, ſtatim decernitur citatio ad audiendam ſententiam, cui ſimul inſeri ſolet admonitio, vt ſi quid impenſarum adhuc ſoluendum ſit, ſimul in termino ſoluatur. Quid ſi acta ad facultatem aliquam iuridicam fuerint tranſmiſſa?

§. IIII.

Formulae pronunciandi, pro diuerſitate caſuum variae ſint, oportet. Aut enim in primo ſtatim termino vadimonium ſiſtit reus, Circa pronunciandi.

formulam quidnam obſeruandum? reus, aut citationi non obtemperat. Poſteriore caſu, praeuia contumaciae accuſatione, citatio noua ſub poena recogniti decernitur, reuſque in expenſas condemnatur. Si ne ſic quidem in nouo termino ſe ſiſtit reus, non modo apprehenſio perſonae poteſt decerni, verum etiam in ipſo termino, praeuia accuſatione contumaciae, ſententia publicatur, cambium iam pro recognito habendum, reumque impenſas ſoluere teneri.

§. V.

Reus ſe ſiſtens quidnam faciat?

Siſtens ſe reus aut recognoſcit cambium, aut illud abiurat, aut neutrum facit. Si recognoſcit, tunc aut exceptionem ſubiungit in continenti liquidam, aut illa eſt altioris indaginis. Priore caſu abſolutoria, poſteriore condemnatoria ſententia ſequitur.

§. VI.

Quid ſi quis cambium abiurauerit?

Si quis abiurauit cambium, itidem ſequitur ſententia abſolutoria, quae tamen a ſuperiore in eo differt, quod et alia decidendi ratio inſeritur, et impenſae ordinariae compenſantur.

§. VII.

Quid ſi recognitionem et diffeſſionem iuratam reus detrectet?

Denique ſi et recognitionem et diffeſſionem iuratam reus ex friuolis plane cauſſis detrectat: in his prouinciis nihil ſupereſt, quam vt lata ſententia cambium pro recognito declaretur. Alibi tamen perinde eſt, acſi non comparuerit reus.

§. VIII.

Impenſas iudiciales et extraiudiciales quiſnam praeſtet?

Impenſae, de quibus ſimul fertur ſententia, vel *iudiciales* ſunt, quae iudici, actuario, et adparitoribus ſoluuntur, et hae integrae, ſine moderatione praeſtandae ſunt: vel *extraiudiciales*, quae aduocatis ſolutae, vel in iter factae ſunt. Hae ſemper indigent iudicis moderatione, cum fundamentum eſt cuiuſuis iudicii lex ſportularia.

SEC-

SECTIO IIII.

DE REMEDIIS CONTRA SENTENTIAS GRAVANTES.

§. I.

An et quandonam in proceſſu cambiali remedia ſuſpenſiua et deuolutiua admittantur?

QVi ſententiam aliquam ſibi iniquiorem eſſe putat, is in cauſſis tantum non omnibus vti poteſt remediis, tum ſuſpenſiuis, tum deuolutiuis. Quod adeo verum eſt, vt et in cauſſis exſequutiuis illis locus ſit. In cambialibus tamen et difficilius admittuntur, et non niſi ea lege, vt vel reus condemnatus in cuſtodia maneat, vel pecuniam, de qua litigatur, ſimulque certam ſummam in caſum, ſi ſuccubuerit, deponat. Vid. *Diſſ.* noſtra *de pecunia in caſum, ſi cauſſa cecederint, ab adpellantibus, alioue remedio vtentibus, deponenda.*

§. II.

Cautio circa illa R. I. praeſcripta.

Ne autem huius modi remediis lis data opera protrahatur, *Receſſ. Imper. de ann.* 1654. §.107. cautum eſt, ne illa exſequutionem impediant. Hinc reus nihilominus in carcere interea habitat, vel, ſi ſoluendo ſit, pecunia ipſi per exſequutionem extorquetur, vel actori ſoluenda, ſi cautionem de reſtituendo praeſtiterit, vel in iudicio deponenda.

§. III.

Quomodo adpellatio interponenda?

Si ergo adpellatio interponitur, id ex legibus *Brunſuicenſibus art.* 4. ſtatim, vel ſtante pede, vti vocant, fieri debet. Alibi admittitur ſchedula adpellationis intra decendium iudici prioris inſtantiae offerenda. Ea vero et ſententiam grauantem, et grauamen ipſum, et prouocationem ad ſuperiorem iudicem, et poſtulationem denique apoſtolorum complecti debet.

§. IIII.

§. IIII.

Apoſtoli refutatorii quandonam decernantur?

Quamuis vero, qui ad ſuperiorem iudicem prouocat, plerumque apoſtolos tantum reuerentiales petat: iudex tamen fere ſemper *refutatorios* decernit, quibus oſtendit, grauamen adpellantis admodum friuolum eſſe. Vocari illi ſolent *ein Bericht*.

§. V.

Adpellatio quomodo apud ſuperiorem iudicem introducatur?

Acceptis apoſtolis intra conſtitutum tempus adpellatio apud ſuperiorem iudicem introducenda eſt. Eum in finem offerri iudici oportet ſententiam a qua, ſchedulam adpellationis, apoſtolos, et acta prioris inſtantiae, ſubiuncto petito, vt proceſſus adpellatorii decernantur, et ad iuſtificandum praefigatur terminus.

§. VI.

Adpellatione introducta quidnam iudici ſuperiori agendum?

Introducta adpellatione iudex ſuperior expendit grauamina; et collatis actis prioris inſtantiae diſquirit, ſintne illa alicuius ponderis, an plane friuola. Tunc priore caſu illico reiicitur adpellatio, et acta ad iudicem prioris inſtantiae remittuntur, interpoſito decreto. Poſteriore caſu decernitur citatio ad adpellatum, terminuſque ad iuſtificandum praefigitur, ſimulque *inhibitoriales*, (et, ſi acta nondum tranſmiſſa fuerint, *impulſoriales*) expediuntur ad iudicem ſuperioris inſtantiae.

§. VII.

Quidnam in termino iuſtificationis fiat a partibus?

In termino iuſtificationis partes plerumque ſine ſcriptis prolixioribus verbis ore prolatis diſceptant, niſi vel ipſae aliter inter ſe compromittant, vel iudex ſuperior ob cauſſae difficultatem decernat, vt vtraque pars bina ſcripta alternatim ad acta offerat. Ceterum iuſtificatio et formalium et materialium fieri debet.

§. VIII.

Iuſtificationi quidnam adpellatus opponat?

Huic iuſtificationi adpellatus opponit exceptiones, quibus tum formalia, tum materialia oppugnat. Si in illis nihil neglectum eſſe animaduertit, rem committit iudicis arbitrio, et ad materialia potiſſimum reſpondet.

§. VIIII.

Exceptiones adpellati quomodo adpellans elidat?

Exceptiones adpellati adpellans replicando elidere; replicationes vero huius duplicando euertere ſtudet adpellatus. Vbi denuo ille tum formalia, tum materialia in tuto collocare, hic eadem quouis modo profligare conatur.

§. X.

§. X.

Iam nihil ſupereſt, praeter ſententiam, quae ſuper formalibus aeque, ac materialibus, nec non ſuper expenſis litis ferenda eſt Si prior ſententia confirmatur, ſimul remiſſio actorum decernitur ad iudicem prioris inſtantiae. Sin eadem reformatur: cauſſa manet penes iudicem ſuperiorem. Sententia ſuper quibus ferenda?

§. XI.

Ab adpellatione, quod ad modum diſceptandi attinet, parum, diſcrepat leuteratio, reuiſio, ſupplicatio, et cetera ſuſpenſiua remedia, niſi quod in iis ceſſant introductio et apoſtoli. Interponuntur itaque intra decendium, et, ſi iudex illa recipit, terminus ad proſequendum vel iuſtificandum petitur. Tunc vero eadem omnino fiunt, quae in adpellatione. Concluſa vero cauſſa acta tranſmittuntur ad collegium iuridicum. Quandonam cetera remedia ſuſpenſiua ſint interponenda?

§. XII.

Sed cum, vti iam diximus, in cauſſis cambialibus difficilius concedantur eius modi remedia, eaque exſequutionem non impediant: multo rectius ſibi conſulet reus condemnatus, ſi ſtatim ſoluat, eoque facto exceptionem reiectam per modum reconuentionis proponat. Tunc enim locus eſt proceſſui ſummario, et fieri poteſt, vt probata exceptione ſummam ſolutam feliciter recuperet. An id conſultum?

§. XIII.

Cum vero conuentio et reconuentio ſimultaneo proceſſu hic non expediantur, et periculum ſit, ne actor peregrinus, potita pecunia, forum rei fugiat: reus, ſoluens, petere debet depoſitionem pecuniae in iudicio faciendam, donec aduerſarius ſatis dederit. Cautio quaedam reo commendata.

§. XIIII.

Finita reconuentione, ſi reconueniens exceptionem ſuam, prout decet, probauerit, ille ſummam ſolutam per ſententiam recuperat. Sin minus: reconuentus ab actione abſoluitur. Finita reconuentione quidnam fieri debeat?

§. XV.

Exſequutio rei iudicatae in cauſſis cambialibus fit primum per apprehenſionem perſonae. Deinde vero, quia ſaepe haec cuſtodia actori aeque moleſta eſſe ſolet, ac reo, per immiſſionem in bona, eorumque diſtractionem, quo caſu primum ad mobilia, deinde, ſi haec non ſufficiant, ad immobilia, ac demum ad iura et actiones deuenitur. Exſequutio quomodo fiat?

INDEX CAPITVM.

I. DE iure cambiali in genere, eiuſque origine. pag. 5
II. De cambio generatim, variiſque eius generibus. 9
III. De contractibus cambialibus. 15
IIII. De litteris cambialibus, earumque curſu. 22
V. De perſonis cambiantibus. 34
VI. De obligatione cambiali. 38
VII. De proceſſu cambiali. 47
Sect. I. De foro competente, et actionis libello. 47
II. De citatione, et termino recognitionis. 50
III. De ſententia definitiua. 53
IIII. De remediis contra ſententias grauantes. 55

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

30564914

Digitized by [illegible]